This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BIBLIOTHÈQUE DE L'ACADÉMIE

Digitized by Google

Digitized by Google

36-2370

Digitized by Google

31007

Digitized by Google

Digitized by Google

31007

ANTIQUITATES BENEVENTANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

PENELEMTANIA.

ANTIQUITATES

31007

ACAD.
SCIENT.LITT
ET. ART.
LUGD.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
BENEVENTANARUM

ROMÆ MDCCLIV.
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBANT
NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
TYPOGRAPHI, ET BIBLIOPOLÆ ROMANI
PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI OPT. MAX.

JOHANNES DE VITA
BENEVENTANÆ ECCLESIÆ CANONICUS

T Tua, BEATISSIME PATER, divina Virtus, & Operis mei ratio, atque inſtitutum, jure optimo poſtulabant, ut, quum in lucem hominum prodire illud debuiſſet, ex Tuo inſcripto Nomine, tùm perſpicuum Tibi obſervantiæ meæ teſtimonium exhiberet, tùm etiam ſibi pretium, ac

Tutelam

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LUGD.

Digitized by Google

Tutelam compararet. Æquum quidem fuit, ut quæcunque Beneventanæ Urbis Decora, quæ vetuſtis conſignata monumentis, variiſque antiquioris ævi celebrata Scriptoribus, disjecta hactenus, ac penè obliterata, pulvere tandem, ac ſqualore deterſo, in unum Corpus, me auctore, coaluerunt, Tibi PATRI DOMINOQ. ſe ſiſterent, eòque redirent omnia, unde poſt Græcorum, Samnitium, Romanorum, Langobardorum ſubortos ſibi Principatus, poſtremum maximumque omnium Decus, cum ſumma, ac perpetua rerum omnium felicitate conjunctum, Apoſtolicæ Sedi ſubdita Beneventum ſibi arceſſit. Quæ ratio etſi deeſſet, feciſſet tamen Virtus Tua, quæ, ut ajebam, id mihi ſuſcipiendum conſilium præcipuè commonebat: Quæ enim fauſtiora ſibi Auſpicia THESAURUS hic comparare potuiſſet, aut quo auguſtiore alio Nomine præfulgere, quàm Tuo, ex quo uno id commodi in alios promanat, ut quæ Tibi inſcribi ſinis, novam induant dignitatem, atque immortalem ſibi lucem mutuari videantur. Quæ itaque, & quanta hæc Virtus Tua, quæ, quum Chriſti Eccleſiam, immo Orbem Terrarum univerſum tàm aſſiduè, copioſèque colluſtret, adhuc ad alieni operis patrocinium evocata, privatis rebus, atque ſtudiis ſplendorem affundat: Atque novum exinde mihi accedit emolumentum; nam, quum (quod è re mea eſſe videbatur) Virtutem hanc Tuam enarrare, deprædicareque deberem, ab hiſce partibus ſuſcipiendis, quibus vix ſuffeciſſem, jamdiù pervagata quòcunque gentium Fama, ac celeberrima illa, quæ de Te eſt, omnium hominum exiſtimatio, abſtinere permittunt. Neque verò tum primùm, quum in excelſo ſummi Pontificatus culmine Tecum conſedit, Te ubique Terrarum ſuſpiciendum oſtendit: Noſcebaris antea; neque in Magni Tui Nominis partem ſingularis Lambertinæ Gentis claritudo ſe obtulit, ſed ampliſſimi Honores Tui, maximo Eccleſiæ univerſæ bono, in Urbe geſti, Paſtoralia Munera, quibus in Anconitana primùm, in Bononienſi dein Eccleſia egregiè perfunctus es; luculentiſſima denique, ac ſatis ſpiſſa Ingenii Tui monumenta, in quibus omnibus Juſtitia, Pietas, Liberalitas, Sapientia, rerumque maximarum, ac difficillimarum feliciter, celeriterque expediendarum Conſilium, & quicquid tandem cæterorum Bonorum diviſim, ſigillatimque alios clariſſimi Nominis gloria beatos effi-

cit,

Digitized by Google

cit, omnia ſimul in Te collecta, atque omnium oculis, immo omnium utilitate aſſiduè comprobata, maximam Nomini Tuo celebritatem pepererunt; adeò ut, quum in inferioribus, ubi conſiſtebas, Honorum gradibus, jam tum Virtutum merito Optimus, Maximuſque eſſes, ut ita tandem vocarere, ſummus duntaxat gradus Tibi detuliſſe videatur. Talem ſibi Pontificem Dei Providentia delegit, præſens illa quidem, cui ſoli in Pontificia Creatione Eminentiſſimorum Patrum ſuffragia obſequuntur, præſentior adhuc, tum quum poſt longa Sacrorum Comitiorum intervalla, dum alius, atque alius Pontifex deſignaretur, ſubita luce, atque inſtinctu Te creandum oſtendit. Tunc Virtuti Tuæ datum eſt, non ut Pontificatu Maximo augeſceret, ſed ut quanta eſſet, ex Pontificatu pateret, eique explicandæ ipſe Pontificatus deſerviret. Edideras jampridem præclariſſima Operum Tuorum Volumina, ingenti quidem mole, ſed majore rerum gravitate, atque incredibili ſolidiſſimæ eruditionis ubertate præſtantia, quibus Catholica Fides, Eccleſiaſtica Diſciplina, univerſa demum Chriſtiana Reſp. Te Vindicem, Inſtauratorem, Illuſtratoremque habere lætabantur; ſed eadem Sapientia Tua factum eſt, ut Pontificatum adeptus, quæ antea docendo præſtiteras, jubendo demum perfeciſſe videreris; ita ut ſolis Legibus Tuis, pro re nata hactenus promulgatis, quibus Ius Eccleſiaſticum penè univerſum, præſentibus temporum, ac perſonarum rationibus mirè, ac ſaluberrimè accommodatum contingitur, tum laxioris Ethices compreſſa licentia, ac profligata documenta, tum malorum non rami tantum exciſi, ſed ipſæ etiam evulſæ radices, tum denique omnium ordinum Pietas, Religioque conſtabilita eſt, novis jam, validiſque in omne ævum, ac quoſcunque adverſus hoſtes comparatis ſubſidiis, Chriſtiana Reſpublica æternùm ſtare jam poſſit. At in conferendis Honoribus dixerit fortaſſe aliquis, ex Summa rerum Poteſtate uſu Tibi tum primùm veniſſe, ut idoneos, dignoſque deligeres; immo vero familiariſſimam Virtutem Tecum comitem attuliſti, tamque Tibi propriam, quàm Tu Tibi es, ex quo uno jamdiù omnibus probaveras, non Generis nobilitate, non Principum gratia, non ipſa demum meritorum mediocritate, ſed diuturnis laboribus, eximiiſque Virtutibus partos Tibi per omnes gradus Honores eò demum Te evexiſſe, unde alios

Digitized by Google

ad Honores electurus perpetuum ex Teipso exemplum & Tibi petis, & aliis præbes, ut Tu sic eligas, illi sic eligendos se sciant : Hinc admirandum illud, ac jam solenne (quod peculiare Monimentum, ac velut Insigne Pontificatus Tui Posteri agnoscent) electionum tuarum institutum, quo Pastoralia Munera, amplissimosque alios Honores non modo non petentibus; sed neque opinantibus tribuis, ac recusantes plerumque, reluctantesque compellis; ut jam vetusta Ecclesiæ Sæcula nobis restituas, atque eligendorum Sortes, quas Tibi Deus concredidit, è manibus tuis, non secus ac è Cælo delapsas ostendas. Tantus interea Tuus est Sapientiæ amor, ut non modo aliis faces subdas, sed planè eos incendas : Parum enim est, exemplo ciere, hortari voce, laudibus, præmiisque incitare : Dux præis, & Magister; dum celeberrimæ illi abs Te institutæ Academiæ non Tuo tantum Nomine, ac Patrocinio, sed Præsentia quoque assiduus ades, nec tam augustam Oris majestatem, quàm opportunam judicii tui gravitatem impertis; lætarisque jam, ad Ecclesiasticam Antiquitatem illustrandam magna illustrium Virorum ingenia, crebris luculentisque Dissertationibus publicè pronunciatis, id maximè eniti, ut se Tibi probent; nam à Te probari maxima omnium merces est, qua illi & perfectæ Sapientiæ se laudem assequutos, & in majora Ecclesiæ commoda feliciter allaborasse congaudeant. Neque verò inter hæc Sanctioris Disciplinæ, quæ tam longè provexisti incrementa, cæteras Bonas Artes, ac Liberalia Studia negligenda pateris : Norunt omnes, (ut alia prætéream) quanti reliquam Antiquitatem omnem facias, cujus quæcumque in dies egregia prodeunt monumenta, ab imperitorum manibus vindicanda, ac in præclarissimo Capitolino Cimeliarchio recondenda curas; quare, non modo justum his gazis pretium statuis, verum etiam Sæculi diligentiam probas, quæ in illis explicandis illustrandisque tantopere fervet; fervebitque adhuc, Te æquo æstimatore, & Patrono, non ea inani opera, quam in sordidis ruderibus, pulverulentisque saxis, infinitisque de litterula una exponenda quæstionibus, quæ in Logomachias quam frequenter prosiliunt, otiose collocatam putant quidam obesæ naris homines, sed ingenti illo, ac plane singulari honestissimorum studiorum emolumento, quo non excoluntur ingenia tantùm, sed etiam locu-

pletem

Digitized by Google

pletem omni ex parte eruditionis penum ſibi comparant, &, quod rei caput eſt, in Eccleſiaſticæ Antiquitatis Sacrarium non tam viam ſibi ſternunt, quam ſenſim, ex ipſa rerum, ſtudiorumque affinitate, ſe inſerunt, jamque illic familiarius verſari, ſeſeque exercere contendunt: Quod quum ego in Patriis Antiquitatibus illuſtrandis pro virili parte exequi conatus ſim, jam in ſpem illam ingredior, ut Opus meum Tibi probari queat, Tuoque, quod omnium inſtar eſt, probatum judicio, maximam ſui pretii acceſſionem aſſequatur: Sin aliter res erit, ingens adhuc ex inſcripto Tuo Nomine æſtimatio manebit; mihi vero illud ſatis fuerit, quod obnoxii, gratique animi intererat, publico Patriæ meæ nomine Tibi exolviſſe; itaut, dum Vetus Beneventum ſeſe Tibi dicat, jam ſimul recens Beneventum ſua Tibi officia depromat: Ea enim, Te Auctore, honoris amplitudo, ea temporum felicitas nuper Benevento acceſſit, ut Franciſcum Pacca, Archiepiſcopum obtinuiſſe lætetur, Virum, inquam, illum, quem ſummo loco, immo Patriæ bono natum, ita Patriæ reddidiſti, ut alterius Virtuti, alterius vero Felicitati proſpexiſſe videaris: Sed pergis adhuc Beneventum decorare, dum Civem optimum alterum ex eodem Patriciorum Ordine, Ianuarium de Simone, inter Rom. Curiæ Prælatos dudum, meritoque cooptatum, gravioribus ejuſdem Curiæ Honoribus ſtatim admoviſti: Atque iſtud quidem, P. O. M., ſingularis, ac prope divini Beneficii genus eſt, in Beneventanorum commoda a Te profectum, ut aliorum merita dignis Honoribus proſequutus, aliis merendi contentionem injicias, animoſque acriùs ad virtutes incendas, quibus ornatiſſimi Cives ſibi, ac Patriæ prodeſſe enitantur: Ad hæc, innumera alia, ac prope quotidiana in Beneventanæ Reip. bonum, & tranquillitatem ſunt a Te collata Beneficia, quibus impetrandis Vir Eminentiſſimus, Ampliſsimi Ordinis Ornamentum, Tuique Principatus primarius, meritiſsimuſque Adminiſter Cardinalis Silvius Valenti Gonzaga conſilium, opemque ſuam ita contulit, ut, quum perpetuum in poſteritatem omnem illorum fructum, utilitatemque habeamus, immortalis etiam Munificentiæ Tuæ, Laudumque Tuarum apud Nos, ſeroſque Nepotes noſtros extaret memoria. Quibus igitur, quantiſque de cauſsis Opus meum dicandum Tibi eſſet, jam oſtendi; quibus ſingulis quum ſatis hac una re ne-

quaquam

Digitized by Google

quaquam feciſſe fatear, reliquum eſt, ut mea ad Deum Opt. Max. pro incolumitate Tua ferventiora ſint vota, quorum ſi compos ero, & juſtas pro Meritis Tuis vices reddidiſſe, & quamdiutiſsimæ univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ Felicitati conſuluiſſe videbor.

TOTIUS

Digitized by Google

TOTIUS OPERIS CONSPECTUS

PRAELOQUIUM Pag. 1

DISSERTATIO PRIMA. *De Urbe Beneventana.* 13
CAP. I. *De Beneventanæ Urbis Origine, ejuſque nominum ratione.* ibid.
CAP. II. *De variis diverſo tempore Romanorum Coloniis Beneventum deductis.* 29
CAP. III. *De Jure Beneventanæ Coloniæ, ejuſque Tribu.* 41
CAP. IV. *In lapidem Juliæ Auguſtæ a Beneventana Colonia dedicatum Commentarius.* 53

DISSERTATIO II. *De Rebus Sacris Veterum Beneventanorum.* 62
CAP. I. *De Diis Patriis Veterum Beneventanorum.* ibid.
CAP. II. *De Superſtitioſis Ritibus Veterum Beneventanorum.* 86
CAP. III. *In veterem Inſcriptionem* GENIO COLONIÆ BENEVENTANÆ *dedicatam Commentarius.* 99

DISSERTATIO III. *De Tempore, quo primùm Beneventi ſuſcepta eſt Chriſtiana Fides.* 110

DISSERTATIO IV. *De Veteribus Magiſtratibus Urbis Beneventanæ.* 123

DISSERTATIO V. *De Collegiis veterum Beneventanorum.* 159

DISSERTATIO VI. *De Via Trajana.* 175

DISSERTATIO VII. *De Auguſtis Viris, qui Beneventanam Urbem frequentarunt, eorumque Elogiis a Beneventanis dedicatis.* 187

DISSERTATIO VIII. *De Re Litteraria Veterum Beneventanorum.* 204

DISSERTATIO IX. *De Re Militari veterum Beneventanorum.* 221
CAP. I. *De Viris, qui Romanæ Militiæ Muneribus illuſtres fuere.* 222
CAP. II. *De Legionibus, in quibus Beneventani Milites cenſi fuere.* 235
CAP. III. *In militarem Lapidem C. Luccii Beneventani Commentarius.* 241

DISSERTATIO X. *De Operibus publicis veteris Beneventi.* 253
CAP. I. *De Arcu Triumphali Imp. Trajani.* ibid.
CAP. II. *De Cæſareo veteris Beneventi.* 264
CAP. III. *De reliquis Operibus publicis, quæ olim Beneventi exſtabant.* 271

DISSERTATIO XI. *De Monumentis Veterum Chriſtianorum Beneventi exſtantibus.* 290
CAP. I. *Mamercii Marcellini* VI. *Curatoris ſepulcralis Titulus explicatur.* ibid.
CAP. II. *Vera atque conſtans Eccleſiæ Diſciplina, oſtendens de ſepeliendis apud Ædes Sacras Chriſtianis defunctis.* 307

JOH. BAPTISTÆ PASSERII V. C. *De Veteri Anaglypho Beneventano Epiſtolaris Diſſertatio.* 323

PAVLI M. PACIAVDI Cl. Reg. *De Beneventano Cereris Auguſtæ Menſore* ΕΞΗΓΗΣΙΣ. 329

ANTIQUÆ INSCRIPTIONES *Beneventanæ in decem Claſſes diſtributæ, ac notis illuſtratæ cum* VIII. *indicibus.* Pag. 1

AD-

Digitized by Google

AD PROBATIONES.

LEgenti mihi ſeduloque expendenti juſſu Reverendiſs. P. Joſ. Auguſtini Orſi S.A. Palatii Magiſtri THESAURUM ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM, nihil omnino occurrit, quod orthodoxam Religionem, morumque ſanctimoniam vel minimum temerare poſſit, multa vero ſe obtulerunt, quæ Cl. Auctoris omnigenam eruditionem, diligentiam, & præclara in Patriam merita uberrime commendent, maximamque illi pariant nominis celebritatem: iccirco ut litterarum commodo typis tradatur excudendus, decere cenſeo. Romæ ex Ædibus S. Silveſtri Montis Quirinalis XIV. Kal. Septembris MDCCLIV.

Paulus Maria Paciaudius Procurator Generalis Congr. Cler. Reg.

NOvum præſtanſque opus, cui titulus, THESAURUS ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM AUCTORE JOANNE DE VITA METROP. ECCL. CANONICO, Reverendiſſimi P. Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Palatii Apoſtolici juſſu perlegi. Nihil in eo deprehendi, quod Orthodoxæ fidei, boniſque moribus adverſetur. Quare dignum cenſeo quod publica luce donetur: ſacræ ſiquidem, ac profanæ antiquitatis cognitio plurima inde ſuppetit, quam ſubacti ingenii Auctor e ſitu eductam, ſtudio, atque opera ingenti in apricum protulit. Pergratum apprime futurum puto Apoſtolicæ Sedi, quæ ſui juris civitatem tot inſignem nominibus, novo hoc antiquarum rerum examine, eoque acerrimo illuſtriorem fieri ſentiet. Utile autem omnibus fore arbitror, qui Auguſtei ævi monumenta quædam, aliaque non pauca mediæ ætatis adhuc deliteſcere in ea civitate haud ignorant: omnia enim aureo demum iſto ſæculo vir ſelectæ doctrinæ, atque eruditionis ſub eorum aſpectum reducit, maximeque illuſtrat. Ex meo Domicilio in Civitate Leonina XV. Cal. Martias A. MDCCLIV.

Cajetanus Cennius.

IMPRIMATUR
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.
F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR
Fr. Joſ. Auguſtinus Orſi Ord. Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

PRAELO-

Digitized by Google

TABVLA MARMOREA AD FONTEM S. SOPHIAE SABINARVM RAPTVM EXHIBENS.

PRAELOQUIUM.

ON ambitiosa fortasse Beneventanæ Urbis laus illa videri potest, si, quæ unquam in præclaras alias divisa Urbes satis illustrem quibusque singulis nominis famam compararunt, ea prope omnia in eam unam collecta prædicentur. Ad Regium, quem ipsa jactat conditorem, vetustissimam quoque, ac Trojanæ Urbis fato supparem adjungit originem: Maleventi nomine orta mox, nequaquam adversantibus malefaustis natalis sui nominis auspiciis, magna esse cæpit, atque amplitudine sua, inter varias fortunæ vices, diversaque sibi persæpe succedentia dominantium imperia semper sibi constans, assiduisque pacis, bellique ornamentis illustris, nunquam defeciisse visa est. Prior ætas, dum Diomedi Ætoliæ Regi paruit, brevior quippe, ac remotior, præter ipsum Regii Conditoris Decus, cetera omnia posterorum memoriæ invidit. Sed jam e Græcis in Samnitium ditionem translata, dum Samniticum staret Imperium, Samniticarum Urbium facile princeps, certe suæ Gentis Arx, & Propugnaculum, diu de Terrarum Orbis imperio cum Romanis decertavit, sed collapsis Samnitium rebus adhuc ipsa superstes, illorum nomen, sanguinem, gloriam, jura omnia, etiam post Syllæ furores incolumis, sola servavit: at (posteaquam Romanorum Virtuti, an Felicitati concedendum tandem fuit) recens, quod modo retinet, faustumque nomen adepta, in florentissimam eorundem Romanorum Civium evasit Coloniam, eoque potita jure non tam Romanis subesse, quam communibus sibi Romanorum Juribus, Majestateque ipsa effulgere cœpit: quid, quod irruentibus demum in Italiam Barbaris nationibus, Romanoque Imperio extremum in ipsa Italia fatum jam subeunte, cum plena omnia maximis incommodis, gravissimisque calamitatibus essent, novum adhuc felicitatis genus Beneventanæ Urbi contigisse potuit? Locata enim ibi Longobardorum Ducum, subinde Principum sede, tantum abfuit, ut barbarico pressa jugo deterrima quæque subiret, barbarasque cum ipsis fœdis moribus vestes indueret, quin potius Dominantium animos, si eorum primum excipias Zotonem, tum ad bellicæ laudis, tum ad pietatis, ceterarumque virtutum omnium studia ita efformavit, ut dominatrix ipsa, haud quidem nomine, sed Regio Jure, & insignibus ad quinque sæcula Italiæ omni Cisti-berinæ sua jura dederit; cumque mole sua stare vix posset, Capuanum, Salernitanumque Principatus, magna olim ingentis sui corporis membra in nova corpora abs se propagavit. Extincta

ACAD. SCIENT. ET ART. LUG.

Digitized by Google

poſtremo poſt Landulphi VI. obitum Longobardorum Principum Stirpe, cum Beneventanus ipſe Principatus in Apoſtolicæ Sedis Jura jamdiu quæſita, Ditionemque pervenerit, Regni quidem invecto nomine, (quod aliis ex Summorum Pontificum indulgentia Feudi Rom. Eccleſiæ titulo dari cœpit) ſuæ olim Principis Urbis etiam appellationem amiſit, ſed Urbi ipſi ſervatum decus, nec omnino ademta, qua adhuc fulget, priſtini ſplendoris, ac vetuſtæ Dignitatis Imago: nam in ejuſdem Regni *inveſtituris*, ut vocant, ad plenum ejuſdem Apoſtolicæ Sedis imperium ſemper excepta, ita Romano Pontifici parere novit, ut non ſolum illius in Regnum univerſum teſtaretur Dominium, verum etiam eximia præ ceteris Regni Urbibus Dignitate commendaretur.

Hæc quum certis rerum geſtarum monumentis ſatis conſtent, unum tamen eſt, quo maximam ſuo nomini, ac gloriæ injuriam tuliſſe hactenus, queri poſſit; Inops enim adhuc videtur ejus rei, qua hodie pleræque aliæ, mediocris licet nominis, Urbes ſuperfluere prope videntur, ut nempe tot tantaque, quibus adeo locuples eſt, ornamenta, partim inter ruderum acervos ſordeſcentia, partim denique ingentibus veterum Scriptorum voluminibus ſparſim concluſa, ac pene conſepulta, e ſitu tandem, & neglectæ vetuſtatis ſquallore eruta, in eam lucem educerentur, quæ collectos ſimul in ſuum veluti orbem radios omnes vividius uno aſpectu explicaret; defuit, inquam, quod hactenus aliis invidere duntaxat debuit, ut non per partes, aut fruſta divulſa, ſed ornamentis ſuis omnibus in unum corpus coaleſcentibus, tota ſui Majeſtate effulgere poſſet, abſolutumque aliquando, quod omnium oculis præſto eſſet, ſui ſimulacrum exhiberet. Fuere ante hanc ætatem, eaque etiam, in qua verſamur ipſa, qui hujuſmodi operi adlaboraverint (*a*): quorum tamen litterarios conatus aut in lucem jam editos, aut in ſcriniis adhuc latentes ex eo duntaxat laudandos crediderim, quod feliciora ingenia, (quod mihi haud omnino blandiar) ut aliquid tandem pro rei dignitate præſtarent, excitaſſe viſi ſint.

Quæ quum ego ſingula mecum animo aliquando reputaſſem, jamque mihi id omnino unum eſſe videretur, quod Beneventanæ Urbis ad ſuæ gloriæ cumulum immortalitatemque deſiderandum ſupererat, exarſi ſtatim, atque aliquid tandem pro Patria audendum mihi eſſe duxi. Antea vero quam tanto operi manus admoverem, multa animo obverſabantur; atque, ut eſt ipſius animi vehemens in ea proclivitas, quibus primum imbutus fuerit, Juriſprudentiæ ſtudiis dum juventam tranſegiſſem, Municipale Jus Beneventanum ita commentariis illuſtrandum decreveram, ut quum prius de jure Samnitium, dein veteri Romanorum Colonico, tum de Longobardico (ſervata ab Benevento condita ſuccedentium ſibi Temporum, ac Dominationum ſerie) ſuis cuique tributis Diſſertationibus egiſſem, ad ipſum denique recens Jus, quod *Statutarium* vocant, fuſe commentandum accedens, cum patrii Fori utilitate vetuſta quoque Patriæ ornamenta conjugerem. Ea, quibus ſingulæ operis partes juſta mole exurgerent, jam prope paraveram omnia, quum honeſtiſſima, quæ ſane ingenitæ meæ mentis indoli accommodatior videbatur, occaſio præſto fuit, qua forenſibus curis, quibus ægre diſtinebar, exolvi æquum, mihi etiam gratiſſimum fuit. Excidit itaque animo ſtatim, quod conceperam, ac cum novis vitæ meæ rationibus novum ſimul elaborandi operis conſilium ſuſcepi, ubi nihil omnino de municipalibus Legibus, claritate, æquitateque ſua ſatis ſe commendantibus, quas etiam, ut de Juris Communis libris Juſtinianus recte ſanxit (*b*), intactas abire melius, quam ſupervacuis Commentationibus fovendarum potius, quam dirimendarum litium invitas auctrices efficere; nihil, inquam

(*a*) Inter hos, haud omnino neceſſitudini indulſiſſe videbor, ſi Patruum meum magnum Marcum de Vita S. Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicum Bibliothecarium recenſeam, cujus antea ſuperiori ſæculo cum laude jam meminit tum Epiſcopus Pompejus Sarnellius in ſua Baſilicographia lib. 3. tum quoque Abbas Ferd. Ughellius Ital. Sacr. Tom. VIII. & quidem ei debuit Ughellius, ut in ea præclari ſui operis parte Beneventanorum Antiſtitum nomina, genus, ſeriem communicatis ex Bibliotheca Beneventana vetuſtis monumentis, accuratius, quam olim Vipera, ediderit: at non ea ſola viri ſolertia, qui, ut Hiſtoriam Sacram Beneventanæ Eccleſiæ abſolutiſſimam aliquando ederet, apparatum (quod mihi hactenus ignorabatur) opipare lucubravit: Manuſcriptum volumen ſatis ſpiſſum, cui auctoris nomen, diſcerpta prima pagina, aberat, apud ſummum Virum noſtratem biennio ante mihi vidiſſe contigit, quod avide evolutum pluribus etiam paginis in decurſu operis imminutum dolui; ſed major dolendi, an lætandi fuit cauſa, dum in ima pagina 27 hæc manu, apud nos vulgo ipſi notiſſima, ven. mem. Card. Urſini Archiepiſcopi, dein. Benedicti XIII. P. O. M. adnotata inveni: *Mancano i fogli 28 fino al 62 incluſive: in queſti è diſputata, e provata l' eſiſtenza del Corpo di S. Bartolomeo in Benevento: queſto ſteſſo trattato, che manca quì, è in altro volume a parte dello ſteſſo Autore Marco de Vita Bibliotecario di queſta Chieſa Metropolitana*. Ita ex Viri laboribus ſuos tulit honores laudatus Urſinus in luculenta Diſſertatione de eadem re edita ann. 1694. quam habes in Synodico Provinciali pag. 56. & ſeqq., ac ſubinde Baſilius Jannellus, qui rem actam iterum egit. Quod reliquum vero in Manuſcripto fuit, Plagiariorum manus haud effugere valuit.

(*b*) De confirmatione Digeſtorum §. 21.

Digitized by Google

quam de *Statutario* Jure, omnia vero, quæ ad patrias Antiquitates pertinent, operæ meæ pretium factura malui: quod tamen, ne citius pro meo, meorumque amicorum voto, ne etiam pro ampliſſima materiæ dignitate numeris omnibus abſolutum exequerer, tum adverſa valetudo diu obſtitit, tum præſertim anteacti muneris mei ſollicitudo, quæ vix paucis ſubſecivis horis quas mihi, privatiſque meis literariis exercitationibus impenderem, frui hactenus patiebatur. Quicquid tandem illud ſit, non uni mihi Patria debebit, quam mecum, hac etiam parte, exornandam ſategit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Pacca, ex Marchionibus Matricis, Patricius Beneventanus, quem diu pluribus, ampliſſimiſque honoribus in Romana Curia egregie functum, nuper Patriæ ſuæ, Archiepiſcopali Munere meritiſſime ſibi collato, ita reſtitutum lætamur, ut unius Viri dignitate, ac virtutibus cum vetere Benevento recens Beneventum ipſum æquis decertare ornamentis, parique gloria haud alterum eſſe videatur. Eum itaque, cum Romæ aliquando eſſem, non modo conſilii mei fautorem habui, ſed qui etiam plurimis ab ſe olim collectis monumentis qui ad rem lapidariam pertinerent, mihi communicatis, currenti jam calcaria adderet. Is etiam poſtremo fuit, qui Metropolitanæ huic Sedi ſuæ coram adſidens ſelectam Bibliothecam ſuam (qua non ita pridem publici juris effecta, utiliſſimo, ac perneceſſario ad honeſtiſſimarum diſciplinarum ſtudia incitamento, munificentiam ſuam erga Cives auſpicatus fuit) ſtatim patere mihi voluit, poſtquam traditam mihi Decennalis S. Seminarii regiminis cauſſariam ſimul, honeſtamque miſſionem, ejus lateri generalem Auditorem me deligens, veteribus nova, ac præclara beneficia cumulavit. Sed nec Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Januarius de Simone Beneventanus Patricius, clariſſimi quondam Patrui Nicolai Epiſcopi Marcianenſis, Vaticanæ Baſilicæ Canonici, & Congregationis Diſciplinæ Regularis a Secretis eximias virtutes jamdiu ab ipſo juventæ flore æmulatus, munera quoque ipſa, amplioraque alia pro egregiis, ſatiſque in Romana Curia ſpectatis meritis mox ſubiturus, ſilentio mihi prætereundus eſt; qui ope, ac conſilio in hujus Operis editione, quam celeriter, eleganterque expedienda, humaniſſime mihi adfuit. Amicorum tandem litteratorum meorum haud ſemel in Opere honoris cauſa meminiſſe continget: At ſileamne heic Clariſſimum Paciaudium? Sileam, inquam

Animam qualem neque candidiorem
Terra tulit, neque cui me ſit devinctior alter.

Publicas Viri ſummi laudes non exequar, quæ audito tantum magno nomine omnes ubique norunt: privatas vix tangam: ab eo enim ſtudiorum quæ huc pertinent, meorum profectus mihi multus, emolumentum ingens. At de Mecœnatibus meis (an enim una tantum re Mecœnas quis erit?) ſatis, quod Lectori, mihi vero non unquam.

Opus itaque in tres diſtribuitur partes, tum propriis voluminibus, tum rerum materia inter ſe ſecretas, atque diſtinctas, itaut earum quælibet ſeorſim ſibi conſtare, atque abſoluta videri poſſit. Prior hæc in ea omni antiquitate verſabitur, quæ ab condita Benevento exordium faciens, mox longo emenſo intervallo ad Romani tum Reibublicæ, tum Imperii ætates progreſſa poſt quintum poſtremo ſæculum cum ipſa Romani Imperii declinatione conſiſtet.

Prioris hujus partis veluti Appendix poſterior erit, in qua peculiari volumine de Triumphali Arcu Trajani agetur. Digna profecto res, atque omnibus jamdiu exoptata, ut ſingulare opus, quod pretio ſuo vere auro contra æſtimando, jure meritoque *Portæ Aureæ* nomen ſibi peperit, in univerſo tandem terrarum Orbe ſpectandum, ſuſpiciendumque ſe præbeat. Et mirum illud quidem, ut quum ubique terrarum alia paſſim omnia temporis injurias ita ſenſerint, ut vix in iis venerandæ antiquitatis veſtigia quædam ſpectaſſe detur; Beneventano tamen Arcui ipſum peperciſſe tempus, ſive (dicere fas ſit) illius majeſtatem reveritum fuiſſe videatur. Hinc erit fortaſſe, ut qui innumeris aliis veterum monumentorum reliquiis ingenti voluptatis, admirationiſque ſenſu hactenus affecti fuere, quum oculos in hocce opus demum conjiciant, unum eſſe id fateantur, quo nec veteres magnificentius aliud moliri potuerint, nec poſteris quid majus mirari ſuperſit. Ac ne plus æquo, patriarum antiquitatum commendandarum ſtudio abreptus de hocce opere judicaſſe videar, rem ipſam probabit Ichnographia, quam maximo hujuſce primi voluminis ornamento (adjecta etiam Diſſertatione, quæ de ipſo eodem Arcu, Proloquii inſtar, generatim aget) exhibuiſſe conſilium fuit. Paratam eam habebam, atque heic in anteceſſum edendam duxi, tum, ut quæ breviter ſed magnifice de ipſo Arcu pro univerſi mei operis indicanda ratione attigiſſe opus fuit, argumento aliquo probarentur, tum etiam, quale poſterioris voluminis futurum ſit pretium, jam inde liqueret; cujus etiam peculiarem rationem paucis aperuiſſe non abs re erit. Non enim ea ſola Ichnographia opus conſtabit, (quæ, ut inquam

Digitized by Google

molem Arcus conſurgit, quæque ſit ejus forma, atque majeſtas, uno obtutu inſpiceretur primùm efformanda fuit) ſed octodecim præterea æreæ Tabulæ ſubſequentur, in quibus ſingulæ ejuſdem Arcus partes excellentiores (quæ in eadem Ichnographia in breviſſima ſpatia contrahi, ibidemque nonniſi leviter adumbrari potuerunt) latioribus obtentis areis ad integram Archetyporum fidem expreſſæ ſigillatim exhibebuntur. In iis præter eximias Trajani res geſtas, quæ utramque Arcus faciem in principales conjectæ Tabulas exornant, quicquid in univerſum ad res ſacras, militares, civiles pertinet, quod veteres Scriptores ad noſtram memoriam mandarunt, jam oculis ſpectare licebit, itaut abſolutiſſimum univerſæ antiquitatis Theſaurum in uno Beneventano Arcu inveniſſe jam promptum ſit: Unicuique autem Tabulæ peculiaris addetur Diſſertatio, qua & illi neceſſaria illuſtratio, & juſta volumini moles accedet. Diſſertationes in ſcriniis paratas habeo: Tabulas propediem incidendas Sculptor accipiet.

Poſtremo volumini ampliſſimam, præclariſſimamque materiam Longobardica ſæcula ſuppeditabunt; Longobardica ſæcula rectius vocavi, quæ *ſequioris*, ſive *medii*, atque infimi ævi appellationem paſſim obtinent; quis enim neſcit, eam præ aliis barbaris Gentibus Longobardorum felicitatem fuiſſe, ut, poſtquam Italiam invaſerint, non, ut alii pretioſioribus quibuſque direptis, reliquis vero ferro, atque igne vaſtatis, ad patrias ſedes opima ſpolia retuliſſe contenti, libertatem vix oppreſſam, mox reſtitutam in maximum præteritarum calamitatum ſolatium, ut olim fruendam reliquerunt, ſed perpetuam ſibi ſedem in ea locantes, novi Imperii jecere fundamenta, quo univerſa Italia Longobardis ad plura ſæcula dominantibus parere jam didicit. Regnum Longobardicum ad tria pene ſæcula ſtetit, quæ proinde Longobardica vocari jure queunt; magis autem mihi Beneventanas res ex inſtituto pertractanti, ita cognominandi temporis ratio fuerit, cujus, ſi Beneventanum Longobardorum Principatum inſpicias, longius ad quinque & amplius ſæcula aſſurgit, quibus in omni pene Ciſtiberina Italia, quum nihil niſi Longobardicum occurrat, Longobardicam & ipſam ætatem omnem appellare licebit. Quam vero ingens rerum ſeges, non tam varietate, quam magnitudine inſignis iis ſæculis continetur! Florentiſſimum mirabimur Principatum, qui nulli per univerſam Europam Dynaſtiæ ulla re concedebat: cujus proinde felicitatem Græci primum Imperatores, mox Francici, ac demum Germanici quaſi propriæ majeſtatis æmulam inique ferentes, inlatis ſæpius armis avertendam aggreſſi, nonniſi cum virtute conjunctam experti, ad ejus augendam gloriam laboraſſe viſi ſunt. Hinc Conſtantio Beneventanam Urbem ſuo ductu oppugnante in turpem fugam adacto, Carolo Magno honeſtiſſimis conditionibus fœdus ſanciente, Ludovico Principatus jura intra Beneventi mœnia ſibi arripiente in vincula conjecto, ac receptis, quas ipſemet ſervaret, legibus, tandem dimiſſo, non ſtetiſſe tantum viſus fuit, ſed Longobardici Regni jamdiu everſi dignitatem, fortunam, ſplendorem in ſe trauſtuliſſe. At qui tot, tantorumque hoſtium vim fregiſſe valuit, Divino potius fato, quam humano adnitente conſilio, in Sedis Apoſtolicæ jura concedens, ita certe defecit, ut ſub auguſtiore regimine conſtitutus ampliorem gloriam aſſequeretur. Debent certe Longobardicæ res viro doctiſſimo, ac perſpicaciſſimo Camillo Peregrinio, ut in apertam lucem proferrentur. Ediderat ille egregium opus, in quod monumenta omnia, quæ ad manus habere potuit, collegit, unde Longobardorum res, quæ ad Beneventanum Principatum pertinent, ex ſynchronis iiſdemque vernaculis Scriptoribus maxime illuſtrarentur. Novam lucem, qua omnino dignum erat, opus aſpexit curante V. Cl. Muratorio, qui in Scriptorum Italicorum cenſum Peregrinium retulit, quem rurſus haud ſatis felici conatu Neapolitanis Typis tertio recudendum ſuſcepit Franciſcus Pratillus. Sunt equidem in eo præclaro opere ejuſdem Peregrinii perbreves notæ aliquot carptim interjectæ, quibus etiam ſuas adjecit Muratorius, ſed quæ omnes vix novi aliquid afferant, ad loca quædam obſcuriora eorundem Scriptorum explicanda dumtaxat inſtitutæ. Præſtitit deinde idem ipſe Muratorius (cui jamdiu Carolus Sigonius Italici Regni tempora, reſque geſtas executus viam ſtraverat) ut in ſuis medii ævi Antiquitatibus plurima de Longobardicis rebus ſatis apte, eruditeque diſſereret, ſed quæ in ſpiſſo opere, interque innumera alia, quæ pro univerſa ejus Ævi ratione, quod Vir ſummus illuſtrandum ſuſceperat, ad externarum gentium, morumque monumenta pertinentia, alieno lumine commixta, neque ſuo ſatis nitent, neque materiam omnem exhauſiſſe probantur. Paratam itaque magna ex parte Longobardicæ Hiſtoriæ materiam habemus, ſed Longobardicam Hiſtoriam nondum propriam, abſolutamque obtinemus; quam profecto mihi ex patriis Longobardici Ævi Antiquitatibus uberius expromptam, luculentiuſque adornatam perficere inſtitui, inſtitutoque meo id maxime enitar, ut in ea re nihil deſiderandum ſit, quod ejus perfectio, fides, dignitas poſtulaſſe videantur: atque pauca hæc tum ut inte-

Digitized by Google

ut integram univerſi operis a me ſuſcepti rationem exponerem, tum ut eruditorum expectationem demererer, de ſecundo, & tertio volumine præfari libuit.

Redeam modo ad primum, cui jam edendo Typographi operæ fervent; deque eo paulo fuſius mihi præloquendum erit. Quæ temporum intervalla hoc primo volumine continebuntur, ſuperius jam dixi: de quibus autem rebus præcipue ſermo inſtituetur, ex ipſo Libri titulo facile quis deprehendat. Beneventanas enim Antiquitates illuſtraturus, haud hiſtorico illas ſtylo proſequi volui, continuaque ſerie, ſervataque temporis ratione in unum veluti corpus redigere, ſed ſatius habui rerum ſingularum delectum inſtituere, iiſque in proprias claſſes diſtributis peculiares Diſſertationes adjicere, quibus de qualibet propoſita re quicquid memoria dignum, aut obſervatione aliqua illuſtrandum occurreret, in medium proferrem. Hinc quum primum de Beneventanæ Urbis origine, nominibus, ac primæva regiminis, indigenarumque conditione, dein vero de variis Romanorum Colonorum deductionibus in eam Urbem ſequutis fuſe actum fuerit, jam de Rebus ſacris, quas Politicæ ſubſequentur, de Collegiis, de Viris vel armis, vel literis illuſtribus, de Operibus Publicis, de Auguſtorum in eam Urbem adventu, benevolentiaque, ejuſdemque viciſſim Urbis in eos ſtudio, de Chriſtianæ demum Religionis ſuſcepta profeſſione ita agetur, ut rebus hiſce, aliiſque id genus ſingulis Diſſertationibus concluſis, nihil de quaque re ſuperſit, quod ad omnigenam ſive patriæ, ſive etiam univerſæ antiquitatis eruditionem rite non habeatur, luculenterque explicatum.

Quumque apud Ciceronem (*a*) aliquando legiſſe memini, quod vere ab eo traditum experimur omnes, *expectari nempe ab iis, qui audiunt, exempla ex vetere memoria, & monumentis, & literis plena dignitatis, plena antiquitatis, eaque plurimum ſolere & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum*; id mihi enitendum omnino duxi, ut quæcumque diſſererem, non ſolum allatis veterum Scriptorum teſtimoniis, verum etiam adhibita in primis literatorum lapidum fide comprobarem. Ejuſmodi literatis lapidibus præ aliis omnibus Urbibus locuples eſt Beneventum, adeo ut ex iis demum, qui temporis injurias, Barbarorumque, ac terræmotuum pares, frequenteſque vaſtationes, ipſas denique imperitorum hominum manus effugerunt, is numerus hodie dum habeatur ſuperſtes, qui privatæ ſupellectilis nomine haud contentus, ingentem exæquet Theſaurum, cui nec dignitas, nec pretium deeſſe videatur. Hinc illud mihi conſilium, quod ſervatum ſemper a me erit, ut ſingulis Diſſertationibus lapidem aliquem, quendam veluti titulum inſcriberem, eumque præ ceteris inſigniorem, qui ad propoſitam materiam in ea Diſſertatione pertractandam viam veluti ſternere, ac quodammodo præire videatur. Præter autem ſelectos eos lapides, qui ſingulis Diſſertationibus præfixi habebuntur, plurimi etiam erunt, qui quum res opportune poſtulaverit, in iiſdem Diſſertationibus paſſim interjicientur, non tantum materiam aliquam, de qua tum agetur, illuſtraturi; ſed & peculiarem ipſi, ubi opus fuerit, illuſtrationem accepturi. Hos autem, quos memoravi lapides, nonniſi domeſticos intelligo, quorum quum ingens, ut dixi, copia ſuppetat, in eaque omnia illa ferme præſto ſint, quæ non ad patrias tantum res, ſed univerſam antiquitatem illuſtrandam, tum egregia exempla, tum optima documenta ſuppeditare poſſint, peregrinos tamen, ſeu exoticos lapides alicubi adhibendos quoque cenſui, duplici quidem ex cauſa: ut nempe locupletior propoſitæ rei cujuſpiam probatio redderetur, utque iis aut vera lectio, aut rectior, quam ab aliis traditam inveniſſem, interpretatio reſtitueretur. Ex iis etiam lapidibus operæ pretium acceſſurum intellexi, ſi domeſticis lapidibus opportune intermiſſis latiorem mihi campum exhiberent excolendum, ubi ipſa frugum varietas majorem afferet voluptatem: quo ſane fiet, ut libentius privatæ Beneventi res legendæ ſuſcipiantur, quas inter non adfectata, ac veluti præter opus adſuta, ſed ſponte ſua, ac pro re nata, ſelectiora quælibet univerſæ antiquitatis monumenta ita locum ſibi vindicabunt, ut viciſſim, quem illis addent, novum & ipſa ab iis ſplendorem obtineant.

Abſolutis tandem Diſſertationibus, quæ propoſitam hujus voluminis materiam omnem exhauſerint, ſequetur ſtatim omnium Beneventanorum lapidum Theſaurus, qui huic met volumini poſtremam partem, ſeu coronidem præſtabit; in iis edendis optimam, quam in aliorum editionibus ſervatam quiſque probat, methodum ſequutus ſum, ut nempe eorum omnium delectum haberem, quo plures eorum claſſes efficerentur, itaut in ſingulas ii tantum conjecti haberentur, qui ad ſtatutam ejuſdem claſſis materiam pertinerent: qui autem in Diſſertationibus allati fuerint, iterum in eodem Theſauro in ſuas claſſes diſtributi inter alios continua ſerie dabuntur; hoc addito, ut, quum in Diſſertationibus explicationem obtinuerint, locus, aut quidem pagina cuique inſcripta erit, ubi in hoc volumine eum contigit explicari. Erit enim fortaſſe

(*a*) Lib. 3. in Verr. c. 89.

Digitized by Google

taſſe quiſpiam, cui omnia legiſſe haud otium ſit, aut certe cæteris neglectis, ac faſtidio habitis, nonniſi ejuſmodi lapidum Theſaurum percurrere libeat; habebit itaque is alicujus lapidis ex indicata pagina, quam ſtatim adire poterit, promptam paratamque, quam forte deſiderat, audireque curioſius velit, explicationem: In cæteris autem lapidibus, ingenti ſane numero reliquis, quorum nulla in Diſſertationibus mentio fuit, id tantum a me præſtabitur, ut brevibus aliquot notis, ubi aliquid vel dubium, vel obſcurum, vel demum aliqua obſervatione dignum occurrerit, illos carptim exornem, quumque ad eorum vel pretium agnoſcendum, vel intelligentiam addiſcendam plurimum prodeſſe animadverterem, ſi ad exactiſſimam archetyporum fidem exemplaria ob oculos haberentur, illud etiam mihi curæ fuit, ut caracterum formas, nexus, ſiglas, ſymbola, aliaque id genus, quæ Typographi operam, atque artem excederent, æreis, aut ligneis tabulis adamuſſim inſculpta prodirent: atque id quidem poſtulare videbatur tum eruditi ſæculi genius, tum operis conditio, cui amplius exornando aliæ quoque æreæ tabulæ accedent Archetypos ſuos hodie dum extantes ſumma fide, parique elegantia repræſentantes, quæ ipſis literatis lapidibus fortaſſe eloquentiores patrias Antiquitates maximopere illuſtrabunt.

Hæc quidem erit præſentis voluminis materia, atque ratio, ex quibus quam ingens campus mihi emetiendus, latiſſimeque excolendus patuerit, jam quiſque videt: *inde & liber crevit* (verba Plinii uſurpare mihi liceat) *dum ornare patriam, & amplificare gaudemus, pariterque defenſioni ejus deſervimus, & gloriæ*; non adeo tamen crevit, ut ſi otium fuiſſet, non in enormiorem molem aſſurgere potuiſſet; ſed ab explicandis lapidibus omnibus, aliiſque, quæ cuipiam rei latius illuſtrandæ ſuppetere poterant, obſervationibus congerendis quantum fieri potuit, abſtinendum mihi duxi: *quoties enim ad faſtidium legentium, deliciaſque reſpicio, intelligo nobis commendationem etiam ex ipſa mediocritate libri petendam* (a); quod ut amplius præſtari a me poſſet, plurima paſſim, ad rem quidem pertinentia, ſed fortaſſe non pro omnium guſtu, in ſubjectas notas, cui libuerit legenda ſepoſui.

Sed adhuc plura de hoc Volumine ſunt præmonenda. Quum enim mihi haud fruſtra ſpes ſit, pergratum meum fore opus, quod tot egregiis Antiquitatis Cimeliis (quæ hodie eruditorum omnium delicias appellaveris, ſumma tamen, ut longe res probavit, cum Reipublicæ Literariæ utilitate conjunctas) refertum proferam, non mediocrem etiam apud Viros doctos gratiam initurus, quod magnam illorum partem quantivis æſtimandam, in lucem nunc primum edam, verendum tamen mihi ſimul intelligo, ne auſterioris cujuſpiam ingenii judicium ſubire cogar, qui domeſticos me adhibere teſtes opponat, qui omnibus abſentes, ac nemini adhuc de facie viſi meo tantum ore loquantur. Laudaverim certe hominum vigilantiam, ne quid ſibi imponatur, adeo in hac parte neceſſariam, cui egomet in hoc opere ſtuduiſſe oſtendam; eam tamen optaverim, quæ nihil agat intemperantius, aut præcipiti feratur judicio. Quis enim aſperrima non cenſeat, quæ adhuc Pyrrhi Ligorii (ut alios ſileam) literariis conatibus tolerantur fata, Viri, inquam illius, qui ſuperiore ſæculo in colligendis undique priſci ævi monumentis, iiſdemque delineandis, deſcribendis, in certum ordinem redigendis, & pro captu etiam explicandis, illuſtrandiſque incredibilem quamdam ſedulitatem adhibuit, ita ut ejus lucubrationes

(a) Verba ſunt ejuſdem Plinii eadem epiſt. 5. lib. 2. qui ſic ſcribere pergit ad Lupercum, cujus judicio actionem pro Novocomenſibus lucubratam, probandam miſerat: *Tu tamen hæc ipſa, quantum ratio exegerit, reſeca. Idem tamen, qui a te hanc auſteritatem exigo, cogor id quod diverſum eſt poſtulare, ut in pleriſque frontem remittas: ſunt enim quædam adoleſcentium auribus danda, præſertim ſi materia non refragetur ..... quod tamen ſi quis extiterit, qui putet, nos lautius feciſſe, quam orationis ſeveritas exiſtat, hujus, ut ita dixerim, triſtitiam reliquæ partes orationis exorare debebunt. Adnixi certe ſumus, ut quamlibet diverſa genera lectorum per plures dicendi ſpecies teneremus: Ac ſicut veremur, ne quibuſdam pars aliqua ſecundum ſuam cujuſque naturam non probetur, ita videmur poſſe confidere, ut univerſitatem omnibus varietas ipſa commendet, nam ut in ratione Conviviorum, quamvis a pleriſque cibis ſinguli temperemus totam tamen cænam laudare omnes ſolemus, nec ea, quæ ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur*: Quanti autem habenda ſit in hac re Plinii auctoritas, atque exemplum nemo non videt; atque utinam viderint quoque eruditi illi homines, qui (ut de Gronovio ajebant Jo. Heineccius in Præfat. ad Orb. Rom. Spanhemii) neſcio quo morbo ingenii, præter ſeipſos neminem fere probantes, dum recoctam crambem ipſi nobis plerumque offerant, ceteros non faſtidiant modo, ſed etiam ad tineas amandandos decernant, ſi non omnia nova, quæque nemini antehac explorata, aut comperta ſint, in lucem educant, quaſi nova ipſa quæ in dies ex Antiquitate prodire poſſunt, pervulgatis aliorum obſervationibus explicari, confirmarique non egeant, aut in ſola novitate rerum, materiæque [quæ in ſolis librorum titulis plerumque continentur] ſua ſcribenti laus ſtare debeat, quam tutius, immo *rectius ex Iliaco Carmine* quiſque ſibi quærere laborabit, dum

Publica materies privati juris erit, ſi
Non circa vilem patulumque morabimur orbem.

Digitized by Google

tiones (quæ publicam lucem aſpexere nunquam) ad quadraginta & amplius volumina digeſtæ recenſeantur, cujus tamen fides, propterea quod in antiquis Inſcriptionibus recitandis, aliiſque id genus afferendis monumentis, ſpuriis plerumque, ac commentitiis, aut ipſe deceptus, aut alios ipſe decipere voluiſſe detectus eſt, labat & in reliquis omnibus etiam poſt æquiſſimum Illuſtris Spanhemii judicium (a), quod Is ſcilicet nec fidem ubique decoquat, nec ubique mereatur, & in ampliſſima meſſe

Infelix lolium, & ſteriles dominentur ariſtæ.

Sed quod mea intereſt, non fidei modo, verum ſedulioris etiam operæ laudem mihi comparandam fategi, quam demum promeruiſſe viri docti judicabunt, dum leges quaſdam, quas de utraque re mihi ſtatui ſervandas probe exequutus videbor.

Primum itaque illud fuit, ut quos commentitios Beneventanos lapides ab aliis jam editos, pervulgatoſque comperiſſem, non modo pro veris, ac genuinis non obtruderem, aut pro eorum vindicanda fide longa, atque otioſa certamina inirem, ſed acrius ipſe, quam unquam alii, inſectarer, rejiceremque. Commentitios autem eos omnes facile cenſui, qui, quum in noſtra Urbe non extent, quid etiam inſuetum, ac præter veterum genium ſonare videantur. Libet ex pluribus exemplum heic afferre: lapis olim circumferebatur, hiſce verbis conceptus

PATRI AMMONI ET HERCVLI
FRATRI ET MINERVAE PALLA
DIAE ET IOVI OLIMPIO ET
SAMOTRACIBVS CABIRIS
ET INDICO SOLI ATQ APOLLI
NI DELPHICO.

Beneventi extitiſſe olim hunc lapidem ex ſchedis Langermanni didicit, in ſuumque opus retulit Reineſius p. 172. n. 143. ac cum fruſtra ejus fidem defendi poſſe animadverteret, aliorum lapidum exemplo in quibus plures Dii nominatim habentur, inter *Beneventanas Ineptias* rejiciendum tandem ſtatuit. De commentitio lapide Reineſio libenter aſſentior, immo potiores quam ipſe affert arguendæ falſitatis rationes, afferre ego poſſem; at Beneventanas ineptias quis feret? non adeo inopes Beneventani, ut ejuſmodi merces venditare cogerentur, immo potius quum veterum lapidum ſatis locupletes ſint, hinc fortaſſe externus homo, qui ejuſmodi confecto lapide eruditis imponere ſtuduit, ad conciliandam illi fidem ex optima Beneventanarum Antiquitatum penu depromſiſſe ſimulavit. Sed leve iſtud tamen, quod de Beneventanis malemereri Reineſius voluit, nam hominis ingenium eruditi omnes norunt (b), quo is adverſus alios intemperantior, audax etiam, ac prope effræni uſus licentia, nullius fere antiqui lapidis fidem probavit, niſi, qui, ut Reineſius emendaſſet, loqueretur. Cæterum ſi a *Beneventanis ineptiis* vir doctus abſtinuiſſet, de ſolo commentitii lapidis judicio haud profecto Beneventanis dolendum erit, quibus ſi eorum numinum, quæ lapis memorat, antiquus cultus auferatur, non exigua certe laus accedet, tot peregrinas, inſanaſque ſuperſtitiones nuſquam adoptaſſe. Sed, quod ad rem attinet, non hunc ſolum lapidem, ſed quotquot erunt manifeſte commentitii, vel etiam dubiæ fidei, clariſſimorum virorum morem ſecutus, proferam quidem, ſed nullo uſui, ac ſubſidio mihi futuros, quorum etiam in fronte commenti notam inſcribam: ita enim reliquis lapidibus ſua ſtabit fides, quam adhuc tutiorem efficient tum Auctores ii ubique indicati, ex quibus Beneventanos aliquot lapides jam editos deſcripſi, tum prænotata ſingula Beneventanæ Urbis certa loca, ubi plures ineditos etiamnum extantes ſpectare cuique licet.

Sed & illud fuit diligentius animadvertendum, ne in ipſis aut primum deſcribendis, aut dein recitandis lapidibus mendum aliquod vel ex oſcitantia, vel ex imperitia in eorum exemplaria irreperet; quantum in re lapidaria hoc malum graſſetur, quantumque inde detrimenti Reſpublica Literaria capiat, vix dici poteſt. Torquentur aliquando eruditorum ingenia in vocabulo aliquo rite interpretando, nec ſemel inter eos eamdem ob rem concertationes, & jurgia, quæ tamen pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt. Nam illud fere ſemper evenire ſolet, ut lapis fidelius deſcriptus, aut inſpectus attentius, planam præbeat ſignificationem, liteſque omnes,

(a) De Præſtant. & uſu Numiſm. Diſſert. III. p. 141. edit. Elſevir. an. 1671.

(b) Tum alii clariſſimi viri, inter quos Spanhemius ipſe, tum præcipue Fabrettus pene pro inſtituto Reineſium paſſim taxat in præclaro opere Inſcriptionum Antiquar.

Digitized by Google

nes, quæ tam acriter fervere videbantur, ſtatim compeſcat. Quantum vero abſurdi in mendoſis lapidibus contineatur, quod aures abhorreant, quantum denique non rei tantum literariæ, verum etiam hiſtoriæ veritati, ac monumentorum dignitati damnum exinde promanet, facile quiſque ſibi perſuaſum habebit; quod quum aliis externis exemplis adhuc probare promptum mihi ſit; domeſticis tamen duobus oſtendiſſe contentus ero. Ac primum inſignis noſter lapis quantivis æſtimandus, apud Eccleſiam S. Modeſti ſic ſe habet:

C. CATIO C. F. MEN. BALBO
O. PETREIIAE C. F. PAVLAE
HOS DECVRIONES FVNERE
PVBLICO DE FORO ET TRIBVNALI
EFFERENDOS ET HIC HVMANDOS
CENS.
FVFISIA A. L. VIOLA
C. CATIVS C. F. MEN. GALLVS
PARENTIBVS ET VXORI

quid vero Manutius? quid etiam Panvinius? Alter in Ortogr. *V. Catius*; alter *de Civit. Rom.* in Tribu Menenia p. 509. ſic habent:

C. CATIO C. F. MEN. BALBO
OPE TREIICIAE C. F. PVLLAE
HOS DECVRIONES FVNERE
PVBLICO DE FORO ET RIODIALI &c.

Bis habes apud Gruter. p. 386. 5. & p. 725. 7. atque utrobique tentatæ a ſummis viris emendationes, haud tamen Manutiano lapide meliores. Vides igitur, non verba, ſed monſtra in Manutianum exemplar irrepſiſſe; ita ut præclarum hunc lapidem tot menda, imo ſordes propria fronte tamdiu geſtaſſe jam pudeat. At excuſandus alioqui Manutius, cui, cum lapides, quos affert omnes, haud propriis oculis ſpectandi facultas fuerit, aliorum nonnunquam fides ſequenda fuit. Jure vero de iis queremur, qui quum corruptos lapides nobis exhibeant, ſuis tamen probaſſe oculis, propriiſque adhuc manibus deſcripſiſſe teſtantur, ſed tantum abeſt, ut aliis fucum faciant, quin potius turpiſſimam aut mendacii, aut oſcitantiæ notam ſuis ſibi manibus inurunt. Extat adhuc Beneventi præclariſſimus lapis, qui titulus olim fuit magnificentiſſimæ Curiæ ſeu Baſilicæ, quam P. Veidius Pollio in ea Urbe extruendam curavit, ſtratuſque hodie legitur (peſſimo tamen ſuo fato, nam literata facies introeuntium pedibus ſenſim conterenda exponitur) in ipſo limine Januæ majoris Eccleſiæ S. Dominici in hæc verba:

P. VEIDIVS P. F. POLLIO
CAESAREVM ... CAESARI AVG.
ET COLONIAI BENEVENTANAI

Habuit olim hujus lapidis exemplar Lipſius ſed mendoſum, dum deſcriptoris negligentia in ſecunda linea illud CAESAREVM mutatum fuit in CAESAREM; quid inde, inquis, mali? maximum profecto: Vide enim quid ex mendoſo lapide ſtatuerit Lipſius (*a*): Pollionem ait, *non aliud, quam effigiem Cæſaris Imperatoris dedicaſſe, conſecraſſeque Auguſto, & Coloniæ ſuæ*, ejuſque lapidis auctoritate, ac præterea ex locis Taciti, Strabonis, Dionyſii, & Diogenis morem illum notavit, *haud etiam notum ſtatuas effigieſque dedicandi certis Diis*. En igitur unius litterulæ detractione quam ingens veteri Benevento detrimentum, ut pro ampliſſima, ac ſplendidiſſima Curia a Pollione ædificata vix ullius momenti effigies, ſeu ſtatua eo lapide nunc ei oſtentanda relinqueretur: ſed quum jamdiu Benevento reſtitutam cum vera lapidis lectione Pollionis Curiam debeamus eruditiſſimo Card. Noriſio (*b*), qui eo lapide allato, *ex Cæſarei* vocabulo ipſam Curiam

(*a*) In III. Ann. Tacit. num. 150.

(*b*) In Cenotaph. Piſan. Diſſert. I. cap. 4. e Verdelii ſchedis habet etiam Gruter. p. 277. n. 3. qui tamen ad illud *Cæſarem* ſecundæ lineæ hæc notat: *Sic Lipſ. vulgo Cæſareum*.

Digitized by Google

Curiam ſignificari comprobat, quam non abſimili *Auguſtei* appellatione uſurpant lapides Piſani; adhuc tamen non ita pridem unus prodiit Franciſcus Pratillus, qui in De Via Appia l. 4. c. 3. de Beneventana Urbe agens (erga quam quod in pluribus vel minus æque, vel ſatis oſcitanter ſe geſſerit, non aliam ego malim cauſam, quam Beneventanarum rerum homini extero facile condonandam ignorationem, a qua nec ſibi in ſtatuendo pro ſuo inſtituto per Beneventanum Agrum Appiæ ductu, omnino cavit) cum aliquot lapides in ea Urbe extantes referre inſtituerit, affirmaritque omnes, atque ſingulos ſibi probe perſpectos, ac ſumma fide diligentiaque deſcriptos, quod Pollionis lapidem tamen attinet (nam de aliis ſuo loco videbimus), nonniſi Lipſium ſolum vidiſſe manifeſte convincitur. Non ſecus enim, ac Lipſius, mendoſum lapidem ipſe exhibet, iiſdemque, quibus Lipſius, exemplis illuſtrare pergit: atque utinam Lipſii locum, quem ſolum deſcribere ſatis habuit, diligentius attendiſſet Pratillus, non enim in eundem rurſus errorem incidiſſet, quo Julium Cæſarem pro Octaviano accipere ſolet, de qua re notatus fuit ab Auctore Diarii Romani Litteratorum Menſis Junii 1748., non, inquam Auguſto ipſiuſmet Auguſti ſtatuam dedicatam dicere debuit, qui Cæſaris prioris, ideſt Patris effigiem illam fuiſſe tum Lipſio, tum ipſo lapide præeuntibus didiciſſe omnino potuit.

Quid, quod lapidum fide plura, quæ ad veterem ſcribendi rationem pertinent, pro certis aliquando ſtatuantur, quæ nonniſi a minus cauta, vel male fida recentium Deſcriptorum manu promanant. Mitto de Manutii Ortographia dicere, qua non omnia nobis tuta præſtari poſſe, præter alios plures, noſter C. Catii lapis paulo ante monuit; utque a domeſticis exemplis non diſcedam, *Jovianum* heic tantum *Pontanum* meminiſſe libet, qui in *De Haſpiratione* Veteres litteram M, in fine dictionum rejeciſſe ſolitos plane affirmat teſtimonio Beneventani Lapidis cujus exemplar in hæc verba profert

INFELIX FATV
PRIOR DEBVIT
MORI MATER

breviorem habet Donius, qui Claſs. x. n. 31. primâ lineâ ſola dictione *Infelix* contentus eſt cum hoc titulo: *Beneventi in muro anteriori Ædis B. M. Annunc. utrimque imago Juvenis, & Fœminæ.* In Turri Eccleſiæ SS. Annunciatæ, ubi ſchedæ apud me ſervatæ extantem indicabant, quum fruſtra conquiſiſſem, ſuſpectum habui, jamque docti ingenii luſum fuiſſe arbitrabar; ſed nuper, quum ad aggerem laudatæ Eccleſiæ conſtruendum terra egereretur, prodiit iterum lapis, quem præter ſpem redivivum mihimet gratulatus, Æditui permiſſu, in atrium Ædium mearum transferendum, ibique perpetuo opere parieti affigendum, ac præterea buxo, ut vides incidendum curavi.



At quid cauſæ fuerit, ut in Pontani (nam Donius integram dictionem omittit) exemplari litera M, in primæ lineæ fine exciderit? (adeſt enim integra dictio FATVM apud Gudium p. 337. n. 15. niſi quod ſecunda linea pro DEBVIT habet DEBVI) (a), In ea parte, qua

extremæ

(a) Gudius laudatum lapidem recitat cum hac inſcriptione: *Beneventi ſub Stemmate Viri togati, & Mulieris ſtolatæ*: Virum togatum jam videmus, Mulierem non item, cui nullus in lapide locus: Epigraphes autem non ſubeſt, ſed viri ſimulacro adjacet tum verbis, tum verborum ſitu notanda: nam vulgaris illa formula: *Contra votum*, qua Parentes ſuperſtites ſepulcrales titulos defunctis filiis ponentes paſſim uſurpabant, elegantius multo, eadem brevitate ſervata, atque ſignificantius in noſtro lapide expreſſa habetur; cui præterea locus, ubi inſcripta

Digitized by Google

extremæ omnium linearum litteræ extant, lapis detritus fugientes eaſdem litteras reddit, quas Deſcriptor omnino a Marmorario omiſſas putavit. At ita quidem ſe res habet, ut neque illud heic ſileam, non ita facile (quod eruditioribus, emunctæque naris Viris uſu venit, quibus menda ipſa facilius comperta, nunquam fere incaſtigata præteriri ſolent) veteres quadratarios vapulare debere, quorum diligentiam utinam Deſcriptores noſtri imitari ſatagerent. Frequentius enim nobis illud, quod de Africani Statuæ ſubſcripto titulo Cicero dixit (*a*), veriſſime pronunciare continget: *Erratum fabrile putavi, nunc video Metelli.*

Quod autem de lapidibus dixi, haud ſecus de Nummis intellectum velim. Parem iis, ac lapidibus præſtantiam ſatis æquo judicio tribuimus, ex quibus non mediocre nobis ſubſidium ad rite excolendam, penituſque illuſtrandam Antiquitatem experimur. Summam itaque in iis exprimendis fidem, ac diligentiam adhibere par eſt, contra quas non ſemel ab aliis peccatum fuit, aliorum vero exactiores operas omnino deſideremus. Certe, quod Beneventanas Antiquitates attinet, quibus exornandis præter lapides, nummorum quoque ope mihi aliquando utendum fuit, plura ab Ectyporum fide aliena comperi, quæ mox reſtituenda curavi (*b*). Sed ut ad lapides redeam, id a me præſtitutum Lector pro certo habeat, quotquot etiamnum ætatem tulerint incolumem Beneventani lapides, tum veterum Schedarum, noſtrorumque MSS., tum exoticorum Auctorum fide neglecta, meis iterum oculis inſpexiſſe: mendaque omnia, quamvis leviſſima, quæ in vulgatas editiones hactenus irrepſere, opportune adnotaſſe; in reliquis vero, qui literatam faciem vel temporis injuria protritam, vel inverſo, ut pluries videre eſt, ad ſuperficiem dorſo, interiori parieti abditam habent, quique tandem diſperiere omnino, fidem eorundem tum MSS. tum clariſſimorum Virorum, qui eos edidere, ita ſum ſequutus, ut variantes, ſi quæ occurrent, lectiones omnes offerrem, quam vero veriſimiliorem ipſe cenſerem probaremque, in perpetuo ejus lapidis exemplari, ſeu textu, legendam retinerem.

Sed

ſcripta ſunt verba majorem adhuc vim addit; ſiquidem Mater audientis quaſi filii ſimulacro propius iis verbis accedens, tum ſibi, tum illi ſolatium aliquod quæſitura, amantis, mœrentiſque animi ſui affectus vivo veluti, ac præſenti teſtatur. (*a*) Epiſt. ad Attic. 6. 1.

(*b*) Intra ætatis illius fines, quibus hujus voluminis materiam circumſcribi placuit, præter *Putealis Scribonii* argenteum nummum, quem Diſſert. 1. c. 1. exhibui, alterumve Auguſti Beneventanæ Coloniæ Præturam gerentis Diſſert. IV. *De Magiſtrat. Vet. Benev.* a me prolatum, non alius ſuppetit rei, quam inpræſens ago, probandæ idoneus; dabit libenter Lector, ut ex inferioris ævi monumentis, (quandoquidem univerſum Beneventanarum Antiquitatum opus hæc ſpectet Præfatio) huc aliquid obiter deducam, vel etiam præripiam. Itaque V. C. Muratorius Antiq. Ital. medii ævi Tom. 2. Diſſ. 27. cui titulus: *De Moneta, ſive Jure condendi nummos* p. 617. quum de Principum Beneventanorum nummis agere inſtituit, de aureo nummo Principis Grimualdi hæc habet: *Ejuſdem Grimualdi nummum Le Blancus produxit, quo Salernitani Scriptoris ſententia confirmatur: Eum conſpice* n. 2. *Ibi habes effigiem Principis Crucem ſupra caput gerentis cum litteris* GRIMUALD. *In altera facie ſtemma Crucigerum more nummorum temporibus iis Coſtantinopoli cuſorum; hinc* G, *vel* S, *& inde* V, *ſubtus* VII *in circuitu* DOMS CARLVS R. *ideſt Dominus Carolus Rex: liceat tamen dicere, nummum hunc non ſatis exacte expreſſiſſe videtur Le-Blancus. Ejus Ectypon accuratius deſcriptum antea dederat Breventanus: Illuſtriſſimus etiam Eques Pius Nicolaus Garellius Auguſtiſſ. Imp. Caroli VI. Bibliothecæ Præfectus, ejuſque Archiatrus, & a conſiliis, nummum eundem aureum in ſuo Muſæo adſervans, ſimile alterum ejuſdem Ectypon ad me miſit: ſed & eundem accepi ex Muſæo Sabbatinio Romano, quare nummum ipſum percuſſum circiter An. Chr.* DCCLXXXVII. *rectius expreſſum* n. 3. *Lector accipiet. In altera facie legitur:* DOMS. CAR. R. *ideſt Dominus Carolus Rex: quum in aliis Chriſtiana Religio occurrat, vel ſi mavis: Salus Regni: in imo non* VII, *ſed* VIC *legitur, ideſt: Victoria.* Hactenus Muratorius, cui, quod ejus nummi exactiorem formam ſpectat, tot graviſſimis teſtibus, repetitiſque ex ejus Ectypo deſcriptionibus comprobatam, quis fidem negare unquam auſerit? imo poſt Muratorii ſolertiam, nullam amplius de Le-Blanci nummo rationem habendam eruditi omnes plenis ſuffragiis pronunciabunt. At Le-Blancum eum eſſe ego ajo, qui ſuam nummo fidem ſervavit: Unde ſciam, quæris? ex ipſo aurei nummi Ectypo, quem ego nactus, penes me nunc ſervatum, atque exactiſſime expreſſum, heic conſpiciendum exhibeo.



Ac quum ſemel in nummariam rem inciderimus, inferioriſque ævi monumenta obiter heic attigiſſe opus fuerit, laudem, quam præfati nummi occaſione, Muratorii diligentiæ, quamvis inviti imminuere viſi ſumus, integram, ſummamque ex aliis nummis libentiſſime ſervatam volumus, quos ipſe ad eoſdem Beneventanos Principes pertinentes eodem loco protulit. Iis unum & alterum, qui viri doctiſſimi diligentiam effugerunt, hactenus mihi addidiſſe contigit, ſpes etiam fit locupletiorem hanc noſtram Gazam me effecturum, ut tertii voluminis materia

Digitized by Google

Sed leviora fortaſſe iſthæc, quibus ſecundarum dumtaxat partium idoneus Actor probari queam. Illud vero mihi omnino verendum, ne primas pari felicitate egiſſe videar. Erunt certe, qui, quum Antiquitatis ſtudium adeo noſtro ævo fervere viſum ſit, ut innumeris Virorum clariſſimorum vulgatis lucubrationibus, abſoluta undequaque res cenſeri debeat, opus meum elato ſupercilio, ſummo etiam cum faſtidio ſint excepturi, nec deerit fortaſſe, qui vix tantum lecto titulo, præpoſtero judicio, de futuro libri fato Horatianum illud edicet (*a*).

Contrectatus ubi manibus ſordeſcere vulgi
Cæperit, aut tineas paſcet taciturnus inertes,
Aut Uticam petet, aut unctus mittetur Ilerdam.

Unum tamen eſt, quo nec conſilii mei, nec laboris mihi unquam pœnitendum fuerit, ſpes etiam ſit, ut & alii probare debeant; me ſcilicet pro illuſtranda Patria laboraſſe.

Qua quidem in re nullam cum A. Albino veniam mihi exoraverim (*b*), ſed potius cum Cicerone audere malim, qui cum Commentarium Conſulatus ſui græce compoſitum ad Atticum miſiſſet, *in eo*, inquit, *ſi quid erit, quod homini Attico minus græcum, eruditumque videatur, non dicam, quod tibi Lucullus de ſuis hiſtoriis dixerat, ſed quo facilius illa probaret Romani hominis eſſe, idcirco barbara quædam, & σόλοικα diſperſiſſe: apud me ſi quid erit hujuſmodi me imprudente erit, & invito* (*c*). Ac mihi quidem, ne quid minus latinum, eruditumque excideret, omnis eſt adhibita diligentia, non autem vernaculo, quem noſtratum aliqui maluiſſent, ſermone, ſed latine loqui libuit, lingua nempe illa, quæ materiæ cognata mirum in modum ejus dignitatem, ſua veluti facie vividius expreſſam, auguſtiorem exhibet, Antiquitateſque ipſas, licet unius loci, vel gentis, toto prope orbe, quem adhuc lingua Romanum dicere fas erit, ſpectandas oſtendit. De eruditione autem, non ego is ſum, qui *opere in longo nunquam ſomnum obrepſiſſe* mihi blandiar, quin etiam gravius alicubi peccantem cenſoria virga me eruditiores excipient: *at nos qui ſequimur probabilia, nec ultra id, quod veriſimile occurrerit progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus* (*d*). Quicquid igitur in me fuerit ingenii, quicquid etiam ſolicitioris induſtriæ; id totum ad Patrias Antiquitates præclare illuſtrandas collatum fateor; quod ſi res ipſa pro voto, ac labore non ceſſerit, itaut nec materiæ amplitudini opus, nec operis majeſtati dicendi elegantia reſpondiſſe videatur, ejuſdem materiæ conditioni, operiſque rationi id tributum velim. Illa enim præ ſui amplitudine, temporumque longinquitate exhauriri tota vix potuit; operis vero ratio ea eſt, *ut non eloquentiæ oſtenta-*

materia iſthæc abſolutiſſima reddatur. Interim, quos Muratorius collegit, cum tertii ejuſdem voluminis uſui uturos iterum exprimendos jam curaverim, pergratum lectori, cui Muratorii opus haud promptum ſit, fore exiſtimavi, ſi ad majorem hujus primi voluminis ornatum heic ei ſpectandos præberem.



(*a*) Horat. lib. 1. epiſt. ult.

(*b*) Cum A. Albinus Res Romanas oratione græce ſcriptitaſſet, in ejus hiſtoriæ principio non jure ab aliquo ſibi ſuccenſendum dixit, ſed veniam ſibi omnino tribuendam, ſi homo Romanus, natus in Latio, cui græca oratio alieniſſima erat, aliquid in ſuis libris aut parum compoſite, aut minus eleganter ſcripſiſſet: Juſte enim, ac perpulcre Albinum reprehendit Cato: *Ne tu* [inquiens] *Aule nugator es, cum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare: nam petere veniam ſolemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulſi peccavimus: Tibi, inquit, oro te quis perpulit, ut id committeres, quod priuſquam faceres, peteres, ut ignoſceretur.* A. Gelius lib. XI. cap. VIII.

(*c*) Epiſt. ad Att. 1. 19.

(*d*) Cic. Tuſcul. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

oſtentationem, ſed noſcendorum congeriem polliceatur; & boni conſulat Lector oportet, ſi notitiam Vetuſtatis modo noſtris non obſcure, modo ipſis antiquorum fideliter verbis cognoſcat, prout quæque vel enarranda, vel transferenda ſuggeſſerint (a).

Cæterum non id præcipue ago, ut in commune univerſæ Reipublicæ litterariæ bonum, atque utilitatem lucubrationes meas edam, publicaque in cauſa pro publica laude decertem; quæ tamen ſi conſequetur, mihi erit aliorum judicio perjucunda; ſed privata Patriæ meæ monumenta, res geſtas, decora omnia perſequi propoſitum mihi fuit. Digna ſane res, atque, ſi ex externis quoque hominibus laus ulla manare debeat (nam ex noſtratibus mihi certam vindicaverim,) non quod Patriam duntaxat pro viribus exornaverim, tribuendam mihi velim, ſed quod magnum illud ſimul animo intenderim (uberrimum certe laborum meorum, atque optatiſſimum fructum,) ut patefacta, ac veluti ob oculos poſita Patriæ dignitate, omnium Civium animos, ut ea perpetuò dignos ſe probent, vehementius excitarem. Si enim unius Civis publice commendata, præmioque affecta Virtus CETEROS AD BENE FACIENDVM IN REPVBLICA PROVOCARE debet, ut ex Aquilejenſi lapide initio auditum fuit, oneroſus magis univerſis Civibus eſſe videtur ſuæ Patriæ ſplendor, ut dum ex illa quoddam privati decoris genus ſibi tribuere geſtiunt, illam viciſſim rebus pro cujuſque loco, munere, ingenio bene geſtis ornare amplius enitantur.

DISSER-

(a) Macrob. Saturn. l. 1.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA

De Urbe Beneventana.

IVLIAE . AVG. IMP. CAESARIS
SEPTIMII . SEVERI . PII . PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIAB. PART. MAX
MATRI . AVGVSTI
ET . CASTRORVM . COLONIA . IVLIA
CONCORDIA . AVG. FELIX . BENE
VENTVM . DEVOTA . MAIESTATI
AVGG. IN . TERRITORIO . SVO . QVOD
CINGIT . ETIAM . CAVDINORVM
CIVITATEM . MVROTENVS

ILLUSTRANDIS Beneventanæ Urbis Antiquitatibus operam daturus, quum id potiſſimu m literatorum marmorum ope, atque fide mihi exequendum conſtituerim, Lapidem hunc (qui in univerſo opere ſolennis mihi mos erit) priori huic Diſſertationi quendam veluti titulum inſcripſi. Ut autem ex ampliſſimo Beneventanorum lapidum Theſauro eum præ inſignioribus aliis primo loco ſelegerim, non tam ſuaſit eorum, qui in eo celebrantur Auguſta dignitas, quam honorificentiſſima, quæ ibidem opportune occurrit, mentio Beneventanæ Urbis omnino effecit. Ex ea enim, quandoquidem longa rerum percurrenda ſeries, ampliſſimaque temporum gradatim mihi erunt metienda intervalla, oſtium veluti patere animadverti, quod inobſervatum tranſilire nefas fuerit, ejus vero limine non ante deſerere deberem, quam de ejuſdem Urbis Origine, Colonia, Nominibus, Fortuna, Rebuſque generatim aliis, quæ ad Beneventanas Antiquitates univerſas dignum neceſſariumque apparatum præſtabunt, accurate diſſeruiſſem. Prior itaque hæc Diſſertatio in tria capita dividetur, quorum primum originis tempus, conditorem, ac diverſorum Nominum rationes explicabit: in ſecundo de Romanorum Colonorum deductionibus pluries eo factis, noviſque ejuſce rei cauſa aſſumtis cognominibus agendum erit: atque his omnibus, quæ ad Beneventanas res attinet, rite abſolutis, ipſe tandem lapis, unde hactenus differendi occaſionem mihi paravi, peculiares quaſdam obſervationes poſtremo capite ſibi jure merito vindicabit.

CAPUT PRIMUM

De Beneventanæ Urbis origine, ejuſque Nominum ratione.

LIcuit olim Ethnicis Scriptoribus ſuarum Urbium origines ad Deos auctores plerumque referre, ac miſcendo humana divinis, ut illarum primordia auguſtiora facerent, plura poeticis magis decora fabulis, quam ex incorruptis rerum geſtarum monumentis deprompta in vulgus proferre: at quum id tandem vera, quæ Dei Opt. Max. beneficio mortalibus affulſit, religione vetaretur, nihil apud omnes omnium ætatum, quæ ab Chriſtianæ Fidei ortu hactenus effluxere, Scriptores antiquius fuit, quam, quum de quapiam Urbe ex inſtituto agendum ſibi eſſet, refutare quidem, aſpernarique quicquid in illius originibus Idololatriæ labe fœdatum, commentitiumque inveniſſent, ea tamen omnia retinere, ac probare omnino, quibus eas origines ſplendidiores efficerentur. Hinc quod temporis vetuſtatem ſpectat, quandoquidem priorem

Digitized by Google

rem mundi ætatem, quæ generalem Cataclyſmum præceſſit, pervadere haud liceret, jam ad ipſum uſque Noeticum ævum quarundam Urbium origines a pleriſque extolli cœptæ: inter quas Beneventum (Beneventanis tamen ea re nunquam ſibi blandientibus) numeraſſe exotico Scriptori aliquando libuit (*a*): quod vero attinet ad Conditorum nobilitatem, quot ex unius Trojanæ Urbis everſione, ejuſque cineribus exortas per univerſam Italiam Urbes cum ipſa Urbium principe Roma celebravit Antiquitas, hodieque Poſteritas jactat? *Quid intereſt* (ajebat Seneca (*b*) *enumerare Antenorem Petavii conditorem? Quid Diomedem, alioſque, quos Trojanum bellum victos ſimul, victoreſque per alienas terras diſſipavit? Romanum Imperium auctorem exulem reſpicit, quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem neceſſitas, & Victoris metus in Italiam detulit*: Hinc a Trojano Capy, Capua, in cujus agro ipſa quoque erga naſcentem Cæſaris tyrannidem adulatio vetuſtiſſimum conditoris ſepulcrum invenire, aut potius comminiſci olim ſcivit (*c*), quid plura?

Tu quoque litoribus noſtris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dediſti. (*d*)

Cum vero ex Trojanis Heroibus non alii fortaſſe ſuppeterent, ad Græcos quoque res ipſa ſe vertit, qui illuſtrem apud poſteros famam ex eodem Trojano bello ſibi pepererunt. Horum certe agmen Diomedes ipſe ducit, quem ex eodem bello reducem, inque Italiæ oras ſecedentem, plures quidem Urbes (quod ſpeciatim Seneca paulo ante obſervabat) ſibi vindicant conditorem. At in ejuſmodi rebus ſelecto quodam, quod mediocritatem præcipue amet, judicio opus erit, vitanda vero temeritas illa, quæ in alterutra plerumque extremitatem dilabi ſolet. Cum enim ex remotiſſimis illis, ac fabuloſis ætatibus nihil plane certi, quod ad populorum, urbiumque origines pertinet, parum etiam, quod ad veri ſimilitudinem accedat, noviſſe detur, non omnia arbitratu noſtro comminiſcenda erunt; contra vero nemo, niſi intemperantioris critices, vel aliena carpendi libidini plus æquo indulgeat, jure egiſſe videbitur, qui rem ita, ut audit, fuiſſe, ex indubiæ proſus fidei monumentis, ſibi oſtendi poſtulabit. Danda eſt hæc poſteritati venia, ut ſolis conjecturis, quibuſdam veluti admotis faculis magnum aliquid ac præclarum, quo patrias origines nobilius extollat, in ſumma Antiquitatis caligine ſibi quærat: quod ſi ad conjecturas ipſas aut deducendas, aut confirmandas Veterum Scriptorum accedat auctoritas, nihil profecto deerit, quo minus confecta res eſſe videatur: hos certe non ſolum Patronos optimos, ſed locupletiſſimos etiam quoſdam veluti prædes habemus, ut de qua re ſtatuerimus, fidem noſtram omnino liberaſſe videamur: quanti enim illorum teſtimonia feciſſe oportebit, quos ipſa nobis commendat antiquitas: neque vero in iis omnibus, quæ poſterorum memoria digna eſſe cenſebant, aliquid privato ex ingenio, Poetarum more, deprompſiſſe, ſed majorum commentarios, publica tabularia, graviſſimas conjecturas, perpetuam, atque in omnium ore pervulgatam rerum famam ſequutos putare debemus: atque hæc breviter in anteceſſum animadvertiſſe opus fuit, ut quæ de Beneventanis originibus probanda magis videretur, tutius ſententia conſtaret.

Beneventanæ itaque Urbis conditorem, Diomedem Ætoliæ Regem fuiſſe, veterum monumentorum fide, receptiſſimorumque auctoritate Scriptorum ſatis certum, vulgatumque tradit C. Julius Solinus (*e*), confirmantque Servius, Stephanus, Procopius (*f*), reliquique ad unum pene omnes poſterioris ævi Scriptores. Is cum e Trojano bello rediret, in quo fortitudinis laude

(*a*) Rei narrationem exequitur Mazza De reb. Salernit., quam tamen, cum ex neſcio quo Rabino Helino auctore excepta fuerit, merito inter Rabbinicas, ſive nugas, ſive fabellas rejiciendam cenſemus.

(*b*) De Conſolat. ad Matrem. cap. 7.

(*c*) Vide Sveton. in Jul. c. 81.

(*d*) Virg. Æneid.

(*e*) Polyhiſt. cap. VII., ubi illuſtriorum Italiæ Urbium origines luculenter explicat, de iiſque fidem ſibi demereri jam ante in Præfat. Operis ſategit; hæc enim ibi ſunt: *Addita ſunt nonuulla etiam memoratu digna, quorum auctoritas de ſcriptoribus manat receptiſſimis: quid enim proprium noſtrum eſſe poterit? Cum nihil omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc uſque ævi perſeverat; quapropter quæſo te, ne de præſenti tempore editionis hujus fidem libres, quandoquidem veſtigia veteris monetæ perſecuti, opiniones univerſas eligere maluimus, potius quam innovare.*

(*f*) Servius Æneid. VIII. v. 9. hæc habet: *Diomedes, poſtquam reperit ira Veneris a ſe vulneratæ uxorem Ægialeam apud Argos turpiter vivere, noluit reverti ad Patriam, vel, ut dicitur ab adulteris perturbatus, ſed tenuit partes Apuliæ, & edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu Civitates plurimas condidit, nam, & Beneventum, & Æquumtuticum ipſe condidit, & Arpas, quæ & Agrippa dicitur, ad quam nunc Venulus mittitur*: Eadem ferme repetit Servius Æn. XI. v. 246. atque ad memoratas antea Urbes Venuſiam quoque, nec non Canuſium, & Venafrum ab Diomede conditas addit: Stephanum, & Procopium opportuniore loco mox proferam.

Digitized by Google

de cumprimis ab Homero celebratur, nihil tamen commilitantibus ſuis felicior fuit, quos æqua omnes aſperrima ſors a patriis laribus extorres, in varias peregrinaſque regiones jactavit. In Apuliæ oram appuliſſe Diomedi contigit; ac primum, ejectis indigenis, aut verius hoſpitii jure a Rege Dauno exceptus in Gargano monte conſedit; ex cujus finibus paulatim in propinquas regiones pervadens, novas Urbes, quibus ſuæ gentis propagatæ coloniæ conſiſterent, certis locis exædificandas curavit. Inter has, poſt Argos, quam Agrippam de Patriæ ſuæ nomine appellavit, Beneventum eminet, quod tum Maleventum vocari Conditori ſuo placuit: has autem Urbes omnes (ne cui fortaſſe mirum id, aut etiam inveriſimile videri poſſit) ſatis virium ut conſtrueret, nec minor ſuæ gentis numerus, cui incolendæ traderentur, Diomedi aderat, qui ſociorum, militumque non exiguam multitudinem Trojano bello ſuperſtitem, novaſque ſecum ſedes quærentem, fortunæ, peregrinationiſque ſuæ comitem habuit. Præterea, haud certe ejuſmodi fuiſſe tum eas Urbes nobis perſuaſerimus, quales deinde, prolatis cum ipſa ſimul propagata Civium multitudine pomœriis, optime inſtructas vidit poſterior ætas: quaslibet enim Urbes cuncti ſcimus, exiguis profectas initiis longo poſt tempore ad magnitudinem ſuam perveniſſe; qua in re ſolius Romæ exemplum attuliſſe ſufficiat, quam, dum Romulus Paſtorum aliquot collecta manu condendam curat, exordia profecto ſua puderet aſpicere; quæ tamen ſequenti tempore, tum aliis rebus omnibus, tum præſertim ingenti Civium numero, mœnium amplitudine, ædificiorum denique majeſtate univerſi Terrarum Orbis imperio digna prorſus ſedes fuit viſa.

Et ſane Diomedis opus Beneventum fuiſſe, non ſola probat veterum Scriptorum auctoritate, ſed ipſæ quoque, nec certe leves confirmant conjecturæ. Harum priorem vetuſtiſſimum ipſum, quod etiamnum obtinet, Beneventanæ Urbis Stemma ſuppeditat, *Apri* videlicet ſimulacrum. De qua re antea audire præſtat Procopium lib. 1. Bel. Got. ita diſſerentem: *Hæc ſane Civitas* (Beneventum) *poſt Trojæ captivitatem a Diomede Tydei filio Argis pulſo fuit ædificata: in qua monumenti gratia Apri Calydonii dentes dereliquit a Meleagro patruele ſuo olim interfecti, qui temporibus etiam meis illic ſpectantur, oppidoque mirabiles, quum eorum circumferentia tribus haudquaquam minor ſit ſpithamis, & in lunarem formam ſunt retorti.* Hæc poſtrema, quæ habet Procopius fidem ſibi mutuari videntur ex antiquioris ævi Scriptore Pauſania, qui in Arcadicis cap. 46. ex ejuſdem Apri dentibus unum in Bacchi delubro aſſervatum quoque refert, qui falcata forma, tanta inſuper præſtabat longitudine, ut *trium pedum regionum* menſuram excederet (*a*). Si quis autem has veluti fabulas rideat (*b*), dignaſque cenſeat, ut poetis ſolis celebrandæ reliquantur, quod de eodem Apro eleganter præſtitit Ovidius *Metam.* 8., non ægre id tulerim. Scio commentitia plura in Græcorum Hiſtoriis (cujuſmodi ſemper fuit ejus gentis Scriptorum ingenium) ac plane fabuloſa miſceri: *Apud Herodotum Patrem Hiſtoriæ* (ut ipſe Cicero aliquando obſervabat (*c*),) *& apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ*: quid igitur? nutabitne in cæteris omnibus ejuſmodi Scriptorum fides, ac tota ſpernetur auctoritas? non ita quidem ſi æquiſſimum ejuſdem (*d*) Ciceronis judicium de hac ipſa re ſequi velimus: immo & ſub fabulis ipſis latentem aliquando rerum geſtarum veritatem deprehendere facile fuerit, & perſcrutari omnino licebit. Hinc mihi ex Procopii loco verum, certumque illud noviſſe juvabit, ab ejus nempe ævo, de Diomede Beneventi conditore non ſolum exploratam, quæ ab omnibus literis mandaretur, rem haberi, verum etiam inſigni monumento, præſenti veluti teſte, rem ipſam confirmari: ſiquidem Calydonii Apri dentes ibi a Diomede relictos non jactare ſolum Beneventani, ſed plane apud

(*a*) Et cautior ſane Procopius, qui tribus ſolis contentus ſpithamis veriſimiliora nobis tradere voluit: *Spithama* enim Græcis, quæ Latinis Dodrans, duodecim conſtat digitis, unde apud Plin. l. 7. 12. *Triſpithamæi* Pygmæi narrantur ternas ſpithamas corporis altitudine, hoc eſt, ternos dodrantes dumtaxat æquantes.

(*b*) Tum Pauſaniæ, tum Procopii non fabuloſam, ſed veram narrationem accepiſſe videtur Ill. Spanhemius, qui in de Præſt. Numiſm. Diſſ. 1. p. 10. edit. Elzevirianæ 1671. poſtquam ejuſdem Apri dentes, qui, teſte Pauſania in Arcadia ſervabantur, ex eodem auctore in Urbem dein ab Auguſto delatos confirmat, non eoſdem tamen ipſos fuiſſe animadvertit: *qui Procopii ætate Beneventi adhuc viſebantur, quippe quos ille a Diomede in eam Urbem translatos refert.*

(*c*) De Leg. l. 1. cap. 1.

(*d*) Sane Cicero quum in libris de Rep. commentitium quid aſſeveraſſe notaretur, ſic ſe excuſat apud Atticum lib. 6. ep. 1.: *Illud de Flavio, & Faſtis, ſi ſecus eſt, commune erratum eſt, & ut belle* ἀπόμοιος, *& nos publicam prope opinionem ſecuti ſumus; ut multi apud Græcos: quis enim non dixit* Ευπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας, *ab Alcibiade navigante in Siciliam, dejectum eſſe in mare; Redarguit Eratoſthenes, adfert enim, quas ille poſt id tempus fabulas docuerit: num idcirco Duris Samius, homo in hiſtoria diligens; quod cum multis erravit, irridetur? Quis Zeleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit? num igitur jacet Theophraſtus, ſi id a Timæo familiari tuo reprehenſum eſt?*

Digitized by Google

apud ſe ad eam ætatem incolumes ſervatos exteris oſtentare ſolebant: de hujuſce rei fide non certo; dubium tamen nullum eſſe debet, quin non aliunde, quam ex ipſo Apro Diomedæo Beneventanæ Urbis ſtemma, ſuam originem non heri, aut nudius tertius, neque etiam ab ipſa Procopii ætate, ſed a vetuſtiſſimis uſque temporibus habuiſſe videatur.

Atque hunc plane Aprum etiamnum ſpectare licet, qualem Veteres Beneventani ſplendidiſſimum ac venerandum prope ſuæ Originis monumentum effigiendum curarunt; atque ære inciſum in hujus Voluminis fronte, ſeu titulo præſentem cernis, Hoc inſigne e Pario marmore Toreuma inter vetuſta plura monumenta, quæ terræmotum, barbaricarum vaſtationum, aliiſque cauſis peſſumiere, bono Beneventanæ Urbis fato ſervatum, ne detrimenti aliquid caperet, optimo majorum noſtrorum conſilio in marmorea Turri Campanaria Ædis majoris cum aliis antiquitatis reliquiis affixum habemus. Sculpturæ elegantia, quam vix ad Archetypi excellentiam ærea hæc tabula expreſſam ſimulare valuit, ſummæ illius vetuſtatis argumento eſſe poteſt, quæ non modo de ſequioribus ſæculis cogitare vetat, immo etiam cultiſſimæ ætatis opus nobis exhibet. Amplius vero id certum ſuadet tum ſertum illud, quod e capitis vertice in utramque faciei partem concinne pendet, tum etiam ſtola, quam medio tergo impoſitam, ac per latera deſcendentem Aper ipſe gerit: conſueta in his ornamenta agnoſcere proclive eſt, quibus victime ad gentilium ſacrificia immolandæ inſtruebantur; ut jam de prioribus ſæculis, quæ ubique Idololatria obtineret vix erit dubitandum. Nec tamen ex iiſdem argumentis, unde ejus tabulæ remotiſſimam antiquitatem conjectare jam licet, illud modo conſequenter incertum, an rectæ in Apro ipſo Beneventanæ Urbis ſtemma contineri videatur, vel potius, quo ritu, quove ornatu victima quæpiam ad Sacrificium admoveri ſoleret, eadem nobis tabula conſpiciendum exhibeat: etenim nullus, ut jam video, in tabula Sacrificii apparatus, ſed unice Apri ſimulacrum rem totam complet, ut exinde quale fuerit Sculptoris conſilium manifeſte appareat; Aprum nempe ipſum ita efformandi, ut ex ejus effigie Beneventanæ Urbis origines non memoriæ ſolum, ſed poſterorum quoque oculis commendarentur; neque etiam temere illud fuit, ſertum, ſtolamque Apro adjungere, cui ſacrum aliquid, ac religione dignum ineſſe putabatur, propterea quod ingens præter naturam moles, monſtri inſtar illum commendaret, immo divinitus in Ætoliam immiſſus vulgo traderetur.

Alteram conjecturam ex his Feſti verbis deſumere modo licebit: *Auſoniam*, inquit, *appellavit Auſon Ulyſſis & Calypſus filius eam primam partem Italiæ, in qua ſunt Urbes Beneventum, & Cales, deinde paulatim tota quoque Italia dicta eſt Auſonia ab eodem Duce*: Scio in hoc Feſti loco poſteriorem Pauli Diaconi manum agnoſci a nupero Scriptore (*a*); neque etiam illud me latet, antiquiores Trojano bello Auſones jamdiu Italiam tenuiſſe, a pleriſque affirmari; at quod Auſonum originem ſpectat, non video, cur a Feſti ſententia diſcedendum ſit, quam non ſolum Suidas confirmat, ſed Servius quoque, qui eam opinionem veterum quorundam Scriptorum fide probatam fatetur (*b*): quod quum ita ſit, veriſimile quoque illud videri debet, Beneventanam Urbem, in cujus ſitu eam primævam Auſoniam fuiſſe omnes conſentiunt, conſtitiſſe jam tum, quum Auſonia ipſa eſſe cœperit: etenim, ni Græci, Diomede quidem auctore, eam regionem obtinentes, ſuas ibi Urbes conſtituiſſent, vix Græcus homo, paterno ſaltem nomine illuſtris, non ſolum hoſpitiis jure, verum etiam perpetui incolatus communione in illorum lares ita demum fuiſſet receptus, ut poſt Diomedis obitum, vel dominatione ſibi tradita, vel rebus egregiie geſtis novum Auſoniæ ab ſe nomen in eandem regionem invexerit.

Hæc vero Beneventanarum originum, quæ hactenus jecimus fundamenta, nequicquam everti, aut ſaltem labefactari poterunt contrariis tum Euſebii, tum Eutropii auctoritatibus, quandoquidem Beneventi initia ſerius ab utroque ſtatuantur. Ac prior quidem *conditam a Romanis Beneventum an.* 281. *ante adventum Domini, & ab V. C.* 471. tradit in Chronico: Alter vero Hiſt. lib. 2. temporis ratione accurativs ſupputata, ſub Conſulatu P. Sempronii Sophi, & Ap. Claudii Pulcri, ſcilicet ab U. C. 486. *conditas ſimul a Romanis Civitates, Ariminum in Gallia, Beneventum in Samnio affirmat*. Et ſane manifeſtum utriuſque Scriptoris errorem refellere abtinuiſſem,

(*a*) Notum eſt eruditis, in id Paulum Diaconum incubuiſſe plurimum, ut Veteres ſcriptores aliquos, interjectis in eorum contextu, atque adſutis, quæ prætermiſſa, aut non ſatis explicata ſibi viderentur, quampluribus narrationibus, obſervationibuſque, locupletare, ſeu verius interpolare laboraret: id quod præter Feſtum, in Eutropii quoque hiſtoria præſtitit, quam uberiorem concinnavit, continuavitque ad ſuam uſque ætatem *in gratiam*, ut ait, *Adilberghæ Deſiderii Regis filiæ, & Conjugis Arechii Beneventani Longobardorum Principis*.

(*b*) Suidas in ſelectis Hiſtoricis edit. Baſileæ 1564. v. *Auſonius Pontus*. Servius Æn. l. 3. v. 171. & rurſus l. 8. v. 32.

Digitized by Google

ſem, niſi alieno doctus exemplo, mea plurimum intereſſe animadverterem, ne omnino intacti abire permitterentur: verendum enim fuit, ne incautis, aut antiquitatum non ſatis gnaris Euſebius imponeret, qui aliquarum Urbium primordia cum ſubſequentibus Coloniarum deductionibus plerumque confundens, doctiſſimis quoque viris fucum aliquando fecit (*a*). Errandi itaque occaſionem tum Euſebii, tum Eutropio fortaſſe præbuit diverſitas nominis, qua diverſas etiam ſibi Urbes pari ambo oſcitantia effecerunt: certe ipſo eodem anno 486., quo primum (ut inferius late obſervabimus) Colonia deducta fuit, quæ ad id temporis Maleventum ſemper audiverat, tum etiam primùm Beneventum eſſe cæpit: quamquam & illud dici poſſit, ut Eutropio hæc ſcribenti in mentem venerit antiquus ille deducendarum Coloniarum ritus, qui non ſecus ac in condendis Urbibus ſervari conſueverat. De eo ritu ita Varro de l.l. lib.4. *Oppida, quæ prius erant circumdata aratro, ab Orbe Urbes, & ideo Coloniæ noſtræ in literis antiquis ſcribuntur Urbes, quod item conditæ, ut Roma, & ideo Coloniæ, ut Urbes conduntur, quod intra Pomærium conduntur.*

Ut ut autem meliorem in partem Eutropii verba accepiſſe libeat, adhuc promptum mihi erit, ut longe ante illam, quam ipſe ſtatuebat ætatem, Beneventum Maleventi tamen nomine celebratam ſatis Urbem ex optimis antiquitatis monumentis extitiſſe probem: utque a poſterioribus ordiar, ſub Conſulatu C. Sulpitii, & M. Poetilii, qui fuit ab V. C. annus 440. antiquiſſimæ, quæ tum in Samnio floreret, Maleventanæ Urbis mentio apud Livium occurrit, memorandique præclaram occaſionem Livio dedit aſperrima illa pugna inter Romanos, Samniteſque eo anno commiſſa, ex qua victi Samnites *Maleventum, cui poſtea Beneventi nomen, profugerunt*: ſed jam ad ipſa Romanæ Reipublicæ primordia aſcendiſſe licet, ubi illuſtriores Romanorum res literis conſignatæ, ejuſdem Maleventanæ Urbis inſigne monumentum nobis ſervarunt: Celeberrima ſub conſulatu K. Fabii, ac T. Virginii an. V. C. 275. Fabiorum omnium cædes fuit, qui a Vejentibus ad Cremeram circumventi, trucidatique *unum* (ut inquit Livius) *prope puberem ætate reliquerunt, ſtirpem Genti Fabiæ, dubiiſque rebus Populi Romani ſæpe domi bellique vel maximum futurum auxilium*. Huic quidem, ut illuſtres Fabii deinceps eſſent, Romana Reſpublica debuit; ſed & reviviſcentem Fabiorum progeniem Maleventanæ illuſtri fœminæ acceptam ſimul retulit, quæ Numerii Ottacilii Maleventani civis opulentiſſimi filia ſuperſtiti Fabio juſtis nuptiis copulata fuit. Teſtes hujuſce rei ſatis locupletes habemus Valerium Maximum, atque Feſtum, quorum verba non pigebit audire: Valerius itaque, ſive quicunque is fuerit auctor Epitomes (*b*) de nominibus Romanorum, qui poſt librum IX. Valerii in pluribus editionibus adjectus proſtat, hæc habet: *Numerii prænomine ſola familia uſa eſt Fabia, iccirco quod* CCCVI. *apud Cremeram flumen cæſis, qui unus ex ea ſtirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerii Ottacilii Maleventani ſub eo pacto, ut quem primum filium ſuſtuliſſet, ei Numerii prænomen imponeret, obtemperavit*. Haud aliter Feſtus, cujus item hæc ſunt: *Numerius prænomen nunquam antea in Patricia familia fuiſſe dicitur, quam quum Q. Fabius, qui unus poſt ſex & trecentos ab Etruſcis interfectus ſuperfuit, inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit Ottacilii Maleventani filiam ea conditione, ut qui primus natus eſſet prænomine avi materni Numerius appellaretur*. Atque ex binis hiſce monumentis (quæ de noſtra Urbe dum Maleventum olim eſſet, hactenus mihi comperta habui) jam profecto liquet a primis uſque Reip. temporibus non modo Maleventum (quod Euſebio, & Eutropio ignoratum videtur) jamdiu extitiſſe, verum etiam illud obſervatione digniſſimum præclare conſtat, Maleventanos

(*a*) Dionyſ. Petavius in Rat. Temp. p. 1. l. 4. c. 20. Lugdunenſis Vrbis conditorem ſtatuit L. Munatium Plancum, dum is a U. 711. Galliæ Proconſulatum gerebat, & quidem fidem Euſebii ſatis oſcitanter ſequutus: reclamantibus tamen Lugdunenſibus, qui, teſte Ferrario, ſuæ Vrbis initia ad ann. poſt Diluvium 680, fuiſſe prædicant: at quicquid de ea remotiſſima ætate videri poſſit, certum illud eſt, tum ex Senecæ epiſt. 91. tum ex antiquo lapide [de quo mihi fuſe alibi agendum] non Lugdunenſis Vrbis conditorem, ſed Coloniæ deductorem Plancum fuiſſe.

(*a*) Valerii maximi genuinum fætum hanc eſſe Epitomem, quæ proinde ejus ſcriptoris librum x efficiat, tenuerunt olim Viri doctiſſimi, quos inter Manutius: ex antiquis mſs. qui varie de eadem epitome præfari deprehenſi ſunt, modo C. Titum Probum, modo Julium Paridem auctorem præferentes, ſuſpicio poſtea apud recentiores eruditos eſſe cæpit, quæ tandem in communem ſententiam ceſſit, opus omnino ad Val. Maximum non pertinere. De C. Tito Probo omnia obſcura, imo ex poſtremis verbis ejuſdem epitomes librariorum ignorantiam ejus commentitii Auctoris efformandi occaſionem arripuiſſe acute conjicit Steph. Pighius in not. ad Val. edit. Plantinianæ 1574., ubi de Julio Paride, veterum mſs. fide, veroſimilius ſentit, qui doctus fortaſſe Libertus aliquis Domus Juliæ decem libros Valerii non tamen Maximi, ſed alterius, qui de lingua latina ſcripſerat, in epitomem contraxit, cujus tantum hunc decimum ſuperſtitem habemus, haud certe contemnendum, quippe qui eodem Pighio judice, antiquitatem non ineruditam ſapit, & ſcholiorum loco ſtudioſis ſervire poteſt ad linguæ, & hiſtoriæ Romanæ cognitionem, rituſque veteres addiſcendos.

Digitized by Google

cives affinitate cum Romanis tunc fuiſſe conjunctos (*a*) : quin etiam non temere id affirmaſſe erit, ex Maleventanis primum in Romanorum Remp. cum ingenti divitiarum *Numerii* prænomen ſimul invectum. Et ſane (quo Valerii, & Feſti fides magis conſtet) ejuſmodi prænomen Samnitium Primoribus frequens, ac prope familiare fuiſſe oſtendit *Numerius* alter *Decimus*, qui domo Samnis, genere, ac divitiis inter ſuos princeps celebratur a Livio lib. 22. Quod ſi non honori, haud certe probro ſibi duxiſſent Romani, quorum tunc nomen, vireſque anguſtis adhuc finibus continebantur, ex Samnitico populo matrimonia ſibi quærere, quem omnium, qui in Italia fuerint, populorum fortiſſimum ſibi hoſtem futurum, omnibus tunc etiam & opibus, & potentia præſtare jam noverant.

Sed ne ad Samnites præpropere tranſiſſe videar, rerum, temporumque ordinata ſeries poſtulat, ut ad Auſones redeam; atque hos quidem Græcos & ipſos origine, Auſone Ulyſſis filio eorum Duce, poſt Diomedis adventum, conditaſque ab eo Urbes, mox eò, ubi inter gentiles ſuos quieſcere poſſent, conveniſſe jam conſtat. An vero Maleventum Auſoniis deinde ceſſerit, itaut in eorum poſſeſſionem perveniret, id quidem latet: certum tamen eſt, ut ſuperius probavimus, in ea regione, quæ deinde de illorum nomine Auſonia dicta eſt, Maleventum extitiſſe; neque enim ſine ulla Urbe regio illa eſſe debuit, in qua Auſones conſiſtere ſatis commode potuerunt, neque præter Beneventum, & Cales, vetuſtiorem ibi Urbem aliam fuiſſe conſtat. Illud etiam mihi veriſimile fit, non eos ſolos, quos Auſon ſecum duxiſſet, ſed Græcos omnes, qui Diomede auctore eas Urbes, regionemque univerſam tenere jam cœperant, in unum populum, qui communi Auſonum nomine appellaretur, coaluiſſe: ſtetere autem Auſones, donec adventantibus Samnitibus & regionem, & nomen concedere ſunt coacti: unde de Sabellis ſeu Samnitibus Philargirii illa habentur: *Hi ſunt, qui olim Auſones dicebantur* (*b*): non quod eodem manente populo nomen tantum mutari contigerit, ſed, quum ad novos poſſeſſores ea regio pertinere cœpiſſet, vetus Auſoniorum nomen in Samnitium tum demum translatum fuerit. Atque pauca hæc de Auſonibus, quæ poſt conditam noſtram Urbem ad ſequentem ejus ſtatum cognoſcendum pertinerent, ex abditioris antiquitatis tenebris obſervaſſe licuit: feliciora jam hinc tempora & populi nobilitate, & rerum amplitudine, & monumentorum tum copia, tum certitudine, quibus præſtant, aggredimur.

Samnites ex Sabinis prodiiſſe Veteres pene omnes tradunt (*c*), *Sabellos* propterea ad genus ipſum ſuo quoque nomine indicandum initio appellatos: ſed quum ejuſmodi nomen in *Samnitium* deinde verſum fuerit, unde & novum eorum regioni Samnii nomen factum, novi nominis cauſam vel a colle *Samnio*, ubi primum conſederunt, vel ab Haſtæ genere, quæ σαυνία Græcis dicta fuit, recentiores omnes Feſti auctoritatem ſequuti affirmarunt: ego vero (niſi mea me fallit conjectura, quam dubiæ Feſti opinioni licebit opponere) tum Sabellos, tum ex eadem prorſus cauſa *Sabinites* olim appellatos dixerim, quod ipſa utriuſque nominis Samnitium, & Sabinitium affinitas manifeſte ſuadere videtur: nihil autem Romanis tam ſuetum, qui elegantiori, dulcioriqne vocabulorum ſono maxime delectabantur, ut pro *Sabinitibus Samnites* eos vocare cœperint, quod poſtea nomen perpetuo manſit. Profectionis, aut potius ſeceſſionis a Sabinis genitoribus cauſam prolixe refert Strabo, quem heic recitare non vacat. Natali itaque deducti ſolo, novaſque ſibi ſedes quærentes, quum id nonniſi vi agendum ſibi eſſe animadverterent, Auſonios primum armis aggreſſi, eam ſibi regionem incolendam conſtituerunt, in quam etiam de proprio nomine Samnii nomen intulerunt. Exiguis primum contentam finibus, intra quos Beneventanam Urbem, ex qua Auſones ejecti fuere, veriſimile eſt conſtitiſſe, mox viribus pro eorum numero paulatim auctis longe lateque protulerunt, itaut Samniticum nomen, atque Imperium in plures circumjacentes regiones ſeſe diffuderit; donec & ipſo Samnio in duas poſtmodum regiones diviſo, altera ſub eodem Samnii nomine, & Urbibus, & viribus optime inſtructa permanſit, altera vero accepto *Hirpinorum* nomine ſuis primum diſtincta finibus, mox etiam juribus conſtitit, a principali Samnio divulſa. Utriuſque regionis fines heic certos deſcribere ſuper-

(*a*) Quamquam Populi Romani Quiritium proprium, inter alia plura, *Jus Connubii* fuerit, quo Romanos inter, externoſque Connubia prohibebantur: ut ex Liv. l. 8, 14. & 9, 43. unde illud Senecæ De Benef. l. 4, 35. *Permiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea Peregrinus adparuiſti, non eſt cum externo Connubium*. Attamen Populi, aut Senatus permiſſu id jus plerumque communicatum conſtat, ut ex eod. Liv. l. 38, 6., docetque Ulpian. Fragm. v. 4. *Connubium habent Romani cum Civibus Romanis, cum Latinis autem, & Peregrinis ita, ſi conceſſum ſit*.

(*b*) In Georgic. Virgil. l. 2. verſ. 167.

(*c*) Hæc fuit Varronis ſententia in de L. L. VI. Strabonis Geogr. l. v. A. Gellii lib. XI. c. 1. adeo ut merito rejiciendus ſit Juſtinus Græcæ originis Samnites arbitratus.

Digitized by Google

ſuperperſedeo, quippe opportuniori loco de iis fortaſſe differendum mihi erit. Samniticæ autem Gentis res egregie geſtas, laudeſque ſpeciatim percurrere poſt tot tantaque tum Veterum, tum recentium Scriptorum teſtimonia, non tam ſupervacuum, quam & ipſum difficile opus fuerit: omnium vero laudum veluti ſummam audire ex Eutropio, Oroſio, aliiſque ſufficiet: quod nempe ſi fidem fœderis, quam ſibi Romani ſervari a ſubjectis volebant, ipſi ſubjecti Samnitibus ſervaſſent, aut omnino non fuiſſent, aut Samnio dominanti ſerviſſent. Nec certe Samnitibus aut vires deerant, aut pares viribus animi virtutes, quibus Orbis Terrarum imperio, pro quo tamdiu decertare viſi ſunt, digni haberentur: præclariſſima namque ſunt, quæ de eorum fortitudine, bellicæque laudis ſtudio Veteres omnes memoriæ tradiderunt, quæ apud Livium, Florum, alioſque paſſim celebrantur; ad hæc autem, quod erat potiſſimum, honeſtiſſimis imbuti moribus ad virtutes omnes colendas publicis legibus (a), rariſſimoque eo exemplo, quod apud æmulos quondam Romanos temperantioris Reipublicæ ævo haud invenire promptum erit, juventutem omnem inſtituendam maximopere curabant. At de Samnitibus majoribus noſtris pauca, hæc attigiſſe ſatis ſit.

Illud vero heic erit omnino obſervandum, an facta, ut modo dixi, inter Samnites, Hirpinoſque regionum quas ſeorſim incolerent, diviſione, ad Hirpinos deinde Beneventum pertinere cœperit, vel potius in ipſo, ut olim, Samnio locata conſtiterit. Intereſt enim, ne a majoribus ſuis Samnitibus, quorum alumna eadem, & parens dici poterat, Beneventum avulſa, inter Hirpinos detrudatur. Hoc decus Benevento adimere conatus olim fuit Camillus Peregrinus, qui in de Campania Felice Differt. I. cap. VIII. Hirpinorum eam Urbem fuiſſe ſtatuit. Peregrini ſententiam, ſuam quoque nuper fecit Franciſcus Pratillus, qui in de Via Appia lib. 4. cap.... hoc etiam addidit, neque ſibi hoc tutum videri, ut ejus regionis Urbium principatum Beneventum olim ſibi vindicare potuerit, quem Abellinenſis Urbs æquo, vel potiore jure ei contendere videbatur: quas poſtremo nugas adjecit Pratillus, poſtquam Peregrini ſententiam falſam oſtenderimus, nugaciſſimas merito appellandi locus erit. Quod igitur ad rem attinet, Peregrino fucum feciſſe videtur Plinii locus in H. N. lib. 3. cap. II., ubi hæc leguntur: *Cætera intus: in ſecunda regione Hirpinorum Colonia una Beneventum, auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum*: quanta vero tum in aliis, tum maxime in præſenti re Plinio habenda ſit fides, non eruditorum dumtaxat, ſed ejuſdem Plinii judicio noviſſe ſufficeret (b). Mihi tamen illa ſpeciatim exequi libet, quæ falſam hujus loci lectionem, vel falſum Plinium manifeſte demonſtrant. Primum igitur mendum in Plinii verbis jampridem ſuboluit Cluverio, qui pro: *Hirpinorum Colonia una Beneventum* legendum putavit: *Hirpinorum Colonia nunc Beneventum*, ut ſequentibus reſponderet: *quæ quondam Maleventum*: at non is omnino rem acu tetigiſſe videtur. Alia enim, poſt dictionem *una* in Plinio erant ante Beneventi vocabulum, quæ quum excidiſſent, ne lacuna aliqua intercederet, facile cum eadem dictione *una* Beneventum coaluit. Cur ita ego judicem, veriſimilis ratio in promptu eſt: non enim Plinius unam tantummodo Colo-

(a) De Samnitum legibus ad mores pertinentibus hæc habet Strabo l. I. *Legem honeſtam quidem, & quæ ad virtutem vehementer excitet, Samnitibus extare ferunt; haud enim filias ſuas quibus collibuerit, nuptum dare fas eſt: Verum quotannis decem præſtantes decerni Virgines, ac optimos totidem adoleſcentes: ex iis primam primo locari, ſecundam ſecundo, & ita deinceps: hoc pacto, quod ſi is, qui primam accepit, honeſtam inſtitutionem mutaverit in deterius, habitus contemptui per ignominiam eſt, & ei locata adimitur.*

(b) Scaligerorum [verba ſunt Reineſii in App. Epiſt. cap. 4. edit. Jenæ 1670. p. 316.] de Plinii in naturali hiſtoria fide & auctoritate judicio, quod paſſim repeti ſciunt docti, nimirum *laudem multæ lectionis, & laborioſarum convaſationum merito ei tribui, eruditionis, & rerum, quas profitetur cognitionis non item*, nemo temere contradixerit, non enim adhibuit in excerpendis auctoribus diligentiam competentem, & narrationes ſæpe ſuas e diverſis etiam pugnantibus, incertis, fabuloſis, ſuperſtitioſis contexuit, unde nonniſi inconditus Cinnus ſententiarum, & falſimoniarum conſtrui potuit: peccavit etiam alia, quæ notaſſe nos lib. 3. c. 5. ſatis ſit: Hactenus Reineſius: At Plinio nuper ſtrenuum ſe præſtitit Patronum Etruſcæ Cortonenſium Academiæ ſocius in Diſſert. De lapidibus relata in Tom. v. edit. Rom. diſſert. I., cujus initio præjudicatam veluti adverſus Plinium opinionem ab eruditorum mentibus removere ſatagit, nihilque contra illius auctoritatem gravius, ac fide certius, experientia ipſa habendum eſſe contendit. Diverſarum partium de Plinio judicium ita tranſigendum eſſe ego ducerem, ut ne illâ, qua Antiquitas omnis digna eſt reverentia, omnia indiſcriminatim, atque inconſulto excipiamus, ſed ea dumtaxat reprobaſſe, ac, dum opus fuerit, reprehendiſſe quoque liceret, quæ fidem omnem manifeſte excedere, vel melioribus teſtibus refelli poſſe videntur. Atque hanc plane ſententiam prior ipſe contra ſe tulit Plinius, cujus de Geographia jam agere inſtituentis illud in proemio d. lib. 3. effatum eſt: *haud ullo in genere veniam juſtiorem eſſe*: recte enim noverat non alia ſcribendi materia frequentius errari poſſe, erratumque ab ſe fortaſſe non abnuit, maxime quum ex aliis auctoribus [ut c. v. ſubdit] *nec ſitus, originesque perſequi facile ſibi fuerit.*

Digitized by Google

niam in Hirpinis adeo ſignate ſtatuere poterat, cui omnino compertum eſſe debuit alteram in eadem regione Coloniam extitiſſe Abellinum (*a*). Cur etiam Plinius Hirpinorum regionem memoraſſe contentus, nullum de Samnio verbum, quæ celebrior regio erat, eo loco facere prætermiſiſſet ?. Plura itaque, ne Plinium aut mendacii, aut oſcitantiæ redarguamus, is eo loco ſcripſerat, quæ fortaſſe poſt commemoratam Hirpinorum Coloniam *unam Abellinum*, ad finitimam Samnii regionem, in qua Beneventana Colonia ſita erat, pertinebant.

Hæc ſi cui non probantur, ſinceraque eo loco Plinii lectio haberi velit. jam deterior erit Plinii cauſa, cujus teſtimonium facile erit falſitatis convincere : utque rem altius repetamus, ſtetiſſe in Samnio Beneventum tum ante, tum poſt Hirpinorum a Samnitibus ſeceſſionem ſatis conſtat: certe Livius l. 9. c. 27. quum prælium illud inter Romanos, Samniteſque acerrime commiſſum C. Sulpitio, & M. Poetilio Coſ. an. U. 440. retuliſſet: *Omiſſo*, ſubdit, *certamine cædi, capique Samnites, niſi qui Maleventum, cui nunc Urbi Beneventum nomen eſt, profugerunt*: qua ex re adeo certum haberi debet, ad Samnites ipſos Beneventum pertinuiſſe, ut nihil contra ineptius putari queat, quam eoſdem e prælio fugientes in externa Urbe ab victoribus Romanis ſe ſe tutos exiſtimaſſe, atque aliorum, quam propriæ Gentis fidei tam facile ſe commiſiſſe. At ne ſolis conjecturis res confici videatur, fuiſſe in Samnio Beneventum tum quum in eam Urbem Romani primum Coloniam deduxiſſent, præclare teſtatur Livius epit. xv. *Coloniæ deductæ: Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio*: nec ſecus habetur ex Eutropio lib. 2. Et ſane plurimum ſua intereſſe Romani putarunt, ut ea primaria Samnii Urbe aliquando potiti, Colonorum deductione reliquam regionem ab inſtaurando bello deterrerent, in ſuoque obſequio continerent: hinc cum Samnium ipſum ſub ſecundi Belli Punici initia Hannibal devaſtaturus ingrederetur, ſatius habuit Beneventanam expugnaſſe Coloniam. Polybium audire præſtat: *Pœni*, inquit lib. 3., *devaſtatis prædictis locis, ſuperatoque Apennino Samnium tranſeunt in fœcundiſſimam Italiæ oram (b) & longo jam tempore bellorum expertem, ubi tantam commeatus rerumque neceſſarum copiam nacti ſunt, ut nec quotidiano uſu, nec continua devaſtatione abſumere prædam poſſent; hinc & Beneventum Romanorum Coloniam depopulantur*. Vides igitur non priore tantum, vetuſtiſſimaque Samnitum dominantium ætate, verumetiam poſt deductam ab victoribus Romanis Coloniam, nunquam inter Hirpinos, ſed intra ipſius Samnii fines Beneventum perpetuo recenſeri.

At, inquies : non antiquiora hæc tempora ſpectabat Plinius, qui in Italia deſcribenda novam formam ab Auguſto inſtitutam ſequendam ſibi propoſuit: *qua in re* (inquit lib. 3. cap. v.) *præfari neceſſarium eſt auctorem nos Divum Auguſtum ſequuturos, deſcriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones undecim*. Quocirca verum illud eſſe poteſt, quæ in Samnio hactenus ſteterat, Beneventanam Coloniam in hac Auguſti recenti deſcriptione intra Hirpinorum fines fuiſſe conjectam. At ſi unius Plinii teſtimonio de hac re judicandum eſſet, facile illi fides eſſet accommodanda : ſunt tamen quæ de ejus fide non ſuſpicari tantum nos ſinunt, verumetiam manifeſtam ipſius falſitatem oſtendunt. Enimvero quum Auguſtus rerum potitus novam Romani Imperii formam conſtituens, Italiam omnem in regiones undecim diviſiſſet, nullam de Hirpinis, qui cum aliis populis in quarta regione accenſendi erant, bene vero de Samnitibus ſolis mentionem injecit, quos cum Frentanis, Pelignis, Marſis, & Veſtinis in eadem quarta regione conjunxit, ut ex deſcriptionis forma (*c*) plane conſtat. Cur autem Hirpinos præterierit Auguſtus, veriſimilis illa cauſa videri poteſt, quod vix ejus Gentis ſuperſtes tum nomen fuerit, quam ſenſim defeciſſe etiam ex aliorum, præter Plinium, ejus ætatis Scriptorum ſilentio conjectura mihi eſt, itaut ea regio, quæ poſt factam a Samnitibus progenitoribus ſeceſſionem Hirpini incolebant, eidem rurſus acceſſiſſe Samnio, coaluiſſeque cenſenda ſit. Id certe ſuadet quoque ardens ille Cornelii Syllæ conatus, quo is in univerſam Samniticam Gentem, ad quam Hirpinos pertinuiſſe conſtat, extremam cladem inferre aggreſſus, regionem illam cum reliquo Samnio immani

(*a*) De Abellinenſi Colonia hæc ſunt ex Frontino : *Abellinum muro ducta Colonia lege Sempronia. Iter populo non debetur : Ager ejus Veteranis eſt adſignatus.*

(*b*) *Infœcundiſſimam Italiæ oram* habet Veneta editio Aldi an. 1521. ac aliæ, quas vidi editiones ; ſed perperam omnino : ſi enim infœcundiſſima Samnii ora fuerit, cur tantam commeatus, rerumque copiam inveniſſent Pœni ? Præterea Samnitium agri ſuapte natura fertiliſſimi, quos hodie dum ſpectamus, manifeſtum mendum oſtendunt. Hinc illud *in* aut in Textu Polybii redundat, aut præpoſitionis loco fungi debet, a ſequenti dictione ſeparatim ſcribendum.

(*c*) Populos in hiſce XI. regionibus ab Auguſto definitis contentos ita exhibet Panvinius de Imp. Roman. pag. 685. edit. Ven. an. 1558. *Quum Italiam Cæſar Auguſtus in* XI. *regiones diſtribuit : quarum prima Latium vetus, novumque cum Campania fuit.* II. *Picentes.* III. *Lucani, Brutii Sallentini, Apuli.* IV. *Frentani. Marrucini, Peligni, Marſi, Veſtini, Samnites, & Sabini.* V. *Picenum.* VI. *Umbri.* VII. *Etruria.* VIII. *Gallia Cispadana.* IX. *Ligures.* X. *Venetia, Carni, Iapides, Iſtrique.* XI. *Gallia Ciſpadana.*

Digitized by Google

immani furore delevit. At tenujores illi & numero & viribus, & regione facile labefactati, extinctique ſunt, Samnites vero, quorum ampliores copiæ, laxioraque regionis ſpatia, in priſtinum ſtatum, adjecta ſibi Hirpinorum regione, facile ſunt reſtituti.

Fuerint vero, ſi cum Plinio mavis, Hirpini poſt Auguſti quoque ævum ſuperſtites, falſum tamen illud omnino erit, ut intra illorum fines Beneventana Colonia conſiſteret, quam ex locupletiſſimis ejuſdem ætatis teſtibus in ipſo vetere Samnio perpetuo ſtetiſſe liquet. Prior itaque Strabo inter Samnii Urbes Beneventum præclare ſtatuit, tum quum Syllæ adverſus Samnites immanes crudelitates referens, præter Beneventum, & Venuſiam, reliquas omnes Samnii Urbes ab eo deletas memorat. Præclariſſum Geographi locum longiuſculum licet, multa tamen de Samnitibus luculenta habentem, heic recitare non piget: *Qui* (Sylla) *poſtquam Italorum rebelliones multis diſſipavit præliis, hos* (Samnites) *ferme ſolos conſiſtentes, & in unum adverſus Romam conſpirantes conſpicatus, ante illorum mœnia caſtris locatis eos in pugna obtruncavit, nullis vitam impertiens captis: alios vero, qui arma projecerant ad millia tria, vel, ut alii quatuor in Campo Martio ad ovilia coactos immiſſis militibus triduo jugulavit: factis inde proſcriptionibus non antea deſtitit, quam Samnitum nomen deleverit, aut ex Italiæ finibus omnes ejecerit. Quum autem de tanta incuſaretur iracundia reſpondebat, magiſtra ſeſe experientia didiciſſe, ne ullam quidem pacem Romanis fore, quoad per ſe Samnites ipſi ſubſiſterent. Itaque per vicos conſtituta fuere Civitates, aliquæ vero radicitus defecere Bojanum, Eſernio, Theleſia Venafro conjuncta, & aliæ tales, quarum ne unam quidem pro dignitate cenſueris Civitatem; tamen Beneventum, & Venuſia probe, & feliciter conſiſtebant.* Hactenus Strabo, qui, quum poſt Auguſtum ſtatim ſcripſerit, nihil poſt hujus deſcriptionem in Italia nuperrime factam immutatum tradit de Beneventanæ Urbis ſitu, quam intra Samnium conjectam nobis exhibet. Quid? quod ſtatim poſt ipſius Plinii ætatem illuſtriore adhuc teſtimonio iſtud idem probare poſſumus? Straboni igitur non inſignem minus Geographum alterum adjungimus Ptolemæum, qui non ſolum in *Italiæ tabula* Beneventum intra Samnii fines locatum repræſentat, verum etiam quum ad Tabulam VI. Europæ de Italiæ ſitu cap. I. ſermonem habet, in Samniticarum Urbium numerum eam diſerte recenſet, atque ab iis, quæ Hirpinorum olim fuerant omnino diſcernit in hunc modum.

Samnitum Civitates	Hirpinorum Civitates
Bovianum	Aquilonia
Eſernia	Abellinum
Sepinum	Aculanum
Aliſa	Fratuolum
Tuctium	
Teleſia	
Beneventum	
Cluſium.	

Vides igitur inter duos optimos antiquitatis Geographos medium ſtantem Plinium, qui quum ab utriuſque auctoritate diverſus omnino abeat, haud ſibi eam fidem demereri amplius auſerit, quam Straboni, Ptolemæoque negaſſe non ſtultitiæ ſolum, verum etiam piaculi loco habendum eſt.

Age nunc, ſi ad Samnii regionem omni plane ævo Beneventum pertinuiſſe jam conſtat, illud quoque experiendum mihi erit, an eadem Urbs Samnii princeps fuiſſe dicenda ſit. Quum vero Beneventanarum rerum, quas hoc volumine illuſtrandas ſuſcepi, certus temporum ſtatutus ſit terminus, quem ab ipſa origine ad poſtremam Romanorum ætatem concluſum præterire haud licebit, non omnino ad rem hanc conficiendam opportunum duxerim Pauli Diaconi teſtimonium, qui in De Reb. Longob. l. 2. c. 14. univerſi, quà latiſſime tum patuit, Samnii Provincias ad Longobardicum Principatum pertinentes recenſens, earum omnium caput eſſe *ditiſſimam Beneventum* affirmat. Non enim antiquiores ætates illas, quæ Longobardica ſæcula anteverterunt, ſpectaſſe videtur Paulus, cui quum Longobardorum dumtaxat res ex inſtituto pertractare propoſitum fuerit, ſatis profecto fuit intra ejus ævi ſpatium ſe continere, quo Beneventum Longobardorum Ducum, ac Principum delecta ſedes, præclariſſima deinde ejuſdem Principatus Metropolis perpetuo manſit. Ad ſuperiora igitur, ac ipſa quidem vetuſtiſſima tempora, de quibus heic quærimus, quum res iſthæc ſit deducenda, clarius ea certe procedet, ſi in duas præſertim ætates eadem tempora diſtribuentur. Dum itaque priorum Samnitum res florerent, non ita prompte pronunciaverim univerſi Samnii principatum Benevento obtigiſſe: univerſum autem appellavi Samnium, quod Samnites ipſos ex ſitus, locorumque varietate, cognomine

Digitized by Google

mine quoque inter ſe diverſos continebat. Alios enim Samnites *Pentros*, alios vero *Caudinos* intra unius Samnii fines appellatos fuiſſe video. Priorum Bovianum extitiſſe caput facile Livio conceſſerim, qui lib. 9. cap. 31. Junii conſilio res adverſus Samnites feliciter geſtas referens hæc habet: *Victor exercitus Bovianum ductus: caput hoc erat Pentrorum Samnitum longe ditiſſimum, atque opulentiſſimum armis viriſque.* At quæ tum Caudinorum Samnitum Urbs princeps? Caudinos enim Samnites a Pentris diverſos, quod nemini hactenus obſervatum fortaſſe fuerit, ex eodem Livio diſcere licet, qui lib. 23. cap. 42. ſub Marcello Conſule a *Samnitibus Caudinis* Legatos ad Hannibalem miſſos tradit; quumque is Pentrorum Samnitium Bovianum caput commemorarit, an nullum Caudinorum fuiſſe debuit? non ita quidem: ſed quod certis monumentis affirmari nequit, graviſſimis tamen conjecturis pronunciare jam poſſumus, horum Samnitium caput Beneventum fuiſſe: ſuadet id quidem loci propinquitas, nam juxta Itinerarium Antonini vix XII. m. paſſuum Beneventum a Caudio diſtabat, neque Caudium ſuis potius *Furcis*, quam Urbis amplitudine famoſum, neque alia Urbs ea regionis parte ita præſtabat, ut cum Beneventо de Caudinorum Samnitium principatu contendere poſſet. His accedit, quod jam ſuperius memoratum fuit, ex pugna illa, quam a. U. 440. Samnites cum Romanis adverſo marte commiſerunt, non in aliam eoſdem fugientes, ſed in Beneventanam Urbem ſe recepiſſe, ut proinde illa, dum ſuæ Gentis Arx, ac propugnaculum haberetur, caput etiam extitiſſe videatur.

Atque hæc quidem, dum Samniticum ſtaret Imperium, ſatis veriſimilia attuliſſe licuit: collapſis vero Samnitium rebus, imo exciſis jam implacabili Syllæ adverſus Samnites furore, illorum viribus, promptum jam fuerit affirmare, univerſi Samnii principatum in unam Beneventanam Urbem conceſſiſſe. Privatum enim Beneventanorum erga Syllam ſtudium, de quo alibi ſermo erit, hanc inter communes Samnitium calamitates felicitatem ei peperit, ut (quod ex Strabone modo audivimus) furentis hoſtis immanitatem evaderet; datumque ei fuerit, ut priſtina ſorte felix, ac incolumis conſiſteret. Idque profecto ſatis fuit, ut contra ipſius Syllæ votum, extincto tunc, ut videbatur, undequaque Samnio, ſola Samnio ſuperſtes, hujus extincti decus antiquum, nomenque ſervaret, reviviſcentis deinde principatum jure ſibi vindicaret. Quod ut certum affirmaremus, duo potiſſimum effecerunt: primum quidem, quod nulla ex antiquis, celebrioribuſque Samnii Urbibus, quæ olim de ejuſmodi principatu decertare videbantur, vigente iterum poſt Syllana tempora Samnio, in priſtinum ſplendorem, dignitatemque reſtitutæ fuerint, ſed labefactati earum ſtatus accepta ſemel, magna deinceps ex parte manſere damna, ut de Boviano, Aliphis, Theleſia ſatis conſtat, quarum poſt eam ætatem nihil florenti Urbe dignum memoriæ ſubeſt, atque hodieque, eas quondam fuiſſe, ſola fere nominis, locique teſtatur memoria. Alterum eſt, quod jam tum Romanorum Colonia Beneventum deducta eſſet; quod quum ei omnium florentiſſimæ, ornamentiſque omnibus inſtructiſſimæ Urbi, totius Regionis principatum facile comparare debuiſſet, amplius id eidem a Romana Republica præſtandum fuit, cujus plane intererat, univerſi Samnii Coloniam illam caput eſſe, cujus tum dignitas, tum Fides erga Populum Romanum ſatis ſpectatæ habebantur. Quæ quum ita ſint, non mediocriter Beneventanis conſultum eſſe arbitror, ſi unquam antiqui Samnii principem ſeſe Populum fuiſſe deprædicaverint, neque antiquitatis ignari, neque omnino ambitioſi, de ea laude redarguantur, quam jure ſibi, atque merito vindicaſſe videntur.

Sed jam de diverſis pro temporum varietate Beneventanæ Urbis nominibus agendum mihi erit. Sunt enim, qui præter *Maleventi*, ac poſtmodum *Beneventi* celebrata ſatis nomina, & *Samniam* aliquando, nonnunquam etiam *Maletiam* appellatam velint. At quum de ſingulis hiſce nominibus ſermonem inſtituere, eorumque rationes explicare debeam, a poſterioribus antè me expediam, quæ nunquam Benevento indita, ſed plane fabuloſa, ac commentitia eſſe conſtans mihi ſemper fuit ſententia. Quod enim ad *Samniæ* nomen attinet, quamvis Feſtus inter alias Samnitium nominis origines illam quoque afferat, ut ita appellati fuerint *a colle Samnio, ubi ex Sabinis adventantes conſederunt*, atque exinde conjectura deduci facile videatur, Urbem de illius collis nomine fortaſſe nuncupatam, ipſis & ſedem, & nomen primum tribuiſſe, vel etiam eundem collem & Genti, & Urbi proprium nomen peperiſſe, attamen non ſibi recte Feſtus (pro quo potius Paulum Diaconum in iis verbis agnoſcendum malim, ut mox oſtendam) conſtare videtur, dum non in ea ſola nominis origine omnino quieſcit, ſed veroſimiliorem aliam eodem loco ab certo ſcilicet *Haſtæ* genere fuiſſe tradit. Neutram autem Feſti ſententiam probari poſſe jam ſuperius obſervatum, ubi rectiorem de Samnitium nominis origine conjecturam dedimus, itaut nec ad haſtam, neque ad inauditum hactenus *collem Samnium* confugiendum ſit. Quis enim ſibi perſuadeat, ſi unquam a ſui primordio *Samniæ* nomen Urbi inventum fuerit, quod aut ei

tradere

Digitized by Google

tradere Samnites, aut ex eo ipſi accipere debuiſſent, ita ſubito excidiſſe, ut ne leviſſimum illius quidem veſtigium in omni antiquitate nobis appareat; ſtetiſſet vero, adnitentibus tum maxime Samnitibus ipſis, ut ex ejus Urbis ſervato nomine tum eorum appellationis, tum originis monumentum ad poſteros perveniret. Reſtat igitur, ut *Samnia* nomen ſoli Paulo Diacono relinquamus, qui illud prior uſurpavit, non alicujus certe veteris, probatique fide monumenti, ſed (quod recte obſervat *D. Bruzen la Martiniere in Lex. Geogr.*) omnino male intellectis Flori verbis, qui quum *lib. 1. cap. 16.* Samnitium clades, Samniique vaſtationes eouſque perveniſſe ſcripſerit *ut hodie Samnium in ipſo Samnio requiratur*, Samnium non pro ipſa eademque Samnii provincia, ſed pro certa Urbe ejus nominis (quam pronum fuerat Beneventum putare) accepit Paulus; nihil vero tam facile fuit, quam ſciolos, recentioreſque quoſdam obeſæ naris Scriptores in Diaconi verbis conquieſcere, qui vulgi quoque ſermones ſequuti ſtatuerunt, ita olim Beneventum fuiſſe appellatam, quaſi, quod regionis nomen erat, Urbis quoque eſſe debuerit, quæ ſtantis Samnii facile princeps, collapſi deinde decus ſola ſubſtinuiſſe viſa fuit.

Haud ſecus de *Maletiæ* nomine judicandum erit, quod unde ortum habuerit, nondum ſatis intellexi, niſi quod fortaſſe quiſpiam, quum in mendoſam aliquam Feſti editionem incidiſſet, ex corruptis ejus auctoris verbis illud hauſiſſe videatur. Feſti certe locus genuinus ita ſe habet: *Beneventum Colonia, quum deduceretur, appellari cæptum eſt melioris ominis cauſa, quum eam Urbem Græci incolentes ante Maleventum appellarent*: quæ ſane poſtrema verba aliter exhibet ipſius Feſti editio Veneta an. 1483. ubi ſic leguntur: *Quum eam Urbem Græci antea incolentes malation* μαλαιτιον *appellarent*; quod vocabuli monſtrum prius Latinis mox Græcis literis repetitum, inque ſe uno partim Latina, partim Græca dictione compactum, rudiſſimæ ætatis fœtum rudior quiſque ita fortaſſe excepit, ut jam Maletiæ, vel ut alii libebat, Mileſiæ nomen ab aliis diverſum arbitratus, illud Beneventanæ Urbis proprium quondam fuiſſe affirmaverit. Et certe non una quondam circumferebatur mendoſa Feſti editio, nam præter Venetam vetuſtiſſimam, quam ad manus habeo, alias quoque indicare videtur Salmaſius in exercit. Plin. cap. 2., quæ habent *Maleton*, aut *Malenton*, & Μαλοὶτιον, ex quibus pari facilitate ſciolus quiſpiam Maletiæ vocabulum confingere potuit; ſed, ut dixi, Μαλὸεντος a Feſto ſcriptum fuit; neque ſecus a Stephano, cujus hæc ſunt Περὶ πὸλεων ſeu *de Urbibus*, quæ ad noſtram Urbem pertinent verba: Βενεβεντὸς χωρὶον Διομὴδες ἐν Ιταλία. οἱ δ' ὁτι πῆμα Διομήδες ἡ καὶ Μαλοεντὸς ἐδευῖτο. Τὸ ἐθνικὸν Βενεβεντίνος. ἔστι καὶ ἄλλα καμπανίας ἀφ' ὧ δ' ἦ τὸ ἐθνικον Βενεβενδὴνς: Salmaſius l. l. pro πῆμα legit πτίσμα. Stephanum autem ita loquentem excipio: *Beneventus Prædium Diomedis in Italia: quidam exiſtimant, quod Diomedis poſſeſſio* (vel ut Salmaſio placet *Conſtructio* ſeu *Ædificium*) *etiam Maleventus diceretur. Gentile Beneventinus. Eſt item alia* (a) *Campaniæ Urbs, quæ per D ſcribitur, cujus gentile Benebendenſis.*

Rejectis igitur commentitiis Samniæ, Maletiæque nominibus certum Maleventi ab ſua origine, poſtea vero Beneventi ſuum ſtabit Urbi nomen. Prioris nominis cauſam ſunt, qui ex paulo ante memorata Samnitium cæde, quam ad triginta illorum millia fuiſſe tradit Livius, Urbi primum contigiſſe aſſerentes, ex eodem Livio ſatis probari poſſe contendunt; at de ea re nihil in Livio eſt, qui pro optimi Hiſtoriographi munere, ne Maleventum ab Benevento diverſam olim fuiſſe Urbem Lectores putarent, Beneventi nomen ſua jam ætate eidem Urbi eſſe ſubdit, quæ Maleventum olim vocabatur tum quum fugientes ex eo bello Samnites excepit. Quod ſi ea de

(a) Manifeſtum Stephani errorem recte reprehendit Salmaſius, dum is alterum Beneventum in Campania locet, diverſum ab oppido quod a Diomede conſtructum antea nominavit: & ſane Βενιβεντὸς, & Βενεβενδὸς unum, atque idem, quo modo Βριντὲσιον & Βρενδὲσιον dupliciter ſcribebatur, ut etiam notat Berkelius ad eum Stephani locum n. 75. Illud ego quoque adnotaverim, quo magis pateat Stephani hallucinatio, non in Samnio priorem Beneventum ab eo locari, ſed in Italia, poſteriorem vero in Campania, quaſi non in Italia fuiſſet Campania. Non unus autem fuit Stephanus, qui Beneventum multiplicarit, vel ſuo ſolo moverit: turpius enim lapſus fuit Suidas, qui de Benevento hæc habet in Hiſtoricis edit. Baſileæ 1564. ex verſione Hieronymi Wolphii: *Beneventum: Diomedes in reditu ab expeditione Trojana a ſuis non receptus, ſed expulſus, in Calabria Urbem Argyrippam condidit, poſt Beneventum dictam.* Argos enim Urbem, Argyrippam a Virgilio vocatam, quam idem condidit Diomedes, cum Benevento confundit: quid demum ſibi velit Itinerarium Hieroſolymitanum, qui novum Beneventum in Cenomanis ſtatuit, nemo hactenus definivit: iter enim inter Bergomum, & Veronam ſic metitur.

Vergamo
Tollegatæ XII.
Tetellus X.
Brixia X.
Ad Flexum XI.
Beneventum X.
Verona X.

Suppoſititium, aut certe mendoſum in hoc Itinerario novi hujus Beneventi vocabulum jam novit, reſtituendæ tamen veræ lectionis incertus Cluverius Ital. antiq. lib. 1. cap. 26.

Digitized by Google

de cauſa Maleventi tunc primum nomen accepiſſet, jam ipſa hiſtoriæ ratio, extollendæque amplius Romanorum victoriæ occaſio poſtulabat, ut de mutato ob eam hoſtium cladem Urbi nomine ad eo inſigne monumentum ad poſteros Livius commendaret: at nec is meminit, nec meminiſſe ejus rei potuit, qui potius iis verbis antiquiſſimum illud, ac cum ipſa Urbe ortum nomen ſatis clare indicaſſe videtur. Et ſane, ſi recenti cuipiam cauſæ novum Maleventi nomen tribuendum eſſet, jam quæ fuerint antea Urbi nomina contra omnis Vetuſtatis fidem, comminiſcenda nobis erunt, aut prorſus ignorare fatendum erit.

At ineptior profecto, quam quæ ſuperius confutata fuit, altera ejus nominis cauſa affertur a Procopio in de Bell. Goth. lib. 1. ad cujus opinionem, auctoritatemque refellendam ſola ejus audiſſe verba erit ſatis. *Beneventum Civitas* (inquit) *antiquitus appellata Maleventum: In Dalmatia enim Regione, cujus ex oppoſito hæc Civitas eſt locata, ventus quidam dominatur ſævitiæ, ac feritatis eximiæ, qui cum primum flare incipit omnes intra domum ſe continent, nam ea vis huic vento natura ingenita eſt, ut equum pariter, & ſeſſorem in altum extollat, & per aera ſæpius volutatum, quocumque ſors ferat cadere in terram ſinat, atque interimat. Cum igitur Beneventum e regione, ut dixi, Dalmatiæ ſit in edito conſtitutum, malignitatis partum hujuſmodi aſperrimi flatus excipiat neceſſum eſt, atque ob id Civitati ipſi nomen hoc impoſitum.* An abſurdius quicquam, vel mendacius hoc eſſe poteſt? *An riſum tenuiſtis Amici?* Si enim ea vis (quod inauditum hactenus) huic vento naturâ ingenita, quid cauſæ deinceps fuerit, ut omnino defeciſſe videatur, quid autem Dalmatiæ cum Beneventó Mediterranea Urbe, quæ neque in edito alicujus montis cacumine, ſed in humili protius colle ſublimioribus aliis circumſepto inter binos mœnia prope alluentes fluvios exurgit? Quis denique non mirabitur græcum hominem adeo ingenio ſuo indulſiſſe, ut quam rem in Italia ipſe diverſatus, ſub Beliſario Duce annonæ Curator propriis oculis ſpectare, aut ſaltem propinqua fama noſcere potuit, tot nugis, fabuliſque contextam poſterorum memoriæ exhibere maluerit?

Sed non leve demum in ejuſmodi nominis etymologia ſtatuenda negotium nobis exhibebit Salmaſius: Præſtat omnino eum audire (*a*). *Non erat Beneventum cum a Diomede condita eſt, ſed Maleventum: Plinius &c. .... Sed nec Maleventum græcam originem de ſpecie ipſa oſtendit: quæ ratio Procopium induxit, ut Maleventum crederet dictam a malo vento, quo infeſtatur, quod eſt ineptiſſimum: Sed deceptus eſt inflexione latina qui Maleventum dixerunt, quod erat grece* Μαλὸεντος; *ſic enim Urbs illa vocabatur .... Græca vox* Μαλὸεις απο τὸ Μαλων *Æolice hoc eſt* Μηλων *ab ovibus. Apuliam ovibus, & lana nobilem eſſe, quæ inde Apula dicebatur, ſatis notum eſt. Hinc* Μαλοεις *Urbs illa, quam ibi condidit Diomedes ὁ* Μαλοεις τῆ Μαλοεντος *Ætoli vero more ſuo ὁ* Μαλοεντος, τὸ Μαλοέντα, *nam ex genitivo caſu aliorum ſuum nominandi faciebant; ut ὁ* Μαρτυρος τῶ Μαρτυρα. Hactenus Salmaſius, cujus *ſpecioſam* quidem conjecturam cum Gronovio (*b*) libens appellaverim, ſed non continuo ſatis verisimilem dixerim. Duo enim graviſſima obſtant, quin in doctiſſimi viri conjecturam concedendum ſit: atque ægre primum tam longo circuitu a vocabulo Μηλον (quod etiam græcis æquivocum, tum ad *oves*, tum ad *poma* ſignificanda adhibetur, unde ortam de Heſperidum Pomis fabulam ſatis erudite obſervat Servius Æn. 4, 484.) ad Μαλοεντον inveniendum manuduci tandem nos patiemur. Præterea nullo pacto illud Salmaſio permittendum, ut e ſuo natali ſolo Maleventum aufugiat, atque e Samnii gremio, ubi perpetuo locata fuit, inter medios Apulos longo intervallo tranſgreſſa, ut ſui priſci nominis rationem aliquam inveniat, invita ſeſe conjiciat.

Maleventi itaque nomen Urbi, quum primum ab Diomede conderetur, *a malo evento* contigiſſe quum certum ſit, ejus tamen nominis cauſa ſi quæratur, nonniſi ad ipſius conditoris, ſuæque gentis calamitates commode referri poſſe crediderim; nihil enim veriſimilius, quam poſt graviſſimas illas ærumnas, quæ confecto Trojano bello Græcos omnes conſecutæ, tum aliis paſſim Scriptoribus, tum ipſius Diomedis ore apud Virgil. Æneid. XI. v. 255. memorantur, in quibus illam quoque ſibi propriam Diomedes conqueritur

Invidiſſe Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum, & pulcram Calydona viderem,

quum tandem in his regionibus conſtitiſſet, Urbem ab ſe conditam eo nuncupaſſe nomine, quo *Malum* ſui, ſuorumque *Eventum* poſteris teſtaretur: quod quum veriſimile dumtaxat a me traditum ſit, certa tamen ejus nominis a *malo evento*, quæcunque tandem fuerit cauſa, derivatio ſtatuenda omnino eſt, idque ex verſo ipſius *mali* in *bonum* eventi nomine luculentius patebit.

Beneventi itaque novum, fauſtumque nomen Urbs accepit, quum primum in eam Romani

(*a*) Exercit. Plin. in C. Julii Solini Polyhiſt. c. 2. edit. Pariſ. 1629. (*b*) In not. ad Stephanum de Urbibus n. 23.

Digitized by Google

mani Coloniam deduxerunt. Cur autem ita tunc appellari cœpta non ſolum inſtituti mei noviſſe erit, ſed multæ eſſe eruditionis teſtatur Quintilianus lib. 1. cap. 6., ubi de aliquorum nominum etymologiis perquirendis agens *Continent*, ait, *in ſe multam eruditionem, ſive illa ex Græcis orta tractemus, ſive ex hiſtoriarum veterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, Urbium requiramus; unde Bruti, Publicolæ, Pici: cur Latium, Italia, Beneventum &c.* quod igitur noſtra intereſt (nam de aliis alii viderint) de hujuſmodi nominis origine ita Plin. lib. 3. cap, 11. *Colonia Beneventum auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum*. Id quod iiſdem prope verbis ſuperius recitatis Feſtus confirmat: ex utriuſque autem auctoritate jam ab *Evento* Urbis nomen deductum poſthac dubitaverit nemo, adeout quum in *Bonum* deinde *Eventum* ob Colonorum deductionem antiquum nomen traſlatum fuerit, utique non aliud, quam *Malum* ipſum *Eventum* Urbi nomen olim feciſſe cenſendum eſt.

Nec profecto mirum, quod Romanis poſt eam Urbem e Samnio captam, ereptamque cum ea ſimul Samnitibus magnam ſuarum virium ſpem, ac munimen, quum in ipſam Colonos deducerent, rejecto Maleventi nomine Beneventum appellari placuiſſet. Scimus enim funeſta ſi qua eſſent, ac male ominoſa nomina ad ſummam uſque ſuperſtitionem Veteres Romanos exhorruiſſe, itaut illis abolitis, obliteratiſque, nonniſi fauſtis, ac felicibus delectarentur. Hinc ſolenne illud, ac veteri inſtituto firmatum, *ut in militum delectu primus miles fieret bono nomine meminit* Cic. de Divin. lib. 1. cap. 45. latiuſque explicat Feſtus *v. Lacus Lucrinus*, ubi: *in delectu, ut & in cenſu primos boni ominis gratia nominatos Valerium, Salvium, Statorium*, eos videlicet, qui ejuſmodi nominibus *valere, ſalvere, ſtare* ſignificabant, bonum delectui, aut cenſui faciendo eventum portendebant: & quidem nulla omnino res publice, aut privatim a Romanis gerenda ſuſcipiebatur, niſi prius adhibita ſolenni illa precationis formula, *ut res bene, ac feliciter eveniret*; nec tamen his contenti ipſum *Bonum Eventum* peculiare ſibi numen effinxerunt, divinoque cultu, atque etiam Templo donarunt (*a*): *Boni Eventus* enim Templum in Regione IX. a tergo Panthei ſtatuit P. Victor, & Donatus de Urb. Rom. lib. 2. cap 16., ejuſque poſteriore quoque ætate an. Ær. Chr. 374. meminit Marcellin. lib. 29. cap. 6. quum inter alia publica opera Tyberis inundatione eo anno disjecta, inſtauratam quoque a Claudio Præf. Urb. ingentem porticum memorat, *Eventus Boni cognominatam, ea re, quod hujus nominis prope viſitur Templum*: Ferrentne igitur Romani Maleventanæ Urbis, quam ſibi primum Coloniam condebant, infelix iſtud infauſtumque ſupereſſe nomen? ipſi inquam Romani, qui eod. Cicerone teſte l. l. non tam moribus, quam Religioni ducebant, ut nonniſi *bonis* eſſent *nominibus* Viri illi, qui ex S. C. ad Colonias deducendas eligerentur.

Atque quum ex his manifeſtum ſit, ſive Maleventi, ſive poſtea Beneventi nomen non aliunde, quam ex evento (*b*) Urbi factum, libet tandem de ea re præclara alia, quæ mihi occurrunt,

(*a*) De Deo Bono Evento peculiarem, & ſatis amplam Diſſertationem vulgavit D. Moreau de Mautour, quam habes tom. 3. Memoires de l' Academie Royale des Inſcriptions &c. Amſtelod. 1731. cap. 5.: Ejus cultum non apud ſolos Romanos, verum etiam apud veteres Germanos, Hiſpanos, & Græcos plurimum obtinuiſſe probat. Inter præclara, quæ Romam tranſlata fuere, Praxithelis opera, Boni Eventus ſtatuam recenſet Plinius l. 36. c. 8. atque antea lib. 34. c. 8. alteram ejuſdem Numinis ſtatuam memorat, Euphranoris Græci item, eximiique ſculptoris opus, quam ita deſcribit: *Hujus eſt Simulacrum Boni Eventus dextra pateram, ſiniſtra ſpicam, ac papaver tenens*; qua nempe forma etiamnum in antiquis nummis Boni Eventi effigiem ſpectare licet.

(*a*) Non ullum nobis Ludovicus Vives negotium faceſſit, qui in comment. ad S. Aug. de Civ. Dei l. v. c. 22. pro *Eventibus*, quod habent vulgatæ editiones, *Eventis* dandi caſu a neutro *Eventum* in mſs. aliquot legiſſe affirmet; hanc tamen vocabuli declinationem per neutrum genus raro uſurpatam, imo ex Vallæ judicio dubiam arbitratur. Si ita res eſſet, dubiam quoque Beneventi, quam modo ſtatuere laboravimus ætymologiam fateri oporteret; non enim in recentis Coloniæ natali cum novo nomine eſſet condecoranda, ab conſueta, quæ Latio familiarior eſſet, optimorumque ſcriptorum uſu probata ejus nominis declinatione Romani receſſiſſent: At Ludovicum Vives ſummopere falli jamdiu obſervavit laudatus D. De Mautour in eadem Diſſert. De Deo Bonevento, ubi Ciceronis, Lucretii, ac majoris Plinii allatis auctoritatibus, *Eventi* vocabulum neutro genere probe latinum, imo ab optimis hiſce ſcriptoribus paſſim uſurpatum demonſtrat, quod & ipſe Vives facile animadvertere poterat, ſi potius, ut par erat, manuſcriptorum veterum, quam novit fidem, quam vulgatas editiones attendiſſet: Mirari tamen ſubit, cur D. De Mautour ſingularem appellet Veſpaſiani nummum, in cujus epigraphe legerat: *Pacis Eventum*; quod, cum accuſandi caſu accipi nequeat, nominativum neutri generis eſſe debet; non enim ea de cauſa tanti æſtimandus erit nummus iſte, cujus lectionem non tuentur ſolum, ſed plane uſu receptam docent tot Scriptorum de eo vocabulo teſtimonia, quæ ipſemet Vir doctus congeſſerat, niſi forte ad publica aliorum nummorum, lapidumque monumenta reſpiciens eum in binis lapidibus, quos affert *Bono Eventui*, in aliis vero nummis *Boneven*, vel *Bonevent* ſcriptum reperiſſet, quod ſimili modo ac in lapidibus per eandem declinationem

Digitized by Google

currunt, uberius obſervare, quo magis ejuſmodi nominis etymologia conſtare videatur; ac primum Lapis eſt apud Gudium p. 56. n. 14. qui inter Beneventanos refertur in hæc verba:

BONO EVENTO CONCORDIAE PIETATI P. R.
SCRIBONIVS LIBO M. AEMILIVS PAVLVS TRIBVNAL
NOVV. AEDIL. CVRVL. LEPIDVS SCRIBONIVS LIBO DD.

Inter Beneventanos, inquam, hunc lapidem retulere olim plerique, idque pluribus de cauſis perſuaſum ſibi habebant; congruit enim præter *Boni Eventi* etiam *Concordiæ* nomen, quod Beneventanæ Coloniæ aliquando tributum præclare oſtendit Lapis huic Diſſertationi præfixus, cui mox alterum addemus: De Scriboniis verò, licet inter illuſtriores Romanorum familias eos fuiſſe conſtet, plura adhuc extant in Beneventana Urbe antiqua monumenta, de quibus loco opportuniore agendum erit. Sed non ego hiſce conjecturis facile conceſſerim, immo ſi de eo lapide judicium mihi ferendum eſſet, non alium profecto fuiſſe cenſerem, quam ipſummet Titulum Tribunalis Romæ olim extantis, quod paſſim ab antiquis Scriptoribus *Puteal* dictum fuit, cui extruendo operam, mandante Senatu, præſtitit Scribonius. Præter enim eum lapidem, quem illius Tribunalis titulum agnoſcendum dixi, quo magis apud præſentes poſteroſque Libonis opus celebraretur, etiam ea de cauſa argenteos numos cuſos fuiſſe ſcimus: memorat eos Sigon. de Judic. l. 1. c. 28., in quibus Aræ imaginem eſſet ait, cum his verbis: *Puteal Libonis*: exhibet vero ad Libonem ſimul, Lepidumque pertinentes Ant. Auguſtin. Dialog. IV., apud recentiores vero, ut Goltzium, Patinum, alioſque ſatis notus hic numus, cujus etiam effigiem nuper recuſit laudatus in ſuperioribus notis D. de Mautour in d. Diſſert. de Deo Bonevento, ac multis obſervationibus illuſtravit: ejuſdem argentei numi archetypon aliquando ego nactus, quum ejus icones hactenus vulgatas non adamuſſim eidem reſpondentes animadverterim, ſitque ipſe numus eo, quod refert, *Boneventi* vocabulo noſtræ Urbis nomini omnino affinis, iterum heic ſumma fide expreſſum, non ſolum exhibendum, verum etiam novis obſervationibus (*a*) locupletandum curavi.

Redeo nunc ad lapides, ac præter eum, quem ſuperius a Gudio relatum *Boneventi* quidem vocabulo inſignem, haud tamen Beneventi extantem probavi, præſto eſt alter, quem inter

nem ſupplendum putavit, in Veſpaſiani numo ſingularitatem notare voluit: ſed tam pronum illud erat, *Boneven.* vel *Bonevent.* in nummis pro Bonevento ſupplere exemplo ipſius nummi Veſpaſianæi, quam verisimile ſatis illud ſuſpicari, non *Eventui* in illis lapidibus ſed *Evento* fuiſſe, quod mihi omnino probatur ex duobus aliis lapidibus, de quibus mox agam; ex iis enim, ut eque ex numis non dubitabimus, quin frequentius per neutrum, quam per maſculinum genus, eadem licet ſignificatione, *Eventum* in omnibus fere publicis monumentis ſcribi conſueverit.

(*a*) De hoc numo ita crebro Veteris rei nummariæ ſcriptoribus celebrato novam commentationem inſtituere libenter abſtinuiſſem, præſertim poſt nuperam D. De Mautour explicationem, niſi plura in ea legenda deprehenderim, quæ caſtigatione aliqua indigere videantur. Ac primum fruſtra illud erit, ad antiquum Puteal, quod in Foro ſitum erat, hoc Scribonii Puteal referre: qui etiam Auguſtini, Nardini, atque etiam Vaillantii error fuit, notatus a Spanhemio Diſſert. x. tom. 2.: Illius vetuſtiſſimam originem laudant Cic. de Divin. c..... Val. Max. l. 1. c. 6., qui ad Regum ætatem extollunt, tum cum ſub Tarquinio priore defoſſæ ab augure Navio cotis, ac novacula ædificio ad Aræ formam extructo, quaſi operculo, quod Puteal dictum fuit, fuere contectæ. *Cotem autem illam* [inquit Cicero] *& novaculam defoſſam in Comitio, ſupraque impoſitum Puteal accepimus*: an igitur, quod Scribonius Libo antiquiſſimum ædificium illud fortaſſe inſtauraverit, ideo, ut vir doctus putat, Scribonii Puteal, quale in numo eſt, appellari cæptum? at nullo pacto id probabimus. Conſtat enim, novum omnino opus fuiſſe, quod Scribonius, mandante Senatu, conſtruxit, dedicavitque; Illud autem, aut loci, aut formæ affinitate cum antiquiore altero pene ſimile, pari quoque Putealis nomine donatum fortaſſe fuit: aut enim antiquum Puteal pro contegenda Nævii cote, & novacula, aut ad expiandum religione locum fulmine aliquando tactum adhibitum fuit, nulla re ad Scribonii Tribunal pertinere poteſt, cujus diverſus omnino uſus, recentiora quoque fuerunt initia.

De forma autem Scriboniani Putealis, quamquam ejus nummi ope noſtris adhuc oculis ſervata ſit, mirum tamen, quantum inter ſe non modo veteres, ſed etiam recen-

Digitized by Google

inter præclara noſtræ Urbis vetera monumenta procul dubio recenſeri debet : extat enim adhuc incolumis ſub arcu Pontis Caloris , hiſque legitur verbis :

BONEVENTO
PROFECTIONIS ORIENTALIS ET
REDITVS AVGVSTORVM L. SEPTIMI
ET M. AVRELII ANTONINI COL. IVLIA
AVG. CONCORDIA FELIX BENEVEN
TVM DEVOTA MAIESTATI AVGG.

in quo lapide illud Beneventana Colonia Septimio Severo Imp. ejuſque filio Baſſiano (qui ſub nomine M. Aurelii Antonini latere videtur) præſtitiſſe ſtuduit, quod ſub Cæſaribus frequentiſſimi moris erat, ut nempe pro felici illorum proficiſcentium reditu tum privatim, tum etiam publice vota ſuſciperentur : ex Auguſti ævo Principum majeſtas id adulandi genus inter alia recepit, invaluitque magis erga ſequentes Principes, ut in antiquis lapidibus, numiſ-

 que

recentiores haſtenus decertaverint . *Puteal* [inquit Acro ad Horat. Satyr. l. 2. c. 6. v. 35.] *locus Romæ , ad quem veniebant fæneratores , alii dicunt , in quo Tribunal ſolebat eſſe Prætoris* : Præclarius Porphirio ad eund. Horat. l. 1. ep. 19. *Puteal Libonis ſedes Prætoris fuit prope arcum Fabianum , dictumque , quod a Libone illic primum Tribunal , & Subſellia locata ſunt* : Donatus etiam de Urb. Rom. l. 2. c. 12. locum eſſe affirmat : *in quo fuit Tribunal Prætoris , vel ædificium , in quo jus dicebat Prætor a Libone ædificatum , dictumque a Puteo, quod inibi eſſet* . Horum auctoritatem ſequuti non aliud ædificium illud Putealis inſcriptum nomine in numo expreſſum , quam ipſum Prætoris Tribunal ea forma fuiſſe cenſuerunt Borrichius Antiq. Urb. Rom. Conſtantius Landus Select. numiſm. p. 33. edit. Lugd. Bat. 1695. & Marlianus Topograph. Rom. l. 3. c. 4. cujus tantum verba heic afferre libet : *Eſt apud nos numiſma argenteum , in cujus altera parte Libonis imago eſt cælata cum Inſcriptione* LIBO BONEVENT. , *in altera vero Tribunal , ſupra quod eſt* PVTEAL , *infra vero* : SCRIBONI . Quæ Marliani verba licet clariſſima , haud aſſequutus Academiæ Etruſcæ Cortonenſis Socius tom. v. Diſſert. v. n. 38. *Io non ſo* [inquit] *che Medaglia ſia quella del Marliano , la quale egli ci deſcrive così* ; eſt apud nos &c. ; *moſtrando che vi foſſe il Tribunale ſcolpito diſtintamente dal Puteale* : At Marlianus neque alium nobis exhibuit numum , quam ipſum iſtum , quem modo terimus , ac ſatis clare , feliciterque quid in eo contineretur deſcripſit , explicavitque ; nunquam itaque illud dicere ſomniavit fuiſſe in eo numo Tribunal ſeorſim inſculptum a Puteali , ſed quod ſupra ipſum Tribunal (ut in ipſo numo quiſque ſpectare ſtatim poteſt) inſcriptum fuerit *Puteal* : *in altera vero* [inquit Marlianus] *Tribunal , ſupra quod eſt Puteal , infra vero Scriboni* : Si enim , quod infra eſt *Scriboni* non diverſam rem in numo repræſentabat , ſed Epigraphis pars erit , neque etiam quod ſupra eſt *Puteal* quicquam aliud , quam reliquam ejuſdem Epigraphis partem exhibebit : quæ quidem verba diverſis formis inter reliqua Marliani verba ab ipſomet ſocio Academico notata , ſatis eum quantumvis cæcutientem monere debebant , non diverſum a Puteali Tribunal a Marliano fuiſſe oſtenſum : At nuſquam fortaſſe is numum vidit , verumque illud eſſe docuit , dum fidenter nimis , inconſultique aliena carpere videri volumus , turpius nos aliquando in graviſſimos errores incidere .

At quod rem attinet non Tribunalis, ſed potius Aræ formam in numo expreſſam eſſe contendunt Sigonius , Auguſtinus , Nardinus , Laurentius, aliique plures tum Acronis teſtimonio moti , tum etiam Feſti auctoritate ; qui Puteal Scribonii ad ædificium illud , quod in loco fulmine tacto ritu veteri conſtrui ſolebat , manifeſte refert : quibus etiam adſtipulari ajunt formam illam , quæ in numo exhibetur ; quam nonniſi ad Aræ ſimilitudinem expreſſam accipiunt: id quod laudato de Mautour ita perſuaſum videtur , ut ſerta illa ex ipſo ædificio pendentia nonniſi ex lauro fuiſſe coniiciat , propterea quod ejus arboris frondes ad arcendos fulminum ictus plurimum valere putarentur : ſed fruſtra hi omnes ex ea ædificii forma , quæ in nummo repræſentatur , Aram ſibi fingunt : cum contra verum omnino ſit , ædificium illud ad Tribunalis formam accedere , in quo Prætor jus dicturus accumbere ſoleret : Si enim Tribunal idem ac Puteal Scribonii fuiſſe conſtat ex veteri lapide ſuperius recitato , idque Acronis , Porphirionis , Donati confirmet auctoritas , nulla erit ratio , ut pro Tribunali Aram comminiſcamur : neque mirum , quod Tribunal ipſum in Aræ formam exurgere videatur , nam quadrati , ſublimioriſque ſubſellii inſtar eſſe debuit , multis etiam pro Prætoris dignitate , ornamentis decoratum : quod ita omnino nobis perſuaſum eſſe debet tum ex ſuperius dictis , tum etiam ex Horatii loco , cui Ovidium tandem adjungimus , qui *de Rem. Amor. 565*. Puteal. pro ipſo Tribunali uſurpat , de uſurarum debitore ita canens .

Qui Puteal , Janumque timet , celereſq. Kalendas .

Sed majus certe diſſidium inter recentiores in effingendis, explicandiſque ornamentis illis , quæ ipſius Tribunalis angulis affixa veluti cohærent : Fulvius Urſinus, qui prior teſte Spanhemio , in Scribonia familia binos numos *Puteal* exprimentes vulgavit, in altero quædam veluti *vaſa* , in altero quoſdam veluti *clypeos* in ipſius Putealis angulis inſculptos exhibuit : Ant. Auguſtinus *Feneſtras* , ſeu *Tranſennas* videre affirmat . *Situlæ* Lando viſa ſunt ; *Sacculi* vero Harduino [in Plin. l. 36. c. 15.] hinc inde diſpoſiti , ſervandis Actis judicialibus idonei ; & miror , cur non etiam in ejus mentem venerit , potius *ſportulas* fuiſſe , quas paratiſſimas haberet

Præ-

Digitized by Google

que paſſim occurrit, eoque tandem proceſſit, ut quum pro leviſſimis cauſis, ac plerumque, ut otio, voluptatibuſque indulgerent, in ſeceſſum aliquem abirent, vota pro reditu ſuſcipi conſueverint; quod aliquando ab ipſo Senatu fædiſſima in Caligolam adulatione factum fuiſſe narrat Sveton. cap. 14. Æquiores certe Beneventani, qui nonniſi pro graviſſima, qualis in lapide expreſſa fuit cauſa, in qua ob edomitos Orientis hoſtes, prolatoſque Imperii fines ſumma Reipublicæ utilitas continebatur, Imperatori Septimio, ejuſque filio Baſſiano poſt res feliciter, egregieque geſtas ſua vota publico monumento iſto poſterorum memoriæ commendanda curarunt; illudque, quod rem noſtram modo ſpectat, in eodem lapide nobis obſervandum exhibuerunt, ut fauſtis illis ſive votis, ſive gratulationibus, quæ ſolo *Boni Eventi* vocabulo expreſſa voluerunt, proprium Urbis nomen ita accommodaſſe viſi ſunt, ut quod re ipſa illo ſignificabatur, in eorum quoque erga eos Principes obſequentis animi ſignificationem opportune ſatis, atque eleganter verteretur.

Quid vero, ut aliis Principibus, ita quoque Imperatori Severo pro ſuo more non præſtitiſſet Beneventana Colonia? quam Auguſtorum nemo fuit, qui non ſumma benevolentia, maximiſque beneficiis exornandam ſategerit; neque id tantum pro ſuis illa erga eoſdem Auguſtos perpetuis ſtudiis, obſequiiſque promereri videbatur, ſed pro ſumma etiam loci nobilitate, eximiaque rerum omnium, quæ florentiſſimam Urbem efficerent, præſtantia: Quod ſequenti capite mihi erit exequendum.

CAPUT

Prætor, ut nummos pro ipſis actis judicialibus a litigatoribus ſibi ſolvendos colligeret; ſed Harduini explicationem non ſine riſu excipiendam dicit Morellius, ſive Havercampus tom. 2., haud tamen ipſe felicior, qui non aliam, quam *Lyræ* formam in utroque Putealis angulo agnoſcendam ſtatuit: quid denique D. De Mautour? *Simpula* eſſe affirmat, quæ tamen nonniſi ad Clypeorum formam in ejuſdem numi icone, quam exhibet, nobis ſpectandá offert: At habes tu Lector novam ejuſdem numi iconem, quam cum ſuo archetypo omnino convenire ne dubites: integrum tibi relinquo, ut poſt tot inter ſe diſſidentes ſententias, de hac re, ſi tanti tibi habebitur, curioſius inquirens judicium feras: mihi quidem ſi dicere fas ſit; riſiſſe certe putarem artificem, qui inani ſui ingenii luſu tantum negotii præclaris poſteritatis ingeniis exiberi videret, ut quod fortuita manu ad ornandum Puteal ipſe adjecerit, ad certam illi rem deſignandam inſculptum contenderent.

Illud mihi potius inquirendum duxi, quis hiſce fuerit Scribonius Libo tot inter Scriboniæ Gentis viros, qui paſſim Lucii prænomine, Liboniſque cognomine ex antiquis monumentis prodiere: at obſcurum id quidem: Inter noſtros lapides, qui ad Scribonios pertinent, hunc affert Gudius p. 133. n. 4. quem ego adhuc extantem deſcripſi nuper in oppido Montis Herculis prope Beneventum in hæc verba.

L. SCRIBONIVS L. F. LIBO PATER
L. SCRIBONIVS L. F. LIBO FIL
PATRONEI TVRRIS EX D. D.

Vides jam tres ſimul Lucios Scribonios Libones, nam qui Pater prima linea eſt, Lucii quoque filius ipſe dicitur: Nolim igitur, niſi leviſſimæ conjecturæ loco haberi, quæ affert D. De Mautour de L. Scribonio Libone illo, quem Bello Civili Pompeii partes ſequutum conſtat, Conſulatumque cum M. Antonio an. v. 730. deinde iniiſſe: Tutius namque fuerit antiquiorem adiiſſe ætatem, Libonumque aliquem, qui florente adhuc Rep. extitit, perſcrutari, id enim ipſum Puteal, idque numus, inſcriptuſque Puteali titulus indicare videntur.

At demum Dei Boneventi effigiem, eo capite in poſteriori numi parte effiſto, D. De Mautour certam oſtendit, eumque ideo in numo expreſſum notat, quod illius opem cauſarum Patroni, aut litigatores ſibi præſentem flagitare ſolerent, cum in Puteali jus ſibi a Prætore reddendum expectarent; ſive etiam, quod Libo ille peculiarem eidem Deo cultum præ aliis exhiberet, aut demum inter privatos Scriboniæ Gentis Deos *Boneventus* accenſeretur. Hæc tamen omnia non ita facile probari poſſe video: nihil enim in eo numo de Deo Bonevento, cujus veram, uti repræſentari ſoleret, effigiem ex Plinio jam didicimus, quam fruſtra in eo numo nunc quærimus: nam caput illud [quod in anteriori parte ſupra frontem latior faſcia diademadis inſtar circumdat, quæ tamen cum ſupra aures perveniat infra cæſariem mox ſe abſcondit] non Deum Boneventum, ſed potius ipſum Libonem refert: quod clare indicat illud LIBO, quod ex ipſa poſteriori parte eodem capiti inſculptum adjacet: quid vero, inquis, illud BONEVENT. quod ad faciem inſcribitur? Non aliam eo vocabulo, quam ſolennem illam fauſtæ precationis formulam contineri dicendum eſt, de qua plura ſuperius obſervavi: eademque uſus Libo ſua vota expreſſit, ut quod opus jam extruxerat, *Bene eveniret*, idque iterum in marmoreo Titulo Operi affixo inſcriptum voluit, non in *Bonum Eventum* dumtaxat, verum etiam in *Concordiam Pietatemque* Populi Romani opus ab ſe extructum ceſſurum auſpicatus.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM
De variis diverſo tempore Romanorum Coloniis Beneventum deductis.

BENEVENTUM primum deductam a Romanis Coloniam conſtat P. Sempronio, & Appio Claudio Cos. A. V. 486. Hanc deductionem referunt Vellejus, Polybius, ac Livius epit 15. Quominus tamen prima iſthæc Coloniæ deductio a Romanis Beneventum facta ſtatui poſſe videatur, verba efficiunt Samniticæ legationis ad Hannibalem: *Per centum prope annos* (inquiunt Samnites legati apud Liv. l. 23.) *Bellum cum Populo Romano geſſimus nullo externo adjuti neque duce, neque exercitu, niſi quod Pyrrhus per biennium noſtro magis milite ſuas auxit vires, quam ſuis viribus nos defendit*. Legationem hanc An. U. C. 540. accidiſſe conſtat, cum eo anno M. Claudius Marcellus Cos. apud Nolam contra Hannibalem feliciter pugnaſſet; Bellum autem Samniticum M. Valerio Corvino III., & A. Cornelio Coſſo Cos. anno nempe 411. cæptum conſtat ex eodem Liv. l. 7.; quæ cum ita ſint, verumne putabimus anno 486. dum ſcilicet illud centum annorum ſpatium efflueret, quo aſſidue Bellum Romanos inter, ac Samnites exarſiſſe ex ipſo Samnitium Legatorum ore mox audivimus, id fieri potuiſſe, ut florentiſſima Samnitium Urbs Maleventum, in media Samnii Regione locata vel ad Romanas partes defecerit, vel ita Romanorum armis ſubacta fuerit, ut vel invita deductos ab Roma Colonos in ſuos lares exciperet, propriiſque agris, opibuſque locupletaret. Sed ſi illum unius ſæculi Bellum non rei veritati, ſed legatorum jactantiæ tribuamus, jam certe de deductæ Coloniæ tempore, atque anno nulla ſupererit dubitatio: ipſum enim Samniticum Bellum vix illius, quod legati jactabant ſæculi dimidium tetigit: ita Eutropius l. 2. *P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus ambo Cos. contra Samnites miſſi ingentibus præliis eos confecere: tum Bellum cum Samnitibus per annos novem, & quadraginta actum ſuſtulerunt; neque ullus hoſtis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit*. Eo temporis intervallo re vera de Imperio orbis terrarum paribus armis decertatum fuit, una Samnitibus ſuperſtite virtutis fama, quod victos Romanos ſub jugum miſiſſe ſatis habuiſſent; ſed dein violato ab Romanis fœdere, quæ ſecuta fuerunt bella, adverſa plerumque Samnitium fortuna geſta ſunt, itaut fractis illorum viribus, facile Romanis fuerit in ſubactam Samnii partem Colonos mittere, atque ita eorum, qui anno 486. Beneventum Coloniam deductam ſcripſere, Veterum Auctorum optima fides conſtare jam debet.

Eam autem Coloniam non ſine conſilio Romanos deduxiſſe putandum eſt, dum vera ſunt illa Ciceronis (a). *Hoc in genere, ſicut in ceteris Reipubl. partibus, eſt operæ pretium diligentiam Majorum recordari, qui Colonias ſic idoneis in locis contra ſuſpicionem periculi collocaſſent, ut non Oppida Italiæ, ſed propugnacula Imperii eſſe viderentur*. Hinc ſicuti id. Cicero (b) Narbonem Marcium Coloniam Civium Romanorum, ſpeculum P. R. & propugnaculum Gallis oppoſitum, atque objectum affirmat, Tacitus etiam (c) Cremonam refert propugnaculum adverſus eoſdem Gallos trans Padum agentes, ſi qua alia vis per Alpes irrueret, Coloniam conſtitutam, ita Romani Beneventum Colonia deducta, id maxime egerunt, ut ipſam Samnitium Urbem ad ipſos Samnites, ſi quando hoſtilia ſumſiſſent arma, prompte coercendos paratam, atque inſtructam haberent.

Libeat nunc mihi, quod & locus opportune poſtulat, & inſtituti jure factum a me erit, earum meminiſſe rerum, quas poſt priorem hanc Coloniæ deductionem a Beneventanis Colonis in gratiam ſubſidiumque Romanæ Reipublicæ præclare geſtas veterum ſcriptis commendatas invenerim. Primum itaque conſtat, quarto & quadrageſimo poſt Colonos deductos anno illuſtrem ſatis erga Romanos grati, obſequentiſque animi ſignificationem Beneventanam dediſſe Coloniam. Cum enim Romani milites ab immani illo prælio, quod Tiberio Graccho duce cum Pœnis ad Calorem fluvium prope Beneventi mœnia feliciter commiſerant, victores reverterentur, ſumma lætitia, ac gratulatione, conviviiſque magnifice, atque opipare inſtructis a Beneventanis fuerunt excepti; rem jucundiſſimam pari elegantia narrat Livius l. 24. *Signum* (inquit) *deinde Gracchus colligendi vaſa dedit, militeſque prædam portantes agenteſque per laſciviam ac jocum ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis celebrem feſtumque diem actis, non ex acie reverti viderentur; Beneventani omnes effuſa turba cum obviam ad portas exiſſent, complecti milites,*

(a) In Agrar. c. 27. (b) Pro Fontejo c. 1. (c) Hiſt. 3. 34.

Digitized by Google

milites, gratulari, vocare in hoſpitium: Apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant, ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus, & Gracchus ita permiſit, in publico epularentur omnes: ante ſuas quibuſque fores prolata omnia; pileati, aut lana alba velatis capitibus Volones epulati ſunt, alii accubantes, alii ſtantes (Gracchus enim hanc mulctam iis, qui ſegniores in pugna fuerunt, indixit, ut deinde ſtantes ſemper epularentur), *qui ſimul miniſtrabant, veſcebanturque. Digna res viſa, ut ſimulacrum ejus diei Gracchus, poſtquam Romam redjit, pingi juberet in æde Libertatis, quam Pater ejus in Aventino ex mulctaticia pecunia faciendam curavit, dedicavitque*: Cum igitur ejus rei memoriam Gracchus publico, perpetuoque monumento conſignaverit, Liviuſque quod pluribus celebraret verbis dignam putaverit, ſumma equidem Beneventanæ Urbis laus erit, ut quæ florente Samnitium Rep. diuturnioribus, acrioribuſque armis una fuerit, quæ tamdiu Romanis imperium Orbis retardaverit, in eorum tandem genus imperiumque, deductis Colonis, adſcita, fide, ac liberalitate Colonias omnes Romanas ſuperaverit.

At ne quis putet, ea re Beneventanos Romanorum, qui ex eo prælio victores revertebantur, felicitati fuiſſe blanditos; (ſatius enim fuerat ſpontaneæ liberalitatis gratiam ab victore exercitu ultro promereri, quam illius, ut ſæpe contigit, inſolentiæ debitum tribuere) id etiam paulo poſt eveniſſe conſtat, quod non ſolum eo tunc Beneventanorum erga Romanos integram, atque ex animo benevolentiam fuiſſe oſtendit, verum etiam ſummam in dubiis Reip. rebus obſequii conſtantiam omnino declarat. Etenim quinquennio poſt Q. Fabio Max. v. & Q. Fulvio Coſs. an. U. 545. Beneventana Colonia una ex illis recenſetur, quæ reparatis adverſus Hannibalem Romanorum viribus, in extremo Reip. diſcrimine, aliis Coloniis detrectantibus, ipſa auxilium, opeſque perlibenter conferens, fidem ſuam, ac virtutem magnopere comprobavit. Rem magnifice celebrat idem Livius l. 27. quem proinde audire non pigebit: *Triginta hinc Coloniæ P. R. erant, ex eis duodecim, cum omnium legationes Romæ eſſent, negaverunt Conſulibus eſſe, unde milites, pecuniamque darent..... Pro duodeviginti Coloniis M. Sextilius Fregellanus reſpondit, & milites ex formula paratos eſſe, & ſi plus opus eſſet, plura daturos, & quicquid aliud imperaret, velletque Populus Romanus enixe facturos, ad id ſibi neque opes deeſſe, animum etiam ſupereſſe; Conſules ſibi parum videri præfati pro merito eorum ſua voce collaudari, eos, niſi univerſi Patres in Curia gratias egiſſent, ſequi in Senatum eos juſſerunt; Senatus quam poterat honoratiſſimo decreto allocutus eos, mandat Conſulibus, ut ad Populum quoque eos producerent, & inter multa alia præclara, quæ ipſis majoribuſque ſuis præſtitiſſent, recens etiam meritum eorum in Remp. commemorarent: Ne nunc quidem poſt tot ſæcula ſileantur, fraudenturque laude ſua, Signini fuere, & Nolani, & Norbani, Satriculanique, & Brunduſini, & Fregellani, Lucerini, & Venuſini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenſes, & ab altero mari Pontiani, & Peſtani, & Caſſani, & Mediterranei* BENEVENTANI, *& Æſernini, & Spoletani, & Cremonenſes, & Placentini: Harum Coloniarum ſubſidio tum Imperium Populi Romani ſtetit.*

Atque hæc quidem vigente hac primæ Beneventanæ Coloniæ deductione memoranda mihi fuere, ut quæ ejus in Principem Remp. merita, quæ etiam fuerit dignitas, atque rerum omnium tum civilium, tum militarium florentiſſimus ſtatus, veterum teſtimonio probatum haberemus: non itaque mirum, ſi ad ipſius principis Urbis inſtar, Natalem diem, quo primum deducta fuit, undeque magnitudinem, quo pervenerat, ſuam fauſto tum etiam novi nominis omine auſpicata fuit, memorandum ſibi habere, magnificeque celebrare conſueverit. Natales Urbium dies celebrandi morem ſervavit antiquitas; ad extrema uſque Imperii tempora tum Romæ, tum Conſtantinopoli id obtinuiſſe manifeſtum eſt ex Valentiniani lege, data an. Chr. 389. (*a*) De Coloniis vero inſignis eſt Ciceronis de Brunduſina Colonia locus (*b*), quem heic recitari lubet: *Brunduſium veni nonis Sext.; ibi mihi Tulliola mea fuit præſto natali ſuo ipſo die, qui caſu idem Natalis erat Brunduſinæ Coloniæ, & tuæ vicinæ ſalutis; quæ res animadverſa a multitudine ſumma Brunduſinorum gratulatione celebrata eſt.* Sed quod Beneventanam Coloniam attinet, ſolennem pariter Natalis ſui diem ab ea fuiſſe habitum locuples teſtis eſt antiquus noſter lapis

ATTINI

(*a*) L. 2. Cod. Theod. de Feriis, quam dederunt Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Timaſio, & Promoto Coſ. Statutis enim ferialibus aliis diebus, *bis* (inquiunt) *adjicimus natalitios dies Urbium maximarum Romæ, atque Conſtantinopolis.*

(*b*) Ad Attic. IV. 1. & iterum Orat. pro Sext. c. 63.

Digitized by Google

ATTINI SACR. ET MINER
VAE PARACENTIAE
L. SONTIVS PANCIVS IVSTI
NUS EQ. ROMANVS PRINCI
PALIS DVVMVIR ET MVNERA
RIVS NATALIS COLONIAE &c.

Integrum lapidem habebis tum in Diſſertatione De Rebus ſacris, tum in Appendice: quæ huc pertinent verba retuliſſe ſatis fuit, ex quibus diſcimus non modo Natalis memoriam a Beneventana Colonia quotannis celebratam, verum etiam eum diem (de quo tamen nondum mihi conſtat) gladiatoriis ludis fuiſſe inſignem; id enim L. Sontius expreſſe commemorat, dum ſummi honoris cauſa *Munerarii* titulum ſibi tribuit; at cur ad primam de qua hactenus egimus, Beneventanæ Coloniæ deductionem, Natalis hujus celebrationem referendam putaverim, dum alias ſcimus ſequenti Ævo Colonorum deductiones Beneventum factas, quas potius reſpexiſſe videtur lapis poſteriorem & ipſe ætatem præferens: Verum haud temere feciſſe mihi videor, dum verum illud ſit Ciceronis *negantis in eam Coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, Coloniam novam jure deduci* (a): quod tamen non ita erit intelligendum, ut cum Colonia aliqua ſemel deducta eſſet, nefas deinceps fuerit novos in eam Colonos deduci, quos in veteres Colonias deductos jam conſtat; ſed in novis hiſce Colonorum deductionibus non eos ritus, ceremoniaſque ex inſtituto iterari fas erat, quæ, cum primum deducenda fuit Colonia, adhibitæ pro more fuerunt; ut proinde, novis Colonis deductis, ſtare adhuc vetus Colonia videbatur, cujus exordia, variantibus licet Colonis, communem omnibus Colonici Juris poſſeſſionem pepererant: Hinc Natalem Beneventanæ Coloniæ eum eſſe ajo, quem cum primum A. U. 486. deducta fuerit, etiam poſt ſequutas alias deductiones, celebratum in noſtro lapide habemus.

Sed quamdiu hæc prior Beneventana Colonia ſteterit, & quo demum auctore, quave de cauſa novos Colonos acceperit, modo erit inquirendum: Itaque Beneventanam Coloniam cum ipſa Rom. Rep. ſtetiſſe, atque ea labente ipſam pariter labefactatam conſtat, eodemque Cæſare auctore veterem utriuſque ſtatum mutatum. Novum id pleriſque fortaſſe videri poteſt, poſtea quam V. C. Alex. Mazochio ſemel placuerit inter Syllanas Colonias Beneventum adnumerare; ſi enim Viro perſpicaciſſimo id conceſſerimus, jam ſecunda Beneventanæ Coloniæ deductio haudquaquam Cæſari (ut a me ſtatutum fuit) ſed Syllæ videtur tribuenda, itaut quæ a Cæſare poſtea facta fuerit, tertium in locum ſit rejicienda: At, quid hac in re habeat Mazochius, jam inſpiciamus: Is itaque in præclaro ad mutilum Amphyteatri Campani titulum Commentario *Felicis* illud, quod inter alia Capuanæ Coloniæ cognomen fuit *a Sylla Felice*, qui eam deduxit, derivatum affirmans, dum Sigonium errantem pene increpat, quod (b) aliis Syllæ actis reſciſſis, hanc etiam Capuanæ Coloniæ Syllanam deductionem labefactatam fuiſſe veriſimile ſcripſerit, eo quoque devenit, ut Colonias omnes, quæ *Felices* quondam appellatæ fuiſſent, ab eodem Sylla deductas ſtatueret: Inter illas itaque Beneventanam Coloniam præcipue recenſet, propterea quod non ſolum *Felicis* cognomen habuerit, *verum etiam* (inquit) *quod, cum Samnites olim acerrime contra Syllam ſtetiſſent, veriſimile ſit Beneventanos agris fuiſſe mulctatos, adſcriptamque eo Coloniam.*

Revera erravit Sigonius: nam præter Capuanæ Coloniæ deductionem, quam manſiſſe ſatis conſtat, cætera etiam Syllæ acta poſt ejus obitum rata a Senatu fuiſſe habita optime oſtendit Ciceronis, qui Mazochium fugerat, locus in Verrina 5. ubi hæc de Sylla: *Unus adhuc fuit poſt Romam conditam (Dii immortales faxint ne ſit alter) cui Reſp. totam ſe tradidit temporibus coacta, & malis domeſticis .... ejus omnes res geſtas non ſolum obtinemus, verum etiam propter majorum incommodorum, & calamitatum metum publica auctoritate defendimus*: Bene itaque ad ſuam rem Mazochius, cujus ſententiam ex allato Ciceronis loco contutati etiam ſumus; male tamen is, cum de Beneventana Colonia obiter agere inſtituens, ſive ex *Felicis* cognomine, ſive ex Syllæ in Samnites odio, eam aliquando ab Sylla deductam affirmavit.

Utque a poſtremo ordiar, deceptus fortaſſe Mazochius fuit, ut, cum Samnites perpetuos Syllæ adverſarios fuiſſe invenerit, quos proinde ille ingentibus præliis ad internicionem pene

(a) Philip. 11. 40. (b) De antiq. Jur. Ital. cap. 4.

Digitized by Google

pene cum ipſo nomine tandem delevit, Beneventum præcipuam Samnitium Urbem in victoris Syllæ, atque exinde in Syllanorum Colonorum poteſtatem redactam crediderit; At e contra nihil verius, quam Beneventanam Urbem inter cognatas Samnii Urbes haud communis, quod ſua Gens fovebat in Syllam, odii partes aliquas unquam ſuſcepiſſe, quinimo nihil habuiſſe tam antiquius, quam, ut ſuo bono felicitatique conſuleret, Syllæ amiciſſimam, obſequentiſſimamque ſe præſtare.

Atque id quidem promptum mihi eſſet ex hoc lapide, quem olim Caudii extantem MSS. ſchedæ teſtantur,

L. SYLLA CON.
FAVSTA
BENEVENTVM
FELIX

ubi ſi prima linea priorem Syllæ conſulatum, ut lapis ipſe poſtulat, ſtatuamus, jam longe ante Beneventum *Felix* dici cæpit, quam ejuſmodi cognomine Sylla donatus fuerit: ſed cum vehemens mihi commentitii lapidis ſuſpicio ſubeat, in quo, præter alia, inſuetum illud CON. occurrit, tum Syllæ ævo, tum ejuſdem numo apud Spanhemium p. 544. ubi rectiſſime legitur SVLLA cos; nefas mihi duxi, dubiæ ſaltem fidei lapide ad rem confirmandam uti, quam præclariora nobis monumenta ſatis certam efficere queant.

Summam itaque Beneventanorum fuiſſe cum Sylla amicitiam luculenter teſtatur Cicero (*a*) cujus verba referre præſtat: *Ipſe Sulla, cui adventus ipſius* (Verris) *gratiſſimus eſſe debuit, ab ſe hominem, atque ab exercitu ſuo removit: Beneventi eſſe juſſit apud eos, quos ſuis partibus amiciſſimos eſſe intelligebat; ei poſtea præmia tamen liberaliter tribuit: bona quædam proſcriptorum in agro Beneventano diripienda conceſſit: habuit honorem, ut proditori, non ut amico fidem*: quæ poſtrema verba turbare nil debent, cum non civium bona ea fuiſſe cenſenda ſint, ſed aliorum fortaſſe, qui in agro Beneventano eorum poſſeſſionem aliquando nacti fuerant, itaut, ipſis proſcriptis, promptum fuerit Syllæ, nullo Beneventanorum damno, aut injuria ex exterorum ſpoliis Verrem locupletare; tantum enim abeſt, ut adverſi quicquam civibus evenerit, ut potius inter eos (ut ait Cicero) *ſibi amiciſſimos*, quorum propterea fides maxime perſpecta ſibi erat, tutus fuerit Sylla, ne detrimenti aliquid Verres contra eum moliri auderet. Ciceronis teſtimonium confirmat Strabo, qui poſt immanes illas adverſus Samnites, illorumque loca, quas Sylla exercuit crudelitates ſuperius memoratas, *tamen Beneventum, & Venuſiam feliciter conſtitiſſe tradit*. Cum igitur, Cicerone teſte, Beneventum Syllæ partibus amiciſſima Urbs eſſet, eaque ex Strabonis fide in Samnio univerſo, quod jam Syllæ furor vaſtaverat, ſola cum Venuſia feliciter conſiſteret, rectene, veriſimiliterque putare quis poſſit deductam eo a Sylla Coloniam, qui non amicorum, fœderatorumque, ſed hoſtium loca militibus poſſidenda diſtribuit? nam, ut ipſe fatetur Mazochius: *Cum eſſet acerrimus ſuorum hoſtium inſectator, pleraſque civitates, quæ contra ſe arma ſumpſerant, proque inimicis ſuis ſteterant, agro multavit, quem ſuis militibus diviſit, quos in eos Colonos adſcripſit*.

Quid igitur, inquies, cauſæ fuerit, ut inter alia cognomina *Felix* quoque Beneventana Colonia nuncupata fuerit? Facile ex hoc noſtro lapide didiciſſe erit, qui literis Auguſteo Ævo digniſſimis hodiedum in atrio Beneventani Auguſtei extat

BENEVENTVM FELIX
M. FLAVIVS MARCELLVS
RVTILIVS
PRO HONORE IIVIRATVS
L. D. D. D

Hoc enim Duumviro ejuſmodi Magiſtratus honorem adepto, Beneventum Felix nuncupatur, quod profecto non ad ipſum M. Flavium referri debet, qui nonniſi per ſummam arrogantiam futuram Urbi ex ſui muneris adminiſtratione felicitatem deprædicaſſet, ſed ei potius felicitati tribuendum eſt, qua undequaque Beneventana Urbs frueretur, aut quam pro communi hominum voto proprio ſibi cognomine affectabat: atque hæc quidem vera videri debet ratio, atque

(*a*) In Verrina III. ſeu in Verr. l. I. c. 15.

Digitized by Google

que cauſa, cur tam ſæpe *Felix* Beneventum, ſæpiſſime etiam *Felices* tot Urbes, Coloniæque cognominentur. Nunquam vero illud veriſimile, ut Colonias pleraſque ideo Felices appellatas credamus, quod eas aliquando Sylla deduxerit; etenim ſi ſolas ſex, quæ felices appellarentur, Colonias inveniſſe Mazochius fatetur, nempe *Capuam*, *Nolam*, *Beneventum*, *Sueſſam*, *Lucoferium*, *Piſaurum*, de reliquis ſane pluribus, quas Sylla deduxit, quid actum dicemus? Et ſane pleraſque is Coſ. I. deduxit, ut ex Livii Epit. 77. manifeſtum eſt, quem autem deinde novarum Syllanarum Coloniarum numerum in poſteriori deductione fuiſſe putabimus, tum, cum ſeptem & quadraginta legionibus agri ab Sylla diviſi tradantur in *Epit.* 89. ſi, quemadmodum refert Appianus, non minus duodeviginti Coloniis opus fuerit ſequenti ævo, ut duodetriginta tantum legiones in Triumviratu deduci poſſent; cum igitur in tam ingenti Syllanarum Coloniarum numero ſolæ ſex *Felices* appellatæ fuerint, (neque enim reliquarum ſane plurium monumenta omnia perire facile poterant) certum inde ſequitur, quod cum hæ reliquæ omnes ab eodem licet Sylla deductæ, haud tamen *Felices* fuerint nuncupatæ, nec profecto illæ ſex in eo aſſumto cognomine Syllam auctorem reſpexerint. Quid, quod ab illis ſex Beneventum demi debet, quam nunquam deductam ab Sylla Coloniam aliis argumentis jam ſuperius probavi. Quid, quod præter ſex illas aliæ etiam *Felicis* cognomine illuſtres fuere Coloniæ, quæ Mazochii diligentiam effugerunt? Itaque Berytus Pheniciæ Urbs, Juriſprudentiæ poſtmodum ſtudiis Juſtiniani ævo celebris *Felicis* olim Cognomine gaudebat, quod tum ex Plinio diſcimus, qui l. v. c. 20. *Berytus* (inquit) *Colonia, quæ Felix Julia appellatur*, tum etiam vetera Gordiani, & Elagabali numiſmata docent apud Card. Noriſ. (*a*) ubi hæc epigraphes legitur: *Col. Jul. Aug. Fel. Ber.* Alias vero ſuppeditat Spanhemius (*b*), apud quem ex antiquis nummis hæ nobis occurrunt: *Felix Jadera*: *Octaviola Felix*: *Felix Ravenna*: item: *Col. Aur. Kar. Komm. P. F.* ideſt *Colonia Aurelia Carrenorum Commagena Pia Felix*: Sic etiam: *Felix Karthago*: *Dacia Felix*: Cui reſpondet lapis Trajani apud Gruter. p. 294. 4. *Cujus virtute Dacia Imperio addita Felix eſt*: quibus addi poteſt Olyſſipo, quæ poſteaquam a Romanis reſtituta fuit, *Felicitas Julia* nuncupari cœpit, ut eſt apud eumdem Plin. IV. 22., & ſexcenta ejuſmodi, quæ ex vaſtiſſimis Antiquitatis latebris, ſi paulo diligentius per otium perſcrutari liceret, prodire cerneremus, ut proinde non ex exiguo Coloniarum numero, quæ *Felices* audiebant, ullum Viro doctiſſimo argumentum ſuperſit, ut illas ad Syllam auctorem referre poſſit, ſed ex uberrima tot *Felicium* Coloniarum, quas indicavimus, meſſe, ubi nihil juris ſibi Sylla unquam vindicaverit, id demum ſtatui certo poſſit, nonniſi ad propriam notandam felicitatem ejuſmodi Cognomen adhiberi conſueſſe (*c*).

Rejecta igitur Beneventanæ Coloniæ Syllana deductione, eaque de medio jam ſublata, certiſ-

(*a*) Cenotaph. Piſan. Diſſert. I. cap. 2.

(*b*) De Præſt. Numiſm. Diſſ. VIII. p. 727.

(*c*) Atque hæc quidem jam ſcripſeram, quum Marmora Piſaurenſia fuerunt ad me allata, quorum collectionem, editionemque nuper curavit V. Cl. Eques Oliverius brevibus, ſed egregiis adjectis notis: Itaque Eques eruditus in nota XLIII., ubi Colonorum deductiones Piſaurum factas enumerare inſtituit, jam ex Juliæ Felicis cognomine, quo Piſaurenſem Coloniam inſignitam mox diximus, Mazochii conjecturas paſſis ulnis ſuſcipiens, poſtquam ejus locum ex Camp. Amphit. c. I. §. 3. integrum recitaſſet: *Huc uſque* (inquit) *Vir Clariſſimus, cujus ita mihi arridet de Sullana deductione opinio, ut ab ea ne latum quidem unguem diſcedere mihi fas eſſe cenſeam*: atque hæc quum ego legiſſem hæſi animo, jamque ego cauſsâ cecidiſſe mihi videbar, contra quem IIViri magni nominis unanimi judicio conſpirabant; at quum omnia [ne ſola auctoritate perterrefactus concederem] iterum prependiſſem, ab Oliverii quoque ſententia diſcedere fas mihi duxi; etenim novi nihil ab eo allatum, quam quod Mazochius tradidiſſet; niſi quod, quum Mazochius ex certis monumentis Colonos a Sylla Capuam deductos nactus, exinde *Felicis* cognomen ei Coloniæ factum conjectaſſet, ut idem ex eadem cauſa cognomen ſuo Piſauro Oliverius comprobaret, id maxime egit, ut Syllanam deductionem, quam nulla monumenta teſtabantur, vel ex loci opportunitate, vel quòd Piſaurenſes Catilinæ partes foviſſent, omnino veriſimilem probaret. At licet id Viro docto permittamus, ut Piſaurum Coloniam Sylla deduxerit, non illud tamen neceſſarium conſequitur, ut ea de cauſsâ Felix illa dicta fuerit, ut multis rationibus contra Mazochium probavimus, quibus adhuc hæ addi poſſunt: nam nonniſi cum ipſo Principatu mos ille cœpit, Colonias ab Deductoris nomine appellandi, ex eoque dumtaxat ævo factum fuit, ut primum Coloniæ *Juliæ*, *Auguſtæ* &c. audirentur; non igitur antea, nullo exemplo præeunte, poterat id in Syllæ mentem veniſſe, ut quas is deduxiſſet Colonias, ſuo *Felicis* Cognomine appellandas voluerit: minus etiam veriſimile illud, ſua ſponte Syllanas Colonias ejuſmodi Cognomen aſſumſiſſe, vel aſſumtum poſt Syllæ obitum, aut ſaltem poſt novas deductiones Juliam ſcilicet, & Auguſtam [quod etiam iis Principibus injurioſum] adhuc ſervaſſe, extinctis tum maxime Syllanis Coloniis, noviſque per eos Principes deductis, qui non Sullæ, ſed utriuſque Cæſaris beneficium agnoſcebant. Atque ex his manifeſta patet cauſa, cur deinceps Coloniæ *Felices* dici cœpiſſent, quod nempe eoſdem Conditores ſimul, & Principes haberent, quibus non modo *Juliæ*, *Auguſtæve* accepto nomine, verum etiam *Felicis* adjuncto Cognomine blandiri ſtuderent.

Digitized by Google

certiſſimum illud ſtatuiſſe jam licet, primam Beneventanæ Coloniæ deductionem, quam P. Sempronio, & Ap. Claudio Coſ. a. v. 486. factam ſuperius probavimus, ad tempus uſque C. Julii Cæſaris ſtetiſſe, a quo iterum Beneventum deductam Coloniam præclare ſatis videtur oſtendere ipſum JULIÆ cognomen, quo inter alia Beneventana Colonia in noſtris antiquis lapidibus paſſim legitur appellata. Et quidem horum dumtaxat monumentorum beneficio ſecundæ hujuſce deductionis ſervata nobis memoria eſt, quæ aliis omnibus Scriptoribus, monumentiſque ſilentibus jam jam periiſſet. Scio tamen non unam eſſe eruditorum ſententiam, quorum alii Colonias eo Cognomine inſignes ad ipſum C. Julium auctorem referendas omnino velint, alii vero Octaviano Auguſto malint attribuendas (*a*). Quum enim Is teſtamento Cæſaris adoptatus in illius familiam tranſierit, ex C. Julii Cæſaris Octaviani, quod exinde aſſumſit, nomine factum eſt, ut Coloniæ ab eo deductæ nomen idem, quo is ad illud ſuæ dignitatis faſtigium pervenerat, ipſæ quoque ad ejus captandam gratiam, propriamque dignitatem oſtentandam ſibi aſſumſerint. Hinc Plin. l. 5. c. 1. *Colonia Auguſti Julia Conſtantia*: & ſtatim: *Alia Auguſti Colonia eſt Baba Julia Campeſtris appellata*: atque hinc poſtea factum videri debet, ut pleræque Coloniæ *Juliæ Paternæ* nuncuparentur, quòd ſcilicet ab Julio Patre deductæ ab illis diverſæ dignoſcerentur, quæ ſolo *Juliarum* cognomine illuſtres Auguſtum deductorem oſtendebant. At mihi ſemper placuit Sigonii de hac re judicium (*b*), videlicet, eas quoque Colonias, quarum tempora, & auctores nulla veterum monumenta produnt, dum Julias appellatas conſtat, id ſatis eſſe, ut ad auctorem Cæſarem recte referamus, quod maxime de Beneventana Colonia affirmandum eſt, quæ non Juliæ ſolum, ſed Auguſtæ quoque cognomen habuit, adeo ut ex eo duplici cognomine binæ deductiones inter ſe diverſæ ſtatuendæ ſint, quibus utrique Cæſari, Julio ſcilicet, & Auguſto ſua indubiè jam ſtet diverſa deductio.

Probata itaque nova Beneventanæ Coloniæ deductione a Cæſare facta (nam de Auguſto deinceps), de illius tempore, atque occaſione modo videtur quærendum. Plures a Cæſare factas Coloniarum deductiones conſtat; nam poſt priorem illam, qua is in primo Conſulatu non ſine maxima Senatus, Collegæque Bibuli in caſſum adverſantium contentione, Stellatem, Campanumque agrum ingenti Plebejorum Colonorum deducto numero diſtribuit, poſteriorem alteram perfecit tum, quum domeſticis, externiſque hoſtibus ſuperatis, quiniſque actis jam triumphis, Veteranis ſuis dilargitus eſt præmia: *Veteranis* (inquit Sveton. c. 36.) *legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos ſuper bina HS, in Equites vicena quaterna millia nummum dedit; aſſignavit & agros, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur*: Sed quamvis Cæſar in ea agrorum aſſignatione poſſeſſorum gratiam tenens militum aviditati haud ſatis fecerit, ingentem tamen fuiſſe tunc Veteranorum in Colonias deductorum numerum ex eo jam patet, quod Octavianus poſt majoris Avunculi cædem (ut habet Epit. Liv. 117.) ſibi, & Reip. vires contra Antonium paraturus Veteranos ipſos in Coloniis conſiſtentes præcipuo, maximoque ſibi robori futuros ſtatim evocaverit. Poſtremam tandem Coloniarum deductionem in tranſmarinas regiones a Cæſare factam refert quoque Sveton. c. 42. *Octoginta* (ait) *civium millibus in tranſmarinas Colonias diſtributis, ut exhauſtæ quoque Urbis frequentia* (*c*) *ſuppeteret, ſanxit, ne quis*

(*a*) Card. Noriſ. Cenot. Piſ. Diſs. 1. c. 2.

(*b*) De Antiq. Jur. Ital. lib. 3. c. 4.

(*c*) Præter hanc poſtremam Colonorum deductionem nonnullæ ac diuturnæ ſatis fuerunt cauſæ, ut infrequentior in dies Urbs effecta prope ad ſolitudinem redigeretur: *Duo enim bella funeſtiſſima* [inquit Oroſius l. v. c. 22. qui hæc fere ex Eutropio l. 5. excepit] *ſociale Italicum, & Syllanum civile per annos decem tracta pluſquam centum quinquaginta millia Romanorum conſumſerunt, tantumque lectiſſimorum virorum, vernaculorumque militum hoc civili bello Roma perdidit, quantum in ea ſuperiori tempore, cum ſe jam adverſus Alexandrum magnum circumſpiceret, indiſcretis ætatibus cenſus invenit; præterea viros Conſulares 24. Prætorios 6. Ædilitios 60. Senatores fere cc. abſque innumeris totius Italiæ populis, qui paſſim ſine conſideratione deleti ſunt*. Sed hæc adhuc pauca reputabimus, ſi ſubſequens civile alterum bellum a Cæſare conflatum inſpiciatur, cui etiam Cæſari, quaſi id parum eſſet, conſtans ſemper mens fuit ſuperſtitem civium numerum adhuc diminuere, quod tandem aſſiduis Coloniarum deductionibus ita perfecit, ut non minorem, quam qui anteactis bellis amiſſus fuit, civium numerum novâ eâ cauſâ defuiſſe liqueat. Enimvero in ſolum Campanum, Stellatemque agrum, quem prima lege agraria xx millibus, qui ternos, pluresve liberos haberent diſtribuit, ſi ultra præfatum Colonorum numerum liberi ipſi, uxoreſque computentur, centum & amplius millia tunc deducta invenientur. His deinde addendi ſunt Veterani, quorum ingentem quoque numerum in poſteriori deductione Cæſar conſcripſit. Acceditque demum poſtrema illa octoginta millium in tranſmarinas regiones deductio: adeout his de cauſſis eò jam Urbis infrequentia devenerit, ut non longo temporis intervallo vix tertiam ſuorum civium partem ſuperſtitem contineret. Et quidem facile deminuti numeri rationem inire poterimus, ſi ipſum recenſum a Cæſare actum cum anteriore conferamus, in quo, quum an. U. 682. ex Epit. Livii 98. CCCCL. civium millia cenſa fuiſſent, a Cæſare vero, ut traditur in Epit. 115. CL. millia in ſuo

Digitized by Google

quis civis major annis 20. *minorve* 10, *qui Sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset*.

Ad rem quod attinet, ex tribus his Coloniarum deductionibus a Cæsare factis, si priorem, ac postremam excipias, quarum alteram ad solam Capuam, alteram vero ad transmarinas Colonias pertinere jam constat, supereſt, ut in secunda deductione, qua solis veteranis agri assignati sunt, Beneventum Coloni a Cæsare adscripti affirmentur, atque ex eo tempore Beneventana Colonia Juliæ cognomen adepta, in certum ejus rei argumentum semper retinuit.

Sed præter ipsum Juliæ cognomen, adest etiam aliquid aliud, quo hujusmodi Cæsarianæ deductionis certitudinem confirmare possim. Lapis est prope Cajetam, quem affert Manut. Ortogr. v. Ræti, & Gruter. p. 439. n. 8. in hæc verba:

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS . COS. IMP. ITER. VII VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX . RAETIS . AEDEM . SATVRNI
FECIT . DE . MANVBIIS . AGROS . DIVISIT . IN . ITALIA
BENEVENTI . IN . GALLIA . COLONIAS . DEDVXIT
LVGDVNVM . ET . RAVRICVM

In quo lapide, id quod ad propositam rem omnino pertinet, præfari mihi opus est, hunc nempe illum esse, cui lapis dedicatus fuit, Munatium Plancum, qui An. U. 712. Consulatum Tiberii nativitate insignem egit, vir tam muneribus, quam rebus gestis in Rep. clarus ante ipsius Augusti ævum, cujus nascentem potentiam Antonii partes secutus primum ita distulit, ut ipsius causſa Augustus pacem cum Antonio, & Lepido iniret, Triumviratumque constitueret, firmatam vero ita blanditus est, ut inter Augusti amicissimos locum obtineret; auctor quoque ipse, ut Augustus ita vocaretur, ut ex Svetonio discimus (*a*). Quo igitur præcise anno Beneventanorum agrorum divisio a Munatio facta fuerit, quamquam e lapide expresse non constet, recte tamen ex subsequutis aliis Coloniarum deductionibus, quas lapis ipse refert deprehendere licet. Lugdunum enim, & Rauricum Colonias in Gallia ab ipso Munatio, dum an. Urb. 711. qui ejus Consulatum præcessit, Proconsulatum Galliæ ageret, fuisse deductas ex Strab. l. 4. & Hieronymi Chronico docet Petavius (*b*), qui tamen in eo omnino fallitur quod, ut alibi notavi, recentiorem illam Coloniæ deductionem pro Lugdunensis Urbis initio accipiat. Quum itaque divisio Beneventani Agri, si rerum gestarum ordinem in lapide servatum sequamur, ante

suo recensu inventa fuerint, (quamquam CXXV. millia Plutarchus afferat), jam ad CCC. millia ad minus usque tunc defeciſſe constat. Recensum Cæsaris, Urbisque infrequentiam testatur quoque Dio l. 43. *Quoniam* [ait] *infrequens admodum Urbs erat, quod ex recensu, & ex ipso aspectu apparebat, iis, qui multos liberos haberent, præmia proposuit*. Ne vero lusisse Cæsarem, aut inconsulto se gessisse putemus, dum prius exhaurire Urbem admodum impatiens, eamdem postea frequentiorem reddere propositis præmiis, aliisque ea de re editis sanctionibus, æquè fuerit sollicitus: duplicem enim ex ea re utilitatem sibi consecuturam summo consilio considerabat; ita enim Plebs urbana diminuebatur, quæ, quum nimium in Rep. posset, ejusque vires potius Reip. damno valere solerent, tanquam Urbis *sentina*, ut appellatur a Cic. ad Att. l. 1. ep. 19. exhaurienda sæpe erat, exhaustaque a Cæsare eo libentius fuit, quo major sibi ex ea ob mutatum Reip. statum ad tumultum facile excitanda imminebat periculum. In locum autem ejusdem plebis [quæ altera erat utilitas] qui ad restituendam Urbi frequentiam succedebant novi homines nihil de antiqua Rep., quam ignorabant, curantes, melioremque sui conditionem Civitatis donatione Cæsari acceptam referentes, ad ipsius obsequium devinciebantur; ipse namque Cæsar, [ut prosequitur Svet. c. 42.] *omnes medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi Urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit*. Sed cum id totum e re sua esse Cæsar optime arbitraretur, publici etiam boni rationem aliquam iniisse fatendum est; nam quum Peregrini in Civitatem, Cives in Colonias deducerentur, quid aliud erat, quam totum ipsum Orbem efficere Romanum? Hinc verum illud Senecæ in Consol. ad Helviam matrem c. 7. *Populus Romanus quot Colonias in omnes Provincias misit? ubicumque vicit, Romanus habitat*: itaut non tantum unius principis Reip. dominatione, prolatisque undequaque Imperii finibus, verum etiam Romanorum habitatione, propagatoque in omnes terras genere Romanus Orbis appellari potuerit.

(*a*) Sveton. Aug. c. 7. *Postea C. Cæsaris, & deinde Augusti cognomen assumsit, alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia, quum, quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum Conditorem Urbis, prævaluisset, ut Augustus potius vocaretur non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecretur, augusta dicantur*.

(*b*) Rationar. Temp. p. 1. l. 4. c. 30.

Digitized by Google

deductas Lugdunum, & Rauricum Colonias, a Munatio facta ſit, proindeque ante ipſum annum Urbis 711., profecto ſequitur nedum prædictam diviſionem ad Auguſti Imperantis ævum non pertinere, qui non prius anno Urbis 726. Imperio (de quo abdicando ſimulate retulit) Senatus populique ſuffragio ſibi firmato, rerum potitus eſt; ſed neque etiam ad Triumviratus tempus referri poſſe: quippe qui, licet inter Scriptores non conveniat, an A. U. 712. atque ideo ante proſcriptionem, qua inter alios Cicero interfectus fuit, vel demum poſt eam, imo poſt Philippenſem pugnam, qua Brutus, & Caſſius victi ſunt, inſtitutus fuerit, ſemper tamen huic, de qua modo agimus agrorum diviſioni Beneventi factæ poſterior erit. Quod ſi Triumviralium Coloniarum deductiones non in Triumviratus initia, ſed in tempus longe jam progreſſum, ut par eſt, rejiciamus, nam pleræque etiam Coloniæ, ut tradidit Appianus (a), inſtante Triumviralis quinquennii fine deductæ demum fuerunt, jam certius conſtabit hanc Beneventanorum agrorum diviſionem nequaquam Triumvirali lege, cujus tempora præceſſit, atque eo minus Auguſti poſt Triumviratum imperantis juſſu Munatio mandatam; ut proinde ea ipſa fuiſſe omnino putanda ſit, quæ Julianæ deductionis tempori optime congruens Beneventanam Coloniam *Juliam* ab Julio Cæſare deductam jam ſatis demonſtrat.

Sequitur nunc tertia Beneventanæ Coloniæ deductio, quam brevi admodum temporis intervallo in Triumviratu eveniſſe teſtatur Appianus (b), qui poſtquam ingentia narraverit præmia, quæ militibus alliciendis Triumviri promiſiſſent, *Promiſſa* (ſubdit) *etiam ſunt eis Colonia* XVIII. *Italicarum Urbium tam opibus, quam agri bonitate, & ædificiorum pulchritudine præcellentium, quarum urbana, & ruſtica prædia non ſecus, quam bello capta dividerentur. Inter has eminebant Capua Rhegium, Venuſia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona; atque ita pulcherrima Italiæ pars militibus adſcripta eſt.* Harum deducendarum Coloniarum munus, curamque ſuſcepit Octavianus Cæſar, qui (ut refert Sveton. c. 13.) quum eoſdem Veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepiſſet, neque Veteranorum, neque poſſeſſorum gratiam tenuit, alteris pelli ſe, alteris non pro ſpe meritorum tractari querentibus. Hinc durior in hac, quam quæ in *Juliana* deductione tum Beneventanæ, tum cæterarum Coloniarum ſors fuit, quarum omnium damna, ærumnaſque, quæ non tam Imperatoris in milites indulgentia, quam effræni deductorum militum licentia conſecutæ ſunt, diſtincte recenſet Appianus.

Poſt hanc deductionem Triumvirali lege factam, dubium videri poteſt, num iterum Beneventanam Coloniam deduxerit Auguſtus, poſtquam rerum potitus ſit, ac proinde quartam ſtatuere liceat ſub Auguſto Beneventanæ Coloniæ deductionem. Id primo affirmat Sigonius (a), nam inter duodetriginta, quas præter duodeviginti triumvirales, ſequenti tempore Auguſtus Svetonio teſte deduxit, Beneventum recenſet innixus Frontini loco, cujus hæc ſunt verba: *Caudium muro ductum. Iter Populo debetur ped. L. A Cæſare Auguſto Coloniæ Beneventanæ cum Territorio ſuo eſt adjudicata.* Sed quod ad rei certitudinem adducitur, ne quidem conjecturam præbere video: quid enim tum ab Auguſto factum ſit Frontinus ſatis diſerte explicat, Caudium nempe (quò ne tum quidem ex ipſis verbis deductam Coloniam affirmare tuto poteris) cum ſuo Territorio Beneventanæ Coloniæ ab Auguſto adjudicatam, quod perinde eſt dicere, ac Caudium Beneventanæ Coloniæ Præfecturam fuiſſe ab Auguſto conſtitutam. Ac quum, quod Beneventum attinet, ſub Auguſto res ita ſe habuerit, inane illud erit, ut (quia Frontinus non omnes ab Auguſto deductas Colonias recenſet) cum cæteris Coloniis prætermiſſam quoque a Frontino Beneventum putemus; nam quid de illa ſub Auguſto omnino actum ſit, jam ipſemet dixit, & nos proxime audivimus; ac tanti eſt, ut, quum Caudium Coloniæ Beneventanæ ab Auguſto adjudicatam dumtaxat commemoret, novam in Beneventanum agrum Colonorum deductionem nunquam fieri potuiſſe exiſtimemus, ſiquidem ne glebam quidem ex Triumvirali aſſignatione vacuam Auguſtus inveniens ſatis habuit Caudinum agrum novis Colonis fortaſſe aſſignatum, cum ſuo Territorio Beneneventanæ Coloniæ Triumvirali lege nuper conſtitutæ adjudicare.

At quæ, inquies, cauſa Auguſti cognominis, quod inter alia Beneventanæ Coloniæ proprium enituit? Scio Sigonium, uti de Juliis, ita de Auguſtis Coloniis certum quoque pronunciaſſe, ut nempe ex ejuſmodi cognomine Coloniæ illæ oſtendantur, quas Octavianus poſt Actiacam pugnam, tum quum jam diceretur Auguſtus, in Italia deduxit. Sed non id mihi Sigonius facile perſuaſerit. Res enim explorata ſatis, omnes ab Auguſto deductas in Italia Colonias, (nam quæ in Provinciis, heic quærere nihil refert) ad ſex, & quadraginta fuiſſe. Duodeviginti in Triumviratu primum deduxit, quod jam diximus, reliquas quum ſolus Remp. nomine

(a) *Lib. 5.* (b) *Lib. 4.* (c) De Jur. Ital. lib. 3. c. 4.

Digitized by Google

ne Principis adminiſtraret; ac de poſtremis his intelligendus Sveton. c. 46. dum ait, Auguſtum Italiam duodetriginta Coloniarum numero deductarum ab ſe frequentaſſe, operibuſque, ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxiſſe. Hinc nihil veroſimile magis, quam eæ omnes Coloniæ Auguſtæ appellatæ ſint, tam ſcilicet poſteriores, quas Princeps, quàm præcedentes, quas Triumvir deduxit. In his enim Triumvirali quamquam lege deductis ſolius tamen Octaviani deducentis beneficium, & auctoritas agnoſcebatur. Præſtat audire Appian. l. 5. p. 678. *Aliis largitionibus egenos milites ſolabatur Cæſar e Fanis mutuo ſumens pecunias, quo facto conciliavit ſibi eorum animos prompta erga largitorem gratia, cui agros, urbes, pecunias acceptas ferebant, invidioſe acclamantibus qui ſpoliabantur, illo vero fortiter hoc ferente in gratiam militum. His animadverſis Antonii frater Lucius, & ejuſdem uxor Fulvia, & qui abſentes bona procurabat Marcius, ne Cæſaris videretur totum hoc beneficium, neve ſoli deberetur gratia, & alter Imperator fraudaretur favore militum, vaſramentis agebant, ut Coloniarum deductio differretur in adventum Antonii.* Sed, ut Appianus proſequitur, eorum artes eluſit Octavianus, qui ſupereſſe Antonianis legionibus ſuos agros, ab ipſomet Antonio in poſterum diſtribuendos dictitans, deducendarum Coloniarum munus quantocius implevit, id quoque poſtulantibus enixe militibus, qui, ut idem Appianus narrat: *petebant optimam quamque Urbem tota Italia, ut ante bellum ſelecta erant*: quique jam eas Urbes Octaviani opera aſſecuti, ipſum beneficii auctorem agnoſcentes, de collato poſtmodum eidem Octaviano Auguſti nomine, ſuas quoque Colonias Auguſtas appellaſſe cenſendi ſunt.

Atque hoc ipſum fuit, ut, cum nullo ex alio monumento certa res conſtaret, Coloniam Beneventanam ex ſolo Auguſtæ cognomine non ad cæteras Auguſti deductiones, ſed ad Triumviralem, quam is primum peregit, referendam omnino exiſtimarem; idque tum magis perſuaſum mihi habui, quum veri haud ſimile videri poſſit, paucis admodum interjectis annis poſt triumviralem deductionem iterum Beneventum deductam ab Auguſto Coloniam, in eam ſcilicet Urbem, quæ inter præcipuas alias lege triumvirali paulo ante diſtributis inter milites agris omnibus, tota in harum poſſeſſionem devenerat. Neque enim Auguſtus novos Colonos in eam Urbem deducere potuit, cujus nulla pars agri, aut etiam gleba ſine poſſeſſore vacua remanſerat, nec, ut novos Colonos deduceret, veteres poſſeſſores triumvirali lege ab ſemet deductos, quos proinde ſuos reputabat Colonos, ſibi quoque obſequentiſſimos, eorum prædiis per ſummam injuriam exturbaſſe dici poteſt: Hinc nemo, ni fallor, erit, qui non in meam conceſſerit ſententiam, fruſtra iis Urbibus gratulandum, quæ levibus quibuſdam conjecturis repetitas Coloniarum deductiones ultro jactare geſtiunt (a); dum non aliò hoc ipſum tendat, quam ut Deducentium impotentiam, injurioſaſque veterum Civium ejectiones prodidiſſe videantur. Satis itaque Benevento fuerit, ſemel ab Auguſto triumvirali lege Colonos accepiſſe, ab eoque deinde Caudina Præfectura fuiſſe auctam, ut Auguſti cognominis, quo in vetuſtis lapidibus celebrari gaudet, juſtam cauſam, rationemque afferre poſſit.

Longe igitur poſt Triumviratus tempora progrediendum nobis erit, ut novam, quæ Triumviralem ipſam conſequetur, Colonorum deductionem tertiò Beneventum factam inveniamus. Erit itaque tertia, quæ Imp. Neronem auctorem habuit. De ea ſic Frontinus: *Beneventum*

(a) Liceat certe V. C. Mazochio (neque enim hac de re decertare libet) ut ter ab Octaviano Cæſare Coloniam Capuam deductam ſtatuat in Amph. c. 1. p. 34. ſemel ex lege triumvirali, iterum poſt devictum Sex. Pompejum, ac tertio poſt Victoriam Actiacam: Illud tamen nullo pacto Viro doctiſſimo permiſerimus, quod eas dumtaxat duodetriginta Colonias ab eodem Octaviano poſt Actiacam pugnam deductas, Auguſtas audiſſe velit, haud vero duodeviginti illas triumvirali lege antea deductas, *nam ſi cum præcedentibus*, inquit, *etiam Auguſtæ cognomen communicare perges, vix ulla profecto invenietur Italicarum Urbium, quæ non Auguſta diceretur*. Mirum enim, quod Viro ſummo Coloniarum omnium ab Auguſto in Italia deductarum numerus haud perſpectus fuerit, aut certe ſibi optime notus cum fuerit, ut nempe ad quadraginta ſex in univerſum eæ Coloniæ pertingerent, de univerſa Italia, quæ florentiſſimarum Urbium frequentia maxime præſtabat, adeo demiſſe judicaverit, ut eo ſolum exiguo Urbium numero, quas in una, vel altera Regione invenire præſto erat, integrum undecim Italicarum Regionum ſpatium impleri poſſe putaverit. Cæterum Capuam Coloniam ter ab Auguſto deductam non abnuemus, ſi modo vera ſint, quæ à Vellejo, Plinio, ac Dione allata ſunt, in ſingulis nempe deductionibus id præcipue ab Auguſto proſpectum, ut citra veterum poſſeſſorum injuriam, novi Coloni agris, reditibuſque donarentur. Scimus enim, quam invidioſæ olim fuerint leges agrariæ. Hinc maximæ illæ fuerunt in Senatu contentiones adverſus Pompeii legem, qua agros ſuis militibus poſt Mitridaticum Bellum diſtribuendos poſtulabat, quam in ipſius Pompeii gratiam ita temperandam Cicero ſuadebat: *ut omnia tollerentur, quæ ad privatorum incommodum pertinebant, omnium privatorum poſſeſſiones confirmarentur, agrique publica adventitia pecunia emerentur*. (ad Att. l. 19.) Certe Octavianus ipſe cum triumvirali lege agros divideret, ægre quidem, ſed tamen injurioſe ſe gerere coactus fuit; itaut, Svetonio teſte c. 13. *Nec poſſeſſorum, nec militum gratiam tenuerit, alteris pelli ſe, alteris non pro ſpe meritorum tractari querentibus*.

Digitized by Google

ventum muro deducta Colonia Concordia : Deduxit Nero Claudius Cæsar : Iter populo non debetur : Ager ejus lege Triumvirali veteranis est adsignatus. Porro Frontino debet Beneventum, ut Colonos a Nerone adscriptos aliquando accepisse nunc sciat, quod non alio monumento compertum fuit: nam apud Svetonium, & Tacitum Puteolos dumtaxat, ac præterea Tarentum, & Antium invenire est deductas a Nerone Colonias; quas tamen solas haud fuisse, optimæ fidei testis, qui ex instituto hæc egit, sufficiet Frontinus; ex quo etiam præter Beneventum, Samniticas alias Urbes Sepinum, & Æserniam inter Neronianas Colonias recensitas habemus; certe de Beneventana Colonia a Nerone deducta manifestum Frontini testimonium comprobare etiam videntur gravissimæ conjecturæ, quas frequens in Beneventanam Urbem ipsius Neronis adventus, mora, beneficia denique præclara suppeditant. At de his fuse a me alias agendum erit.

Post relatam Neronianam deductionem iterum Beneventum Colonos a Trajano deductos probari contendit Pratill. Via App. l. 4. c. 3. p. 451. ex quodam lapide, quem sibi ex ea Urbe transmissum refert in hæc verba :

FELICIBVS. AVSPICIIS
CAES. DIVI. NERVAE F.
TRAIANI. AVGVSTI
GERM. DACICI. P. P.
CONDITA. COLONIA
BENEVENTANA
PERT. IVL. PHI.....
.....

Idque sexto ejus Consulatu nempe anno 112. quo Trajanus T. Sextium Africanum Collegam habuit evenisse subdit Pratillus, ita fortasse interpretatus postrema lapidis, ac Fastorum verba *Sextium* pro *Julio* mutavit, ut sit : *condita Colonia Beneventana* PER T. IVL*ium* APHI*canum*. At vix credibile erit eam Coloniæ deductionem Collegæ Consuli Trajanum mandasse, quem nullibi toto Imperii tempore, ac tum maxime posteriori Dacico bello intentum Colonias in Italia deduxisse constat. Et quidem tædet jam longius hunc lapidem morari, quæ nunquam Beneventi extitisse fidem faciunt Schedæ omnes Mss. antiquorum lapidum, inter quos non reperitur, itaut non recens inventum, sed potius confictum arbitrer, quod facile patet ex eo, quod iisdem fere conceptis verbis elucubratus videatur, quib. Zermensium Coloniæ lapis in subactam Daciam a Trajano deductæ affertur a Cujac. observ. l. 10. c. 35.

I. O. M. ROMVLO. PARENTI
MARTI. AVXILIATORI
FELICIBVS. AVSPICIIS
CAESARIS. D. NERVAE. TRAIANI
CONDITA. COLONIA. DACICA. ZERMIS
PER. M. SCAVRIANVM. PROPRAETOREM (a)

Quem etiam Zermensem lapidem commentitium esse arbitror, itaut nisi Zermensium Coloniæ a Trajano deductæ certa extaret memoria apud Ulpianum *l. 1. §. 6. de Censibus*, frustra rei fides ex eo lapide probaretur; ut de nostro omnino affirmandum quoque erit, cujus quum non incerta solum, sed omnino nulla sit fides, commentitiam, quæ solo ejusdem lapidis documento innixa est, Colonorum deductionem Beneventum a Trajano factam censebimus. Atque ut demum ejusmodi deductiones in summa repetam, quæ unquam Beneventum factæ certis rerum gestarum monumentis hactenus sunt a me comprobatæ, primum florente Rep., deinde a Julio Cæsare, postea in Triumviratu ab Augusto, postremo a Nerone, quatuor in universum fuisse jam constat.

Age

(a) Paulo aliter habet Gruter. p. 6. n. 3. qui in duodecim lineas dividit, & pro *Zermis* legit *Sarmiz*; Præferendam tamen putaverim Cujacii lectionem, quam tuetur Ulpiani textus, qui a Gothofredo ita affertur : *In Dacia quoque Zermensium Colonia a Divo Trajano deducta Juris Italici est*.

Digitized by Google

Age nunc quæ propria fuerint Beneventanæ Coloniæ nomina, quæque eorum ratio, paulò curioſus inquiramus. Coloniam *Juliam Felicem Auguſtam Concordiam Beneventum* nuncupatam antiqui noſtri lapides plane docent. Jam vero cur *Julia Felix Auguſta* ſit dicta, ex iis omnibus, quæ quum de ſingulis ejus deductionibus agerem, ſuperius diſſerui, cauſas unuſquiſque cognoſcet. *Julia* enim, quod Julius Cæſar, *Auguſta*, quod eam Auguſtus in Triumviratu deduxerit, *Felix* demum appellata eſt, ut eo quoque nomine ſuæ fortunæ, ac dignitati quodammodo blandiretur. Reſtat *Concordiæ* nomen, cujus quoque cauſa explicanda erit, quod ut recte fiat, prius noſſe quænam propria Coloniarum fuerint nomina, fortaſſe intererit: Etenim aut ea retinebant, quæ ante deductionem Colonorum habuerunt, ut Colonia Julia *Parma*, Colonia Julia *Fanum fortunæ*, Colonia Julia *Hiſpellum* &c. quæ omnes Coloniæ Juliæ ſingulæ veteri ſuo nomine inter ſe diſtinguebantur, aut quidem novum accipiebant, quod tamen cum veteris nominis loco ſuccederet, ſingularum etiam proprium erat, non aliis commune. Sic Piſana Colonia nuncupata fuit Julia *Obſequens*; Sutrium Julia *Conjuncta*, Tarraco Julia *Victrix*, Arretium Julia *Fidens*, Baba Julia *Campeſtris*, Auguſta *Emerita*, Auguſta *Prætoria*, & ſexcentæ aliæ, quæ paſſim occurrunt, ita *illa Obſequentis*, *Conjunctæ*, *Victricis* &c. nomina, earum Urbium, cum eò Coloniæ deducerentur, veteribus abjectis propria evaſerint: ſed ea nomina, quæcunque fuerint, aſſumere Imperatoris, ſeu Deductoris injuſſu, aut certe ſine Senatus Conſulto haud olim licuiſſe tradit Dio l. 54. ad an. v. 739.: *Cognomina* (ait) *etiam Urbim honoris cauſa Senatus eis impoſuit, & non, quod nunc fit, ipſæ ſibi nomina quotquot vellent, delegerunt*: ubi non de Coloniarum Juliarum, Auguſtarum &c. appellationibus, loquitur auctor; quis enim vetuiſſet eam Coloniam *Juliam*, aut *Auguſtam* jam appellari, quam Julius, aut Auguſtus deduxiſſet; ſed ea nomina plane intelligit Dio, quæ oſtentandæ dignitatis, captandique honoris gratia, aut aliis de cauſis ſingulis Coloniis nova tribuebantur: quod cum Benevento actum fuiſſe conſtat; Beneventum enim abjecto veteri Maleventi nomine, cum primum in ipſam Coloni deducti fuiſſent, vocari cœpit, in eaque nominis mutatione S. P. Q. R. auctoritatem acceſſiſſe veriſimile eſt.

Sed quid nunc dicendum de novo *Concordiæ* nomine? Illud poſteriore ævo Beneventanæ Coloniæ, cum iterum deducerentur, impoſitum plane conſtat, non ut ipſius Coloniæ honorarium prorſus, ſeu, ut loquitur Fabrettus Inſcr. cap. 2. fol. 105., *additium* eſſet, quod pariter putat de aliis tribus Coloniis eodem *Concordiæ* nomine appellatis, nempe *Nertobrigenſe*, quam ipſe affert, necnon *Julia Concordia*, & *Concordia* Ulpia Trajana Auguſta Frugifera Hadrumentina, quas è Grutero pag. 362. & 547. 7. excepit; etenim, quicquid de hiſce aliis videri poſſit, Beneventanæ Coloniæ novum hocce nomen eo fortaſſe conſilio datum crediderim, ut in propriam illius nuncupationem deinceps tranſiret, adeoque Beneventum ſolo Coloniæ Juliæ Auguſtæ Concordiæ nomine vocanda eſſet. Sed quo tempore id acciderit, quæve novi ejus nominis extiterit cauſa non æque conſtat. Si igitur in re obſcuriſſima conjecturis utendum, cum nec primam deductionem florente Rep., in qua novum dumtaxat *Beneventi* nomen, nec poſtremam ſub Nerone opinari fas ſit, ſatis ergo ad Triumviralem Deductionem nominis origo referri poſſe videtur; de cauſa autem dicam, quod ſentio. Beneventum una ex iis Urbibus erat, & quidem præclariſſima, quò Triumvirali lege Coloni deducendi erant, re poſtmodum effecta tunc primum Concordiæ nomen fortaſſe recepit, ut eo potiſſimum fœdus illud ſignificaretur, quo, Triumviratu conſtituto, pax Reip. reſtituta videbatur: certe fœdus illud *Concordiæ* nomine expreſſit Epitomator Livii l. 127. cum ait: *M. Antonius cum ad Bellum contra Cæſarem gerendum incitaretur, Uxore Fulvia dimiſſa, ne* Concordiæ *Ducum obſtaret, pace facta cum Cæſare ſororem ejus Octaviam in matrimonium duxit*: ut proinde ejuſmodi nomen, futurum illius *Concordiæ* monumentum, Beneventanæ Coloniæ eadem Triumvirali lege tum deductæ tributum veriſimile ſit; cujus rei ſimile fere exemplum in Rep. non deerat, nam Furius Camillus Dictator Ædem, quam *Concordiæ* voverat poſt ſedatam popularem ſeditionem extruxit; quod refert Plutarchus in Camil. f. 151. & pulchre canit Ovid. Faſt. 1. 637.

Furius antiquam populi populator Etruſci
Voverat, & voti ſolverat ille fidem;
Cauſſa, quod a Patribus ſumptis ſeceſſerat armis
Vulgus, & ipſa ſuas Roma timebat opes.

Eaque Ædes *Concordiæ* fuit, in qua poſtea Senatus haberi cœpit, habitumque tradit Saluſtius Bell. Catil. cap 36. *Curiamque* vocavit Lamprid. Alex. Sev. cap. 6.: Verum itaque eſſe potuit, ut ſicuti Plebe, quæ armata ſeceſſerat, ad Patrum obſequium redeunte in ejus rei memoriam Ædes *Concordiæ* titulo quondam extrui, dedicarique placuiſſet, ita quoque, extincta jam, ut videbatur, quæ

Digitized by Google

quæ tamdiu, tamque gravi Reip. detrimento conflagrarat, bellorum civilium funeſtiſſima face, una ex Coloniis Triumvirali lege deducendis ad notandam Triumvirorum *Concordiam*, quæ univerſæ Reip. pax reſtituta putabatur, novo *Concordiæ* nomine veluti dedicata conſtitueretur.

Reſtat modo, ut de antiquæ Beneventanæ Coloniæ, ejuſque Territorii finibus agatur; Id quod inſtitutæ rei ratio expoſcit, poſtulatque jure ſuo lapis Diſſertationi huic inſcriptus, in quo Beneventana Colonia perpetuum illud erga Juliam Auguſtam obſequii, honoriſque monumentum certo, deſignatoque loco erexit, videlicet: IN TERRITORIO SVO QVOD CINGIT ETIAM CIVITATEM CAVDINORVM MVRO TENVS: quod ut recte exequar, aliqua de Territorio generatim prænotaſſe oportebit.

Territorii itaque nomine non Agri illi ſignificantur, qui in privatam Colonorum utilitatem pro modo cuique factæ diſtributionis cedebant, licet ii intra Territorii fines continebantur; ſed Territorium nomen eſt Juriſdictionis, quæ in eoſdem fines univerſe patebat: Loquendi proprietatem hujuſmodi rei accommodatam ab optimis quibuſque Scriptoribus ſervatam conſtat, nam cum de privatis Colonorum poſſeſſionibus agerent, Agros dicebant, ut *Agrum Campanum*, *Agrariam legem*, & ſimilia, cum vero de Colonici Magiſtratus Juriſdictione ſermo eſſet, *Territorium* appellabant: Hinc J. C. Pomponius l.239. §.8. de Verb. Sign.; *Territorium* (inquit) *eſt univerſitas agrorum intra fines cujuſcumque civitatis, quod ab eo dictum quidam ajunt, quod Magiſtratus ejus loci intra ejus fines terrendi, ideſt ſubmovendi jus habet*: quamquam vero in ſtatuenda ejus vocabuli derivatione ſecus ſentiat Varro *l.4. de L. L.* tradens, *Territorium* eſſe locum communem, qui prope oppidum relinquitur, a *terendo* propterea dictum, aliterque doceat quoque Iſidor. *l.4. orig.* 15. *Territorium*, quaſi *Tauritorium* dici volens, ideſt *tritum Bobus, & aratro*, quod accepiſſe videtur a Servio, quid ad illud Virg. Æneid. v. 755. *Urbem deſignet aratro*: poſtquam ritum condendæ Urbis ex Varrone deſcribit, ita (ſubdit) *ſulco ducto loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum, unde Territorium dictum eſt, quaſi Tauritorium tritum bobus, & aratro*: congruentior tamen, ipſaque omnibus verior cenſeri debet Pomponii de hac re ſententia, optimorum Scriptorum, ipſorumque literatorum lapidum loquutione comprobata, cui etiam accedit antiquus Eccleſiæ mos, quæ hac voce Territorii olim uti conſuevit ad deſignandas, quas nunc græco vocabulo novimus appellari Diœceſes, itaut idem Territorium, quo Colonici Magiſtratus juriſdictio ſignificabatur, pro Eccleſiaſtica, ſeu ſpirituali poteſtate, quam ſinguli Epiſcopi intra certos propriæ Eccleſiæ fines habebant, etiam uſurpatum legamus in *C.1. & 2. Cauſ.* XVI. *Quæſt.* v. & alibi paſſim.

Cum igitur Beneventana Colonia lapidem illum Juliæ erectum in Territorio ſuo ſtatuiſſe declaret, non dubium eſt, quin & hoc teſtatum voluerit, quod nempe opus illud intra fines, qui ſuæ juriſdictioni ſubdebantur, extruendum curaſſet; cumque adhuc addat, *Territorium ſuum* ipſum eſſe, quod Civitatum Caudinorum muro tenus cingit, hoc amplius voluiſſe videtur, ut etiam certus finis, quò ſua juriſdictio proferebatur, ab omnibus noſceretur, quaſi & ipſum lapidem non ſolum ut Juliæ elogium, verum etiam ut ſui Territorii terminalis quodammodo eſſet, eo loco collocari placuerit: Sane in Colonici Territorii finibus inſcriptos, qui eos demoſtrarent, lapides apponendos docet Higginus: *Certis locis* (ait) *aras lapideas ponere debemus, quarum inſcriptio ex uno latere perticæ applicato finem Coloniæ demonſtrat, ex altero, qua foras exit, affines*: ejuſmodi inſcriptarum ararum exempla pleraque exhibet Gruterus; ſic p. 199. 4. HEINC PACENSES: & a fronte altera ejuſdem aræ: HEINC EBORENSES: atque ut alia omittam, p. 174. 6. plures Beneventi adeſſe lapides dicit, quibus ſic inſcriptum: COLONIA' BENEVENTAI: adeout ex eorum haud exiguo numero, eaque perbrevi ipſis inſcripta epigraphe, terminales fuiſſe conjici poſſit. Sed quoniam hi lapides periere omnes, ſola, quod aliquando fuerint, memoria apud Gruterum ſuperſtite, non ſatis certum affirmari poteſt, eoſdem ad determinandum Beneventanæ Coloniæ Territorium fuiſſe adhibitos; tunc enim in ejuſdem Territorii finibus (ut de lapide Juliæ inſcripto accidit, qui prope oppidum Arpadii duodecimo a Beneventana Urbe milliario, ubi antiquum Caudium fuiſſe jam conſtat, repertus fuit,) non vero in ipſa Urbe inventi, ibidem extare dicerentur; quod ſi unquam intra Urbem fuerint, vel longiorum fortaſſe inſcriptionum fragmenta cenſeri debent, vel, quum ea ſolum conſtarent epigraphe, quam pro COLONIÆ BENEVENTANÆ: ſive COLONIAI BENEVENTANAI: interpretari æque quis poſſit, publicorum quorundam operum ad ipſam Coloniam ſpectantium tituli fuiſſe videntur; Cum vero ea verba, ut ſint: *Colonia Beneventana*: explicari libeat, jam Coloniæ Beneventanæ nomen ſingulis ejus portis inſcriptum putari poteſt eodem plane exemplo, quo in Veronenſi Urbe, *Colonia Auguſta Verona*, etiam nunc in ejus Arcu inſcriptum lapidem ſervari tradit Card. Noris

Digitized by Google

Noris in Cenot. Piſ. *Diſſ.* 1. *c.*2. : ſed ne plura de his lapidibus, qui quamquam terminales affirmari queant, cum tamen ſuo loco moti cum innumeris quoque aliis diſperiere, non ullum hodie certum, quem quærimus Beneventani Territorii finem nobis demonſtrare nunc poterunt.

Solum itaque, atque unum Beneventani Territorii finem lapis Juliæ inſcriptus nobis demonſtrat: Eum enim Beneventana Colonia diſerte fatetur locaſſe *in Territorio ſuo, quod cingit Caudinorum Civitatem muro tenus*; Caudium igitur uſque, quinimo ad ejus Civitatis muros Coloniam Beneventanam Territorii ſui fines explicuiſſe perſpicua res eſt; quod tamen poſteriore dumtaxat ævo, ac nonniſi poſt omnium poſtremam Neronianam deductionem eveniſſe putaverim; latiores enim ea ex parte fines olim fuiſſe conſtat Auguſti ævo, cujus lege Caudium ipſum Beneventanæ Coloniæ olim adjudicatum fuit, ut propterea Caudinum quoque Territorium ad Principis Coloniæ juriſdictionem pertineret; quod demum irritum a Nerone factum videri poteſt, nam Caudinâ Præfecturâ, quæ ad Beneventanam Coloniam ex Auguſti lege pertinebat, ſublatâ, jam deinceps Beneventana Colonia antiquos Territorii ſui fines coercuit, quos ex noſtro lapide ad ipſos Caudinæ Civitatis muros conſtitutos fuiſſe agnoſcimus: quod cum ita fuerit, haud jure Caudini queri poterant, ut olim querebantur Capuani apud Ciceronem Phil.2. XI. hæc Antonio exprobrantem: *Caſilininum Coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ penè perſtrinxiſti, ut florentis Coloniæ Territorium minueretur*: Satius enim Caudinis erat, ut qui antea lege Auguſti in Coloniæ Beneventanæ Præfecturam redacti erant, ab ejus tandem juriſdictione ſubtracti, ejuſdem Territorii fines ad ſuos uſque muros pertingere paterentur.

CAPUT TERTIUM

De Jure Beneventanæ Coloniæ ejuſque Tribu.

PVLLO . AVGVRI . TR. MILITVM
..... VIRO
C. FIRMILIO . C. F. PVB. RVFO
L. TERENTIO . L. F. STEL. RVFO . FIRMILIANO.

QUater deductam Beneventum Coloniam ſuperiori Capite præclare ſatis probatum arbitror: cujus autem Juris, ac præterea in quam Tribum adſcripta fuerit, non ibi obſervaſſe placuit, tum ne fuſiùs, quam par eſſet, eam operis partem producerem, tum quod materia iſthæc ſatis digna videretur, ut peculiari Diſſertatione donaretur. Lapidem de more inſcripſi, quo non opportunior alter ad propoſitam rem pertractandam: quandoquidem ea parte, qua integer ad nos evaſit, in poſtremis nempe duobus lineis eos nobis exhibet Viros, qui Prænomine, Nomine, Cognomine, Tribu inſigniti certiſſimam Civium Romanorum notam præferre videntur.

Ac quod primùm attinet, vulgata ſatis res eſt, Colonias omnes, quotquot unquam ab Romanis ante Legem Juliam deductas conſtat, non eodem quaſque Jure fuiſſe potitas. Multiplex ejuſmodi Jus fuiſſe recentiores aliqui tradunt, novis tum ex quibuſdam nummorum veterum ſignis deductarum Coloniarum occaſione cuſis, tum ex levibus quibuſdam conjecturis aliis, ejuſdem Juris adinventis differentiis, itaut præter eas, quæ *Civium Romanorum*, & *Latini Juris* aliæ fuerint, quæ *Togatæ*, poſtremò quæ *Militares* dicerentur. De Togatis, quas & *Plebejas* fuiſſe affirmat Eruditus Heineccius (*a*) promptè ſententiam tuleris commentitium id nomen, quod Colonias aliquas ſpectet, videri. Quare enim togatæ? quia non Primores ſolum ſed etiam Romana Plebs Toga uteretur, unde Auguſtus teſte Sveton. c.40. viſa quondam pro concione Pullatorum turba indignabundus, & clamitans, *en ait*

Romanos rerum Dominos, Gentemque Togatam.

At ſi Toga omnibus communis, quomodo de ſolis Plebeiis Togatæ intelligentur? non magis igitur Togata Colonia, quam Gallia Togata, in quo ſane cognomine non jus aliquod contineri patet, ſed hominum quorundam genus, qui Romanos ea veſtimenti forma imitarentur,

[*a*] Antiq. Rom. in Append. c. 5. 126.

Digitized by Google

quo fit, ut quæcumque Romanorum Coloniæ, propterea quod Toga eorum propria eſſet veſtis, Togatæ dicendæ ſint: niſi, ex admiſſa Togatarum Coloniarum appellatione, quæ Plebem, civeſque alios complecterentur, novum etiam *Sagatarum* Coloniarum, quæ e contrario illis reſpondeant, vocabulum ſatis importunè comminiſci in mentem alicui veniat, cum nimirum milites, propterea quod *Sago*, conſueta militiæ veſte uterentur, in Colonias deducerentur; ſed de *Militaribus* Coloniis, quarum prior Sylla inſtitutor fuit, inanis quoque differentia videri poteſt, quandoquidem non ex certo hominum genere, ut puta *militarium*, qui in Colonias deducebantur, diverſum aliquod jus ei Coloniæ quærebatur, ſed cujuſmodi futurum eſſet jus a deducentis arbitrio, vel eorum, quorum auctoritate deductio mandabatur, omnino pendebat. Quod tandem Jus ſpectat Italicum, quamquam illud aliquando extitiſſe certum ſit, eoque ſignanter jure donatas pleraſque Colonias memorent Veteres Juriſconſulti (*a*), non id tamen ad rem propoſitam magnopere pertinere videbitur, nam cum in veteri Italia, ejuſque penes populos ejuſmodi jus vigeret, nullas certo conſtat tum deductas in illam Colonias, quas ſerò admodum, ſub ipſis Cæſaribus, ac nonniſi in Provinciis, cum antiqui juris Italici jamdiu per legem Juliam ſublati renovato beneficio deductas præfati Juriſconſulti docent: quod ſi ulla extra Latium, ac proinde in ipſa veteri Italia, deducta unquam fuerit Colonia, non magis Jus Italicum ad eam Coloniam, quæ in Italia conſtituta ejus juris particeps ſine ulla indulgentia evadebat, quam ad ſingulas Urbes pertinuiſſe dicendum eſt, itaut certum nullum, ac particulare jus aliquod Colonicum Italicum ab ipſa rei origine, de qua modo quærimus, ſtatui poſſe videatur.

Ad priorem itaque certis veterum monumentis ſatis probatam differentiam res omnis deducenda eſt, ut non alias teneamus Colonias, quàm, quæ aut Civium Romanorum, aut Latinæ olim fuerint: rem planè determinat Livius l. 39. 56. ubi Aquilejenſis Coloniæ deductionem narrans (quod accidit M. Claudio, Q. Fabio Coſs. an. U. C. 570.) *illud agitabant* (ſubdit) *uti Colonia Aquilejam deduceretur, nec ſatis conſtabat an Civium Romanorum deduci placeret, poſtremò Latinam potius Coloniam deducendam Patres cenſuerunt*. Alios Livii locos dabit *Sigonius* (*b*), ubi neque longiorem invenies hujus Colonici juris diviſionem, niſi quod jus Latii Juri Quiritum, Latinas vero Colonias Civium Romanorum Coloniis opponi velit Sigonius.

Quid igitur inter Latinas, ac Civium Romanorum Colonias diſcriminis haberetur modo eſt demonſtrandum: Civium Romanorum Coloniis jus dumtaxat Quiritum conceſſum cenſet Sigonius (*c*), qui cum antea ejuſmodi jus in privatis tantum rebus concludat, nempe Libertate, Dominio, Teſtamento, Tutela, Militia, Gentilitate, & ſi quæ ſunt hujus generis alia, quandam veluti viam ſibi ſtravit, ut quale ejuſmodi Coloniarum jus eſſet, facile pronunciaret, nimirum ut privato tantum, non vero publico Romanorum jure hæ Coloniæ fruerentur. Sed nullo pacto ipſe mihi perſuaſerit quod in hoc jure Quiritium jus tantum Romanorum privatum contineretur, niſi novum in rebus, ac nominibus diſcrimen ex proprio potiùs ingenio, levibuſque quibuſdam conjecturis, quàm ratione aliqua, auctoritateque innixi comminiſci velimus; ſi quid enim minus eſſe, quàm quod ipſum univerſum optimumque ſit Romanorum Civium jus, in jure Quiritium modo ſtatuamus, jam primùm evertatur oportet fœdus illud quod Romulum cum Sabinis primùm iniſſe conſtat, quos in Urbis communionem receptos, ita Romanæ genti inſeruit, ut ex utroque populo unam eandemque Civitatem, unumque Quiritium nomen effecerit: quæ res ita deinceps valuit, ut nullo unquam tempore Quiritium nomen a Romanis diſceſſerit, qui illud ſemper ſibi adjiciebant, quod liquet ex formula illa precationis: *Populo Romano Quiritibus*: de qua latè *Briſſon. l. 1. c. 104.*, imò & ſolo Quiritium nomine utpotè auguſtiore Romanos appellatos in publicis concionibus, & orationibus paſſim occurrit: non igitur video, cur Quiritibus pars illa optima Civitatis Romanæ, quæ in jure publico conſiſtebat, tam facilè detrahi poſſit, ſicque in privatas tantum res Jus Quiritium concludatur: conſtat enim jus illud publicum ad Cenſum, Militiam, Suffragia, Magiſtratus, Sacra pertinuiſſe; quibus dum Quirites omnino gauderent, manifeſtum quoque eſt ea omnia in jure Quiritium fuiſſe comprehenſa; illudque conſequetur ſatis clarum, dum eodem jure Quiritium Coloniæ aliquæ potirentur, quæ Civium Romanorum ea de re vocabantur (*d*), æquum profecto jus cum ipſis Romanis Quiritibus ejuſmodi Colonos obtinuiſſe.

Quod

[*a*] Ulpianus, Celſus, Cajus, Paullus in leg. 1. 6. 7. & 8. Dig. De Cenſibus.

[*b*] De antiq. Jur. Ital. l. 2. c. 3.

[*c*] De ant. Jur. Civ. Rom. l. 1. c. v. ad 13. in fin.

[*d*] Et certe Cives ſæpe vocantur ejuſmodi Coloni apud Liv. l. 6. 21. 8. 14. Ipſi quoque Latini, qui nomina in Coloniam Romanam dederant Cives Romani dicuntur facti ab eodem Liv. 34. 24. qui demum l. 19. 37. ejus

Digitized by Google

Quod tamen cum de Coloniis Civium Romanorum verum ſit, ſecus verò de Latinis dicendum. Harum enim licet eadem origo, atque cauſa, diverſa tamen erat conditio. Jam ſupra dictum fuit, Latinos Colonos nonniſi ex Magiſtratuum Romanorum indulgentia, & veluti precariò ad ferenda ſuffragia admitti ſolitos, quod ubi ultrò, atque temerè attentare voluiſſent, plerumque Conſulum juſſu ex Urbe, quò ea de cauſa adventarant, exire juſſos refert Dionyſ. Halic. l.8. Cic. in Brut. c. 26. cujus etiam pro Sext. c.13. hæc ſunt: *nihil acerbius Socii Latini ferre ſoliti ſunt, quam id, quod perrarò accidit, a Conſulibus juberi ex Urbe exire*. Sicuti autem ab hoc ordinario ſuffragiorum jure ſubmovebantur, ita a militia, in qua nonniſi mediam militum claſſem, ſeu conditionem tenebant, ut *Auxiliis* potiores dignitate eſſent, *Legionariis* vero inferiores, *Sociorum* dumtaxat nomine contenti. Privatorum vero jurium nec omnimode participes fuiſſe Latinos Colonos ex pluribus veterum monumentis apparet, adeoùt rectè pronunciaverit Boethius in Top. Cicer. II. Cives Romanos, qui in Latinas Colonias commigraſſent, amiſſo Civitatis Romanæ jure, mediam capitis diminutionem ſubire compulſos; quo argumento uſus eſt Cicero, Agrar. 2. c. 27. ut Plebem Romanam adhortaretur; ne ſe deduci pateretur in Coloniam. *Vos vero* (inquit) *Quirites retinete iſtam profeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, Urbis, Fori, ludorum, dierum feſtorum, cæterorum omnium commodorum* (a).

37. ejus generis Colonos Romæ fuiſſe cenſos affirmat; unde rectè omninò Manutius *De Civitate Romana* ſtatuit, eos quoque ferendi ſuffragii, magiſtratuumque Romæ gerendorum jura retinuiſſe; quod vel ex ipſo invito Sigonio amplius mihi probari poſſe videtur: Is enim cum de Latinorum, ſive Latii jure agit *De Jur.* Ital. l. 1. c. 4. jus illud publicum ſuffragiorum, & honorum, *ut nullum habuiſſe eos negari non poſſe, ſic non optima lege habuiſſe* aſſerendum cenſet, ac cum pluribus exemplis jus illud apud Latinos aliquando fuiſſe demonſtraſſet, illud demum ad precarium Magiſtratuum Romanorum beneficium referri debere concludit; quod cum perlibenter admittimus, illud ex his verum certumque jam ſequitur, quod ſi Coloniæ Latinæ, quæ deterioris juris erant ad publica Romanorum Civium jura, inter quæ præcipuum ſuffragiorum, honorumque jus exiſtimari debet, utcumque Romanorum Magiſtratuum arbitrio, ſive indulgentia frequenter admitterentur, procul dubio eodem jure, Coloniæ Civium Romanorum, quæ potioris erant juris quàm Latinæ, pro ſua nobiliori, quæ eadem ac Civium Romanorum erat, conditione, gaudebant; idque ordinario jure ſibi competere ex eo magis magiſque patet, quod nullibi mentio ſit, eas aliquando, ſicuti cum Latinis perſæpè actum fuit, jus illud ſuffragii a Magiſtratibus Romanis impetraſſe; quod ſi nuſquam impetratum, conceſſumque legimus, utique nulla ejuſmodi Colonis impetratione, conceſſioneque opus fuiſſe dicendum eſt, qui univerſa Civium Romanorum jura retinebant.

An vero Romani ſuis Civibus in Colonias deductis negaſſent, quod ultrò peregrinis gentibus jure municipii donatis tam ſæpe elargiebantur. Coloniarum, Municipiorumque diſcrimen tam verè, quàm eleganter aſſert Gell. noct. Att. l. 16. c. 13. *Municipes*, inquit, *ſunt Cives Romani ex municipiis legibus ſuis, & ſuo jure utentes, muneris tantum cum Pop Rom. honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur ... Sed Coloniarum alia eſt neceſſitudo, non enim veniunt extrinſecus in Civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex Civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque Populi Romani non ſui arbitrii habent; quæ tamen conditio cum ſit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen, & præſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem majeſtatemque Populi Romani, cujus iſtæ Coloniæ quaſi effigies parvæ, & ſimulacra eſſe quædam videntur*. Hanc illuſtrem Coloniarum conditionem apud Livium l. 37. præclarè expreſſere olim Romani Conſules, dum earum XII. Coloniarum, quæ ſecundo bello Punico munera militiæ detrectabant, legatos his verbis compellebant. *Admonerent non Campanos, neque Tarentinos eos eſſe, ſed Romanos, inde oriundos, inde in Colonias, atque in agrum Bello captum ſtirpis augendæ cauſa miſſos: quæ liberis parentibus deberent, ea illos Romanis debere, ſi ulla pietas, ſi memoria antiquæ Patriæ eſſet*. Si igitur Romanorum Progenies Coloniæ erant, atque, ſi hoc parum videatur, cum ipſiſmet legibus, inſtitutiſque Romanis Civium quoque Romanorum appellatione decorarentur, non eo equidem antiquo, originarioque jure mulctatæ videntur, quod peregrinis paſſim in municipium receptis tam liberaliter patere conſuevit.

(a) Quod de Latinis Coloniis cum ita ſit, illud mirum videri poteſt, quare, quum quis optimo Civis Romani jure frueretur, in ejuſmodi Colonias ſemel deductus eo priſtino jure mox privatus cenſeretur; adeout tunc ſolum ejuſmodi juris redintegrationem obtineret, ſi in ea Colonia Latii jure donata magiſtratum geſſiſſet, ut intelligendus eſt Aſconius ſubobſcuris verbis id tradens in Præm. Piſonianæ, & diſerte docet Appianus de Bell.Civ. l.2. & Strabo l.4., vel demum ſi id ſibi beneficium ſingulari jure a Magiſtratu Romano, vel quopiam alio, qui ejuſmodi auctoritate polleret, denuò demereret, ut de C. Mario meminit Cic. or. pro Balbo, cui lege a Saturnino Apulejo in Tribunatu lata datum fuit, ut in ſingulas Colonias ternos Cives Romanos facere poſſet; cur, inquam, ex ſola in Colonias deductione id detrimenti Romanus Civis capere debuerit, ut Civitatis Romanæ jura ſibi eſſent amittenda? Hanc quæſtionem tum quoque, cum hæ vigerent Coloniæ, agitari ſolitam indicat Cic. pro A.Cæcina c.33. dum inquit: *Certè quæri hoc ſolere, me non præterit, quemadmodum, ſi Civitas adimi non poſſet, in Colonias Latinas ſæpè Cives noſtri profecti ſint? aut ſua voluntate, aut legis mulctæ profecti ſunt; quam mulctam ſi ſufferre voluiſſent, tum manere in Civitate potuiſſent*: Et certè ea erat Civium Romanorum illuſtris conditio, ut excepta criminis cauſſa, cujus cognitio tum ad Magiſtratus, tum verò præcipuè ad Cenſores pertinebat, invitis Civitas adimi non poſſet, adeout L. Sulla victor, ut memorat id. Cic. pro Domo c. 30. Comitiis centuriatis Civitatem Volaterranis eripere non valuerit; *hodieque Volaterrani* (inquit)

Digitized by Google

Hoc itaque inter Civium Romanorum, ac Latinas Colonias discrimen aliquando fuisse constat, quod tamen lege Julia sublatum tandem videtur: ejus legis auctor L. Julius Cæsar qui an. U. C. 663. P. Rutilium Lupum in Consulatu Collegam habuit, non vero Sex. Julius Cæsar, qui anno præcedente cum L. Marcio Philippo Consul fuit, ut falsò putavit Gravina (*a*), qui in hac re Sigonium sibi in omnibus ferè præeuntem oscitanter fortasse legit, quamquam & turpius erraverit Augustinus (*b*), qui eam Legem Cæsari Dictatori attribuit. Occasionem ei legi dedit funestissimum omnium, quod unquam Reip. contigit, Italicum Bellum, quod & Sociale, & Marsicum appellatum fuit; in eo suscipiendo, gerendoque Latinorum simul, & Italicorum studia, atque arma adversus Remp. conspirarunt: *quorum* (ut pulchrè inquit Paterculus l. 2.) *ut fortuna atrox, ita causa fuit justissima; petebant eam Civitatem, cujus Imperium armis tutabantur; per omnes annos, atque omnia bella duplici numero se militum Equitumque fungi, neque in ejus Civitatis jus recipi, quæ per eos in idipsum pervenisset fastigium, per quod homines ejusdem & gentis, & sanguinis, ut externos, alienosque fastidire possent.* Hinc primum, cum jam id bellum exardere cæpisset, lex, ut ait Appianus, est lata: *ut qui Populi ad eam diem in fide manssissent Cives Romani essent.* Sed postmodùm eo tristi bello, quod innumeros penè Romanos Cives, quos inter, P. Rutilium Cos. aliosque summi in Reip. loci absumpserat, defatigata per integrum quinquennium Resp. id tandem probè intelligens non de auferendo, minuendove sibi imperio, sed de communicandis Civitatis juribus eosmet vi agere, qui prius meritis ad eam diem frustratis decertare studuissent, optimo, quamvis sero consilio, Italos omnes, lege Julia, quam L. Julium Cæsarem, P. Rutilio Collega jam extincto, tulisse verosimile est, in Civitatem recepit: quod beneficium nec discrimine illo octo novarum Tribuum ad veteres XXXV. tùm adjectarum, in quas novi cives adscripti, nec ullis deinceps Syllæ conatibus aut minui, aut omnimodè adimi potuit.

Hac igitur lege Julia differentiam inter Civium Rom. & Latinas Colonias sublatam videri, paulò ante dixi, non enim undequaque certum constat; etenim errabimus certè, si eos Italos Civitatis Romanæ jura assecutos pro universis ejus, quæ paulatim ad naturæ terminos, idest Alpes, prolata est, Italiæ populis accipiamus, cum spectato ejusmodi legis tempore, Rubicone fluvio Italiæ fines continebantur; reliquum autem tractum ad Alpes usque præter Venetos Cisalpini Galli præcipuè incolebant, quorum ex interfluente Pado alii Cispadani, alii Transpadani vocabantur, ad cujus Galliæ Cisalpinæ terminos eodem anno, quo primùm Beneventum Colonia fuit deducta, Ariminum, quæ Civitas in Cispadanorum Gallorum finibus consistebat deductam simul Coloniam ex Eutropio, aliisque superiori Capite observavimus; Priores itaque, utpote veteri Italiæ propiores Cispadani Civitate donati, dein & Transpadani, quibus, cum primum Pompejus Strabo jus Latii largitus fuerit, ut ex Asconio in Proem. Pison. jam antea didicimus, postremo C. Julius Cæsar teste Dione (*c*) integrum Civitatis jus impertitus fuit: ex quibus omnibus illud quoque animadvertere jam quisque poterit, inter Civium Romanorum, & Latinas Colonias sublatum lege Julia discrimen nonnisi cum temporum, ac Coloniarum distinctione esse intelligendum, itaut non omnes, quotquot in veterum monumentis occurant Coloniæ æquo jure fuisse ex ea lege existimentur, sed quas tantum recte constat intra Latii, veterisque Italiæ terminos ante eam legem deductos; nam quæ postea intra eosdem fines, vel in reliquis recentis Italiæ Regionibus conditæ fuere, juris Latii, ac Civium Romanorum, ut quæque alterutro jure deinceps deducta essent, antiquum inter se discrimen habuere; ac de his

(inquit) *non modo Cives, sed optimi Cives fruuntur nobiscum simul hac Civitate.* Sed cum eundem Ciceronis locum latiùs inspiciamus, ejusmodi rei causam inveniisse præsto erit; hæc enim initio cap. 30. pro Domo habet Cicero: *Qui Cives Romani in Colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant.* Si igitur Cives Romani Civitatis jura inviti amittere non poterant, nonne cum ipsimet ita vellent, sive, ut loquitur Cicero, essent auctores facti, Civitatis juribus sese abdicare potuissent? atque ita planè in ejusmodi Latinarum Coloniarum deductione res se habuit: Etenim si quando in aliquam Latii Urbem esset deducenda Colonia, Cives, qui definitum deducendorum numerum implessent, deligebantur, nec profecto inviti, qui cum eò commigrassent, locatisque laribus nomen sponte in eam Urbem dedissent, nihil secum iniquè actum queri poterant, si amissis Civitatis Romanæ juribus, a qua jam discesserant, ejus Latinæ Urbis, quam sibi novam Patriam delegerant, in jura, atque instituta transirent. Illud enim in Senatus Populique Romani arbitrio positum erat, quas ipsi vellent aut Civium Romanorum, aut Latii jure deductas censeri Colonias, itaut Cives Romani ejus Urbis, in quam se Colonos adscribi patiebantur, statutam conditionem sequerentur; Quod tamen amissæ Civitatis Romanæ detrimentum pluribus, quæ sibi obveniebant, novis commodis satis compensabatur, præsertim agris sibi distributis, ex quorum reditu non tam inopiæ, qua fortasse in Urbe laborabant ob ingentem Civium numerum, verum etiam vitæ tranquillitati consulebant.

(*a*) De Rom. Imp. cap. 47.
(*b*) De Legibus, & Sen. Consultis.
(*c*) Lib. 41. An. U. C. 707.

Digitized by Google

his profecto Coloniis intelligenda ſunt poſterioris Ævi monumenta, quæ poſt legem Juliam Latinitatem adhuc nobis memorant, quod & Trajani adhuc Ævo legere occurrit in Plinii Paneg. c. 37. Vix autem eorum jurium diſcrimen omnimodè ſublatum dixeris, poſteaquam Antoninus non *Pius*, neque *Marcus*, ſed, (ut excerpta Dionis Valeſiana prodidere) *Caracalla* celebri illa conſtitutione, relata in *l.* 17. *D. De ſtatu Hom.* (cui ferendæ non munificentia, ſed quemadmodum ſubdit Dio, avaritia occaſionem dedit, ut ſcilicet aucto Civium numero, ex vectigalibus, quæ Peregrini non penderent, ſuus Fiſcus augeretur) ſtatuit, ut, *in Orbe Romano qui eſſent, omnes Cives efficerentur*, adeout, quàqua longe latèque Romanus pateret Orbis, unius Romæ evaſiſſe municipium videretur (*a*). At vix tuto, ut ajebam, affirmari poterit ad omnes perſonas, omneſque ditionis Romanæ Urbes ſeſe extendiſſe beneficium, aut extenſum ſemel, ſemper valuiſſe. De Perſonis certè conſtat ad ingenuos tantum, non vero ad libertinæ conditionis homines eam Antonini conſtitutionem pertinuiſſe, nam his demum quos prius impetrato anulorum aureorum jure ſingulare Principum beneficium ad Civilium Jurium communionem aliquoties extollebat, generali poſtmodum beneficio æquum cum ceteris Civibus omnibus jus largitus ſuit Juſtinianus Imperator Novell. Conſt. 78. (*b*) ubi cum Antonini, quem cognomine Pium appellat Juſtinianus, egregium exemplum in antedicta *Leg.* 17. contentum expreſsè ſibi imitandum proponit, jam ex eodem Juſtiniano, ſeù potius Triboniano error apud doctos quoque Viros invaluerat, ut Antoninus aliquando non Caracalla, ſed Pius ejus conſtitutionis auctor traderetur. De locis vero, pro quibuſque aliis ſufficere poſſet Conſtantinopolitanæ Urbis exemplum, in qua Antiqui Juris Italici non veſtigia ſolum inſpicere datur, ſed effectus ſervati adhuc noſcuntur ipſo ævo poſteriori, quo ea Urbs jamdiù Imperiali Sede decorata, digna fuit viſa, ut eo jure ab Imperatoribus donaretur; quo argumento, ut Romanæ Urbis Principatum nunquam ablatum tueretur, optimè, ſed adverſus Gothofredum paulò intemperantiorem ſtylum Gravina exercuit (*c*).

Sed quorſum, inquies, hæc omnia? Propoſitum initio mihi jam fuit de Beneventanæ Coloniæ Jure ſermonem inſtituere, quod ut rectè demonſtrarem, ſingulorum Colonicorum Jurium differentias in anteceſſum exponere opus fuerat: quod igitur rem attinet, cum longe ante Legem Juliam Beneventanam Coloniam deductam fuiſſe conſtet, nimirum an. U. C. 486. ut ſuperiori Capite demonſtratum eſt, Civium Romanorum, an Latii, vel demum Italico Jure donatam affirmabimus? De poſtremo hoc jure, ſicuti nullum ſupererit dubium, ita de eo heic quæſiſſe ſupervacuus labor erit; Etenim anne negari poſſit, quod poſt deductam Coloniam eo jure Urbs Beneventana frueretur, quod inter Italicos populos præcipuè conſtituta jamdiù obtinebat? atque hoc ipſum eſt, quod initio contendebam, non rectè jus Italicum inter vetera Coloniarum jura recenſeri poſſe, quippe quod Italicis Urbibus ſeorſum a Coloniarum deductionibus inhærebat, tantumque poſteriore ævo in provincialibus Coloniis recenter deductis revixiſſe potuit; ſatiùs enim a pleriſque Auguſtis, qui eas Colonias in Provinciis deductas voluere, exiſtimabatur, ſi non optimo Civium Rom. aut Latii, ſed veteri Italico jure eas donarent, quod licet prioribus durius, meliorem tamen, quàm quæ antea erat, provincialium conditionem efficiebat. Alterutrum igitur jus, aut Civium ſcilicet Romanorum, aut Latii Beneventum, cum primùm eò Colonia deducta fuerit, obtinere debuit: & ſane par erat, ut cum ea Colonia a Senatu, Populoq. Rom. in Italicam Regionem deduceretur alterutro eorum jurium augeretur: Inter Latinas autem Colonias Beneventum recenſet Sigonius (*d*), idque quaſi manifeſtum affert ex Livii loco l. 27., quem paulò curioſiùs heic licebit expendere.

Narrat eo loco Livius, quid poſteriori bello Punico egiſſent triginta Coloniæ tum in Latio, tum in Italia conſtitutæ, quibus milites, & pecuniæ ad ſubſidium Reip. imperata fuerant; *Triginta tum* (inquit) *Coloniæ Pop. Romani erant, ex iis duodecim, cum omnium Legationes Romæ eſſent, negaverunt Conſulibus eſſe, unde milites, pecuniamque darent.* Dixerat paulò ante, fremitum inter Latinos, ſocioſque in conciliis ortum ob frequentes delectus, aſſiduaſque cædes, quibus jam ſe querebantur exhauſtos, proptereaque nullum poſthac imperium ſubituros dictitabant, quod conſilium cum mox duodecim Coloniæ reipſa impleſſent, jam eas, & quot quot ad integras triginta ſimul memoratæ fuerant, nonniſi *Latinas* fuiſſe ſequitur. Id quod ipſe cum

(*a*) De ejus Legis Auctore diù res obſcura, itaut Juſtinianus ipſe in eo tradendo erraſſe compertus fuerit: At utriuſque tum Legis, tum ejus Auctoris illuſtrata ſunt omnia ab Illuſtri Spanhemio luculentis editis Exercitationibus, quibus *Orbis Romanus* titulum fecit.

(*b*) L. un. Cod. Theod. de Jur. Italico Urb. Conſtant., & l. un. Cod. Juſt. De Priv. Urb. Conſt.

[*c*] De Rom. Imp. c. 48.

[*d*] De antiq. Jur. Ital. l. 2. c. 3.

Digitized by Google

cum omnino falſum dicere non auſim, illud tamen veriſimilius affirmari poſſe putaverim, pleraſque ex iis Coloniis, ni fortaſſe omnes, non *Latii*, ſed *Civium Romanorum* jura habuiſſe: cujus rei non leves conjecturas præbent ipſiuſmet Livii verba: Cum enim de iis Coloniis ſpecialem ſermonem inſtituens non *Latinas*, ſed *Populi Rom. Colonias* appellet, jam dubium relinquit, an Latinæ potius, quàm Civium Coloniæ intelligendæ ſint; Res autem ad poſterius jus ex ſequentibus verbis propendere videbitur, ſi iterum audire non pigeat Conſules, duodecim Coloniarum Imperium detrectantium Legatos ita alloquentes: *Admonerent non Campanos, neque Tarentinos eos eſſe, ſed Romanos, inde oriundos, inde in Colonias, atque in agrum bello captum ſtirpis augendæ cauſſa miſſos, quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, ſi ulla pietas, ſi memoria antiquæ Patriæ eſſet*. Ad hæc ſatis eas Colonias a ſociis diſtinxiſſe videtur Livius, nam cum earum in abnuendo Imperio obſtinationem referret, magnum in Senatu pavorem factum ſubdit, cum putaret *idem alias Colonias facturas, idem Socios conſenſiſſe omnes ad prodendam Annibali Urbem Romam*; nihil autem certum magis, quam Socios, quos Livius memorat ipſos intelligi Latinos, qui iidem ipſi diverſis ſæpe nominibus, nunc *ſocii* tantum, nunc *ſocii Latini*, *ſocii nominis Latini*, *ſocii nomenque Latinum*, *ſocii ab nomine latino*, *ſocii ac Latium* ipſi Livio, Saluſtio, Val. Maximo dicuntur. Dum igitur diverſam omnino *Coloniarum*, atque *Sociorum* mentionem ingeſſit Livius, diſcretè omnino de utriſque locutus, amplius juris, quam quod Socii Latini tum haberent, penes Colonias illas fuiſſe dicendum eſt; idque nonniſi ad Civium Romanorum jus referendum videtur. His accedit, quod qui pro duodeviginti Coloniis, quæ in fide manſerant, Conſulibus reſpondit, *& milites ex formula paratos eſſe, & ſi pluribus opus eſſet, plures daturos, & quicquid aliud imperaret, velletque Populus Romanus*, is M. Sextilius Fregellanus nomine appellatur a Livio, unus ex illis Legatis, quos ſingulæ Coloniæ in Urbem miſerant: Licet autem Fregellani haud proprium cognomen acceperis, ſed potius adjectum, ut Fregellanæ Coloniæ, quæ inter eas duodeviginti a Livio numeratur, Civis Legatuſque eſſe demonſtraretur, nonne Marci prænomen, Sextiliique nomen, quibus is vocabatur, Romanum Civem ſtatim nobis prodet? Ex prænominis enim, nominiſque uſu, eorumque vocabulis nullam barbariem ſonantibus optimum argumentum ſumi poterit, ad Romanum Civem indicandum, ut mox a me dicetur. Poſtremo has ſaltem duodeviginti Colonias, in quarum numero Beneventum fuit, nonne præclaram Civium Romanorum conditionem præ ſe tuliſſe apparent, quæ non ſolum aliarum imperium detrectantium exemplum haud fuerunt ſequutæ, verum etiam ſuo ſubſidio fecerunt, ut tum Imperium Populi Rom. ſtaret? Nonniſi ex ſumma illa neceſſitudine, quæ ex Juris communione manabat, tam promptè, obſequenterque ſuum exhibuiſſe officium putandæ ſunt; quid enim? poſt tam egregium meritum ſi unquam eo jure caruiſſent, utique tùm donatæ fuiſſent, ut eadem ac juſta magis liberalitate cum Colonis optime de Rep. meritis ageretur, qua Peregrinis in municipium ad id tempus receptis Senatus P. Q. R. uſus fuerat; at ejus rei nihil occurrit, ſed gratiæ dumtaxat a Senatu Populoque Rom. illis actæ leguntur; neque enim quicquam aliud, dum Civium jure fruerentur, præſtandum ſupererat, & ſane (ne ſolum Livium vel invitum videar adhibere) hanc Civitatis communionem ut aliis Coloniis, ita quoque Benevento, tum cum Colonia primum deducta fuerit, conceſſam non obſcure tradit Paterculus lib. 1. Cum enim ſingulas Colonias a Romanis poſt Urbem a Gallis captam deduci cæptas, enumerare inſtituat uſque ad Syllana tempora, quas inter Colonias ſuum Benevento locum, atque originem tribuit, Sempronio Sopho, & Appio Cæci filio Cos, nondum nullum in iis deducendis jus diſtinguit, ut nempe aliæ Latii, aliæ Civium Rom. jure donatæ fuerint, ſed potius omnibus Civitatem communicatam indiſcriminatim videtur tribuere, ſic initio ante Coloniarum recenſum præfatus. *Huic rei per idem tempus Civitatem propagatam* (a) *auctumque Rom. nomen communione juris haud intempeſtivè ſubtexturi ſumus*.

Atque hæc conjecturæ loco accepta velim, ut quaqua fieri poſſet ratione, ex remotiſſimæ vetuſtatis latebris veriſimile aliquod de Beneventanæ Coloniæ primævo Jure afferri poſſe videretur: ſiquidem non exiguo ejus ornamento, ac decori eſſe putabimus, ſi non *Latii*, ſed ipſo optimo *Civium Romanorum* jure ab ſuis primordiis donata fuerit, adeo ut ante Legem Juliam Rom. civitatis communione jam diu gaviſa cæteras Italicas Urbes non tam ejus juris nobilitate, quam reliquis, quibus aliunde enitebat, ornamentis antecelleret; Poſtea vero, quam Lex Julia fuit lata, non amplius dubitabimus, quin, ut cæteris Italicis, ita Beneventanæ

[a] Sic rectè legit Lipſius, nam prius plurali numero *Civitates propagatas* habebatur contra Paterculi mentem, atque manum, qui non Civitates propagatas, quæ jamdiu erant, ſed Romanam ipſam Civitatem Coloniarum deductione in alias Urbes propagatam intelligit.

Digitized by Google

ventanæ Urbi Civitatis Jura conceſſa ſint, quod non ſolum ex Julia Lege certum, verum etiam ex certa Tribu, cui Beneventanos adſcriptos fuiſſe conſtat: de qua re jam mihi agendum erit.

Tribus, quarum nomen Livius a Tributo, Varro vero, quod primùm in tres partes Pop. Romanus diſtributus fuerit, deducunt, Romanæ Gentis, atque Urbis conditor Romulus inſtituit; inſtituendique initium, & cauſam, confecto Sabino bello, ejus Gentis cum Romanis initum conſortium dedit; Rem totam, earumque Tribuum nomina paucis complectitur Aſconius *Divinat. in Verrem*. *Principio*, ait, *Tribus tres fuerunt, Tatienſium a Tatio Rege, Ramnenſis altera ab Romulo, Luceres altera* (cujus nominis & originis incertam cauſam aſſerit Livius) *ab Lucumone ſive Lucero, ſive a Luco, quem Aſylum vocaverat Romulus*. Aucto poſtmodum civium numero quarta etiam Tribus, ut Livius, Varro, ac Dionyſ. tradunt, adjecta a Servio Rege, qui eam, vetereſque alias ſuis nominibus ſpoliatas ab locis Urbis appellandas maluit; eæque ſunt quatuor urbanæ Tribus, *Palatina*, *Suburrana*, *Exquilina*, *Collina*, quæ eodem deinceps numero ac nomine intra Urbem perpetuò conſtiterunt: tùm nova & civium, & agri acceſſione novæ quoque Tribus extra Urbem inſtitui cœptæ, *Ruſticæ* ad Urbanarum differentiam appellatæ, quarum omnium prior videtur fuiſſe Claudia ab Ap. Claudio, qui cum ſuis Clientibus Regillo Romam adveniens cum civitatis jure etiam agri partem, ubi ea Tribus de ſuo nomine appellata eſt, obtinuit, quamquam veterem fuiſſe eam Tribum novo tum Claudiæ nomine inſignitam indicare videatur Livius 2. 46., ex quo rurſus anno ab V. C 369. aliarum Tribuum initia diſcimus, dum ait: *Tribus quatuor ex novis civibus additæ Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narnienſis*; quod de aliis ſequenti tempore, dum in rem incidit, idem auctor narrat, donec ad xxxv. Romanas Tribus perventum fuiſſet, quem numerum omnino retinendum ſuadet non ipſius tantum Livii, ſed etiam Ciceronis auctoritas, qui paſſim (*a*) eum ſolum numerum admittit, cui recentioris ævi lapides aſſentiuntur, nempe Tiberii apud Fabrett. p. 395. Trajani apud Gruter. p. 246. 8., itaut fruſtra ex aliis quibuſdam Tribubus diverſo nomine inter veterum monumenta repertis (nam binomines aliquando Tribus fuiſſe, vel veteri abjecto novum ex loco nomen, vel in alicujus perſonæ gratiam aſſumſiſſe ſatis veriſimile exempla aliqua probant) de numero ipſo ſtatuendo viri docti laboraverint. Ex his autem illud, quod mihi propoſueram, præclarè ſequitur, nullam fuiſſe Tribum, quæ non Romanis civibus conſtituta eſſet, neminem vero in Romanam Tribum relatum, qui non Civis eſſet Romanus: unde ex Verrio Flacco recte docuit Gellius l. 18. c. 7. *Tribus & Decurias dici & pro loco & pro jure, & pro hominibus*.

Cum igitur inter Romanos Cives quis adſciſceretur, vel etiam Populus quiſpiam peregrinus in Civitatis Romanæ communionem admitteretur, poſtquam triginta & quinque Tribuum numerus expletus fuerit (non enim plures augeri placuit, dum octo illæ, Civitate poſt Bellum ſociale Italicis conceſſa, additæ, mox abolitæ fuerunt) in earum Tribuum aliquam aſcribi mos erat (*b*); quod quum factum eſſet, ſtatim jus ferendorum ſuffragiornm, honorumque petendorum, æquo prorſus optimoque ipſo Romanorum Civium jure, illis patebat; itaut abſentes licet, ſuiſque in Urbibus degentes, ejus tamen certæ Tribus, in qua cenſi fuiſſent, jura omnia aſſequuti, Comitiorum tempore Romam contenderent, ſuaque cum reliquis Tribulibus ſuffragia ferrent.

Beneventanos itaque, poſtquam Civitatem Romanam adepti fuere, Tribum etiam ſibi propriam obtinuiſſe non eſt dubium; quod quum vel Municipii collato jure, vel Coloniæ deductione contigiſſe potuerit, videndum, an aliquando ex Municipii cauſſa (quandoquidem ex Coloniæ jam conſtat) Beneventani Romanarum Tribuum communionem aſſequuti fuerint: quærendi occaſionem præbent bini noſtri Lapides, ex quibus inſigniorem (alibi tamen uberiùs illuſtrandum) heic afferre libet.

C. OCTA-

[*a*] In Verr. 1. 5. Agrar. II. 7. Philip. VI. 5.

(*b*) Livius l. 38. 36. *Rogatio perlata eſt, ut in Æmilia Tribu Formiani, & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his Tribubus tunc primum ex Valerii Plebiſcito cenſi ſunt*.

Digitized by Google

C. OCTAVIO C. F.
PAL. MODESTO
AVGVR. IIVIR. I. D. QVAEST. II.
PRAEF. FABR. ROMAE . PRAEF.
COH. II. PANNONIOR. PRAEF.
COH. III. ITVRAEOR. TRIB. MIL
LEG. IIII. SCYTHIC. CVRAT. REI
P. AFCANOR. ITEM HONORA
TO AD CVRAM KALENDARI
REIP. CANVSINOR. A. DIVO TRA
IANO PARTICO ET AB IMP. HA
DRIANO AVG. HIC OPVS QVADRI
GAE CVM EFFIGIE IMP. HADRI
ANI AVG. CITRA VLLIVS POSTV
LATION. CVM MVNICIPIBVS
SVIS OBTVLISSET EX ARGENTI
LIBRIS ∞ ADIECTIS AMPLIVS
LIBRIS ƀVII. VIRITIM PO
PVLO ✻ SING. DISTRIBVTIS
DEDICARI CAVIT
P. D. D.

ubi vides ab hocce C. Octavio Modeſto Cives ſuos Municipum nomine appellari: at ſi hos lapides excipias, Beneventum aliquando Municipium fuiſſe novi nunquam (*a*): Scio eruditum Equitem Oliverium ad Marmor Piſaurenſe mutilum num. 45. ubi occurrit: *Piſaur. Municip.* Piſaurum vere Municipium appellatum exiſtimaſſe, quin nempe ex Colonia in Municipii ſtatum aliquando redactum fuerit, idque ſibi perſuaſit ex eo, quod in publicis monumentis vocabulorum proprietas maxime ſervaretur, præſertim extremis Reip., vel primis Imperii temporibus, ad quæ ejus marmoris antiquitatem ob Cognominum defectum extollit: ſed ut-ut ſit de Piſauro, quod Beneventum attinet, dum alia hujus rei monumenta deſint, haud ſane auſerim ſola horum lapidum fide, ubi Beneventani Municipes appellantur, id ipſum de Benevento affirmare; notiſſima enim res eſt, etiam melioris ævi Veteres hujuſmodi vocabulum contra propriam ſignificationem uſurpaſſe, quod longe ante Gellium (*b*) notavit Ulpianus (*c*) qui poſt traditam Municipum ſignificationem, *ſed nunc* (inquit) *abuſivè municipes dicimus ſuæ cujuſque Civitatis Cives, ut puta Campanos, Puteolanos, Coloniæ nempè utriuſque incolas.*

Itaque miſſo Municipii jure, ad Coloniæ conditionem, quæ initio ſemel accepta, nunquam a Beneventanis mutata videtur, Tribum, in qua illi cenſi fuerint, referendam eſſe arbitror: ſed quæ propria Beneventanorum Tribus extiterit, ex plurium, quæ in noſtris lapidibus memorantur, Tribuum diverſitate non ſatis conſtat; itaut potius, quæ ex tot Tribubus, Beneventanorum propria fuerit, quam ut in Romanam Tribum eos adſcriptos probemus, jam nobis ſit laborandum: & ſane in Palatina adſcriptus legitur C. Octavius Modeſtus, cujus lapidem modo

[*a*] Quod de propria Municipii ſignificatione intelligendum eſt, nam ſera ætate præter dictum lapidem Municipes Beneventanos etiam abuſive uſurpatos invenio in Epiſtola Gelaſii Pontificis ad Epiphanium Epiſcopum Beneventanum, qui floruit an. 499. En verba ex Gratiano *Cauſ.* 17. q. 4. c. 10. *Frater & Coepiſcopus noſter Epiphanius ſua nobis relatione ſuggeſſit, Benenatum, & Maurum Beneventanæ Municipes Civitatis in Contumelia Religionis acerba nimis, & plectibili contutumacia proſiluiſſe &c.*

[*b*] Noct. Act. l. 16. c. 13.

[*c*] L. 1. Dig. Ad Municipal.

Digitized by Google

modo recitavimus, quem etiam *Municipes ſuos* appellantem Beneventanum Civem fuiſſe non dubitabimus, ut de ſequentibus dicendum eſt, quorum Lapides in hanc rem conſulto ſelegi: Sic C. Luccius C. F. Stellatinâ Sabinus, qui dicitur *Beneventi Decurio*; item C. Catius C. F. Meneniâ Balbus, nec non Q. Platius Q. F. Quirinâ Romanus, & quod incertiorem rem facit, in eodem ipſo Lapide, qui hujus Diſſertationis eſt titulus, duæ diverſæ Tribus duobus Civibus junctim commemoratis ſeſe ſimul produnt nam C. Firmilius in Pupiniam, L. Terentius in Stellatinam adſcripti leguntur: Adde, quod de hiſce Tribubus, nimirum Palatina, Stellatina, Quirina, Menenia, Pupinia æquè frequens in aliis noſtris Lapidibus, (ut in Theſauro ſpectare eſt) habetur mentio; itaut utra earum ad Beneventanos in univerſum ſpectaverit, vix etiam conjectare detur; At de hac re, quam obſervaſſe præſtat, prius quid alii, dein dicam ipſe quid ſentiam.

Ex loco quidem Livii, qui univerſos Formianos, & Fundanos in Æmilia, Arpinates in Cornelia cenſos narrat, jamdiu Viris doctis ea inſedit ſententia, ut omnes cujuſquæ Coloniæ, aut Municipii Cives in unam eandemque Tribum adſcriberentur, quæ uni Civium propria, omnibus deberet eſſe communis: Quod & ratio, & neceſſitas ita fieri poſtulabat, ne aliter qui unius loci eſſent Cives, in diverſis Tribubus cenſi, Comitiorum tempore inter ſe ſegregati ſuæ quiſque Tribui ſe conſociantes fraudi locum facerent, aut Comitia ipſa perturbarent: Hinc in Urbe una noniſi unam, cui adſcripta eſſet, Tribum agnoſcit Sigonius (*a*), qui ex L. Æmilii Mutinenſis, qui dicitur Polliâ, M. Apicii Veronenſis, qui dicitur Publiâ, C. Umbricii Florentini, qui dicitur Scaptiâ, & ſic ex aliorum Lapidibus, omnes Mutinenſes in Pollia, omneſque Veronenſes in Publilia, ac Florentinos in Scaptia cenſos affirmat; quod de Piſanis quoque ſtatuit Card. Noriſius (*b*) qui aliquot Lapidum fide, Galeriæ eos docet adſcriptos: Quid, quod de Beneventanis idem tuliſſe judicium invenio Viros clariſſimos, noſtrique Ævi eruditiſſimos Muratorium (*c*) atque Gorium (*d*), quorum pari ſententia, unius vel alterius Lapidis teſtimonio, Stellatinæ Tribui Beneventani omnes adjudicantur.

At quam fallax ſit ejuſmodi judicium, Lapides ipſi manifeſtè declarant: dum enim ex altero ejuſdem Urbis Lapide altera prodeat Tribus, aut ſi ex pluribus ejuſdemmet Urbis Lapidibus, ut de Benevento jam conſtat, plures appareant Tribus, quæ ejuſdem loci Civium propriæ fuerunt, jam neſciet quis, (ſi modo de unâ velit tantùm contendere) quæ tandem illa fuerit, in qua univerſi Cives olim cenſerentur: Itaque ſic ego ſtatuebam.

Primum diſtinguendum eſſe animadverto illum Tribuum numerum, qui in ſingularem perſonam, ab eo, qui in diverſos ejuſdem loci homines ſeſe effundit: nam, quod unus idemque Civis in binas, aut plures Tribus adſcriberetur, in iiſque omnibus uno tempore, uniſque Comitiis ſua ferre ſuffragia poſſet, nullo pacto conceſſerim: ſunt quidem ex univerſa Antiquitate tres Lapides, qui hujus rei teſtes proferri queunt, quorum prior ad Auguſtum pertinet his verbis apud Grut. p. 226. 3.

(*a*) De Jur. Ital. l. 3. c. 3.

(*b*) Cenotaph. Piſ. Diſſ. 1. c. 1.

(*c*) Murator. p. 842. n. 4. ad inſignem Inſcriptionem repertam in Opp. Oſtroc Comitatus Hadzzeg. in Tranſilvania, ubi initio ſic legitur: *Sex. Pilonius Sex. F. . . .* STE. *Modeſtus Benevento*: hæc ſubdit: *Beneventani adſcripti fuere Tribui Stellatinæ.*

[*d*] Gorius Inſcr. Etruſc. T. 2. p. 191. ad Lapidem L. Petronii ab Arretinis dedicatum ita commentatur: *In Sabatina Tribu Petronium cenſum fuiſſe conſtat, quare ſuſpicari aliquis poſſet, eum Volaterris originem duxiſſe, nam, ut vidimus, Sabatina Tribus propria Volaterranorum fuit . . . . . Sed id certò affirmari non poteſt, cum una, eademque Tribus pluribus municipiis, & Coloniis communis non rarò fuerit: libet id confirmare eorundem lapidum teſtimonio: Probè omnibus eruditis perſpectum in Stellatina Tribu Cortonenſes ſuffragia tuliſſe, ut inferius conſtabit, & tamen eam quoque Beneventanis communem fuiſſe indicat ſequens ſepulcralis ineditus titulus ibidem erutus, qui extat in Eccleſia S. Feſti ex MSS. Cod. Redii: id etiam clariſſimè liquet Ordini Ampliſſimo ſplendidiſſimoque Decurionum . . . . haud accenſos niſi ejuſdem Coloniæ, aut Municipii Cives . . . . ſed ecce prælaudatus titulus*: C. TVCCIVS C. F. STELL. SABINVS BENEVENTI DECVRIO VIVVS SIBI ET OFILLIAE VXORI ET TVCCIO VERECVNDO FRATRI POSTERISQ. SVIS FECIT. Exhibet etiam hunc Lapidem Muratorius p. 1032. n. 7. iiſdem verbis, iiſdemque mendis ſcatentem; imo, & æquè mutilum, nam plurima deſunt, quæ in noſtro Theſauro habebis: nunc, quod attinet, Beneventanos omnes in Stellatinam fuiſſe conjectos ex eo Lapide perſuaſum fuit Gorio, cui etiam quæſtio illa [ut id obiter notem] ſupervacua eſſe debuit, an ſcilicet una eademque Tribus pluribus Municipiis, Coloniiſve communis aliquando fuerit: De iſta enim re nemo unquam vel leviter dubitaverit, quam certam exploratamque omninò efficit exiguus Tribuum numerus, qui ad XXXV. attingebat; quo enim modo innumeris Coloniis, Civitatis jure donatis conſulendum erat, niſi plures in eadem Tribu cenſerentur?

Digitized by Google

C. IVLIO . C. F.
FAB. SCAPT
CAESARI
AVGVSTO

Posteriores duos ex Grutero eodem p. 435. 1. & 918. 16. exhibet Grævius in Cic. ad Att. 4. 16.

L. MANLIO A. F. Q. MINVCIO
AN. GAL. BOCCH. Q. F. FAB. POP.
MACRO

Quibus, si cui lubet, addi posset *Opimius* VEIEN. TRO. *Antius* qui in eadem Epistola occurrit, quam lectionem in multis libris depravatam, atque ab aliis variè correctam, ita Grævius restituendam putat, ut Opimius, Vejentinæ Tromentinæque Tribubus simul adscriptus fuerit, ut Augustus Fabiæ, & Scaptiæ, L. Manlius Anniæ, & Galeriæ, Q. Minucius Fabiæ, & Popiliæ, quorum exemplis restitutam lectionem tuetur: At de ipso Ciceronis loco cum non rectè constet, itaut dubio exemplo uti nefas sit, adhuc etiam de posteriorum Lapidum fide suspicari licebit: quorum alterum, ex cognomine *Bocchi*, quod a Romanis prorsus abhorret, vix credibile habet, ut peregrinus homo in Civitatem adlectus duplicem Tribum, quod nulli etiam ex primoribus veterum Romanorum concessum, obtinere potuisset; alterum verò mendosum esse constat ex eodem Grutero, qui antea pag. 438. 8. pleniorem, & correctiorem exhibet ex Manutii, & Verderii schedis in hæc verba: Q. MINICIO Q. F. POP. MACRO &c. ut jam Tribus Annia, quæ Popiliæ adhæserat, omnino evanescat. Reliquus est Augusti lapis Brixiæ repertus, cujus fidem libenter ego amplexus ex Sveton. c. 40. qui *Fabianos*, *& Scaptienses* Augusti tribules disertè memorat, nullum tamen ex eo exemplum rectè peti posse contendo; quid enim? minimum omnium hoc profecto fuit, quod Augusti fortunæ, & auctoritati obtigisse potuit, ut ambæ Tribus, quarum Scaptia gentilis ei fuit, in quam Octavia Familia censebatur, Fabia vero, quæ Juliorum, in quam adoptionis jure transivit, ambæ, inquam, Tribulem æquè suum jactarent; ita enim suo potius, quam illius honori consulebant, in quem summis honoribus libertatem quoque Reip. lædentibus afficiendum omnium studia ad adulationem usque jamdiù fervebant: neque ex ea re minuendorum Populi suffragiorum metus erat, cum jam anteà (*a*) a Julio Cæsare dictatore perpetuo divisis pro dimidia parte inter se, ac Populum suffragiis, ea suffragiorum jura sibi ademta Resp. ferre consueverat, quod tamen exemplum continuato, imo firmato jam Principatu imitari noluit Augustus, qui Populo restituit suffragia, reducto pristino comitiorum jure (*b*): non retinerent autem Tribulem suum Augustum eæ duæ Tribus? cum jam Tribus ipsæ ex Principum nomine novum sibi, mutui honoris caussa, nomen facere cæpissent: sic de *Julia* Tribu inter alios honores Cæsari Dictatori habitos testatur Dio l. 44. & Lapides apud Grut. p. 540. 4. & 924. 15. De *Augusta* Lapis apud Fabrett. c. 4. n. 513. quod erga sequentes Principes non semel factum est; nam ex Trajano *Ulpiam* Tribum cognominatam docet Lapis apud Grut. p. 802. 9. ex Domitiano *Flaviam* p. 566. 5. quas haud novas Tribus ex integro constitutas, sed veteres ipsas, veteri abjecto nomine, recens id nomen, ut Principis nomini blandirentur, sibi assumsisse omnino credendum est.

Quæ cum ita sint, ex uno Augusti exemplo rem totam definire, ut nimirum fuerint aliquando qui in duplicem Tribum nomina darent, absurdum est, eòque gravius, dum, si audiatur Heineccius (*c*), ex eodem Augusti exemplo jam in adoptivis omnibus jus idem statui placeat, sicque *unus idemque Civis in duplici Tribu ferebat suffragia, si se dedisset alteri in adoptionem; hunc enim & Patris naturalis Tribum retinebat, & Tribui Patris adoptivi adscribebatur*: quod omnino falsum censeri debet, nihil enim apud Romanos antiquius, quàm, cum quis per adoptionem in alterius Familiam transiret, nulla in eo veteris Familiæ jura amplius agnosci, cujus vix nomen in cognomen derivatum, solius memoriæ causa servare permittebatur; cætera enim omnia, quæ Civis Romani erant, ut puta, Hereditates, Sacra, quæ in sua naturali Familia obtinebat, integra amittebat, ex quo cum ipso nomine eadem adoptivæ Familiæ jura assecutus esset: Præclarè id explicat Cicero (*d*), ubi fictam adoptionem, qua Clodius, ut Tribunatum gerere posset, in Plebejam Familiam Fontejam simulatè se transtulit, his verbis ei exprobat:

[*a*] Sveton. in Jul. c. 41.
[*b*] Sveton. in Octav. c. 40.
[*c*] Antiq. Rom. in Append. l. 1. c. 1. n. 64.
[*d*] Pro Dom. c. 13.

Digitized by Google

bat: *Tu neque Fontejus es, qui esse debebas: neque Patris Heres; neque amissis sacris paternis in hæc adoptiva venisti*. Amittebantur igitur ad adoptato veteris familiæ jura omnia, ac proinde Tribus illa, in qua olim cum suis gentilibus censebatur, quum in adoptivæ familiæ nomen, jura, ac Tribum translatus esset. Id quod disertis verbis, quod Tribum spectat, confirmat P. Scipio (*a*) in ea oratione, quam Censor habuit ad populum *de moribus*, ubi inter alia simulatarum adoptionum, quæ contra majorum instituta tum fieri solebant, fraudes ostendens, non solum Patri adoptatori filium adoptivum inter præmia Patrum prodesse querebatur, verum etiam *in alia Tribu Patrem, in alia Filium suffragium ferre*: quod ita intelligendum est, ut ob simulatam adoptionem adoptivus non in adoptantis Tribum transiret, sed in sua gentili Tribu etiam post adoptionem permaneret, cum tamen, ut ex ipsius Scipionis verbis optimè colligitur, in eadem adoptantis Tribu adoptivus censeri debuisset: tantum abest, ut utramque Tribum adoptivus retinere posset, quæ maxima omnium fraus fuisset, nunquam profecto, ut Scipionis silentium probat, committi solita, tametsi facili negotio patrari poterat, si unquam in legitimis adoptionibus institutum illud de duplici retinenda Tribu viguisset.

Atque hinc (quod hactenus nemini fortasse animadversum fuit) patet causa, cur vetere Romanorum Jure (nam Rep. eversa privilegium hocce, quamquam etiam rarò, a Principibus dabatur) nemo posset Romanæ (*b*), alteriusque Civitatis simul Civis esse; in alterutra enim Civis esse debebat, itaut si Civitati alteri nomen datum esset, statim Romanam amitti oportebat: Ita Cic. pro Balb. c. 28. *Duarum Civitatum Civis esse nostro jure civili nemo potest; non esse hujus Civitatis Civis, qui se alii Civitati dicavit, potest*: & rursus pro A. Cæcin. c. 34. Unde T. Pomponius Atticus Ciceronis familiarissimus Athenienſium Civem eum suum acclamantium studia neglexit: *quod nonnulli* (inquit Corn. Nepos in ejus vita) *ita interpretantur, amitti Civitatem Romanam alia adscita*; Causa, inquam, ea, ni fallor, fuisse videtur, quod cum inter Romanam Civitatem, aliasque nullum Juris discrimen esset, quippe quæ æquo Principis Urbis jure jam donatæ fuissent, fieri inde poterat, ut unus, idemque Civis, propterea quod in pluribus Civitatibus, earumque propriis Tribubus adscriptus esset, eo prætextu, aut ratione in diversis Tribubus suffragia ferre posset, quod nullo jure, exemplove licuisse constat. Neque Attici exemplum hanc meam conjecturam excludit ex eo, quod Athenienses nihil cum Romanis commune haberent, a quibus, teste Strabone, libertate donati, legibus Magistratibusque suis, ut antea, vivere permittebantur, nam Sylla, ut tradit Appianus, Piræum concremasse contentus pristinam libertatem concessit, quam etiam indulsit eis Cæsar, licet adversus se pro Pompejo stetissent, ut id Appian. & Dio testantur: Etenim non illud omnino certum, quod Athenienſis factus Civitatem Rom. statim Atticus amittere debuisset, cujus qualis in ea re mens fuerit, non constat, sed aliorum tantum interpretationem opinionemque affert Nepos, neque unquam ab eo Civitatem Romanam amissam legimus, quamquam contra Nepotem stet optimus testis Cicero, qui in pluribus ad eumdem Atticum epistolis, præsertim l. 1. ep. 16. & l. 2. ep. 1. nunc Athenienses, nunc Demosthenem illius Cives apertè vocat; ut certe non diuturno tantum, ut plerique ex recentioribus opinantur, *domicilio*, quo nonnisi incola dicendus fuisset, sed *adlectione* Civis demum fuisse credendus sit, nullo amittendæ Civitatis Romanæ periculo, dum ex diversis utriusque Civitatis juribus ratio illa duplicandarum Tribuum, augendique suffragiorum juris omnino cessare videbatur. Quod ubi abesset, illud ego quoque tutus affirmaverim, potuisse Romanum Civem, in duabus Civitatibus Romano jure æquè pollentibus nomina retinere, quod præclarè satis explicat idem Cicero dum in *de Legibus l. 2. c. 1.* duplicem cuique Patriam esse posse ostendit, ut Catoni Tusculum, & Romam, ut sibi Arpinum, & Romam, nimirum, *unam naturæ, alteram Civitatis*: at de his hactenus.

Ad eum Tribuum numerum, seu diversitatem quod attinet, quæ inter plures ejusdem loci Cives frequentius spectabatur, non ego abnuerim in una omnes Tribu censos dici oportere tum, cum alicui Oppido in universum Civitatis Romanæ jura primùm concessa fuerint, aut Romanorum Civium Colonia sit illuc deducta; priorem partem spectat Formianorum, Fundanorum, & Arpinatum exemplum, quod nuper e Livio accepimus, cum enim ii Populi Civitate jam fuissent donati, singuli propriam Tribum Valerii plebiscito acceperunt, in qua

[*a*] Apud Gell. l. v. c. 19.

[*b*] Apud Græcos secùs res se habuit, ubi passim mos tenuit, unum, eundemque Hominem plurium Urbium simul Civem fuisse, idque præsertim Viris arte aliqua, aut doctrina clarissimis sæpe contigit. Vide de hac re Spanhem. Orb. Rom. Exercit. 1. c. 4., cujus inter alia, pulcherrima ac satis verisimilis conjectura, cur adeò de Homero Cive tot Græciæ Urbes inter se certaverint? cum enim singulæ in suum Civem adlegissent, jam quæ natalis ei Urbs fuerit, oblivioni datum.

Digitized by Google

universi censi sunt: idem cum Sabinis factum credere par est, quibus cum primum Civitas sine suffragio data fuerit, postea vero, (ut inquit Paterc. l.1.) *Suffragii ferendi jus datum*, ea de causa Sabini omnes in unam Tribum conjecti fuere: Haud secus in Coloniarum deductionibus servatum verisimile satis est: Licet enim non ex una, sed diversis e Tribubus deducendorum Colonorum delectum fieri consuesse rectè existimemus, omnes tamen, si Civium Romanorum optimo jure ea Colonia deduceretur, in unam translatos Tribum non ineptè arbitrabimur; id enim postulare videbatur ratio novæ illius ab Romana propagatæ Civitatis, quæ nunc primum ex integro constituta, seu etiam, ut ajebant, condita satis commodè uni Tribui adscribi poterat: sed his demum exceptis, nihil obstare videbatur, quin ex aliis plerumque causis plures ejusdem loci Cives in diversis Tribubus censerentur.

Prima illa esse videtur, quam ex iisdem Coloniarum deductionibus rectè petimus, dum tamen plures in eundem locum deductiones factas esse constat. Quis enim sibi verisimile persuadeat, aut in subsequentibus deductionibus veterum Colonorum omnium familias fuisse extinctas, aut, si quæ veteres essent priorum Colonorum familiæ novis supervenientibus in statutam istorum Tribum transisse? Imo nihil contra verisimilius, quàm veteres Colonos in sua quosque Tribu sese continuisse, qui ægro plerumque animo in suos lares atque agros recentes Colonos excipiebant, cum quibus nonnunquam ea de re dissidia erant, & jurgia; quod (ne alia exempla quæram) inter Pompejanos, & novos Colonos a P. Sulla deductos, eveniisse testis est Cicero (*a*). At quid moror? Plures alias, quæ passim hanc Tribuum inter ejusdem loci Cives diversitatem inducebant, causas Viri docti notarunt (*b*); nempæ *Adoptionis, Habitationis, Census*, quibus aliam ego addiderim, *Accusationis*, dum Tribum *Damnati*, si ea nobilior suâ esset (*c*), tanquam accusationis præmium *Accusator* consequebatur, teste Cicerone *pro Balb. c.25.* Verùm hæc omnia Cl. Oliverio minime probari video, qui ejusmodi causas de Romanis indigenis duntaxat certas agnoscit: *poterant enim* (inquit (*d*) *Romani occasione adoptionis, habitationis, Census, vel similis de una in aliam Tribum percommodè transire, in omnes enim Tribus Romani distribuebantur; verùm alia caussa quærenda est in Coloniis, & Municipiis, quæ integra cum universis Civibus uni ex Tribubus adscribebantur*: Hinc Pisaurenses suos modò in Camilia, modo in Palatina, modo in Sabatina censos nactus, sic statuit: ut primùm in Camilia post bellum sociale censi, postea verò,

[*a*] Pro Sulla c. 21. ubi Pompejani non alii, quam Cives Pompeii Campaniæ Oppidi propè Neapolim.

[*b*] Reinesius Class. 2. 24. Sponius Miscell. sect. 2. art. XI. Capponius apud Malvas. Mar. Fels. p. 118 qui Bononienses modo in Lemonia, modo in Stellatina censos ob novos Colonos ab Augusto Bononiam deductos conjectavit; atque ad has iteratas deductiones Tribuum diversitatem omninò retulit Fontaninius in Antiq. Hortæ l. 1. c. 2.

[*c*] Quæ causa, ut dixi, inter alias fuit Tribuum diversitatis inter ejusdem loci Cives: Constat enim, præcipuum illud Censorum munus fuisse, ut veluti Magistri morum constituti in eos Romanos Cives, qui turpiter viverent, variis pro modo culpæ pœnis animadverterent: *Censores* (inquit Livius l. 24. c. . . .) *vacui ab operum locandorum cura propter inopiam Ærarii, ad mores hominum regendos animum adverterunt; castigandaque vitia, quæ veluti diutinis morbis corpora ex sese gignunt, nata bello erant*: Pœnarum autem summa illa erat, ut qui Cives flagitiosam, Romanoque Viro indignam vitam ducerent, Civitate privarentur; quod tamen non uno modo eveniebat, nam præter Senatores, qui Senatorio ordine tunc moti censebantur, si in Collegarum recensu alicujus Senatoris nomen consultò præteriretur, præter etiam Equites, qui publicum, privatumve, quem alerent equum vendere jussi, ex ea re equestri ordine privati censebantur, reliqui omnes, qui universim Plebis nomine Cives habebantur, Censorum sententiâ, vel ademta penitus Civitate in Cæritum tabulas, aut inter Ærarios referebantur, vel saltem ex honestiore, in qua erant Tribu ad minus honestam aliam transire cogebantur: ex Tribubus enim aliam aliâ honestiorem fuisse sive Auctorum, sive Tribulium nobilitate, imprimisque Rusticas Urbanis præstitisse jam constat; cum enim Urbanæ Libertinis refertæ fuerint, quos antea ab Ap. Claudio Censore per omnes Tribus distributos, dein a Q. Fabio, & P. Decio Censoribus in Urbanas simul conjectos narrat Livius l. IX. 46., jam illa ejusmodi hominum conditione moribusque fœdatæ plurimum detrimenti ingenuæ Romanæ virtuti intulere, ut hi propterea in rusticas Tribus secesserint: Hinc ab Rusticis ad Urbanas Tribus transferri infamiæ, ac magni supplicii loco habebatur, unde Plin. l. 18. 2. *Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent: Urbanæ verò, in quas transferri ignominiæ erat, desidiæ, & probro*: Ut igitur Romæ, ita quoque in Coloniis Censores *Quinquennalium* sæpè nomine appellati; ac de Colonicis quidem Censoribus diserte Livius l. 29. c. 15. ubi Censum commemorat in Coloniis actum eadem Populi Romani formulâ, quam deferri Romam mos erat *à juratis Censoribus Coloniarum, priusquam Magistratu abirent*: An igitur nunquam fieri potuisse existimabimus, ut Censores Colonici eos Cives, qui turpem vitam ducere convincebantur, nobiliore Tribu motos in deteriorem aliam detruserint? Liv. l. 45. 15. *Negavit Claudius Censor suffragii lationem injussu Populi Censorem cuiquam homini, nedum universo ordini adimere posse: neque enim si Tribu movere posset, quod nihil sit aliud, quam jubere mutare Tribum, ideo omnibus quinque & triginta Tribubus movere posse.*

[*d*] Marm. Pisaur. Not. XXXI.

Digitized by Google

verò, eà Tribu diſſolutâ, in Palatinam translati, reſtitutâ demum Camillia partim in eam Veterum Tribum ad generis ſui oſtentationem ſint regreſſi, partim Palatinam retinuerint; Sabatinam autem ad poſtrema Imperii tempora deducit, quando ſcilicet Comitiis ſublatis Cives Romani Tribum, quam maluiſſent, ſolius honoris cauſſa ſibi addebant: atque hæc quidem doctus Eques de Piſaurenſibus ſuis ingenioſiſſimè excogitavit, quæ tamen an rectè conſtent non quæro, ad reliquas autem Colonias omnes trahi poſſe omninò nego, in quibus, ut diverſarum Tribuum peculiares cuiquæ cauſas quæramus, fruſtra erit laboraſſe: Hinc nihil tutius, aut etiam certius, quàm iis ſatis obviis, manifeſtiſque rationibus rem definire: neque enim inter Romanos indigenas, & Colonos diſcrimen ullum agnoſcere licet, dum Jus Tribuum nunquam loco, aut habitationi affixum fuiſſe conſtat; imò quum Romanis indigenis fas eſſet promiſcua Tribuum adſcriptione uti, quid vetat ut ex iiſdem ferè omnibus, quibus illi, cauſſis etiam alii, qui extra Romam æquo atque optimo Civium Rom. Jure potiebantur, in diverſas Tribus adſcribi potuerint?

At ſicuti id verum putabimus, ita etiam in ea Tribuum diverſitate, quæ in eadem Colonia fuit, aliquam ex tot Tribubus, in quas Cives diſtribuebantur, extitiſſe veriſimile eſt, cui ab ſua origine Colonia adſcripta fuit, nomenque ſuum Cives pro magna parte dare deinceps ſolerent: Hinc licet in Stellatinâ, Papiriâ, Meneniâ, Palatinâ, Quirinâ Beneventanos æquè Cenſos noſtri Lapides teſtentur, non abnuerim tamen primum locum Stellatinæ tribuere. Hanc A. U. 369. ortum habuiſſe conſtat ex Livio, qui l. 6. 5. *Eo anno*, ait, *in Civitatem accepti, qui Vejentium, Capenatium, Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis Civibus aſſignatus: Tribus quatuor ex novis Civibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narnienſis*: *Stellatinæ* initium notare volui, ne cui fortaſſe in mentem veniat eam a Stellate Campo prope Capuam nomen duxiſſe, cum enim in eos fines nondum eo tempore Romani ſuum Imperium protuliſſent, illud ſemper verum erit quod tum Cato in Originum fragmentis, ac Fabius Pictor a Sigonio teſtes adducti, tum etiam Feſtus tradidere, a Stellatibus Hetruriæ populis in Civitatem Romanam commigrantibus ejuſmodi nomen Tribui factum; non igitur a Campaniæ campo Stellate, quod Benevento propior eſſet, conjectura ulla eſſe poteſt: Cum autem, ſi in noſtros Lapides univerſos oculos ſedulo intenderimus, non alia frequentior, quam Stellatinæ Tribus occurret mentio, in eaque (quod in aliis non item conſtat) omnium fere ordinum profeſſionumque viri adſcripti habeantur, probabile tandem videri poteſt eam Tribum inter Ruſticas ſatis præſtantem præcipuè a Beneventanis fuiſſe frequentatam: quod ſi in ſolam militarem profeſſionem res deduci velit, univerſi plane (ſi unum, aut alterum demas) qui militiam ſequuti ſunt ſummis etiam in illa muneribus perfuncti invenientur, qui in Stellatina Tribu cenſeri gauderent, ut militares Lapides excurrenti (quos ad xxv. ſuperſtites noſter theſaurus exhibebit) ſtatim compertum erit; qui ſanè Beneventanorum militum in ea ſola Tribu recenſus, vel potius ex ea ſola Tribu Beneventanorum militum delectus, (& quidem ut in Romana militia pro jure Civium, quod obtinebant, Legionarii eſſent, in qua etiam per omnes gradus ad Tribunatum aliquando perveniſſe conſtat) non aliam, quàm Stellatinam Beneventanis Civibus aut frequentiorem, aut antiquiorem, aut certe nobiliorem fuiſſe demonſtrat.

CAPUT QUARTUM
In reliqua Marmoris verba Commentarius.

POſtquam Beneventanæ tùm Urbis tùm Coloniæ origines, nomina, fortunæque vices longo, ac difficili emenſo ſpatio percurriſſe jam fategerimus, ſupereſt modo, ut, qui hujuſmodi exequendis rebus opportunam dederit occaſionem, ipſiuſmet lapidis reliquis verbis illuſtrandis operam aliquam poſtremo loco impendamus: quod tum ex prædictis jure meritoque ipſe ſibi Lapis præſtandum expoſtulat, tum quoque ex eo, quod pleraque adhuc obſervanda exhibeat, quæ nec me profecto piguit paulo diligentius animadvertiſſe, nec alios jam animadverſa noviſſe fortaſſe pœnitebit. Priuſquam tamen rem hanc penitus exequi inſtituam, aliqua de ipſius Lapidis fato, quæ hactenus comperta habui, dicam. In MMS. antiquis ſchedis, quæ apud me aſſervantur Lapidem hunc ann. 1670. prope Arpadii oppidum, ubi antiquum Caudium fuiſſe conſtat, effoſſum fuiſſe habetur; ſed ante eum annum hunc Lapidem in numeroſiores tamen lineas diſtributum protulit Cam. Peregrinus in Camp. Fel. Diſſ. 2. c. 5. quod opus vulgatum

Digitized by Google

tum fuit an. 1651. ubi illud etiam Peregrinus teſtatur, eundem Lapidem olim eluvionibus imbrium detectum *Arpajæ*, ſed mox eodem caſu denuò humi conſepultum diſperiiſſe: Potuit igitur Lapis ipſe rurſus dicto anno 1670., ut noſtræ ſchedæ habent, lucem aſpexiſſe: ſed tamen Peregrini exemplar ſequuti videntur tùm Gudius p.93. n.4. tum etiam Fabrettus cap.2. p. 105., de quo illud mirari ſubit, quod extantem eum dicit: *In Prædio D. Æquitis Sylvæ ſub Tuſculo tribus prioribus lineis abraſis*: Lapidem, quem Fabrettus affert eundemmet omnino eſſe, ac qui a me initio exhibetur, dubitaverit nemo, iiſdem enim conceptis verbis uterque conſtat, & quod magis eſt, utrobique certus, idemque locus exprimitur, quo olim Benevantana Colonia erigendum curavit, ideſt: *In Territorio ſuo, quod Caudinorum Civitatem cingit muro tenus*: At quid cauſſæ fuit, ut ejuſmodi Lapis ex patriis ſedibus eam tamen veluti certam alieni Dominii notam ſervorum more, propria fronte manifeſtam circumferens Tuſculanum aufugeret? Aut eum Lapidem Fabrettus nunquam vidit, ſed a quopiam alio falſa loci mentione, & quod pejus eſt corrupta verſuum, ac verborum aliquot ſerie excepit; aut ſi umquam ſub Tuſculo aliquando extiterit, eòdem (tanti præclarus Lapis æſtimatus fuit) aſportatum fateri oportebit. At ſi priores tres lineas abraſas fatetur Fabrettus, unde poſthac ipſe habuit, ut ad fidem noſtri Lapidis ſupplere potuerit? Sed nunquam abraſas tres priores lineas fuiſſe videri poteſt, ſed verius quarto, atque octavo verſu lacunam aliquam noſcere licet ex noſtrarum ſchedarum exemplo, quod ad exactiſſimam ipſius Lapidis fidem deſcriptum fuit: cujus quidem lacunæ rationem inferius oſtendam.

Nunc, quod attinet, marmoreum hocce laudis obſequiique monumentum *IVLIÆ AVG. IMP. CÆSARIS L. SEPTIMII SEVERI* erexit Beneventana Colonia; atque hac ſcribendi formula priſcam illam, nec poſteriori quoque ævo obſoletam ſcriptionem, locutionemque uſurpavit, qua nempe per ſolius mariti nomen adjectum eadem Julia Septimii Severi uxor jam ſatis intelligeretur: Et quidem priſci homines cum *Terentiam Tullii*, *Liviam Druſi*, dicerent, aut ſcriberent, uxorem indicabant, ita certe præter Lipſium ad Tacit. hiſt. 4. ipſi docent lapides, in quibus ſæpe occurrunt *Antonia Druſi*, *Domitia Bibuli*, *Meſſalina Neronis*, *Domitia Domitiani*, de quibus Rupert. epiſt. 41. ad Reineſ. lap. 156. 235. & 237. ſic etiam in Gruter. p. 584. 11. 628. 9. 879. 7. & de *Lucilla Veri* plures dat lapides Fabrett. pag. 514. antiquum denique numiſma Plotinæ uxoris Trajani ita inſcribitur: *Plotina Aug. Imp. Trajani*: His etiam exemplis addidiſſe lubet inſignem lapidem, quem prope Puteolos nuper repertum refert Pratillus De Via Ap. l. 2. c. 8. f. 202.

DIANAE CVSTODI
SAC
ANNIA FAVSTINAE AVG
PII CAES LIB.
V. S.

Ita enim lapidem omnino explicandum cenſeo: *Dianæ Cuſtodi ſacrum. Annia Liberta Fauſtinæ Auguſtæ Pii Cæſaris* (hoc eſt Uxoris M. Antonini Pii Cæſaris) *Votum Soluit*.

At unde iſthæc loquendi, ſcribendique formula manarit, non adeo certum conſtat: neque enim eorum video probari poſſe ſententiam, qui quod mulier per Confarreationis Ritum (quem primum, atque omnium arctiſſimum connubii vinculum erat) Marito juncta ei Filiæ loco haberetur, inde eſſe putant, ut poſt proprium nomen ſine ulla conjugis expreſſione alia, illud mariti ſibi aſſumeret; quo ſane nominum veluti nexu ſummam illam eandemque, quæ Patrem inter, liberoſque viget, conjunctionem, inter utrumque Conjugem pari modo adeſſe demonſtrabatur: plura enim ſunt, quæ contra ejuſmodi ſententiam manifeſte pugnant: & ſane quamquam illud verum ſit, quod in individua illa vitæ conſuetudine, quæ in conjugio continetur, ea promanet animorum corporumque conjunctio, quæ Parentum, Filiorumque naturalem propinquitatem non æquare ſolum, ſed etiam ſuperare videatur; ut proinde eo loquendi exemplo declarari haud opus ſit, falſum tamen illud eſſe patet, quod eâdem formulâ, in qua ſolus contineretur duorum nominum nexus, quorum alterum alteri patrio caſu eſſet appoſitum, in nuncupandis, dignoſcendiſque filiis aliquando uterentur Veteres, nullum profecto ejus rei veſtigium in omni antiquitate Romana, (Græcam non heic moror) invenietur; quid enim tam novum, atque inſolens afferri poterit, quam ſi Cajum, Luciumque Auguſti, Trajanum Nervæ

Digitized by Google

væ dicemus, cum hunc Nervæ, illos Auguſti filios aliis demonſtrare velimus: Scio, dum apud Scriptores de mulieribus mentio habenda fuerit, eas aliquando ſolo Patris adjecto nomine, cujus haud *Filiæ* exprimuntur, jam eſſe Filias recte intelligi. Sic apud Ciceronem de Divinat. l. 1. c. 46. *Cæcilia Metelli* occurrit quam Q. Metelli Cretici filiam fuiſſe conſtat, ſed ni mendum eo Ciceronis loco ſuſpicari velimus, ut pro *Cæcilia Metelli*, ut habent editiones omnes, quas hactenus vidi, reſtituendum ſit *Cæcilia Metella*, quod ex inferius a me notandis vera fortaſſe lectio apparebit, cum adhuc tamen ſtet *Cæcilia Metelli*, id nonniſi rariſſimi res exempli habenda erit, atque aliquando ita cum mulieribus actum videri poteſt, quòd cùm prænomine, ac plerumque cognomine carerent, nomen Patris, quo certius innoteſcere poſſent, ſuo nomini copulabant: Sed in hac re ſtatuenda nulla tutior fides, nulla gravior auctoritas, quam quæ nobis ex antiquis lapidibus jam præſto eſſe videtur: ex antiquis, inquam, lapidibus, inter quos eadem Cæcilia Metelli mox prodibit, hujuſce rei ratio omnis excipienda erit, in quibus nihil tam frequens, atque obvium, quam quod in commune omnium ætatum, omniumque veterum more poſitum conſtat, ut ſcilicet, eorum nemo, qui ingenuæ conditionis fuiſſe appareat, poſt ſuum prænomen, nomenque, adjecto ſtatim Patris prænomine, ſingularem literam F. non apponeret, qua ſeſe illius eſſe Filium exprèſſe profitebatur, quæ quidem F. ſi umquam in lapide deſit, vel temporis injuria, vel marmorarii negligentia omiſſa cenſeri debet.

Rem ſatis pervulgatam pluribus exemplis illuſtrare ſupervacaneum puto, uno dumtaxat contentus, quo res ipſa mirifice confici videtur: Is porro eſt lapis, ſeu titulus Cæciliæ (quæ paulo ante memorata eſt) Metellæ ſepulcro prope Romam inſcriptus ap. Grut. p. 377. 7.

CAECILIAE
Q. CRETICI F.
METELLAE CRASSI.

ubi vides jam, Cæciliam Metellam Patris inſimul ac mariti nominibus inter propria nomina ſatis eleganter interiectis diſtinctam memorari. Q. enim Metelli a ſubacta inſula Creta Cretici appellati, fuit Filia, M. vero Craſſi cognomento Divitis Uxor: at quane de cauſa factum fuit, ut prioris filiam, adhibita F. tam præclare ſe oſtendat, de poſterioris vero conditione omnino fileat? Si enim uxor filiæ exæquaretur, vel ipſa F. in utraque parte fuiſſet repetenda, aut in utraque potius prætereunda: Nefas tamen fuit poſt Patris adjectum nomen illam præterire, cum a recepto jamdiu more recedendum non erat; præterita tamen poſt mariti nomen jam demum aliam, quam, ut loco filiæ eſſet, conditionem demonſtrabat: At quæ tandem fuerit Conditio iſthæc? Dicam quod ſentio.

Quandam ſervitutis imaginem in uxoribus olim fuiſſe dubitari nequit, ut proinde illas a ſervis non ipſam tantum conditionem, verum etiam propriæ appellationis formulam, ſeu morem mutuatas crediderim: Ac, quod primum attinet, jam ſatis conſtat, uxores quantumvis ingenuas, mancipiorum tamen inſtar apud viros haberi ſolitas: quod cum ex Divina illa lege, quæ legitur *Geneſ. cap. 3.* promanaſſe videatur, ubi mulierem ſub poteſtate viri, qui ei dominaretur, conſtitutam manifeſtum habetur, unde & Sara *eod. lib. c.* 18. Abrahamum maritum ſolo *Domini ſui* nomine appellabat, & Apoſtolus eandem legem reſpexiſſe viſus, mulieres *ſubditas viris ſuis* eſſe monet; libet tamen ex ſolis gentium moribus rem ipſam definire; atque cum inter veteres Romanos præcipuè res verſetur, notum ſane eſt, quid juris apud illos ea in re fuerit: Mulier ſane per Confarreationis Ritum viro juncta in ejus *manum convenire*, in poteſtatem nempe, ut interpretantur omnes, tranſire dicebatur: Imo *Gellius* (*a*) præclare ſatis, ejuſmodi uxorem *in mancipio fuiſſe* affirmat; In Mancipio vero eſſe procul dubio includit poteſtatem, & ipſum dominium juris Quiritium, ut ex Ulpiano, aliiſque probat Heinnecius (*b*), quem proinde miror in nuncupandarum Uxorum formula tranſverſum iviſſe, priorem, quam ſuperius retuli opinionem ſibi adoptando; atque de hoc dominio locuti manifeſte videntur optimi quique Antiquitatis Scriptores, quando uxorem marito ſervire dicunt; inter quos Virgil. Æn. IV. 103.

Liceat Phrygio ſervire marito:

aut quando maritum uxoris dominum appellant; ut paulo poſt id. Virg. v. 214.

. . . . . *Connubia noſtra*
Reppulit, ac Dominum Æneam in Regna recepit.

ubi

(*a*) Noct. Attic. l. 10. c. 6.

(*b*) Antiq. Rom. l. 1. tit. 10. §. 6.

Digitized by Google

ubi plura congerit Servius, qui licet Coemptionis Ritum alterum nuptialem ejus rei cauſſam commemoret, adhuc mulierem *in poteſtatem viri cedere, atque ita conditionem liberæ ſervitutis ſubſtinere* ait; Hinc Uxores non modo maritum agnoſcebant *Dominum*, ſed vocabant quoque, ut in lapide apud Reines. Claſ. 14. n. 146.

D. M.
L. VIRGINIO VIRGINIANO
A MILITIIS DOMINO
MARITO SANCTISSIMO
CAVNIA TARSIS
FECIT ET SIBI.

ex qua nuptarum Conditione optimum ducebat argumentum *S. Cyprianus* (*a*) ut Virginum felicitatem oſtenderet ajens: VIRGINITAS *quid aliud eſt, quam ſoluta libertas: Maritum non habet Dominum*:

Servorum autem nuncupandorum mos ille plurimum valuit antiquitus, ut poſt expreſſum ipſius ſervi proprium nomen ſtatim illud, quod etiam Domini proprium erat, patrio caſu adnecteretur; atque ita nullo Servi, Dominive vocabulo adjecto, quis ſervitutem ſervire intelligebatur. Exempla innumera habentur in Teſſeris Gladiatoriis apud Gruter. p. 334., quibus alia congerit tum ex ipſis Teſſeris, tum ex lapidibus Fabrett. cap. 1. p. 39., a quo tamen acriter reprehenditur Boldonius, quod is l. 2. Epigramm. C. p. 104. in *Artemiſia Cæſaris* (de qua lapis apud Gruterum p. 607. 4. 2.) uxoris titulum latere dixiſſet: Peccavit fortaſſe contra hiſtoriam Boldonius, ubi nullius Cæſaris nulla Artemiſia uxor occurret, ſed mitius agendum erat cum viro docto, qui rectiſſime noverat communem hanc eſſe in nuncupandis ſervis, ac uxoribus formulam, Artemiſiamque Cæſaris ſervam potius, quam uxorem fuiſſe non fatis animadvertit: Atque huc ego rem omnem deducendam exiſtimo; Cum enim uxores ad mancipiorum conditionem quodammodo accederent, inde factum eſſe profecto crediderim, ut quorum non abſimilis videretur conditio, una etiam, atque eadem in utriſque nuncupandis formula uſurparetur: ſed de hac re hactenus.

IVLIAM SEVERI uxorem fuiſſe, ſpemque Imperii pro ſua dote attuliſſe refert Spartianus in Severo: „*Cum amiſſa uxore*, inquit, *aliam vellet ducere, genituras ſponſarum requirebat, ipſe quoque matheſeos peritiſſimus, & cum audiſſet eſſe in Syria quamdam, quo id genituræ haberet, ut Regi jungeretur, eandem uxorem petiit, Juliam ſcilicet, & accepit interventu amicorum, ex qua ſtatim Pater factus eſt*„. Sed cum duo filii Severo fuerint, Baſſianus, & Geta, uter ex Julia ſuſceptus ſit, quæ unius tantum Auguſti mater in noſtro lapide dicitur, haud facile conſtat: Scio nonnullos in ea fuiſſe ſententia, Severum ex eademmet Julia tum Getam, de quo nullatenus ambigitur, tum Baſſianum, de quo res incerta manebat, filios habuiſſe, proindeque haud recte Juliam Baſſiani novercam ab aliis putari velit Fabrettus c. 9. f. 680. qui juſtam potius naturalemque fuiſſe Matrem certus ſtatuit, recitatis tum Lapidum, tum Scriptorum veterum teſtimoniis: Ante Fabrettum id ipſum propugnaverant Spanhemius, (*a*) atque Sponius (*b*): Itaque Spanhemius hanc Juliam (cum qua Baſſianus poſt Patris obitum inceſtas nuptias contraxiſſe traditur), perperam, ait, ab Eutropio, & Oroſio ejus Novercam appellari contra fidem lapidis, quem affert, ubi eadem Julia Auguſti mater vacatur, qui utique Baſſianus eſſe debet, ac præterea adverſantibus Oppiano, Herodiano, Dione, qui omnes Matrem diſerte appellant; *neque enim*, inquit, *ſummi ſceleris loco id fuiſſet, Novercam Privigno matrimonio copulari, cum teſte Procopio* (*c*) *id apud Varnos minus inſolitum accidiſſet*: Quid Varnorum exemplum ad rem faciat, non ſatis video: De lapidisac Scriptorum auctoritate mox videbimus: Interim Spanhemium, ac Sponium, & ſubinde Fabrettum dum veriorem, quam ipſi putarent, ſententiam tueri conantur, omnino falſam amplexos ajo: Id unico argumento ſatis erit manifeſtum demonſtraſſe: Baſſianum, Juliam ſibi uxorem duxiſſe certum videri debet, & quidem ejus ſpecie captum, quâ plurimùm, vivo adhuc Severo, non ſine famæ detrimento floruiſſe conſtat: Potueritne igitur Baſſianus ita hominis verecundiam exuiſſe, ut belluarum more, quibus nulla neceſſitudinis lex, nullus ex ſanguinis pro-

[*a*] De Bono Pudicitiæ. [*b*] De Præſt. numiſm. Diſſert. 27. p. 67. [*c*] Recherches d' Antiquitè Diſſ. 12. p. 183. (*d*) Bell. Gothic. l. 4. c. 20.

Digitized by Google

propinquitate pudor, in naturalis matris nuptias prorueret? (a) at non adeo grave Privigni facinus fuerit affinitatis jura violasse; verum, quid opus conjecturis? Post sextum Imperii annum Bassianus a Macrino inter Edessam, & Carras cæsus fuit quadragesimotertio suæ ætatis anno: ita Spartianus: *Bassianus* (inquit) *vixit annis* XLIII. *imperavit annis* VI. (b): ex his necessario consequitur, cum is trigesimo octavo ætatis anno post Severi obitum imperare cæpisset, nonnisi sequenti anno post patratam Getæ fratris necem, aut saltem eodem anno ad parricidium eas incestas nuptias adjunxisse: quis igitur sibi persuaserit, fæminam, quæ ad minus quinquagesimum quartum ætatis annum ageret (qualis jam tùm Julia fuisset, si Bassiani mater statuatur) ea adhuc floruisse formâ, qua virum, eundemque filium ad incestas nuptias pellexisse potuerit: Tantum subsidii ad Historiæ res in apertam lucem proferendas Cronologiæ ratio, quam heic Viri docti non adverterunt, afferre valet, itaut ea demum duce, quàm falsum videri debet Bassiani matrem fuisse Juliam, tam contra verum, Novercam extitisse, quippe quæ cum Getam filium vigesimo tertio ætatis anno a Bassiano fratre cæsum amiserit, vix quadragesimum annum tum attigisse potuit, qua ætate vigere adhuc ea forma potuit, qua Privignus nefariè allectus turpiori scelere illam sibi uxorem acceperit.

Atquæ hæc quidem ad hujus rei veritatem probandam sufficerent; sed quo magis illa liqueat, contrariis Lapidum, Scriptorumque veterum auctoritatibus occurrendum quoque duxi: Et sane, quod Julia Bassiani mater prælaudatis monumentis dicta fuerit, nil obstat, quin cum revera Noverca esset, eo jucundiore nomine appellaretur; etenim invisum, atque insuave Novercæ nomen fuit semper, quod vix semel, atque iterum in antiquis Lapidibus obvium notavit id. Fabrett. p. 202., qui ex frequentiori Lapidum copia magis erga Privignos benevolos Vitricos animadvertit: exinde igitur videri potest, Novercas, quas memorari aliquando oporteret, Matris nomine fuisse honestatas: quod & jure factum apparet, cum quæ Noverca sit, haud omnino falsò Mater dici potest illius, qui proprio Patri justis nuptiis copulatam loco Matris habere debet; quod cum ita se habere possit, non Dio, non Herodianus, aut quicunque alii Juliam Bassiani Matrem dixerunt, Spartiano adversantur, qui ex summa Historiæ fide propalam Novercam, quippe quæ erat, affirmavit, a quo duriori nomine in Matrem translato, atque verso illi abstinuisse putandi sunt: Id quod ex ipsius Spartiani verbis magis probatum habemus, qui cum passim Juliam Bassiani Novercam statuat, dùm incestas inter ipsos memorat nuptias, hæc notanda subdit: *Matrem (non alio dicenda erat nomine) duxit uxorem; ad Parricidium junxit incestum; siquidem eam matrimonio sociavit, cujus filium nuper occiderat.* Quod vero Lapides attinet, frustra Spanhemius fidem ejus Inscriptionis advocat, quam Scaligero, aliisque eruditis Crucem fixisse dicit. Inscriptio ita se habet:

I. O. M. ET
IVNONI REGINAE
PRO SALVTE IMP. M. AVR. ANTONINI
PII AVG. ET IVLIAE AVG. MATRIS
AVG. M. VLPIVS MVCIANVS
MILES LEG. XIII. GEM. &c.

Recte quidem Spanhemius eam Crucem refixit, dum hanc Juliam, quam Soæmiam Elagabali Matrem perperam statuerat Reinesius, Severi uxorem intelligendam censet, male autem ex eo, quod *Mater Augusti* dicatur, ipsius Bassiani qui sub M. Aur. Antonino nomine præcedenti linea memoratur, Matrem demonstrasse putavit: non adhuc Spanhemio innotuerat, quod postea viris doctis compertum fuit, Lapides fere omnes, qui huic Juliæ inscripti fuerint, citra ullam temporis injuriam, data opera, ac plane ipsius Bassiani jussu, aliquibus dictionibus mulctatos

 fuisse

(a) Ex Dionis silentio frustra Spartiani, aliorumque fides, qui diserte de incestis hisce nuptiis meminere, labefactari potest: Laudandum profecto doctissimi Fabretti studium, quo ut tantum facinus ab Orbe Romano amoliretur, ex Jocastæ nomine, quo vulgo Julia a plerisque appellari soleret, incestarum ejusmodi nuptiarum opinioni occasionem factam, dein vero eadem opinione deceptos Historiographos rem uti certam in sua scripta retulisse conjicit: sed haud tanta vel Dionis silentio, vel Fabretti conjecturis vis tribuenda erit, ut manifeste mendacem, aut saltem dubiis, incertisque rerum gestarum monumentis innixum Spartianum redarguamus: non id certe ausus est Spanhemius, qui has incestas nuptias veras agnovit, & Varnorum exemplo minus insolitas comprobavit.

(b) Eandem ætatem, cum Bassianus necatus fuit, eidem tribuit Sponius Miscell. Dissert. 24. p. 395.

Digitized by Google

fuiſſe; Abraſum autem in hiſce Lapidibus omnino conſtat Getæ fratris nomen, aut quicquid ejus memoriam ſervare poſſet, cujus loco, aut aliud quidpiam ſuperinſcriptum, aut lacuna remanſit. Itaque, ne a noſtri Lapidis exemplo diſcedamus, vides quartam lineam medio curſu deficere, ubi illæ ſolæ dictiones *Matri Auguſti*, quas ſibi ſtatim arripuiſſet Spanhemius, ut ſuam confirmaret ſententiam, nonniſi ex poſteriore manu ſunt, cum non *Auguſti*, ſed *Auguſtorum*, noſter lapis habere debuit, adjectis tum ipſius Baſſiani, tum Getæ nominibus, quorum poſterius omnino abractum fuit, ut etiam tertium G, in dictione AVGG. . octavæ lineæ, quo idem Geta ſignificabatur; Id ipſum, quovis pignore contenderem, in Spanhemiana Inſcriptione eveniſſe, quod manifeſtum declarat quartæ lineæ brevior curſus, qui præcedentes non exæquat, itaut ante *M. Ulpius Mucianus*, non ibi fuerit *Aug.*, ſed *Auguſtorum*: quod cum non animadverſum fuiſſet (non enim lapis ſpectatus fortaſſe fuit) factum proinde fuit, ut reliquis dictionibus ad *Aug.*..... coeuntibus, brevior ea linea evaderet; At ſive Auguſti, inquies, ſive Auguſtorum Mater dicatur Julia, nonne eadem uti Getæ, ita quoque Baſſiani Mater exinde probabitur? Jam ſuperius dixi, Juliam, quamquam Baſſiani Novercam, ejus Matrem haud improprie appellari potuiſſe: & ſane abſurda, Auguſtorum præcipue publicis monumentis Novercæ vox, tum maxime in Lapidibus hiſce in Juliæ honorem erectis, ut alterius Auguſti Mater, nempe Getæ, cui Severum collato etiam Antonini nomine, ut olim Baſſiano natu majori, *Imperium participaſſe* tradit Herodianus; alterius vero Auguſti, nempe Baſſiani Noverca appellaretur: Novercam autem revera fuiſſe, temporum, rerumque rationibus paulo diligentius animadverſis, jam ſuperius luce clarius demonſtravimus.

At quoniam ejuſmodi abraſionis, quæ in hiſce Lapidibus Juliæ Auguſtæ inſcriptis perpetuò occurrit, jam ſuperius non meminimus modo, verum in noſtro Lapide ſpectandam dedimus, de ea re agendum mihi eſſet; & quidem plura in eam rem diſſerueram, quæ tamen heic præteriſſe facile paſsus ſum: Noveram ſane, id jamdiu a viris eruditis Fabretto, Nardino, Vaillantio, aliiſque pluribus obſervatum, nuper etiam demonſtratum a Cl. Ficorono (*a*), qui non ſolum in Inſcriptione Arcus Septimii Severi ad radices Capitolii, ſextam lineam, ubi Getæ filii nomen inſculptum erat, manifeſte abraſam ſubſtitutis verbis aliis, quæ in ejus lineæ ductu ab antecedentibus, ſubſequentibuſque lineis profundiùs abſcedunt, verum etiam id ipſum in Arcu altero eidem Septimio, ac Juliæ cojugi ab Argentariis erecto eveniſſe affirmat; ſed cum V. C. Oliverii Piſaurenſia marmora pervolverem, rem hanc octo ejus egregii operis paginas impleſſe comperii: Cum igitur non ſolum res abſolutiſſime illuſtrata fuerit, ſed etiam id præclare egerit Oliverius, ut Fontanini ſententiam non Getæ, ut apud omnes convenit, ſed Fulvii Plautiani Patris Plautillæ Auguſtæ nomen ex publicis hiſce monumentis eraſum contendentis erroneam demonſtraret, ſatis mihi erit eruditiſſimi auctoris cum laude, ut par eſt, meminiſſe, ad eumque ablegaſſe lectorem: unum mihi tamen, quod noſtrum Lapidem ſpectat, notandum, incertum ſcilicet, videri poſſe, an Beneventani Coloni Baſſiani mandato, cui obtemperandum etiam ab invitis fuiſſet, an verò exemplum dumtaxat ſequuti, quod aſſentationis genus conſtitiſſet, Getæ nomen ex eo monumento eraſerint; poſtremum hoc nollem, ſed potius præſtantiſſimi Civis Papiniani exemplum ſectatos optaverim; cujus animi æquitatem æque ac conſtantiam proprio capite probatam ætates omnes mirari nuſquam deſinent, nam ideo a Baſſiano interfectum fuiſſe conſtat, quod ei mandanti, ut in Senatu, & apud populum patratum facinus dilueret, reſpondiſſet: *Non tam facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri*: petentique eidem Baſſiano dictare noluiſset orationem, qua in fratrem Getam jam extinctum inveheretur, ſubdens: *aliud eſt parricidium accuſare innocentem*.

Haud tamen aſsentationis excuſationem facile dabimus Beneventanis, qui ut Juliæ Auguſtæ gratiam captarent, publicum hocce monumentum honoris cauſſa non ſolum eidem dedicarunt, ſed inſigni illo *Matris Caſtrorum* cognomine decoratam voluere; quamquam & moderatiores Romanis Beneventani; Fædior enim Romanorum adulatio, qui in laudata Inſcriptione Arcus Argentariorum, non *Caſtrorum* tantum, verum etiam *Senatus*, & *Patriæ Matrem* appellarunt: Ita ſenſim poſt ortum Principatum invaluit adulatio, nam cum initio *Principis Senatus* titulo contentus fuiſset Auguſtus, cohibuiſsetque Claudius Vipſanium Conſulem, ut nimium aſsentantem, quod ſibi *Patris Senatus* appellationem ob nova in Remp. merita deferendum retuliſſet (*a*); reſtitiſsetque antea Tiberius, (*b*) ne plus æquo erga Liviam adulandi ſtudium progrederetur, quam alii *Parentem*, alii *Matrem Patriæ* appellandam cenſebant, jam nullus deinceps ejuſmodi adulationibus modus, ut qui antea Auguſtis ipſis intolerandi (verâ, an ſimulata moderatione

[*a*] In veſtigiis Rom. Antiq. l. 1. c. 4. & 10. [*b*] Tacit. Ann. l. xi. c. 25. [*c*] Id. Ann. l. 1.

Digitized by Google

deratione) adeo viderentur hi tituli, ut ab iis abſtinendum ſibi ducerent, jam demum in unam Juliam ſimul collecti confluerent; At quod attinet *Matris Caſtrorum* titulum, quo eam honeſtaſſe ſatius habuerunt Beneventani, frequenter admodum, ut pene in peculiare cognomen tranſierit, Juliæ tributum docent Lapides apud Gruter. (*a*): eo ſolo titulo ornatam quoque invenies in Piſaurenſi marmore iterum edito ab Oliverio n. XIX. qui V. Cl. Gorii adnotationem adſcribit, qua is eundem Lapidem in Doniana editione illuſtravit: At qua præſertim de re ejuſmodi titulus promereri ſoleret non ſatis hactenùs explicatum. Cæſarum primum Caligulam ſtatuit doctiſſimus Gorius, qui, quod in caſtris natus, & educatus eſſet, *Caſtrorum fililium*, & *exercituum Patrem* ſeſe appellabat: ſed ante Caligulam notum eſt ex Tacito (*b*) Gn. Piſonem apud Tiberium, inter alia, hoc quoque crimine notatum, quod novarum rerum ſtudio, nimia erga milites indulgentia, *Parens Legionum* ab iis appellaretur: Quod Auguſtas ſpectat, non ante Fauſtinam auditum *Matris Caſtrorum* titulum Gorius cenſet, de qua re audiendus Jul. Capitolinus: *Divam etiam Fauſtinam* (inquit) *a Senatu appellatam M. Antoninus gratulatus eſt, quam ſecum & in Æſtivis habuerat, ut Matrem Caſtrorum appellaret*. Æſtiva autem, quæ Capitolinus memorat, ipſa eſſe Caſtra, in quibus exercitus æſtate conſiſtere ſolebat, nemo neſcit, ſicut ſolo Hibernorum vocabulo ea ſignificabantur Caſtra, inter quorum ſepta milites hieme ſeſe colligebant. At dubium videri poteſt, num prior Fauſtina, quod maritum in Caſtris comitata eſſet, novo huic honoris titulo cauſam dederit: non ſiluiſſet Capitolinus, qui nec novam cauſam deferendi tituli attulit: conſtat enim jamdiu Ducum uxores (de militum heic non quæro) ad bellum profectas, ſuis viris comites adhæſiſſe. Stante adhuc Rep. ejus rei non deſunt exempla: Siquidem Pompejus Corneliam conjugem in caſtra prope Apſum ſecum duxit, diuque retinuit, quam demum inſtante prælio nonniſi ob periculi metum in Lesbum removit, ut præter alios a Lucano diſcimus (*c*). Sed everſa jam Rep. mox, ſi ab ipſo Octaviano incipias, Auguſtorum mos fuit Auguſtas conjuges ſecum in caſtris habere, & mirum quidem de Auguſto ipſo, qui teſte Svetonio (*d*) cum diſciplinam militarem adeo ſevere regeret, *ut ne legatorum quidem cuiquam, niſi gravate hiberniſque demum menſibus permiſerit uxorem interviſere*, ipſe tamen nunquam ab Livia ſua divelli potuit; itaut Cæcinæ Oppias leges ad uſum revocare ſtudentis apud Tacitum (*e*) irritos conatus reddiderit Druſus eo exemplo uſus. *Principibus adeunda ſæpius longinqua Imperii: quoties Divum Auguſtum in Occidentem, atque Orientem meaviſſe comite Livia?* Sic Caligulam in caſtris natum ſuperius audivimus, ſic demum Plotinam una cum Trajano in noſtro Triumphali Arcu ſpectare licet, Dacorum pueros obſides ante ſe humi provolutos habentem; qua de re ſic ego ſtatuebam; ut nempe non ex eo ſolum, quod Principes fœminæ aliquando in Caſtris morarentur, *Matris Caſtrorum* titulum ſibi neceſſariò, compararent, nam ſi ita eſſet, nulla fere Auguſtarum eodem caruiſſet, quod omnino falſum, ſed ea potius occaſione, vel quæ ambitioſiores eſſent, vel certe, (ut de Gn. Piſone jam obſervavimus) comitate, muneribus, aliiſque beneficiis militum animos ſibi devinxiſſent, præclaro eo titulo decorari conſuebant. Ex utraque autem cauſa Juliæ aſſiduè apud Severum in Caſtris manenti partum *Matris Caſtrorum* titulum facile dixeris.

His omnibus de Julia Auguſta ex noſtro lapide obſervatis, eam tandem dimiſiſſe debueram, niſi quod poſt honoris cognomina de ejus quoque proprio nomine, (ut nihil de Auguſta hac ſcitu dignum ſuperſit) paucis adhuc mihi agendum eſſe putarim: Fallitur enim quicumque hanc Auguſtam cum natalibus Juliæ nomen ſortitam credat; neque etiam cum Severo conjugium dedit, ſed, cum demum Is ad Imperium evectus Thori ſimul, & Majeſtatis conſortem ſibi fecerit: non recens autem ea res, ſed cum ipſo orta principatu; nam poſtquam Livia in familiam Juliam aſſumta fuit, priore eo nomine abjecto, non amplius Liviam, ſed fere ſemper Juliam in nummis, & lapidibus appellatam dein fuiſſe recte notatum a Lipſio eſt (*f*): non illa tamen mens tum fuit, ut in eo nomine aliqua dignitatis, auctoritatiſque nota conſtitueretur, quod ſolum ad Juliæ familiæ indicandam communionem aſſumptum fuit, ſicuti nec ipſum Auguſti cognomen eo conſilio Octavianus accepit, ut in Principatus inſigne tranſiret; at, poſteaquam Principatus jura in Rempublicam ſemel invecta perpetua ſucceſſione firmata conſtitere, jam Auguſti cognomen in peculiare ſequentium Principum titulum adhiberi ſoluit, quod, cum Principibus quoque fæminis commune fuiſſe conſtat, adhuc hæ tamen *Julia*, ad amplioris veluti majeſtatis indicium oſtendendum appellari ſatagebant: quaſi, cum Viri eo Auguſti cognomine Octaviani, Imperii abſoluta jura jam adepti con-

[*a*] P. 39. 3. 109. 8. 2665. 7.
[*b*] In Ann. Tac. l. 3. c. 13.
(*c*) L. v. verſ. 722. & ſeqq.
[*d*] Cap. 24. n. 2.
[*e*] Ann. l. 3.
(*f*) In Taeit. Ann. l. 1. n. 54.

Digitized by Google

continua ſucceſſorum ſerie ſuperſtitem auctoritatem demonſtrarent, Auguſtæ quoque, Julium nomen aſſumentes non tam Liviæ exemplum, quam ipſam reſpicerent familiæ Juliæ majeſtatem, ex qua C. Cæſar ejuſdem Principatus prima jecerat fundamenta. Hinc poſt Liviam ſolennis Auguſtis fæminis plerumque mos fuit, Juliæ prænomine ſeſe inſignire, ut de Julia Druſilla, Julia Agrippina, Julia Titi obſervat Spanhemius (*a*), qui ſequenti ævo intra Severi, & Alexandri tempora ſex Auguſtas Julias ſtatuit contra aliorum ſententiam, qui uſque ad octo enumerabant, illudque demum animadvertit, ut Auguſtos Antoninos, ita eadem ætate Auguſtas vulgo Julias fuiſſe appellatas. Cum igitur in noſtra Julia ejuſmodi nomen non originis, ſed dignitatis fuiſſe plane conſtet, cujuſmodi natale eius nomen fuerit antiquorum lapidum, nummorumque ſubſidio noviſſe licet, in quibus poſt *Juliæ* nomen, *Domnæ* alterum inſcriptum habetur. Lapides habes apud Fabrett. p. 679. n. 50. & 52. nummum exhibet Sponius miſcell. diſſert. 12. p. 180.: ſed hos ſolos indicaſſe ſatis habui.

Mirum autem, quantum in hoc, (quod fortaſſe non ante Juliam veterum monumenta prodidere) *Domnæ* nomine vel recipiendo, vel explicando jamdiu viri docti laboraverint: Fuere namque plerique, qui mendum in eo ſuſpicantes modo in *Doninam*, modo in *Dominam* transferendum putarunt: idque non ſolum in lapidibus, nummiſque Juliæ Aug. inſcriptis, ſed in aliis quoque, ubi ejuſmodi nomen occurrebat, perperam obtinuit: Hinc illam *Juliam Dominam* (ab hac Auguſta tamen diverſam) Julii Agrippæ Primopilaris neptem, cujus mentio eſt in l. 38. §. 4. D. De Leg. 3. quam ita appellatam obſervabat Cujacius l. 3. c. 18. quod non reſpectu maritorum dumtaxat, ſed etiam per ſe mulieres Romanæ *Dominæ* vocarentur, emendato vulgatæ lectionis errore rectius *Domnam* ſcribendam cenſuerunt viri doctiſſimi Pancirolus, & Menagius. Familiare autem *Domnæ* nomen Fæminis fuiſſe in Syria, Ægypto, univerſoque Oriente, ex vetuſtis Scriptoribus obſervarunt demum Salmaſius, Spanhemius, Sponius, Fabrettus, aliique; ut proinde, cum Juliæ Auguſtæ in vetuſtis monumentis *Domnæ* nomen adjectum legeretur, ipſamque domo Syram fuiſſe certum eſſet, jam proprium illud ei fuiſſe nomen omnino liquet: quæ autem ejus nominis ſignificatio fuerit, non ſatis tutè ex ſequioris ætatis uſu decerni poſſe arbitror. Notum ſane eſt, *Domni*, aut *Domnæ* vocabulum medio ævo frequentiſſime uſurpatum, eoque præſertim viros Eccleſiaſtica dignitate fulgentes, aut ſanctitate inſignes appellari ſolitos, ſed & aliis quibuſque illuſtribus viris, atque fæminis tribui conſueſſe vel unus probaſſe ſufficiat S. Gregor. M. l. 6. ep. 27. ubi hæc ait: *Glorioſiſſimas autem filias meas Domnam Dominicam, & Domnam Eudochium vice mea ſalutato*: Illud quoque certum, ex ejuſmodi ætatis recepto more non aliam eidem vocabulo ſignificationem tributam, quam quæ *Domini* eſset; invectam autem utriuſque differentiam, ut Domini vocabulum ſoli Deo ſervaretur, eodem vero per ſyncopem contracto (ut ex apice uno rejecto quædam veluti inferioris dignitatis nota conſtitueretur) ceteros vocarent; Ita præter alios auctor Græciſmi.

Cæleſtem Dominum, Terreſtrem dicito Domnum.

Et hæc quidem, ut dixi, ſequiori ætate; priori vero, qua ſcilicet Julia Auguſta floruit, quam *Domnam* appellatam jam novimus, eo nempe nomine Syris fæminis tum familiari, num, quod poſtea obtinuit, eandem, ac Dominæ ſignificationem ejuſmodi nomini recte tribuendam cenſebimus? Ita certe Cangius (*b*): qui ad comprobandam ejus vocabuli ſignificationem a Dominæ voce deductam, ipſum quoque Juliæ Auguſtæ *Domnæ* exemplum affert; ſed rectius de hujuſmodi ſignificatione dubitandum erit ætate illa, qua nomen illud vix apud Romanos notum (*c*), nulli vero

[*a*] De Præſt. num. Diſs. 7. p. 630.

[*b*] Gloſſar. latin. med. æv. v. *Domna*.

[*c*] Lapis antiquus extat Aquilejæ, relatus a Bertolio Antiq. Aquilejæ p. 108. n. 91. his verbis.

DOMNAE B
SACRVM
SEX. BEBIVS
BAI. FIL. VET. EX CLASSE
VESTIARIVS
V. S. L. M.

ſacrum eſſe lapidem verba ipſa indicant, ſed de Numine non ſatis conſtat: Dominus Archiepiſcopus de Turre in Antiq. Antiat. [ab eodem Bertolio relatus p. 311. *nel libro di Anzio*] poſtquam primæ lineæ verba de Dea Bellona intelligenda dixiſſet, ut ſint: *Domnæ Bellonæ*; veriſimilius putavit ad noſtram Juliam Domnam referri poſſe, quæ divinos ſibi honores arripuiſſe conſtat: At quæ fides huic lapidi habenda ſit, ex eodem Bertolio facile conjectabimus, qui eundem lapidem ad ſe miſſum teſtatur a Cl. Muratorio in hæc diverſa verba, quæ refert p. 432. n. 642.

DOMNO B
SACRVM
SEX. BAEBIVS
.... FVIT IN CLASSE
VESTIARIVS
V. S. L. M.

neque aliter habet Donius claſſ. VIII. n. 74. ubi Gorius: *Domno B. ſacrum*: Hoc eſt: *Domno Beleno ſacrum. Apollo Belenus proprium Aquilejenſium Numen tutelare, & Urbis Præſes, de quo eruditiſſime diſſeruit V. C. Phil. a Turre Epiſcopus Hadrienſis.*

Digitized by Google

vero Romanorum uſurpatum, apud Syros dumtaxat, alioſque Orientis populos adhiberi ſoleret; Amplius de ea re dubitabimus, ſi in omnibus Juliæ Auguſtæ monumentis nonniſi raro eam *Domnæ* nomine appellatam inveniemus: cujus rei cauſam non aliam putaverim, quam quod haud decoris multum ex adjecto proprio *Domnæ* nomine Juliæ acceſſurum putarent Romani, quod imo nonnihil ejus Auguſtæ gloriæ detrahebat, quam nomen ipſum non ſolum obſcuro genere ortam, verum etiam natione Syram prodebat, ex eo nempe populo, quem ad ſervitutem natum vulgo putabant Romani: non igitur in *Domnæ* nomine, ſi de Julia agatur, Dominam agnoviſſe tutum erit, quod profecto ſummæ poteſtatis nomen in cæteris, quæ prope innumera ſunt, Juliæ monumentis haud Romani neglexiſſent; Fateor equidem Conſtantini ævo, ac deinceps, ut Auguſtos Dominos, ita Domnas Auguſtas appellari conſueſſe, ſed cum non ante eam ætatem ejuſmodi appellationis exordia ſint conſignanda, major ex hoc ipſo erit ſtatuendi ratio, nullam niſi proprii nominis vim *Domnæ* appellationi inhæſiſſe, ac propterea perperam in Dominæ ſignificationem transferendum, ineptius autem ex eo Juliæ exemplo, mox ſequentes Auguſtorum Matres, Domnas, aut Dominas appellari cæptas, quem recentis Scriptoris errorem repræhendit Sponius l. l.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De Rebus Sacris Veterum Beneventanorum.

Poſtulat inſtituti ratio, ut Beneventanas Antiquitates, quarum veluti fundamenta ſuperiore Diſſertatione jacta ſunt a Rebus Sacris exordiar: Eas enim (quandoquidem pro temporum, hominumque, quos hoc opere complector, conditione, ſua ipſis dignitas adhuc ſtare debet) ceteris ſive publicis, ſive privatis Veterum Beneventanorum Rebus ordine præſtare certum eſt; quas etiam accuratius obſervaſſe, nonnihil fortaſſe proderit; dum enim præcipuam illam eruditionis partem, quæ in ſuperſtitioſa Antiquitate perluſtranda continetur, comparabimus, fædam ſimul ipſius antiquæ ſuperſtitionis faciem ſpectaſſe dabitur, quâ noſtrorum temporum felicitas libentius commendetur: *quandoquidem* (ajebat S. Iſidorus Peluſiota (*a*)) *Illud intelligere libet, cujuſnam ſceleris convictus Mars ſupplicio affectus ſit, pudet quidem me narrare; ſed tamen exponam: nam ejuſmodi ſermo perſpicua gentilium refutatio erit*: id quod ex iis omnibus, quæ mihi præſenti loco differenda erunt, factum a me videri velim, daturus etiam operam, ut ex antiquis Beneventanis Lapidibus ad Res Sacras pertinentibus ea mihi duntaxat obſervanda proponam, quæ aut novi, aut rari ſint exempli, aut clariorem ſibi lucem affundi deſiderent: atque ut ordine, quæ dicturus ſum, conſtent ſuo, de Diis prius agam, quibus veteres Beneventani peculiarem cultum exhibuerunt, eorum etiam Templis, Ædibus, Signis, quorum ſuperſtes memoria eſt, indicatis: tum certos Ritus quoſdam, ſuperſtitioſaſque Ceremonias celebrari conſuetas adiiciam, poſtremo de Sacrorum Miniſtris, ubi pro re nata licebit, verba faciam.

CAPUT PRIMUM

De Diis patriis Veterum Beneventanorum.

DIvinam extare naturam omnium gentium, atque omnium ætatum agnovit Religio (*b*); idque ex inſito illo, atque ejuſdem ſupremæ naturæ munere humanis mentibus affulgente lumine factum fuit, quod inter offuſiſſimas perpetuarum de omni re dubitationum tenebras obſtinatioribus Academicis vel invitis præſto eſſe fatebatur Cicero (*c*), dum ea de re cum Academico certans: *quid dubitas*, inquit, *negare Deos eſſe? non audes: ſapienter id quidem: etſi hoc loco non populum metuis, ſed ipſos Deos*. At in hanc Divinæ Naturæ opinionem humanis mentibus inſedentem varii mox irrepſerunt errores, quos ſubacta ſenſibus rationis vis, ſuccreſcenſque veritatis ignorantia invexit; quibus præſertim factum eſt, ut homines paſſim, atque ubique plures ſibi Deos comminiſcerentur, quorum numerus, eandem licet Divinitatis opinionem favere videretur, ipſam tamen Divinitatem deſtruebat, quæ cum omnis defectus expers, atque omnium perfectiſſima natura concipienda eſſet, vel ipſa ſola ratione duce nonniſi Una ſtatui debebat: Poſteaquam igitur Deorum Familiæ, Proſapiæ, Monſtra eſſe cæperunt, ſupremum Numen excogitari opus fuit, qui ceteris Diis auctoritatis vi, excellentiaque naturæ præſtaret: Hunc autem Jovem fuiſſe conſtat, quem non modo Poetæ, verum etiam omnes uno ore Sapientes Gentilitatis, Deorum Patrem, & Re-

(*a*) Lib. II. Epiſt. 91. & 92. ad Theodoſium Presbyterum, qui Athenienſis Areopagi etymologiam quærebat, ac ſubinde quo de crimine Mars judicium illud ſubierit.

(*b*) Præclara ſunt, quæ in hanc rem habet Cicero Tuſcul. lib. 1. c. 13. *Firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla Gens tam fera, nemo hominum tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio: multi de Diis prava ſentiunt; id enim vitioſo more effici ſolet; omnes tamen eſſe vim, & naturam divinam arbitrantur; non vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit; non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus: omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.*

(*c*) De Natur. Deor. l. 1. c. 30.

Digitized by Google

& Regem ſcriptis ſuis paſſim celebrarunt. *Jovis* autem nomen, quod præſtantiſſimæ Illius naturæ conveniret, qui omnes potiſſimum *juvare* credebatur, homines quoque fecerunt, addita ſimul *Patris* appellatione, qua omnia ab eo gigni, paternâque ſervari cura demonſtrarentur, unde *Juppiter* factum eſt, in cujus vocabuli origine Romanorum agnoſcendus tùm ſermo, tum perſpicacia: licet autem aliter alii appellarent, ut de Afris, aliiſque barbaris populis conſtat (*a*), cum tamen nullum Deo, quem colerent, nomen apud externas gentes inveniſſent Romani, ſtatim Jovis nomine illum donabant: quod cum vero ipſo Judæorum Deo (cujus nullum eſſe certum nomen putabatur (*b*)) a Varrone factum S. Auguſtinus obſervavit (*c*).

Ex his generatim prænotatis illud jam promanat, ut cum ad ſacras Veterum Beneventanorum res illuſtrandas accedamus, & vetuſtiſſimam iis Deorum Religionem fuiſſe, & ſupremum Jovis habitum numen facilè probemus: non enim Romanæ primum deductione Coloniæ, ſed longè antea, cum Samniticum ſtaret Imperium ea res obtinebat: manifeſtum id ex Livio, qui l. 10. ſub Conſulatu L. Papirii an. U. C. 461. enixiſſimum Samnitum ſtudium referens, quo adverſus Romanos ſeſe munire ſatagebant, quorum poſt Caudinum Fœdus arma vireſque ad eam diem plurimùm, mutatâ belli fortunâ, valuiſſe noverant, illud tunc memorandum ſubdit ab iis geſtum, ut novi belli magnificentiſſimos apparatus Religione quoque validiores efficerent: Prætereo quid coacto jam ab Aquiloniam exercitu, ab Sacerdote Ovio Paccio cœremoniarum adhibitum fuerit *ex vetuſta Samnitium Religione*, nam ipſa quoque res Religione ſolenniori cæpta, dum initio *opes Deorum adhibuerant Ritu quodam Sacramenti vetuſto velut initiatis militibus, delectu per omne Samnium habito nova lege: ut qui juniorum non conveniſſent ad Imperatoris edictum, quique injuſſu abiſſet, Caput Jovi ſacratum erat.*

Amplius tamen Jovis cultus invaluit, cum Romanos Colonos Beneventum accepit: Horum enim adventu, qui eundem Jovem pluribus cognominibus ab ipſius Romæ exordio, vario cultu, diſtinctiſque Templis, Aris, atque Signis venerari conſueverant, factum puto, ut apud Beneventanos Juppiter ipſe pro variis, quæ habere cæpit, cognominibus divinos honores multipliciùs obtineret: ſed jam inſcriptis Jovi marmoreis Titulis, qui ad nos pervenerunt, rem demonſtrabimus.

I.

IOVI TVTATORI MAR.....

2.

LIMEN AD HOC POPVLI PERSOLVITE VOTA TONANTI

3.

IOVI VICTORI PACIFERO
SACRVM
M. SVTORIO M. F. MEN. VERO
VETERANO VOT. VOV
BELLO GERMANIC. DAC
SVTORIA VLPIANA ET TITVS
SVTORIVS M. F. MEN. HONORATVS
FAC. CVR.
V. S. L. M.

De *Tutatore*, & *Victore* omnia ſunt pervulgata: Tonantis Jovis religionem libet curiosiùs obſer-

[*a*] Lucan. Pharſ. l. 9.
Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus ſit Juppiter Ammon.
(*b*) Idem.
. . . . . *Dedita Sacris.*
Incerti Judæa Dei . . . . .
(*c*) S. Auguſt. de Conſenſ. Evangel. l. 1. c. 22. *Varro ipſorum, quo doctiorem apud ſe neminem inveniunt, Deum Judeorum Jovem putavit, nihil intereſſe cenſens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur, credo illius ſummitate deterritus: nam quia nihil ſuperius ſolent colere Romani quàm Jovem, quod Capitolium eorum ſatis apertèque teſtatur, eumque Regem omnium Deorum arbitrantur, cum animadverteret Judæos ſummum Deum colere, nihil aliud potuit ſuſpicari quàm Jovem.*

Digitized by Google

obſervare: Sunt enim (*a*) qui ad ejus Numinis religionem pertinere putant ea ipſa omnia, quæ de variis Tonitruum generibus atque effectibus diſſeruit Cicero in de Divnatione l. 2., ubi etiam ſuo illum appellare nomine videtur ſic: *Jove Fulgente Tonante*: & ex intervallo: *In noſtris Commentariis ſcriptum habemus*: *Jove Tonante Fulgurante Comitia Populi habere neſas*: Et fateor quidem vetuſtiſſimam omnium fuiſſe Fulgurum ſuperſtitionem, quæ ab Etruſcis in Romanos vix ortos ſtatim permeavit (*b*): addam quoque illud, quod potiſſima Idololatriæ cauſa ex Fulguribus ipſis repetenda videatur, cum enim illa primum, longo poſt generale Cataclyſmum annorum intervallo, audiri cæpiſſent, mox rudes homines quorum mentibus veri Numinis ſcientia abſceſserat, terror invaſit, qui ſuperioris Vis, Naturæque Divinæ Cœlo inſidentis opinionem ſtatim peperit: hinc vulgatum illud Petronii

Primus in Urbe Deus fecit timor, ardua Cælo
Fulmina dum caderent . . . . . .

At non ibi Cicero de Jovis Tonantis religione, & cultu agit, ſed in id duntaxat incumbit, ut Jovem ipſum non aliud, quam ipſum Cælum eſſe probet, quod tum Ennii, atque Euripidis verſibus, tum Augurum verbis confirmat (*c*).

De Tonante igitur Jove ſic ſtatuendum puto, ut nulla illius ante Imperii tempora peculiaris religio extiterit, qua proprio Tonantis cognomine agnitus, cultuſque fuerit: ſed cognomen, & Religionem primum Auguſtum invexiſſe veriſimile habeo, dum Is, teſte Svetonio (*d*) *Tonanti Jovi Ædem conſecravit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet*: non enim ante Auguſti ævum de Tonantis titulo, atque cultu monumenta habemus, nam & Lapides apud Gruterum (*e*), qui *Jovi Tonanti*, *Fulminatori*, *Fulguratori* dicati leguntur poſteriorem, aut parem Auguſto ætatem ferunt, ut etiam de ſimili Brontontis titulo (*f*) dicendum eſt.

Ubi vero recens hæc antiquiſſimi licet Jovis religio eſſe cæpit, mox ob Auctoris dignitatem, quam præſens novi Numinis vis, metuſque augebat, ubique recepta fuit: ſuſcepere Beneventani, amplius etiam in eo Auguſtum æmulati, quod Jovi Tonanti illius exemplo Ædem ædificarunt: Hujus Ædis teſtis eſt lapis ipſe, quem iterum afferre libet: *Limen ad hoc populi perſolvite vota Tonanti*: & ſane cum Limen audimus, Ædem quoque extitiſſe jam diſcimus, ſive quòd

[*a*] D. de Tilladet in Diſſert. de Cultu Jovis Tonantis, cujus epitomen habes vol. 2. Hiſtoire de l'Academie Royale pag. 13.

[*b*] De hac re plura habet Eq. Oliverius Marm. Piſaur. not. 27. atque ex inſtituto diſſerit Socius Academiæ Etruſ. Corton. in Diſſert. de Bidentali nuper Romæ effoſſo tom. v. Diſſ. v.

[*c*] *Hunc etiam* (ait Cicero) *Augures noſtri cum dicunt* Jove *Fulgente*, *Tonante*: *dicunt etiam*, *Cœlo Fulgente*, *Tonante*: *Euripides autem ut multa præclarè*, *ſic hoc breviter*.

Vides ſublime fuſum, *immoderatum æthera*,
Qui tenero terram circumjecto amplectitur,
Hunc ſummum habeto Divum, *hunc perhibeto Jovem*.

Quæ ideo attuli, ut obiter de Ethnicorum Sapientum ſecretiore Theologia mentionem injicerem, qui etiam ante Chriſti legem ſecus ac reliqui de Plebe univerſi, de Diis ſentiebant; ſuæ enim religionis myſteria fabulis involuta ad phyſicas res deducebant, cujus inſtituti auctor Zeno, qui teſte Cic. ib. l. 3. magnam moleſtiam primus ſuſcepit, deinde Chryſippus, commentitiarum fabularum reddere rationem, atque ita ex Stoicorum doctrina Aer inter mare, & cœlum interjectus Junonis nomine conſecrabatur, quæ erat Jovis, & ſoror, & conjux, quia ſummam cum æthere conjunctionem ſimilitudinemque haberet, & quòd *nihil eo mollius eſſet*, *eum effæminarunt*, Junoniqne tribuerunt: Similia affert Varro; ac tandem de eadem re plura Porphyrius, qui poſt Chriſtianæ Religionis ortum, ut ab ſuis Diis quæ fæda, abſurda, ſceleſtaque vulgo docerentur, averteret, ad naturales cauſſas omnia referre ſtudebat: utrumque præclare refellit S. Auguſtinus *De Civ. Dei* lib. 7. c. 5. 25., & alibi paſſim; neque enim ejuſmodi doctrinæ ſuſcepta ratio aut ipſos, qui Cælum, atque Aſtra inter Deos numerabant, ab veræ Idololatriæ labe excuſabat, aut alioqui Reip. proderat, in qua cum religionis myſteria tam nefariis Deorum flagitiis repræſentata populo arcanas illas ſignificationes ignoranti demonſtrabantur, ad ſcelera omnia, quæ auctores Deos, & patronos haberent, illum facilius impellebant.

[*d*] In Aug. c. 29. hincque factum ſubdit, ut Auguſtus Tonitruum metum nunquam deponeret, itaut utique pellem Vituli marini circumferret, atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum, & concameratum locum ſe reciperet; ridiculum etiam illud hac in re Svetonius narrat, cum enim ipſe Auguſtus *dedicatam in Capitolio Ædem Tonanti Jovi aſſidue frequentaret*, *ſomniavit queri Capitolinum Jovem Cultores ſibi abduci*, *ſeque reſpondiſſe Tonantem pro Janitore ei appoſitum*.

[*e*] Grut. p. 21. n. 3. & ſeqq.

[*f*] Deum Brontontem eundem eſſe, & ſignificare ac Jovem Tonantem ſatis conſtat: ſic apud Gruter. p. 17. n. 12. *Jovi Sancto Brontonti Aur. Poplius*: & p. 34. n. 3. Fl. Septimius Zoſimus V. P. dicitur *Sacerdos Dei Brontontis*: ejus Simulacrum exhibet Io. Dom. Bertolius Antiquitatum Aquilejenſium eximius illuſtrator p. 98. n. 73. Trucem vultum in eo ſpectare eſt, a cujus mento non admodum prolixa, ſed ſpiſſa barba pendet; caput vero pileo opertum habet, qui diademate circumdatur: In imo pectore, ubi Simulacrum deſinit hæc habentur inſcripta: BONO DEO BRONTONTI.

Digitized by Google

quod eo vocabulo Templum ipſum, ut etiam Domus ſignificata videatur (*a*), ſive quod nulla Domus, nullumque Templum ſine Limine eſſe poſſint; idque duplex, quod Plautus memoravit (*b*)

Limen ſuperum, inferumque ſalve, ſimul autem vale:

In ſupero autem (quod ſuperliminare appellavit Plinius l.29. 4.) hic Titulus inſcriptus eſse debuit; & ſane liminibus Templorum peculiaris religio ineſse putabatur, eademque Veſtæ Sacra fuiſse tradit Servius Æneid. VI. 273. *Veſtibulum dicunt a Veſta dictum per imminutionem; nam Veſtæ limen eſt conſecratum*; Hinc illa non ſolum ſolennibus diebus frondibus, floribuſque ornari, ſed perpetuo opere vel e marmore, vel ex aere conſtruebantur; Ænea quidem Templo Junonis Carthaginienſis tribuit Virg. Æn. I. 452., ita etiam Cn. & Q. Ogulnios ædiles ex fœneratorum mulctis Ænea *in Capitolio limina feciſſe* refert Liv. X. 23. At cur in ejus Templi limine vota Tonanti Jovi perſolvenda erant? ex eo certe recepto more, quo pleraque alia in Templorum liminibus in religioſioris erga Deos cultus argumentum agebantur; ſic limina oſculari ſolebant ſupplicantes, quod inter alios docet Tibull. I. 5. 44.

Et dare ſacratis oſcula liminibus.

In publicis quoque ſupplicationibus, quæ avertendæ Deorum iræ cauſsa habebantur, aut cum hoſtili aliquo nuncio perculſa Civitas ad Deos, & vota confugiebat, Templorum limina paſsis crinibus verrere Matronæ conſuebant, ut tradit Lucan. II. 30.

Hæ lacrymis ſparſere Deos, hæ pectora duro
Affixere ſolo, laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas . . . . . .

Meminitque Arnobius l. 1. *Cum Deorum ante ora proſtrati limina ipſa converrerent oſculis*: At de Tonante Jove, ejuſque Templo jam ſatis.

Reſtat *Paciferi* titulus, qui nuſquam alibi fortaſſe Jovi tributus invenietur (*c*). Quid igitur cauſsæ fuerit, ut ejuſmodi titulo Juppiter a Beneventanis coleretur, nonniſi ex eodem Lapide, unde primum prodiit, veriſimili explicatione aſſequi poterimus. Belli Germanici Dacici in eo Lapide mentio eſt, quod non aliud fuiſſe arbitror, quam quod ab Imp. Trajano aliquando ſit geſtum: Germanico Bello eum præfuiſſe conſtat, cum a Nerva adoptatus cum Germanici titulo Imperii conſortium, mox ſucceſſionem adeptus fuit, quo ſane bello ad difficillimum alterum, quod Dacicum fuit, viam jam ſibi ſtraverat; Dacorum gens Germanorum ſæviſſima, ut qui remotiorem, rigidioremque Germaniæ partem incolerent; quos ſatius habuit Auguſtus per Lentulum ultra Danubium olim repuliſſe: efferatiores tamen, tum cum Trajanus bello eos eſt aggreſſus, ob ſummam Decebali eorum Regis barbariem cum rei militaris ſolertia conjunctam: Binas autem expeditiones in Daciam ſuſcepit Trajanus, quarum prior pace cum Decebalo viribus fracto nonniſi duriſſimis conditionibus compoſitâ finem habuit; omnia enim Decebalus, quæ ſibi imperata tunc fuere, non præſtitit ſolum, verum etiam ad Trajanum mox deductus (ut refert Dio Caſſius) illum *humi procumbens ſuppliciter adoravit*; idque, quod Trajani gloriam maxime adauxit, jam nunc ſpectare quoque nobis licet in ejus Arcu Triumphali, qui poſteriore hujus Operis volumine ſuis Commentariis illuſtratus exhibebitur, ubi inter alia plura Trajani egregia facinora, res iſthæc pari magnificentia, elegantiaque repræſentatur: Poſteriori cauſam dedit violatum ab Decebalo fœdus, cujus dignas tandem luit pœnas, nam poſt diuturnum, ac periculoſum bellum, ne, captâ poſtremo Regia, in Victoris manus incideret, mortem ſibi conſcivit, tumque Dacia omnis in Romanorum jus, ditionemque redacta Imperii Provincia, deductis quoque eò Colonis, a Trajano eſt conſtituta: Poſt hæc (ut de præcedente etiam tempore obſervatum a me fuit) nullum aliud in Daciam ſuſceptum ab ſequentibus Imperatoribus bellum, quam ſane Provinciam dimittere Hadrianus cogitavit, quem tamen (ut ait Eutropius) ab eo conſilio amici deterruerunt, ne multi Cives Romani Barbaris traderentur; ſed dimiſit tandem Aurelianus qui (teſte Vopiſc. c. 39.) Provinciam trans Danubium Daciam a Trajano conſtitutam, ſublato exercitu, ac Provincialibus, reliquit, deſperans eam poſſe retinere, abductoſque ex ea populos in Mœſia collocavit: ut propterea certum illud videri jam poſſit, Bellum Germanicum Dacicum in noſtro Lapide memoratum ad ſolum referri poſſe Trajanum,

[*a*] Cic. pro Cæcin. c. 12. Virgil. Æn. VII. 579. Horat. Epiſt. l. 1. 19. 36.

[*b*] Plaut. in Merc. v. 1. 1.

[*c*] Jovi quidem inſuetum cognomen; non item Dis aliis: nam Mercurio tribuit Ovid. Metam. 14. 291. Herculi lapides apud Grut. p. 49. & p. 1013. 4. item Apollini apud eundem Grut. p. 58. 7. *Paciferi* demum vocantur Genii apud Reineſ. Cl. 1. n. 294. & Donium Cl. 1. n. 139.

Digitized by Google

qui unus proinde Cæſarum Dacici nomen (quod ejus proprium fuiſſe ex antiquis Lapidibus, nummiſque recte monet Spanhemius (*a*) jure, ac merito ſibi comparavit: At quid hæc, inquies, cum Jove Pacifero? M. Sutorius Verus, qui Beneventanorum Civium unus priore Dacico bello Legionariam militiam ſecutus fuit, ut ſibi Victoris Jovis opem conciliaret (*b*), aut etiam in aliquo, quod fortaſſe ſubiit vitæ diſcrimine, præſentem demereret, votum ſuſcepit, poſtea verò quam ejuſmodi bellum, ſtatuto inter Duces fœdere, feliciter confectum fuerit, ipſeque emenſis ſtipendiis jam Veteranus effectus, atque honeſta miſſione donatus ad patrios lares incolumis remeaſſet, non Jovi *Victori* tantum, cui primum ſignum aliquod voverat, at æque *Pacifero*, quem novum titulum ejus belli finis pepererat, votum ſolviſſe putandus eſt.

Exinde igitur Victori Jovi *Paciferi* quoque titulus acceſſit, quo apud Beneventanos coli cœpit; etſi enim initio privato fortaſſe jure Sutorius Jovem *Paciferum* ſibi colendum ſuſcepiſſet, ut inter Sacra familiaria ſive domeſtica id numen contulerit, cum tamen erectum Lapidem, qui alicujus ſigni *Paciferum* Jovem repræſentantis, & titulus, & baſis eſſe debuit, publico loco poſuiſſet, jam in omnes Cives publicus illius cultus, ac religio diffundi potuit; neque enim in ea re contra legem, quam affert Cicero (*c*) actum videbatur, quâ cautum erat ne quis ſeparatim haberet Deos novos, aut advenas, niſi publicè adſcitos, privatim coleret; etenim Diis veteri jam religione receptis novos titulos aut honoris cauſa, aut in recentis beneficii memoriam tribui, imo nova illorum ſigna, ſimulacrave novis adinventis formis utramque rem referentibus dedicari rite potuiſſe privata auctoritate exempla plura manifeſtant: Hinc Dii plerique cognomina aliquando ſortiti ſunt ab iis, qui peculiarem in ipſos cultum impendebant, cujus rei inter alia plura, quæ Antiquitas nobis ſervavit, elegans exemplum habere licet ex noſtro Lapide paucis ante annis prope Portam Rufinam effoſſo, ubi ſic legitur

DEAE VENERI
C. ENETRI C. L
SACRVM

Simile exemplum in hoc altero Lapide deprehenditur prope Arpadium ex Gudio p. 57. n. 7.

Ab uno latere	*Ab altero latere*
MESIAE SACRVM	MESIAE ET
M. COMPITIVS VALENS	SETIAE
M. F. STEL. EQ. ROM	COMPITIANAE
CVRATOR VIARVM	D. D

Quænam olim fuerit iſthæc Dea Metia, & Setia adhuc ignoro: In Gudiani Operis Indicum Supplementis p. 6. in fine hæc ad hunc Lapidem obſervata invenio: *Ligorius Lapidem Deæ Sementis, Deæque Meſſis in Territorio Compitiano dedicatum eſſe adnotavit*: Deas Sementem, Meſſemque Setiæ, Metiæque nomine appellatas Ligorio non invitus dederim, nunquam verò Compitianum Territorium permiſerim: quovis enim pignore contendo, *Compitianæ* cognomen, quod in altero Lapidis latere eidem numini tribuitur, neque a Compito, a quo Compitalitium efferri ſolet (ut Compitalitii Lares, Compitalitiæ Feriæ) ſed a gentili *Compitii* nomine derivatum, ita ut peculiaria ea Numina eſſent, quæ inter privata Familiæ *Compitia* ſacra colebantur (*d*).

Atque ne a noſtris diſcedamus, celebris quoque Romæ fuit Juppiter cognomine *Carvilianus* ita dictus teſte Plinio (*e*), quod illum in Capitolio fecerit Sp. Carvilius, victis Samnitibus ſacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreiſque, & galeis, cujus amplitudo tanta fuit, ut conſpiceretur a Jove Latiari, exque limæ reliquiis Carvilius ipſe ſuam Statuam fecerit, quam ante ejus Simulacri pedes locavit: ex quibus plane conſtat, *Venerem C. Enetri* non aliam fuiſſe, quàm ipſammet, cui ex vetuſta Religione divini honores publicè tribuebantur, ita tamen appellatam, quod Libertinus ille peculiaris in eam cultus teſtem poſuerit Lapidem erecto quoque fortaſſe ſigno (nam Lapis ipſe in baſis formam aſſurgit), quod ſpeciali notâ aliquâ, aut inſignibus

[*a*] De Præſt. Numiſ. Diſſ. VIII. p. 710. Amſtelod. 1671.

(*b*) Jovi Victori vota plerumque nuncupare ſolebant Milites, ut apud Grut. p. XXIII. n. 8. Gudium p. VII. n. 8 & 10.

(*c*) De Legibus l. II. cap. 8.

[*d*] Sic in veteri Ræſianorum familia apud Gruterum parum nota peculiare Dianæ Numen fuit ejuſdem familiæ nomine appellatum, ut notavi obiter in antiquo Lapide penes Spanhem. De Præſt. Num. diſſ. 6. p. 521. in hunc modum: *Dianæ Ræſianæ Q. Ræſius Q. F. Surdinus cum Ræſia Erculaniola Sacrum*.

(*e*) L. 34. 7.

Digitized by Google

insignibus distinguebatur, unde ad aliarum Venerum differentiam suam Venerem C. Enetrus ab se appellatam publicè colendam exposuerit: Sic etiam ignotam Deam illam, unam, 'an plures? Mesiam, & Setiam de suæ Familiæ nomine Compitianam appellavit M. Compitius Valens; quod de suo Jove præstitit quoque Sp. Carvilius, quasi parum esset unius Jovis religionem tenuisse, itaut multiplicatis in Capitolio tot Jovibus, jam inter ipsos (ut postmodum de Jove Tonante Suetonius retulit) de abductis invicem cultoribus querimoniæ audirentur: Idque demum Sutorius egit, ut ad Jovis *Tutatoris*, *Tonantis*, *Victoris*, quibus titulis numen illud a Beneventanis colebatur, ob eam, quam superius verisimilem satis probavi, aut quampiam causam aliam, *Paciferi* quoque titulum adjiciens, novam ex eo amplificandæ Jovis religioni occasionem Beneventanis præbuisse videatur: At de Jove hactenus.

Nunc Jovis & soror, & conjux adest Juno, cui quidem numini præ aliis, Joveque ipso veteres Beneventanos addictos fuisse Lapidum copia argumento est. In iis variis cognominibus, titulisque decorata Juno conspicitur, inter quos, qui haud hactenus fortasse innotuerunt, solo nostrorum Lapidum beneficio. nunc demum in lucem prodeunt.

1.

IVNONI REGINAE.....

.....

2.

IVNONI
VERIDICAE

.....

.....

3.

IVNONI QVIRITEI SACRA
C. FALCIDIVS L. F. CONSOL
DEDICAVIT

4.

SACERDOTI
IVNONI REG
LICINIAE
LICINIANAE
LICINIANI TRIB
FILIAE
..... NIA MÆIANAE *sic*
MATER

5.

IVNONI STYGIAE
CRESCENTINA
MATRILIA CVM
FIL. SV. V. S. L. M

De Junone Regina, quæ veteribus, noviscque Scriptoribus passim celebratur, non est cur verba faciam; illud dumtaxat ex Lapide IV. non omnino novum, etiam num observasse licebit, fuisse nempe aliquando feminas Sacerdotio perfunctas (*a*) quod in Junonis sacris curandis frequens esse debuit, ut quæ præcipuum fœminarum numen iis nubentibus, parientibusque adesse credebatur; unde *Cinxiæ*, *Domiducæ*, *Lucinæ*, *Matronæ*, *Opigenæ*, aliisque sane pluribus ejusmodi munera indicantibus titulis colebatur, quin & illud jam ex vetustis monumentis satis observatum, ut qui viris singulis juxta communem Ethnicorum Theologiam Genius præsset, alio nomine, sed eadem significatione in mulieribus *Juno* vocaretur, ut non solum Lapidibus, sed etiam Scriptoribus exploratum habet Fabrett. Inscr. c.2. p.73. & inferiùs latè observabimus.

(*a*) Sic interpretor, ut illud *Sacerdoti Junoni Reginæ* cum Licinia concordet, ad eamque sit referendum, parum usitata quidem, sed non impropria loquutione, quâ munus præcedat, inde personæ nomen sequatur: *Junoni* namque in Lapide pro *Junonis* stat, ultima litera *S*, ut ego attentè inspexi, ex nullo superstite ad sequentem dictionem spatio prorsus deficiente, adeo ut temporis injuria detrita putari nequeat; at ne Lapicidæ negligentiam in ejus literæ omissione causemur, vetat certè ejus rei simillimum exemplum, quod legere est in Lapide apud Spanhemium de Præst. Num. diss. 2. f. 83. in hunc modum

 Sed

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI REG. SISP
ITAE LANVMVIANAE FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE IOVI SISP
ET AMINE MATRI PIISIM
IN FR. P. XIIX. IN AGR. PED. XXVI.

Ubi jam vides Amium *Sacerdotem Junoni Reg.* Scribi, ac præterea ejus filium *Sacerdotem Jovi*.

Digitized by Google

Sed jam de ceteris Junonis titulis, qui ex noſtris Lapidibus prodiere, agendum erit: & quidem *Veridicæ* cognomen, quod in ſecundo Lapide Junoni tribuitur, non alibi fortaſſe occurret; ita ut ad ejus cauſam explicandam, nullam etiam opem afferente Lapide reliquis lineis omnino detrito, nonniſi divinatione opus erit. *Veridici* itaque Epitheton cum cuipiam Numini concedatur, nonniſi aliquod ex eo acceptum oraculum deſignare videtur, cujus veritas, quam probaſſet eventus, jam ei Numini *Veridici* elogium feciſſe valuit: non legimus autem Deos omnes, quos Ethnici colerent, effundendorum oraculorum vi paſſim præſtitiſſe, ſed aliqua tantum apud eos Oracula celebrata, quæ ad certos Deos, ac præſertim Apollinem pertinebant; nil tamen vetat, ut ab ſingulis Diis aliquando fundi poſſent oracula, ut heic de Junone veriſimile ducimus, quæ, ut Helenum vatem, ne ventura Trojanis prædiceret, prohibuiſſe fingitur a Virgilio (*a*), ita & ipſa aliis nunciare, quæ vellet, credi poterat; quod duobus ferme modis evenire ſolebat; aut enim de aliqua re quærentibus Sacerdotis alicujus miniſterio reſpondebat, qualem in Apollinis oraculis Pythiam fuiſſe legimus, Carmentamque Evandri matrem eo munere functam memorat Livius l. 1., qui illam *Veridicam Deorum Interpretem* appellat, aut idem per ſomnium præſtare videbatur; nam ſuperſtitioſum ejuſmodi morem divina oracula per quietem captandi, apud Æſculapii, Serapiſve Templum Ægris ſolennem fuiſſe ſatis conſtat (*b*). Potuit igitur Juno quoque (his enim artibus Dæmones in Idololatriæ obſequio homines confirmabant, ut a quopiam alio Numine ſibi oracula dari crederent) ſuo cultui addictos in ſomniis de quapiam re monuiſſe videri, cum id facile Numinis præcipue ab ſe culti (cujus opi ſe ſe maximè commendare ſoleret) oraculo tribuere quiſque poterat, quod nonniſi ex re vehementer optata, diuque, dum vigilaret, in animo volutata ſibi, ut aſſolet, dormienti in mentem occurrerit, atque huc omnino referendam eſſe formulam cenſeo in veteribus Lapidibus perſæpe obviam, qua quis aliquid facére EX VISV, aut EX BISO teſtetur; nam, cum omnes, Dis ſacri ii Lapides ſint, quiſquis eos dedicabat eâ formulâ non aliud plane ſignificatum oſtendebat, quam quod ſibi per ſomnium alicujus Numinis nutu contigiſſe ſibi falsò ſuaderet. Sed an per Somnium, aut per Vatem, Sacerdotemve oracula ſua fundere crederetur Juno, mirabimur ſane, an etiam ridebimus eximium illum *Veridicæ* titulum ſibi comparaſſe apud Ethnicos ipſos, qui de ſuorum Deorum Oraculis experientiâ ipsâ edocti tam male ſentiebant (*c*).

Aggredior modo *Quiritis* explicationem, qui titulus in III Lapide Junoni quoque acceſſiſſe probatur: Ex hocce Lapide, qui vetuſtate ſua non Beneventanos tantum reliquos, ſed quotquot poſt Duellianæ Columnæ inſcriptionem aliorum Theſauri exhibent, fortaſſe præſtare videtur, *Quiritis* primum nomine Junonem Beneventi cultam fuiſſe veriſimile ſatis judicabimus: non enim facile fuerit in veterum monumentis Junonem cognomento *Quiritem* inveniſſe: Hinc ſi noſtrum Lapidem excipias hactenus ineditum, nullibi omnino, niſi ſemel in Theſauro Gruteriano p. 308. n 1. Juno *Quiritis* (*d*) occurrit; ibi enim *Cincius Priſcus Pontifex Sacrarius Junonis Quiritis* legitur: De Junone *Curite* idem pronunciavit V. Cl. Gorius, rarum ſcilicet hunc etiam Junonis titulum, quem primum prodiiſſe inquit ex Lapide Doniano Claſ. II. n. 26. ubi Duo Publii Nigrini, Martialis Pater, & Dexter filius *Viam Sacram a Calcidiaco ad Lucum Junonis Curitis*

(*a*) Æneid. 3. 379.

(*b*) Ægroti in Templis ad accipienda curationis reſponſa dormiebant; quod *incubare* dicebatur: ſic Plaut. Curcul. act. 1. ſc. 1. 61. *Leno ægrotus incubat in Æſculapi Fano*. Hujus rei teſtes plurimi ſunt, inter quos Strab. Geogr. l. 17. Ælianus hiſt. anim. l. XI. c. 31. Tacit. hiſt. 1. 4. c. 8. Herod. l. IV. c. 14. Sveton. in Veſpaſ. c. 7. ac demum Interpretes ad Petronii Satyr. c. 17. At Tullius in *De Divinat.* l. 2. c. 59. ejuſmodi oraculorum per ſomnium genus licet deridens, aliis quoque Diis quàm ſoli Æſculapio, Serapive tribui commode poſſe concludit. *An Æſculapius* (inquit) *an Serapis poteſt nobis præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus Gubernantibus non poteſt? & ſine medico medicinam dabit Minerva? Muſæ ſcribendi, legendi, ceterarum artium ſcientiam ſomniantibus non dabunt?* Certè Jovis hoc quoque fuiſſe munus ut oracula, viſioneſque dormientibus præſtaret, docet Plaut. in Curcul. *Neque incubare te fuit ſatius Jovi, qui tibi jure jurando auxilio fuit*: Acciam Auguſti matrem in Apollinis ædibus una cum domeſticis Matronis obdormiſſe, ut per ſomnum divina comprehenderet reſponſa, teſtis eſt Sveton. in Octav. cap.

(*c*) Fraudem ſubeſſe ſolitam indicavit Demoſthenes; dum, ut refert Plutarch. in Demoſth., Pythiam auro a Philippo corruptam facetè dicebat; Vanitatem verò aperte fatetur Porphirius apud Euſeb. Præp. Evan. VI. 5, quamquam is librum de Philoſophia ex oraculis petita ſcriptitaſſet. Chryſippum redarguit Cicero l. 2. *de Divinit.*, quod oraculis totum volumen impleverit, *partim caſu veris, ut fit in omni oratione ſæpiſſime, partim flexiloquis, & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortem*.

(*d*) Non tanti ea res eſt, ut cum Reineſio decertem, qui *Quiritis* (quod in eo Lapide notatum invenio) non eſſe nominativi caſus, ſed genitivi a *Quiris* contendit, ut ſit *Juno Haſtæ* i. e. *Haſtata*. Sed quis dubitaverit, quod cum *Quiris*, aut *Curis* ſit Haſta, rectius ſit, ut ab ea Haſtatus, aut Haſtata per nominativum *Quiritis* derivetur?

Digitized by Google

Curitis reſtituerunt: Sed Vir doctiſſimus, Antiquitatis explorator, atque illuſtrator eximius nonniſi vetuſtos Lapides in mente habebat, nam apud Scriptores frequens, ut mox videbimus, Junonis *Curitis* mentio: Illud tamen (ſi mihi liceat) Viro ſummo objecerim, importunam, quam excogitavit, Curitis in Curetis emendationem, videri; non enim hæc Juno (ut aſſerit) eadem eſt *ac magna Deùm mater Cybeles, quam Curetes, a quibus denominata eſt, ſeu Corybantes Phrygiæ Populi coluere*: Verius enim omninò illud eſt, hanc eam eſſe Junonem, quam, teſte Dionyſio (*a*), poſt initam Romanos inter ac Sabinos civilium omnium, ſacrarumque rerum communionem T. Tatius ex Sabinis Romam advexit, ita appellatam, quod ejus Imaguncula in haſtæ culmine ab iis circumferri ſoleret; quare de hac re ſic ego ſtatuendum arbitror, ut nimirum Juno *Curitis* non alia quàm Juno ipſa *Quiritis* cenſenda ſit. Primum, id ex ea Haſta, cui Junonis Simulacrum imponebatur, rectè conjici poterit, quæ cum *Curis* a Sabinis vocaretur, *Curitis* nomen inde Junoni factum ſuadet: Certe Feſtus licet id nomen Junoni, non quod haſtæ immineret, ſed quod illam geſtaret, deductum velit, ab eadem tamen haſta illud omnino deducit: *Curitem*, inquit, *Junonem appellabant, quia eandem ferre haſtam putabant*: & rurſus, *Cœlibari haſta caput nubentis comebatur, quæ in corpore Gladiatoris ſtetiſſet abjecti, occiſique, ut quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore Gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit, vel quia Matronæ Junonis Curitis in tutela ſint, quæ ita appellabatur a ferenda haſta, quæ linguà Sabinorum Curis dicitur*. Sed quod *Curis* Sabinis, Romanis *Quiris* vocabulum fuit, propterea quod illi literâ Q. carerent, qua Romani utebantur: Ita Cato in Origin. *Quirinalis Collis*, ait, *a Junone Sabinorum Dea, quam illi Curitim, ideſt Haſtatam Junonem vocant, etenim haſtam* CURIM, *&* CURINAM *proferunt, quia his ſimul, & Hetruſcis non eſt litera Q. ſicut Romanis*; ad rem iterum Feſtus: *Curis eſt Sabinorum haſta, unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, eſt dictus*: id, quod etiam affirmavit Ovidius, qui ejus nominis etymologiam (quamquam an Quirini nomine ipſe Deus appellatus eſſet Romulus, aut, quicumque is fuerit, alius, non adhuc conſtat) variè exponens ab haſta inter alia derivatum canit (*b*). Patet itaque, quæ tandem ea ſit in noſtro Lapide Juno Quiritis nomine appellata, quo quidem nomine illud ſingulare eidem noſtro Lapidi pretium accedit, ut cum ejuſdem Junonis cultus, ac memoria non alio quam *Curitis* nomine Sabinorum olim proprio, celebrari deinceps placuerit, *Quiritis* tamen, qui Latii erat, titulus pene intermortuus noſtri Lapidis ope ſervatus videatur; ex qua profecto re ipſius Lapidis vetuſtatem conjectare licet, ac antiquiſſimum ſimul Beneventanorum cultum erga Junonem, cujus religionem tum cum *Quiritis* ipſa initio cognominaretur, nec dum in *Curitem* dein paſſim translata eſſet, ab prioribus Romanis excepiſſe veriſimile eſt. Ceterum utriuſque rei vetuſtas ex reliquis hujus Lapidis verbis comprobari videtur; nam C. Falcidius L. F. nullo cognomine, ſed Conſulari dumtaxat munere notatus (*c*), ipſum præterea vocabulum *Conſol*, quod Duellianæ Columnæ ſermonem præfert, non obſcuras Archaiſmi notas oſtendunt, cujus tandem *Quiritis* titulus, de quo hactenus verba feci, Junoni appoſitus manifeſto argumento eſſe poteſt.

Poſtrema eſt in noſtris Lapidibus Juno Stygia, quam inter noſtras Junones non ulla Lapidis ratio, ſed munus, inferiorque aliis dignitas in ultimum locum conjicendam ſuaſit. Ejus autem notionem facile hauriemus ex Servii loco in Æneid. IV. v. 638., ubi in illud Virgilii. *Sacra Jovi Stygio, quæ rite incœpta paravi: perficere eſt animus: Jovi Stigio* (ita commentatur Honoratus) *hoc eſt Plutoni; & ſciendum, Stoicos dicere unum eſſe Deum, cujus nomina variantur pro artibus, & officiis, unde etiam duplicis ſexus nomina eſſe dicuntur, ut cum in actu ſunt, mares ſunt, feminæ cum patiendi habent naturam: Ab actibus autem vocantur, ut Jupiter Juvans Pater; Mercurius, quod mercibus præeſt; Libera a Libertate; ſic ergo & modo Jovem Stygium dicit inferis ſacrificatura, ut alibi: Junoni Infernæ dictus Sacer*. Juxta quam diſciplinam non unus Jupiter habebatur, ſed plures eodem nomine, diverſis tamen cognominibus propriam cujuſque poteſtatem demonſtrantibus diſcreti, vulgò coli cœperunt: Hinc tandem intelligimus recte, quid ſibi velit illud epitheton *Cœleſtini*, quod Jovi

(*a*) L. 2. p. 85. Plutarch. in Quæſt. Rom. Καὶ Κυρῖτις ὁ Θεὸς ἐπονόμασται.

(*b*) Faſt. XI. 475. Ac ſiuti *Curitis* pro *Quirite* accipitur, & e contra, ita inter ejuſmodi alias cognatas voces alterutra uſurpatio frequens erat, cujus rei exemplum inter alios præſtat Virgilius Carpenſis, ſeu Mediceus, qui l. 7. v. 612. ita ſcriptum præfert. *Ipſe Cyrinali trabea, cultuque Gabino*: ubi illud *Cyrinali* pro *Quirinali* (quod editiones omnes habent) more Græcorum poſitum eſt, qui pro Latino Q literam K adhibent; hinc in S. Luca, qui græce Evangelium ſcripſit, ſervata eſt ab Interprete c. 2. vox Cyrini Syriæ Præſidis, quem Quirinum nuncupatum Latini Scriptores omnes prodidere.

(*c*) De C. Falcidii Conſulatu nihil in Faſtis, unde ſuffectum ne Romæ Conſulatum, aut Municipalem geſſerit, incertum eſt: de Municipalibus Conſulatibus variæ fuerunt Clariſſimorum Virorum Sententiæ, & concertationes. Vid. Card. Noriſ. Cenot. Piſ. diſſ. I. c. 3., necnon Fabrettum cap. X. p. 723. contra Reineſium de more certantem.

Digitized by Google

Jovi Optimo Maximo tribuitur in quadrifonte Epigraphe apud Gruter. (*a*), quam emendatam recudit in ſuo Opere Fabrettus (*b*) : Jovem Cœleſtinum non alium quam Jovem Olympium, propterea quod unus alterum *ad verbum reddit*, explicavit Fabrettus, ſed veram prioris epitheti rationem non ſatis aperuit, quam non aliam in eo Lapide crediderim, ut nempè illius Jovis Numen indicaretur, qui Dieſpiter, Altitonans, Divûm Pater, atque Hominum Rex, cui denique

Fulmina poſt auſos Cœlum affectare Gigantes
Sumpta . . . . . .

Sic ad differentiam ejus Dianæ, quæ

Montium cuſtos, Nemorumque Virgo

vocatur Horatio (*c*), & Nemorenſis appellatur in veteri Lapide apud Gruter. (*d*) jam *Cœleſtis* altera vocari conſuevit, quæ (ne externa quæram) occurrit in noſtro Beneventano Lapide

DIANAE CELESTI
SACRVM
CRESCENTINA
CVM SV. LIBER

Cœleſtinus igitur, ſeu Cœleſtis Juppiter ita appellatus, ut ab ceteris ejuſmodi vocabuli Diis ſecerneretur, nam Jupiter quoque dicebatur tum is, qui Maris imperium (*e*), tum qui Inferni, (*f*) accepiſſe credebatur.

Quæ de Jove dicta ſunt, eadem diſciplina, rituque ad Junonem quoque transferri poſſunt. Præter enim eam Junonem, quæ ſic de ſe ipſa jactabunda perſonabat (*g*).

Aſt ego, quæ Divum incedo Regina, Joviſque
Et Soror, & Conjux . . . . .

Junonem alteram Stygiam (nam de Æquorea, ſeu Maritima nihil hactenus compertum habui) omnino fuiſſe noſter lapis manifeſte probat. Eam autem *Profundæ* titulo, quod ſub terræ ima conſideret, donavit Claudianus; (*h*) *Infernam* autem cognominavit Virgilius (*i*); at *Stygiam* Creſcentina in noſtro lapide appellatam maluit, & optime quidem, ut eodem iſthaec Juno epitheto inſignis eſſet, quo *Stygium* Jovem ſcriptoribus, ac lapidibus celebratum jam audivimus: non omnino vero a me divinatum erit, ſi eandem ipſam Creſcentinam acceperim, quæ in utroque noſtro lapide modo Junoni Stygiæ, modo Dianæ Cœleſti, ut vidimus, votum ſolvit cum liberis ſuis. Locus enim utrique lapidi communis, ſimillimum mulieris dedicantis nomen, eadem fere utrobique concepta verba optimam ejus rei conjecturam ſuppeditant; Quod cum ita ſit, mirabimur certe hujuſce mulieris religioſam ſolertiam, quæ Superis non contenta, Inferos quoque Deos ſibi colendos ſuſcepit: Cur vero Junoni Stygiæ votum a Creſcentina cum filiis ſolutum fuerit, non alia videtur fuiſſe cauſa, quod ejus præcipua ope ſe, ſuoſque filios præſenti vitæ diſcrimine liberatos putaret; hoc enim Infernæ, ſive Stygiæ Junoni munus cæca Gentilitas tribuebat, ut quam Juno Lucina vitam naſcentibus impertiretur, ipſa demum Juno Stygia morientibus adimeret: ita ut crinis ſectione, quam in morituri vertice perageret, mortem tandem inferret; ſic ex Statii loco Servius (*k*): *Tum Juno omnipotens: aut pronuba, aut inferna. Statius: Jam complexa manu crinem tenet Infera Juno.*

Infernorum autem Numinum cultum (quod heic non abs re erit ſubnotaſſe) Ethniços frequentaſſe

[*a*] P. 18. 2.
[*b*] C. 6. p. 430.
[*c*] Od. l. 3. 22. 1.
(*d*) 41. 7. 8.
[*e*] Hunc *Secundum* Jovem appellat. Stat. Achill. 1. 48.
. . . . . *dextramque ſecundi*
Quod ſupereſt completa Jovis . . . .
Tridentiferumque, ut a Fulminatore, ſeu Fulguratore diſtingueret, jam dixit Sidon. c. 22. n. 159.
Sacra Tridentiferi Jovis hic armenta profundo
Pharnacis immergit genitor . . . . .
(*f*) Sed jam tertius ipſe erat Juppiter, qui inferna regna moderari credebatur, cui Nigri Epitheton fecit Sil. Ital. VI. 1. 116.
Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant.
Stygius vero non ſolum Virgilio, ut paulo ante audivimus, fuit dictus, ſed etiam Ovid. Faſt. v. 448.
Sæpe tibi eſt Stygii Regia viſa Jovis.
In Lapide etiam apud Gruter. p. XXIII. n. 6. 7.
(*g*) Virgil. Æneid. 1. 46.
(*h*) De Rapt. Proſerp. l. 1.
. . . , . . . *Calignanteſque profundæ*
Junonis talamos audaci promere cantu
Mens cogeſta jubet . . . . . .
(*i*) Æneid. VI. 138.
. . . . . *latet arbore opaca*
Aureus & foliis, & lento vimine ramos
Junoni infernæ dictus Sacer . . . . .
(*k*) Æneid. IV. 693.

Digitized by Google

quentaſſe ſatis conſtat, qui tamen in iis colendis diverſos, ac qui erga Superos adhibebantur, ritus, ſuperſtitioneſque ſervabant (*a*); Stultiſſimam Religionem impiiſſimus error invexit, quo bina ſimul rerum omnium Principia, *Bonum* ſcilicet unum, alterum vero *Malum* ſtatuebantur, atque poſteriori huic, a quo omnes in humanum genus calamitates ex propria ſui natura, inſitaque nocendi mente manare credebantur, ſui quoque veluti Satellites, quos Deos malos appellabant, adeſſe putabantur; ab his nec ipſos Deos *Manes* exceperis, quos in innumeris paſſim lapidibus inſculptos, eo honorifico vocabulo, quod *Bonos* ſignificabat, non quod ejuſmodi eſſent, ſed ut quodammodo eorum adverſa vis mulceretur, vocabant; eos enim, quos jam inferos eſſe conſtabat, *ſuppliciter propter metum mortis venerari* ſolitos homines teſtatur Feſtus: eò res devenit, ut ab ipſo ſupremo malo Numine, ejuſque adminiſtris, quaſi longum ad eos imperviumque precibus iter eſſet, ſerioreſque ex iis ſuppetiæ pervenirent, ad ipſas pernicioſas res, quæ moleſtiam hominibus propius afferre videbantur, religio ſe converterit, dumque in iis vim aliquam Mentis, imo & Divinitatis ineſſe homines ſomniarent, ſe ſe omnino amentes oſtenderent: Deridendum, imo deteſtandum ejuſmodi errorem ipſi ſapientes Ethnici aliquando cenſuerunt; de eo enim præclara ſunt illa Ciceronis de Nat. Deor. lib. 3. 25.: *Qui tantus error fuit, ut pernicioſis etiam rebus non modo nomen Deorum tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur? Febris enim fanum in Palatio, & Orbonæ ad ædem Larum, & aram malæ Fortunæ Exquiliis conſecratam videmus*: at ita olim ſe res habuit, ut ærumnarum metu, quarum auctores Dæmones putarentur, ipſi ab hominibus triſtia, omnia ſuapte natura vitare cupientibus adorationem, qua placari poſſe falſo oſtendebant, paſſim extorquerent; quod etiam Chriſtiana lege ubique recepta apud improbos etiam Chriſtianos ſuo ævo (utinam ne deinceps) S. Auguſtinus querebatur, pernicioſiſſimum errorem luculentis his verbis infectatus (*b*): *Putant* [inquit] *pravi homines, quod hoc Dæmones præſtant, quos adorant ..... timendum eſt, ne irati noceant: non nocebunt, niſi ille* [Deus] *permittat: Ipſi ſemper habent voluntatem nocendi, nec ſi placentur, nec ſi rogentur, deſinunt nocere velle; hoc enim malevolentiæ illorum proprium eſt: ergo quid facies eos colendo, niſi ut illum offendas, quo offenſo in iſtorum poteſtatem daberis? Et qui tibi nihil poſſunt facere illo placato, facient quicquid volunt illo irato*: Sed jam ceteros Deos, quos veteres Beneventani patrios habebant, exequamur.

Hercules quoque inter præcipuos ſuiſſe videtur, cui non Lapides ſolum, atque Tituli, aut honoris, aut voti cauſſa, ſed Templa etiam dicata fuere. Primus itaque in lucem prodeat Votivus Titulus a L. Tarquinio Herculi poſitus cum Ovis imagine. Affert hunc lapidem quoque Gruter. (*c*) in eoque Suem ſculptam eſſe indicat, nec tamen exhibet; at Ovem potius in eo ſpectare licet, ut etiam heic exprimendam curavi.

At

(*a*) Manibus in Cœlum ſublatis Superos, at Inferos in humum projectis orare mos erat; præterea ut ex Labeone notavit S. Aug. *de Civit. Dei* l. 2. c. XI., & l. 7. c. 13 hi cædibus, & triſtibus ſupplicationibus propitiari, illi lætis, & jucundis obſequiis coli conſuebant; quem morem omnino reſpexiſſe videtur Virgilius Æneid. III. 118. dum ita canebat.

Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus album.

Quo loco Servius cauſſam quoque prodit, cur homines infernorum, ſeu malorum Deorum religionem profiterentur: *Bono* [inquit] *uſus eſt ordine, ut prius averteret mala, ſic conciliaret optanda: Fruſtra enim profutura poſcuntur adverſis ſequentibus; nam & Romani veteres Diis aſperioribus ſacrificabant, ne nocerent*: & in Æneid. IV. 58. *Sicut proſperis Diis, ut juvent, ita adverſis, ne obſint, ſacrificandum eſt*.

[*b*] Enarration. 2. in Pſalm. 26.

(*c*) P. 44. n. 11.

Digitized by Google

At quid huic L. Tarquinio in mentem venerit, ut Herculi Votum ſolvens Ovem ſacratam vellet; cujus etiam effigiem in lapide ſculpendam curavit? nihil enim ab Hercule alienum magis, quâm ipſummet animal, quod imbelle, omniumque mitiſſimum haud Numini congruit, cujus robur in monſtroſis belluis extinguendis maxime celebratur, nec niſi Leonis ab ſe interfecti exuviis ornari gaudet. At nihil temere hanc in re geſtum videri poteſt, aut Hercule indignum. Quid enim? Inter Herculis labores non infimum locum tenet, quod is Greges rufam lanam habentes, quæ ad Hesperides Nymphas Atlantis filias pertinerent, occiſo eorum cuſtode abegiſſe tradatur, ad eamque rem fabulam Malorum aureorum, quæ in pervigilis Draconis tutela eſſent, referendam tradit Servius, cujus verba mox opportuniori loco a me proferentur: Præterea Hercules ad Tyberim armenta paviſſe memoratur, quorum partem ab Caco ſubreptam, eo occiſo, tandem recuperaſſe fuſe canit Virgilius (*b*). Alterutram, aut certe utramque rem L. Tarquinius fortaſſe reſpexit; aut enim ea Ovis effigie priorem Herculis laborem indicatum voluit, aut potius, cum ejus Numinis ope abactas ſibi ſuas pecudes recuperavit [quod feliciter ipſi Herculi olim evenerit] Ovem ei voviſſe, votamque nedum ſacrificaſſe, ſed etiam in marmoreo votivo titulo effingendam curaſſe putandus eſt. Sed ne longius hunc votivum titulum morari liceat, dum præclariora alia de Hercule jam ſunt proferenda.

Inſignis inter vetera Beneventi monumenta habetur hæc Tabula Herculi ſacra.

Primus omnium, quos ſciam, hanc Tabulam ære quam eleganter inciſam vulgavit Jo. Baptiſta Ferrarius Senenſis e Societate Jeſu in libro, cui titulus: *Heſperides, ſive de malorum aureorum cultura, & uſu*: pag. 27. edit. Rom. 1646. cui Tabulæ hæc tantum verba ſubſcripſit: *Hercules cum Heſperide Beneventanus*: Ex eodem fortaſſe Ferrario, nulla licet illius facta mentione eandem Tabulam excepit Donius, qui etiam Beneventi extantem memorat. Habetur autem in ejus opere, cujus editionem adjectis eruditiſſimis notis nuper curavit V. C. Gorius inter prævias Tabulas Tab. VII. n. 2. pag. 4. Sed in græcum titulum irrepſit error, nam in prima dictione pro HPAKΛH adeſt HPAKAH: at hunc, quem malecauti Calcographi vere dixeris errorem jam animadvertit, correxitque in nova ejuſdem Tabulæ editione V. C. Muratorius, qui rurſum ex eodem Donio eam dedit Tom. 1. antiq. Inſcript. p. LXV. n. 8. Gorius in Adnotationibus ad Aras Deorum, ceteraque egregia Monumenta addita operi Doniano, quam breviſſime in eandem Tabulam commentatus *perelegantem ſculpturam* appellat, *quam* [inquit] *Herculi Servatori dedicavit Publius Junius Januarius Auguſtalis, ut arbitror, Coloniæ Beneventanæ*. De hoc igitur præclaro Beneventano Anaglypho tot clariſſimis viris celebrato, haud tamen ſatis illuſtrato, jam mihi erit differendum.

Utque

(*a*) Æneid. VIII. 190.

Digitized by Google

Utque a Græco titulo eidem Tabulæ inſcripto ordiar, ſic latinè is ſe habet

HERCVLI
SERVATORI
P. IVNIVS
IANVARIVS
AVGVR
POSVIT

Simillimum latinum titulum exhibet V. C. Marchio Maffejus in Muſeo Veronenſi pag. 349. ubi inter alias veteres Inſcriptiones Regni Neapolitani, quas nulla adjecta locorum mentione a V. C. Sebaſtiano Arnolfinio ſibi miſſas teſtatur, eum primo loco recenſet: Num a noſtro diverſus fuerit hic titulus iiſdem licet verbis latine conceptus? vix puto: ſed veriſimilius illud cenſuiſſe erit, deſcriptum ex noſtro marmoreo Anaglypho titulum, ac latinitate donatum, amiſſâ paulatim & loci, & monumenti memoriâ, per aliorum manus circumferri ſolitum. Sed jam *Servatoris*, quod Herculi tribuitur, cognomen obſervaſſe præſtat.

Cum itaque Hercules ingentia in omnes gentes beneficia contuliſſe, proque eis conſervandis, aut juvandis maximos labores, moleſtiaſque ſuſcepiſſe traderetur, poſtquam hominum fama beneficiorum memor in Concilio Cœleſtium ipſum collocavit, ſummis etiam honorum titulis celebraſſe pro more habuit: hinc paſſim in vetuſtis lapidibus, nummiſque *Comitis*, *Cuſtodis*, *Defenſoris*, *Conſervatoris* titulis decoratum legimus; nec ſecus *Servator* in noſtra Tabula nuncupatur, quo maxime titulo Cicero eum laudibus extollit, ejuſque, ad imitandum, exemplum ceteris proponit (*a*); qua de re Viris aliis ſummis, qui Heroes vulgo habebantur primi Urbium, aut Imperiorum conditores, ſive qui de Rep. optime meriti eſſent, *Soteres* populorum vocibus, publiciſque monumentis audiebant; quem tamen titulum pleriſque aut ambitio, aut ſubditorum metus largiebatur, ut de Ptolomæo Lagi jam conſtat, cui Rhodios primùm ΣΩΤΗΡΟΣ cognomen conceſſiſſe contendit Joſephus (*b*), quale dein ſucceſſoribus tum Lagidis, tum Seleucidis adhæſit. Ridebimus certe, an etiam cum Cicerone indignabimur Verri, quod a Siculis, quorum fortunas, dignitatem, vitam tam nefarie in ſua Prætura divexaverat, ejuſmodi magnificum titulum publico monumento ſibi inſcribendum curaverit. Audiamus Tullium (*c*): *Itaque Eum* (Verrem) *non ſolum Patronum iſtius inſulæ, ſed etiam SOTERA inſcriptum vidi*: *Syracuſis heu quantum eſt! ita magnum, ut latino uno verbo exprimi non poſſit*; *Is eſt enim SOTER, qui ſalutem dat*: Sed quod Herculem attinet, non ſolum in noſtro lapide, ſed etiam in nummis Thaſiorum, ac aliis pleriſque, ut Stymphaliorum Arcadum ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΣΩΤΗΡΟΣ *Herculem Servatorem* inſcribi jamdiu notavit Spanhemius (*d*), nuper etiam Jo. Henricus Schulze (*e*).

At jam ex titulo ad ipſam Tabulam progrediamur: Tres Tabulas huic noſtræ aliqua ex parte conformes protulit Fabrettus (*f*). Prima puerum equitantem, dexteraque pateram ferentem exhibet ante aram accenſo igne dumtaxat inſtructam, quæ arbori ſubjacet quinque poma inter folia ferenti, anguemque trunco circumflexum habenti, hoc titulo ima parte græcè inſcripto: *Glycon Euhemero filio memoriæ gratia vixit anno* I. *menſibus* X. Secunda Juvenem pariter equitantem repræſentat ante rotundam aram, ex qua arbor prodit, cujus rami ſolis foliis ornati anguem interſertum habent; adſtat præterea aræ mulier capite velata bovem ante ſe procumbentem habens. Tertia denique arborem ſine pomis cum angue tamen eodem, truncum circumplexo oſtentat, ex cujus dextero latere mulier adſtat, dexterâ vas gerens, lævâ puerum adducens, ex ſiniſtro vero Hercules viſitur Leonis pelle ex contecto capite in humeros deſcendente, qui etiam

(*a*) De Offic. l. 3. c. 5., & De Finib. l. 3. c. 20.: *Sic ii*, inquit, *qui valent opibus, atque id facere poſſunt, ut de Hercule, & de Libero accepimus, ad ſervandum genus humanum natura incitantur*.

[*b*] Origin. l. 9. c. 1. (*c*) Verr. 2. c. 63.

[*d*] De Præſt. numiſm. Diſſert. v. p. 388. edit. Amſtel. 1671.

[*e*] De iiſdem Thaſiorum nummis, præcipue illis, in quibus Hercules Σωτὴρ conſpicitur, ſatis amplam, atque eruditam Commentationem edidit Jo. Henricus Schulze Halæ Magdeburgicæ an. 1737.

[*f*] Inſcr. Ant. c. 3. p. 161.

Digitized by Google

ſiniſtra tricipitem Cerberum laqueatum poſt ſe trahit. Putavit Fabrettus in prima Fabula (nam reliquas uti ad primam *alludentes* profert) Euhemeri infantis tum primum ad inferos deſcendentis ingreſſum ſignificari, qui, ut ſibi cum piis beatiſque optata ſedes contingat, ſacrificat angui illi arborem quinque pomis onuſtam cuſtodienti, quem Draconem in Heſperidum horto poma aurea cuſtodientem interpretatur; id ex Strabone confirmari poſſe ratus, qui Heſperidum hortos cum Elyſiis confundere videtur, dum in ultima Heſperia Elyſios Campos terræ terminum conſtituit: At quid dicemus de arboribus aliis, quæ in reliquis tabulis nulla habent poma, ita ut fruſtra Draco ad eorum cuſtodiam vigilare videatur? Ad hæc, Heſperidum hortis cum Elyſiis nihil unquam commune; hos enim, ut Servius animadvertit, aut in Inferorum medio Poetæ locarunt, aut apud Inſulas fortunatas ſtatuerunt Philoſophi, aut demum in Lunari circulo poſitos Ethnicorum Theologia commenta eſt; Invaluit tamen Poetarum opinio, quam etiam Fabretti tabulæ confirmant, nam viri docti explicationi facile adhæſerim, qui eorum puerorum animas dum inferos adirent, ut cum piis (nam illorum ætas adhuc culpæ ignara) ſibi Elyſios incolendos demererent, ſacrificium inſtituiſſe putavit. Addo ego, non alia de cauſſa Herculem, qui Cerberum laqueatum ſiniſtrâ duceret in tertia Tabula expreſſum, niſi ut puero illi a muliere adducto, ne ab ipſo Cerbero interceptus ad Tartareos ſinus raperetur, inoffenſum paratumque ad Elyſios iter præberet; quod ſanè præſtari ab Hercule Parentum pietas arbitrabatur, quem aliquando Cerberum domuiſſe, catenaque ab inferis extractum interfeciſſe ferebat fama. At quid demum, inquies, anguis ille, qui perpetuò in ſingulis tabulis arborem circumplectitur, cui potiſſimum pueri illi ſacrificium inſtituere oſtendunt? Hac enim præſertim re Fabrettianæ Tabulæ hujus noſtræ ſimilitudinem referunt, in qua anguis idem pomiferi arboris trunco circumhæret: De noſtra Tabula mox dicemus, ad Fabrettianas quod attinet, nunquam illic Heſperidum Draconem expreſſum acceperim, ſed potius Elyſiorum Genium: Locis omnibus ſuos Genios attribuit Ethnicorum Theologia, nullum arbitrata locum, cui alicujus proprii numinis tutela deeſſet, de qua re alibi a me fusè: non igitur ſuus deeſſe Genius Elyſiis debebat, quem, ut aliorum locorum, plerumque anguis formam prætuliſſe conſtat. Certe Æneas (a) ad Anchyſæ genitoris apud Elyſios jam degentis tumulum ſacrificaturus, anguem exinde erumpentem vidiſſe fingitur, qui

. . . . . agmine longo
Tandem inter pateras, & levia pocula ſerpens
Libavitque dapes, rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo . . . . . .

Ceterum Genius Infernus non ſemel occurrit in antiquis lapidibus apud ipſum Fabrettum (b), atque Donium (c). Vides igitur quis ille ſit anguis, cui in Fabrettianis Tabulis pueri ipſi Elyſios adeuntes ſacrificant. Res plane tota ad hanc, vel aliam, quamcumque malis, cauſſam referenda eſt, quàm ad Heſperidum Draconem ſignificandum, cui neque Elyſii, neque alia omnia in hiſce Tabulis repræſentata vel leviter reſpondere videntur.

At ſi Heſperidum hortos, Herculemque demum, fruſtratâ Draconis cuſtodiâ, aurea poma auferentem intueri jam lubeat, a Fabrettianis Tabulis, quas hactenus detrivimus, ad noſtram oculos convertiſſe ſatis fuerit: Sed antequam ad eam ego manum, præſtabit audiſſe Servium (d). *Heſperides Atlantis filiæ, Nymphæ, ſecundum fabulam, hortum habuerunt, in quo erant aurea mala Veneri conſecrata, quæ Hercules miſſus ab Euryſtheo, occiſo pervigili Dracone, ſuſtulit: Revera autem nobiles fuerunt puellæ, quarum greges rufam lanam habentes abegit Hercules, occiſo eorum cuſtode, unde mala fingitur ſuſtuliſſe, hoc eſt oves, quæ græce μῆλα dicuntur, unde μυλωόμος dicitur paſtor ovium: Propter ruborem autem lanæ, quæ ſimilis auro eſt, exiſtimaſſe eos, qui audierant, mala aurea in Africa naſci. Eſt & alia fabula: Cum nuptiæ Junonis celebrarentur, omneſque Dii in honorem ejus offerrent munera, terra in extremis Regionibus edidit arborem poma aurea ferentem; hæc cum deceperent Heſperides, Atlantis, ſive Heſperi filiæ Cuſtodes ejuſdem arboris, Juno offenſa munus ſpoliari ſuum in metum earum miſit Draconem inſomnem, qui omnibus noctibus, diebuſque cuſtodiret ramos; Hoc poſtmodum ab Hercule interempto, qui ab Euryſtheo ad hoc miſſus fuerat, mala ſublata ſunt: Heſiodus has Heſperides, Æglem, Aretuſam, & Heſperuſam noctis filias, ultra Oceanum mala aurea habuiſſe dicit.* Habes Servii verbis recitatam fabulam, quam modo in noſtro Anaglypho oculis ſpectare libet. Vides igitur primùm Herculem, quem a Clava, quam ſiniſtra gerit, illico agnoſces: Is porro dexteram protenſam, atque in altum ſublatam habet, propiuſque in adverſam arborem

[a] Æneid. v. 85.
[b] Cap. 3. p. 72.
[c] Claſſ. XV. n. 19. p. 440.
[d] Æneid. IV. v. 484.

Digitized by Google

arborem attollit, ut poma, quæ ex illa pendent, decerpere conetur. Porro in eadem arbore Serpens, ſeu Draco adſtat, qui toto corpore truncum circumplectens, ex ipſius trunci ſuprema parte, qua in ramos dividi incipit, caput attollit, quaſi aſſiduæ ejus arboris tutelæ addictus admotam alicujus manum mordere paratus, accedentes quoque aſpectu ſuo deterreat. Quæ autem ſub ipſa arbore mulier corpore ab umbilico deorſum velato procumbens ſomno detenta apparet, Heſperidum unam facile judicabimus, quam ſolam ſatius fortaſſe habuit repræſentaſſe ſculptor, reliquas aut ex loci anguſtia, aut laboris ſibi levandi gratia prætermittens, vel potius ex ea ceteras ſocias prompte ſubindicatas arbitratus.

Num vero ea erit noſtri Anaglyphi fides, ut cujuſmodi ea res olim ſe habuerit, jam certe ſtatuamus? Et ſane mirum quantum in narranda re inter ſe diſcrepent veteres Hiſtoriographi; nam nec de Heſperidum genitore ſive Heſpero, ſive Atlante, nec de illarum numero conveniunt, quas alii duas, alii tres, alii demum uſque ad decem commemorant: De regione, ubi Horti eſſent, de aureorum pomorum, de Draconis cuſtodis natura, magna quoque ſententiarum varietas: Quid vero Poetæ? Effrænem, quam ſuo ſibi veluti jure vindicant quidlibet audendi licentiam, ſi aliis rebus unquam, in hac certe una magis mirabimur; nam in iis, quæ veriſimilia videri poſſunt, diverſi ab Hiſtoriographis plerumque abeunt, fabuloſa vero multa de more interſerunt: Quæ Hiſtoriographorum inter ſeſe, quæ ab his Poetarum diſcordia, quæ demum ad eam rem Poetis comminiſci placuit, non minus fuſe, quam erudite explicavit Dominus Maſſieu in Diſſertatione ſingulari de Heſperidis (*a*). At ſi rei veritas noſtræ Tabulæ teſtimonio dijudicanda erit, habes jam ex ea, quo modo ab Hercule poma aurea Heſperidum ablata fuerint: Cum verò in ejuſdem rei ſimulacro, quale in ipſa Tabula exhibetur, nonnihil latere videatur, quid illud tandem ſit, explicare modo pergam.

Fac etenim, ut ex ipſa Tabula inſcriptum titulum demas, nonne ex rebus ſingulis ibi repræſentatis Adami, atque Evæ facinus, quod ex pomorum eſu Serpentis maxime conſilio eveniſſe conſtat, cuique ſtatim in mentem veniet? Manifeſta res eſt, quam fateri vel invitus cogeris, neque enim alibi ejuſce rei ſimulacrum accuratius expreſſum adſpexeris (*b*). At res ſit integra, maneatque in Tabula titulus Herculi ab Augure poſitus, ajo ego, Adami quoque, atque Evæ facinus in ea fortaſſe demonſtratum, ita ut qui eam effinxerit artifex, aut potius, qui ita efformandam curaverit Augur ipſe P. Junius Januarius, dum Herculis, cui Tabulam ſacram voluit, rem geſtam referendam conſulto ſtuderet, id etiam conſilii ſuſceperit, ut ad alterutram rem æque repræſentandam Tabula ipſa ſatis apta videretur; & ſane non eſt qui ignoret, omnem, ſi doctiſſimi Huetii judicium ſequi libeat, vel certe magnam Ethnicorum Theologiæ partem ex Divinis Scripturis, præſertim vero ex Pentatheuco manaſſe; ex eo enim quicquid de ſuis Diis, rebuſque eorum geſtis veteres Poetæ cecinere, aut Philoſophi tradiderunt, hauſtum fuiſſe declarat manifeſta illa ratio, quod nihil in Ethnicorum Theologia habetur, cujus præclara exempla, aut ſaltem veſtigia aliqua in ſacris Libris non inveniſſe detur: Ad rem quod attinet, ut cetera aliqua pro ſuo inſtituto, ſic etiam Serpentem malorum aureorum Cuſtodem Serpentis ejus, qui Evam ad peccatum pellexit, Symbolum eſſe manifeſtum affirmat laudatus auctor (*c*), atque ubi in vindicanda libri Joſue fide, Divinaque auctoritate, in eo totus eſt, ut, quod antea demonſtraverat Voſſius (*d*) Joſue ipſi impoſitam fuiſſe Herculis perſonam adhuc ipſe novis argumentis confirmaret, jam denuo Draconem Heſperidum mala ſervantem, atque ab Hercule interfectum ad Serpentem Evæ ſeductorem referendum omnino ſtatuit, ejuſque rei opinionem etiam apud Ethnicos inſediſſe probat ex inſigni loco, quem profert ex Clementis Protreptico, qui de Bacchi myſtis ſic diſſerit: *Hedinarum carnium diſtributionem celebrant, coronati Serpentibus, ululantes Evam illam, per quam error cum morte ſubſecutus eſt, & inſigne Orgiorum Bacchicorum Serpens conſecratus: Igitur juxta accuratam Hebraicæ vocis ſignificationem nomen Eva, ſi aſpiretur, exponitur Serpens Femina*: Clementi ego quoque addo Euſebium, qui (*e*) Serpentis tentatoris, lapſuſque Adami, & Evæ hiſtoriam a Platone interpolatam probat; At, ut antea jam dixi, ad ejuſmodi rem demonſtrandam omnium inſtar argumentorum noſtra ſufficiet Tabula, in qua præter ipſam arborem poma præferentem, Serpentemque ejus

 trunco

(*a*) Quam habes in Tom. IV. Memoires de Litterature de l' Academie Royale &c. p. 38. edit. 1731.

(*b*) Extat quidem in *Hercule Begeri* pag. 12. Tabula marmorea, quam ex *Galleria Giuſtiniana* ipſe exhibet, ſed preter Herculem, qui tantum Comes eſt, vir alius barbatus poma decerpit, alius tandem ſub arbore quieſcit: Si eam Tabulam ad Heſperidum poma referre libeat, neſcio an deſcriptoris oſcitantiam, vel potius marmorarii inſcitiam cauſſemur.

(*c*) Demonſtr. Evang. Prop. IV. cap. X. n. 6.

(*d*) De Idololatr. l. 1. c. 46.

(*e*) Præpar. Evang. l. 2. c. 14.

Digitized by Google

trunco circumvolutum, vides Evam ſub ipſa decumbentem, Adamumque maleſuadæ conjugi obſequutum ad decerpenda, quæ jam ederet, mala dexteram admovere (*a*).

At quæ, inquies, huic Auguri mens fuerit, ut cum inſano, quem profiteretur, Herculis cultu, ejus quoque rei monumentum, quæ ad veri Dei Religionem pertineret, tam accurate ſimularit? Non una potuit eſſe cauſſa: ac primum illam conjectaſſe promptum erit, hanc nimirum Tabulam Chriſtianorum olim opus fuiſſe, quos tum rei, de qua modo agitur, tum inſignes alias veteris Teſtamenti hiſtorias, aut ſacrarum Ædium parietibus pingi, aut etiam marmore inſcalpi pro antiquitus recepto, probatoque habuiſſe more ſatis conſtat; (*b*) Hanc vero Ethnicus hic homo aliquando nactus (nam ſub idolatris Principibus non ſolum in Chriſtianam Religionem, ejuſque aſſeclas, verum etiam in ſacras illius Ædes, ceteraque monumenta ſævientibus, facile id fuit) talemque animadvertens, ut ſatis apte ad Herculem Heſperidum mala auferentem referri poſſet, in profanum ejuſmodi uſum, repræſentationemque convertit: Hujus conjecturæ non levis ea ratio præſto eſt, quod inſcriptus titulus intra ipſam Tabulæ aream ex ejuſque latere, quod vacuum patere repertum fuit, nonniſi poſteriori manu inſculptum fuiſſe videtur; qui certe titulus, ut ipſa inſignis Tabula ferebat, aut in ejus ſuprema fronte, aut ima parte, ut alia paſſim ejuſmodi monumenta exemplo ſunt, ab ejuſdem Tabulæ effigiata area ſeorſim, aut ejus coronam, aut baſem efformare debuiſſet: An vero dubitabimus, ab Ethnico homine patratum facinus, dum contra eorundem Ethnicorum profana, quæ ſuperſtitionis quoque notis haud carerent, monumenta ſibi olim Chriſtiani vindicaſſe inveniantur? (*c*)

Veriſi-

[*a*] Ex nummo, qui ad noſtri Anaglyphi ſimilitudinem accedit, ubi nempe arbor pomifera ſerpentem circumvolutum habens, Hercules ad decerpenda poma manum attollens, & mulier cubans viſuntur, jamdiu Illuſtris Spanhemius in notis ad Callimachum Adami, Evæque rem geſtam ſub ea fabula contineri putavit; Spanhemii conjecturam ſatis veriſimilem probavit D. De Maſſieu in dicta Diſſertat. de Heſperidis tom. 3. Memoires de Litterature &c. cujus verba afferre libet: „ D'autres „ pretendent avec plus de vraiſemblance encore, que „ le jardin des Heſperides, leurs pommes, & leur Dra„ gon, ont etè faints d' apres le paradis terreſtre. En „ effet, ſi on jètte les yeux ſur le Medaillon dont j' ai de„ ja parlè, on ſera tentè a la premiere inſpection de croire „ qu' il repreſente la deſobeiſſance du premiere homme. „ On voit au milieu un grand arbre, ſur le quel parmi „ pluſieurs pommes en paroit une plus belle que les au„ tres. Un long ſerpent environne le tronc. Hercule eſt „ debout a cotè de l'arbre, & lève la main vers le fruit. „ De l'autre cotè ſont les Heſperides, & ſi au lieu qu'el„ les ſont trois, il n' y en avoit qu' une, il n' y auroit „ perſonne qui ne crut voir Eve, & Adam, & tout ce „ qui eſt raportè au Chapitre troiſieme de la Geneſe; il y „ a donc beaucoup d' apparence que les Poetes en fabri„ quant la fable des Heſperides ont eu devant les yeux „ ce point de l' Hiſtoire Sainte &c.

[*b*] Uſum quem habuere Veteres Chriſtiani ſculpendi Anaglypho opere figuras Adami, Evæ, Arboris, Serpentiſque illius, qui eoſdem primos hominum parentes, ut fructu ejus arboris veſcerentur, induxit; notavit quoque vir eruditiſſimus P. Mamachius in præclaro opere, cui perficiendo, ſummo tum Chriſtianæ tum literariæ Reipublicæ emolumento, adhuc adlaborat. Origin., & Antiq. Chriſtianar. l. 3. p. 28. Ea Hiſtoria in Sarcophago marmoreo Junii Baſſi exhibetur apud Aringhum l. 1. Romæ ſubterraneæ l. 11. c. 10. p. 277., & apud Bottarium: *Sculture, & Pitture ſacre eſtratte da i Cimiterj di Roma t. 1. p. 36. edit. 1737.* apud quos alios Sarcophagos non ſemel reperies, in quibus iidem primi Parentes cum arbore, & ſerpente repræſentantur.

[*c*] De Saxis ſepulcralibus nota res eſt, cujus etiam meminit Mabilion. de cult. SS. Ignot. §. 9., ut quæ olim Ethnicorum tumulos ornarent epitaphiis proinde, aliiſque ſymbolis ſuperſtitionem præferentibus inſculpta, ad ſuorum defunctorum monumenta excitanda; additis ex adverſa facie novis inſcriptionibus, non adhiberent ſolum Chriſtiani, ſed etiam in ipſa ſacra Cœmeteria invehenda curarent, locarentque. Quod non lapidum, artificumque, ſed ad facultatem, quæ in Chriſtianis conſiderari poteſt, tenuitatem retuleris, aut verius ob Perſequutorum metum, quo clam ſuos defunctos efferre, eorumque memoriam tumultuario opere, ex iiſque ſaxis ſepulcralibus gentilium, quæ ſecus vias, atque in agris paſſim occurrebant, quoquo poſſent modo ſervare ſtuderent, atque id fortaſſe tolerandum dixeris; quid vero dices ubi parta Eccleſiæ pace, in Chriſtianorum Eccleſiis ſepulcrales urnæ ad condenda fidelium cadavera translatæ fuerint, quibus gentilium cadavera olim condita; adeout inſculpta ornamenta ſuperſtitioſos ritus teſtantia adhuc retinerent. Id plane fatetur antedictus Mabillon. Itin. Ital. p. 84. de Templo S. Conſtantiæ Via Nomentana I. ab Urbe lapide, ubi: *Vas*, inquit, *Porphireticum, quod pene Altare in angulo modo cernitur, olim in medio erat, continebatque corpus S. Conſtantiæ: In ipſo, atque in fornice ex muſivo paſſim exhibentur Genii uvas demetentes, ferentes, & calcantes, unde Bacchi ſepulturam, & fanum eſſe pleriſque perſuaſum eſt*: paulloque poſt: *Itaque Conſtantiæ, ſeu Conſtantinæ Mauſoleum illud ipſum eſt, quod hodie conſpicitur ad Baſilicam S. Agnetis: quod eum a Paganis forte Architectis conſtructum fuerit, non mirum ſi quid Paganici ritus in fabricæ ornamentum admiſerint*: De Mabillonio queritur Fabrettus c. 8. p. 565. Et rurſus p. 581. quod temere ſuam tulerit ſententiam, qua *ornamenta Templi Conſtantiæ, ſeu Conſtantinæ via Nomentana aliquid paganici ritus præſeferre* pronunciarit; nam vites, aliaque ad vindemiam pertinentia pro-

pria

Digitized by Google

Veriſimilior autem (ne hactenus luſiſſe videar) altera erit cauſſa ; quid enim nos credere vetat, ut P. Junius Augur totum id optime norit, quod de primi hominis lapſu Scriptura commemorat ; ſi enim ex Divinis Libris, qui Hebraiſmi ævo haud facile patebant, plurima ſapientiores Ethnici ſibi vindicarunt, ut ſuam Teologiam ſtatuerent, facilius multo orta Chriſtiana Religione, quæ iis libris continebantur, vulgata apud ipſos Ethnicos putabimus, quandoquidem præter Rabinorum lucubrationes prioribus Chriſtianis ſeculis, multis licet refertas fabulis, in vulgus emiſſas, conſtat primo ipſo ſæculo Judæum Philonem floruiſſe multis editis voluminibus, præſertim vero legatione, qua apud Cajum Imperatorem functus eſt, illuſtrem, cui ſupparet Joſephus Imperatoribus Veſpaſiano, ac Tito plus æquo ſtudioſius, qui Judaicas Antiquitates pluribus libris, interpolatas tamen, eſt perſecutus. At quid inde ? num Ethnicus homo, qui etiam Augurem profitebatur, iis, quæ de Adamo, atque Eva audiverat, aut etiam legerat, fidem ſuam accommodaverit ? non ita : ſed cum is apud Chriſtianos ſatis celebratam animadverteret hiſtoriam, haud eſſe aliam ſibi facile perſuadebat, quam quæ de ſuo Hercule mala aurea Heſperidum, quæ in Draconis erant tutela, auferente Ethnicorum Theologia deprædicabat. Hinc ejus ſtudium, ut in effingenda tabula ita res repræſentaretur, ut ad utramque partem facile poſſet aptari : qua ex induſtria nonnihil emolumenti ſuæ ſuperſtitioni acceſſurum putabat, quæ veræ Religionis (quam merito, ac jure Chriſtiani ſibi vindicabant) monumenta fuiſſent, ſublata tantum nominum differentia cum Idololatriæ commentis convenire probarentur : Hanc Ethnicorum mentem, conſiliumque ipſe quoque Diabolus maximopere fovere viſus eſt, poſtea enim quam de nefandiſſimis illis flagitiis, quæ in abditis locis, nocturnoque tempore a Chriſtianis patrarentur, rumor evaneſcere cœpit, tum ex Apologiis, quas Juſtinus, Athenagoras, Tertullianus vulgarunt, tum maxime ex habita a Plinio, dum Bythiniam regeret, diligentiſſima quæſtione, qua vetus in Chriſtianos calumnia prorſus detecta eſt, putavit is e ſua re fore, ſi Chriſtianæ Fidei myſteria, ritus, ſacramenta ipſa, quo magis Ethnici in veteri errore retinerentur, inter Idololatricas ſuperſtitiones ſimilitudo aliqua ſervanda inſtitueretur, ut iiſdem illi rebus, quibus Chriſtiana Religio probari maxime conſtabat, detenti, quæ ejuſdem veræ Religionis, rectæ fidei, optimorumque morum diſciplina eſſet, haud penitus noviſſe ſatagerent, vel ſupervacuam eſſe exiſtimarent : hinc nihil, mea ſententia, Hadriano Imperatori debuerit Chriſtiana Religio, quod is de Templis, quæ ſoli Chriſto ſacra eſſent, ædificandis cogitaverit ; [a] nihil etiam Alexandro, *quod in Larario ſuo non ſolum Divos Principes, ſed optimos electos, & animas ſanctiores, in queis Apollonium, ſed etiam quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & hujuſcemodi Deos habebat, ac majorum effigies* (b) : Artem hanc Diaboli tum fuiſſe patet : *cujus* (ut loquitur de ſuo ævo Tertullianus (c) *ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in Idolorum myſteriis æmulatur* : utque cum ipſo Tertulliano ad conjecturæ meæ probationem propius accedam, ejuſdem verbis, quæ paulo poſt habet, ipſe loqui pergam : *qui ergo ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam emulanter affectavit exprimere in negotiis Idololatriæ, utique idem, & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque Divinarum rerum, & Sanctorum Chriſtianorum ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas*

pria etiam Chriſtianorum fuiſſe ſymbola tum ex Junii Baſſi Sarcophago, tum exiis, quæ ad eam rem congeſſerat Aringhius Rom. ſubt. l. 6. c. 45. ſatis certum contendit. Ego vero neutri conceſſerim : nam neque vites, vindemiaſque inter ea, quæ crebro uſurparent Chriſtiani, ſymbola referri poſſunt, uti cenſet Fabrettus, aut ſaltem abhorruiſſent Chriſtiani tam magnifice eodem uti ſymbolo, ut ad Bacchi repræſentanda myſteria facile detorqueri poſſet ; neque pariter [quod Mabillon. ajebat] id certum conſtat, aut etiam veriſimile videri poteſt, urnam illam, quam Fabrettus *admirandam* prædicat, ejus ævi fuiſſe opus, quo Conſtantia Conſtantini filia deceſſiſſe conſtat : Quis enim tunc tam probus potuit floruiſſe Artifex, cui tam inſigne opus jure tribuendum erit ? Scimus autem jam longe antea, & quarto maxime ineunte ſeculo, ut ceteras artes, ita præſertim ſculpturam antiquâ ſuâ elegantiâ excidiſſe, quod & ipſi Conſtantino erectus tunc, qui ſtat adhuc, triumphalis arcus, ſatis demonſtrat, quem non tam hoſtilibus, quam domeſticis ſpoliis erectum tropheum dixeris, quicquid enim optimi in eo effulget ex direpto Trajani arcu derivatum eſt ; Itaque vetuſtioris ævi opus ſepulcralis Conſtantiæ urna omnino fuit, tum cum optimæ artes cum Idololatria ſimul vigerent ; & quidem Principi cuipiam viro Ethnico tumulum ea aliquando præbuit, quam poſtmodum pro ſui elegantia, tumulandæque mulieris dignitate ad condendum Conſtantiæ corpus adhibitam fuiſſe pro certo habeo : Ex his (ut ad propoſitum redeam) non omnino inepte factum quoque putaveris, ut quæ e contrario Chriſtianorum Tabula eſſet ad Ethnicos translata in eorum Religionis argumentum ſuperaddita Herculis inſcriptione, poſtremo ceſſiſſe videatur.

(a) Lamprid. in Alex. c. 43. de Adriano hæc habet : *Templa in omnibus Civitatibus ſine Simulacris juſſerat fieri, ſed prohibitus eſt ab his, qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & Templa reliqua deſerenda.*

[b] Lampridius. c. 29.

[c] De Præſcript. c. 40.

Digitized by Google

rabolas de parabolis, profanæ, & æmulæ Fidei attemperare: ex quibus propterea fiebat, ut ipſi Ethnici non ſolum quicquid ad Chriſtianæ Religionis ſacra pertinerent, ſed amplius quæ ejus de cauſſa bona in Remp. manerent, ſuis ab ſe Diis pari cultus ratione impendi, iiſque accepta referri debere opinarentur: Sic M. Aurelius adverſus Marcomannos bellum gerens, pluviâ Chriſtianorum militum præcibus inſperato impetratâ, qua exercitus jam pene confectus convaluit, dum ſuis ad Senatum datis literis rem, ut acciderat, diſſimulare haud voluit, Numinum tamen beneficium agnoviſſe viſus eſt, ita ut jam demum, cum rei monumentum inter præclara Imperantis facinora in ejus Columna celebrari placuiſſet, ad *Jovem pluvium* ipſius rei ſumma deducta fuerit: quid quod etiam in ſanctioribus Chriſtianæ Religionis rebus Ethnici ſeſe cum Chriſtianis ipſis conſentire, nec ab Chriſtianis alios ſub diverſis licet ſignis, myſteriiſque, quam ipſoſmet quos ipſi haberent Deos coli ſibi perſuaderent. Sic in Euchariſtiæ ſacramento panem, ac vinum a Chriſtianis adorari cum animadvertiſſent, in altero Cererem, in altero Liberum ab illis veneratos putabant: cujus rei locuples teſtis eſt S. Auguſtinus, qui adverſus Fauſtum l. 2. c. 3. ita hunc impium Manichæum alloquitur: *Pejus deſipis, quam nonnulli, qui nos propter Panem, & Calicem, Cererem, ac Liberum colere exiſtimant*: Ex his igitur omnibus, quæ hactenus per compendium differui, intelligis profecto, quare Herculis Tabulam P. Junius Augur ad Adami, Evæque hiſtoriam ita accommodavit, ut in alterutram rem exprimendam ſatis valere videretur: quæ tamen ſi cui non probantur (conjecturæ enim loco haberi volo, quandoquidem id totum, quicquid illud tandem fuerit, quod ad Tabulam illuſtrandam pertinere videretur, prætermittendum haud erat) habuit jam is primo loco de ſolo Hercule aurea Heſperidum mala auferente, traditam noſtræ Tabulæ explicationem, in qua conquieſcere poſſit, atque interim de ipſo Hercule, quod ex noſtris antiquis monumentis reliquum eſt, bono erga me animo jam demum accipiat.

Suum quoque Herculi Templum, & quidem magnificentiſſimum Beneventi fuiſſe nunc primum certo ſcire datum fuit ex inſigni lapide, cujus, ut & ipſius Templi memoriam hactenus intermortuam, nuper excitatam debemus clariſſimo Muratorio; is eum lapidem in Schedis Ambroſianis ſervatum, atque hactenus deliteſcentem in ſua veterum lapidum nuper edita Collectione in hunc modum protulit tom. 1. p. 116. n. 4.

TEMPLVM HOC SACRATVM HER.....
..... VOE... CE... AVGVSTI NOMEN FELIX
REMANEAT STIRPIS SVAE LAETATVV....
PARENS NAM QVOM TE CAESAR TEM.....
EXPOSCET DEVM CAELOQVE REPETES SEL..
MVNDVM REGES SINT HEIC TVA QVOI SORTE
HVIC IMPERENT REGNENTQVE NOS FELICIBVS
VOTEIS SVEIS
L. AVRELIVS L. F. PAL. RV.... PRIMOPILARIS
XVI. MILITANS ST.....
IMP. CAESARIS.....

Ac quum, quantivis precii lapide, quem olim Beneventi extantem Muratorius ex ſchedis eiſdem teſtatur, noſtrum Theſaurum locupletiorem factum maximopere lætemur, dolendum tamen erit, eum tot mendis, lacuniſque refertum accepiſſe, ut poſtquam in ejus explicatione operam meam collocaverim, verear, ne non omnia rite videar exequutus. At tam præclarum monumentum protuliſſe ſolùm ſat fuerit Muratorio perbrevi hac nota dumtaxat adjecta: *Agi heic videtur de Templo Herculi Sacrato ob incolumitatem Cæſaris Auguſti, ejuſque Prolis. Diphtongus EI antiquitatem elogii indicat*; mihi vero patrias res ex inſtituto tractanti enitendum omnino erit, ut quæ veriſimiliora eidem lapidi ſupplendo, explicandoque ſuppetere videantur, in medium afferam, non tam eruditorum deſiderio facturus ſatis, quam eorum judicio cuncta ſubjecturus: Ac primum (quod rei caput eſt) ex prima lapidis linea ſatis certum cum Muratorio pronunciaverim, ad Herculem nimirum Templum hoc pertinuiſſe, ſeu fuiſſe ſacratum HER*culi*; ita enim

Digitized by Google

ea poſtrema dictio ſupplenda erit, poſtquam, num alia dictio in eadem linea fuerit (nam ut ſequentium longitudini reſpondeat deſideranda videtur) poſtea viderimus.

Nunc de Auguſto illo quærendum erit, cui demum in Cœlum redeunti, interque Divos relato ſuperſtitem ſobolem, quæ paternum Imperium in terris ſubeat, auguratur *L. Aurelius L. F. Palatina Rufus Primopilaris*: atque utinam hujus *Primopilaris* potius nomen, quod non tanti fuerit, quàm ipſius Auguſti nomen intercidiſſet; Sed vel ex ipſius L. Aurelii nomine fuit aliquando, ut ad cognoſcendum quis fuerit Auguſtus ille, cui is lapidem dicavit, ſic conjectabam: Gentem Aureliam, Auſeliam prius dictam, ad quam L. hunc Aurelium Rufum pertinere ex ingenuis nominibus, militaribuſque muneribus certum definiri poteſt, inter Romanas nedum ſummis conſpicuam honoribus, ſed mira ſui propagatione in innumeras pene familias diffuſam fuiſſe conſtat; Florente Rep. Cottæ, Oreſtæ, Scaurique ex illa prodiere, qui omnes de augendis communis Familiæ ormamentis decertaſſe viſi ſunt; At rerum ſummâ ad Principes redactâ, ut humanarum rerum ſunt vices, non nihil detrimenti cum ipſa Reip. libertate, ſuo veteri quoque ſplendori detractum tulit, donec in Cæſarum familiam jure adoptionis adſcita non refloruit modo, ſed ad Imperii uſque faſtigium pervenit; Hadrianus enim cum T. Aurelium Antoninum Pium adoptaſſet, eidem Familiæ Imperii ſucceſſionem aperuit, quæ ad Commodum uſque perſeveravit; Nullius autem magis, quam Aureliæ Familiæ crebra ad nos monumenta pervenere. Innumeros prope, qui ad ejuſdem familiæ viros, qui militaribus muneribus plerumque inclaruerunt, lapides exhibet Gruterus, (*a*) quorum cenſum auxit quoque Malvaſia (*b*). Hos autem omnes, quod ex ipſis lapidibus facile noſci poteſt, orto jam Principatu floruiſſe crediderim, tum cum Aureliorum gens veteri ſua, qua ſtante Rep. fruebatur, auctoritate defecerat, quandoquidem Imperatoriæ militiæ nomen dare, in eaque ad dignitates aliquas propria virtute partas gradus ſibi facere Aurelii viri contenti eſſent: quod utique, eâdem Familia ad Imperium evectâ, factum quoque affirmaverim; quid enim? quod Imperatoria dignitas in una ex tot Familiis, in quas Aurelia Gens propagata fuerit, conſtiterit, non ideo reliquæ omnes, quæ non in Urbe ſolum, ſed multis in Italiæ locis, atque etiam in Provinciis Lares ſuos jam collocaſſent, privatæ eſſe deſierunt; ſua cuique Aureliorum omnium, quæ olim, manſit fortuna, niſi quod veriſimillimum illud fuerit eorum aliquos ad gentilitatis vinculum, peculiaris obſequii argumentum aliquod, quo ſuorum Aureliorum Imperantium gratiam demererent, adjiciendum ſtuduiſſe, atque ex his unus fuiſſe videtur hic noſter Aurelius, qui exædificato Beneventi Herculis Templo, aut (quod veriſimilius eſt) ejus veteris Templi, quod Herculi dicatum jamdiu vigebat, ſuperſtructis, aut etiam reſtitutis operibus, eum titulum poſuit, quo ignoti adhuc nobis Auguſti illius numini majeſtatique devotus fauſta illa, ac felicia tam magnificis auguriis precaretur? Dum igitur ex Aurelio iſto ad aliquem ex Aurelia Familia Auguſtum referri lapidem placeret, jam ad Commodum Imperatorem eum lapidem pertinere, ibique Commodum inſculptum olim extitiſſe plura erant, quæ prope certum mihi perſuadebant.

Ac primum ejus rei conjecturam præbebat Lapis alter eidem Herculi dicatus, in quo Beneventana Colonia publica vota pro ſalute Commodi Imperatoris teſtata voluit his verbis

HERCVLI SERVATORI SACRVM PRO SAL. IMP
M. AVREL. COMMODI PII AVG. COLON. BENEVENTAN

Lapidis hujus, quem in ejuſdem, aut alterius fortaſſe Templi coronide, ut ejus longitudo, ac palmares literæ indicabant, locatum credere par eſt, in fruſtra dein redacti, quæ etiam diſperiere, vix ſervata habemus verba, ex quibus tamen plura, ut ſtatim vides, habentur, quæ priorem quoque lapidem eidem Commodo tribuendum oſtendunt; ut jam ſatis veriſimile illud ſit, vel publico Colonorum exemplo permotum Aurelium, vel hujus illos ſecutos conſilium (utrumque enim ſtare poteſt) ſuo erga Commodum obſequio decertare voluiſſe.

Et ſane (quæ altera erat conjectura) cum ex ſolo Hercule, cui ejuſmodi monumenta, ac ipſum Templum dicata habemus, ad Auguſti illius notionem, cujus nomen in priore lapide deſideratur, argumentum ſumi jam placeat, certe ad ipſum Commodum tota res deducenda videbitur. Eò enim hujus Auguſti inſaniam proceſſiſſe conſtat, ut ſibi non Herculis ſolum cognomen, & inſignia, ſed Divinos quoque honores arriperet: Nam *appellatum Romanum Herculem, quod feras interficeret: accepiſſe etiam Statuas in Herculis habitu, eique immolatum ut Deo*: narrat Lampridius; amplius etiam Herodianus lib. 1., qui: *Eo vecordiæ, petulantiæque Commodum*

(*a*) A p. 526. ad 533. [*b*] Marm. Felſin. Sect. v. c. 13.

Digitized by Google

dum proceſſiſſe, ait, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio Herculem ſe Jovis filium juſſerit appellari, depoſitoque Principum Romanorum cultu Leonis pellem ſubſterneret, manuque clavam geſtaret: Idemque menſium nomina demutavit, ac pro vetuſtis appellationibus novas de ſuis cognominibus impoſuit, quorum ad Herculem pleraque tamquam ſcilicet ad fortiſſimum referebantur; quin Statuas quoque ſibi tota urbe poni juſſit, inque iis unam pro Curia, quæ Arcum contenderet, ut etiam imagines ipſæ terrores, atque minas præferrent: Ex quibus, ſi illud quoque animadvertas nihil eſſe in Lapide, quod non ſummam, imo fœdiſſimam aſſentationem præſeferat, ejus Principis ingenio præcipue accommodatam, jam ipſum Commodum eo lapide celebratum ſatis apte judicaveris.

Atque ita quoque judicandi non leve accedit demum judicium ex ipſius Commodi deleto nomine quod bis, ut apparet, in eo lapide expreſſum, utrobique detritum evanuit, quæ res (dum reliqua ferme omnia mendoſe licet inſcripta in marmore ſint integra) non ad caſum aliquem, aut temporis injuriam deducenda videtur, ſed datam fortaſſe operam oſtendit, qua etiam poſteriorem lapidem, de quo modo dixi, a Colonis Beneventanis eidem Commodo dedicatum e ſuo loco disjectum, atque in fruſtra comminutum putare poſſumus: Hoc enim præter diriſſimas illas conclamationes in defunctam Commodum factas, quas fuſe recitat Lampridius, fuit Senatus judicium, ut *ejus ſtatuæ omnes ubicumque poſitæ abolerentur, nomenque ex omnibus privatis, publicisque monumentis eraderetur*: Hinc dum ex hiſce conjecturis in lacunis illis ſecundæ, atque ultimæ lineæ, ubi peculiare Auguſti nomen deſideratur, Commodum reſtituiſſe conſilium fuerat, jam illud quoque præſto erat, quo primam lineam, ſuppleto licet Herculis nomine, adhuc tamen ſequentibus lineis breviorem amplius ſupplerem, ut nimirum *Herculi* ipſi cognomen (quale Commodum ſibi proprium fuiſſe ex Lampridio didicimus) olim inſcriptum reſtituerem: Ita enim, præter Lampridii teſtimonium in antiquis numiſmatis ejuſdem Commodi non alio quam *Herculis Romani* nomine eum appellari etiamnum conſtat, ac ſi tandem idem Herculi cognomen in noſtro marmore adfuiſſe ſtatuamus, quod ipſius primæ lineæ ſpatium expoſtulare videtur, ut integra ſic legatur TEMPLUM HOC SACRATUM HERCULI ROM. aut ſi quod amplius excurrit ſpatium, extenſe habeat: ROMANO, jam conjecturis hactenus traditis, quæ eum lapidem ad Commodum pertinuiſſe ſuadent, major conſtabit fides, primæque ipſi lineæ cetera omnia, quæ in ſequentibus habentur, recte videbuntur reſpondere, ad eamque primam lineam ſatis apte referri, in qua ipſe potius Commodus ſub Herculis Romani nomine, quam qui vulgo inter veteros Deos habebatur Hercules, intelligendus apparet.

Hæc, ut dicebam, ad hujus lapidis explicationem mihi aliquando occurrebant, quæ non nemini iri probata vix dubitabam: Sed quo minus rata haberem in primis effecit illa, quæ in lapide adeſt, ſcribendi, ſeu orthographiæ ratio, in qua ea manifeſta elucet majoris vetuſtatis facies, quæ Commodiano ævo haud probe congruit; quis enim ſibi perſuadeat ſecundo jam in finem vergente ſæculo, aut *Quom* pro *Cum*, aut diphthongum EI ter in hoc lapide pro omni I. longa adhibitum, hactenus in ſcribendi more fuiſſe; jamdiu enim, ut ejus poſterioris ævi monumenta oſtendunt, vetus illa orthographia obſoleverat, quam in ſuo lapide Aurelium noſtrum reſtituere voluiſſe; aut affectaſſe inepte quis opinabitur: & certe, quod *Quom* ſpectat (nam diphtongum EI loco ſimplicis I, licet diutius poſt Accium duraſſe, ut eadem ratione qua Græci, etiam Latini uterentur, tamen ut non ſupervacuum modo, ſed etiam incommodum ab uſu receſſiſſe teſtatur Quintilianus (*a*), qui ſub primi ſæculi exitum florebat) præſtat de ipſo *Quom* eundem audire: *Illa quoque ſervata eſt multis differentia*... Cum, *ſi tempus ſignificaret per Q; ſi comitem per C, ſi vero cauſſam per Q. ac duas ſequentes VV, ſcriberetur, verum hæc jam inter ipſas ineptias evanuerunt*: Ad rem magis Caſſiodorus (*b*) hæc habet: Cum *quando præpoſitio erit per C. ſcribi debet*,.. *quando autem adverbium eſt per Q. ſcribendum*: *Veteres enim* quando quum *dixerunt*, *ut eſt*: *quum navis ex Aſia venerit*: Conſtat igitur Fabii, Senatoriſque teſtimonio ad veteres dumtaxat amendandum eſſe illud *Quom*, ubi tempus, aut cauſſam, ut in noſtro lapide denotaverit; atque hæc quidem ex Grammaticorum officinis delibaſſe opus fuit, dum inter eruditos ſatis convenit ex varia diverſorum temporum orthographia, ad dijudicandam lapidum ætatem optimum ſumi argumentum.

Cum igitur ipſa noſtri lapidis orthographia duce, ab ipſo Commodiano Ævo ſurſus aſſurgendum ſit, nec tamen ultra Auguſtorum ætatem, quos lapis commemorat, conſcendere liceat, experiundum etiam mihi erit, an ex ipſomet L. Aurelio Rufo, unde priorem de Commodo Imperatore conjecturam mihi faciebam, aliquid nunc quoque ſubeat, ex quo ad Auguſtum

(*a*) L. 1. c. 7. [*b*] Ortogr. c, 3. ex Curtio Valerio.

Digitized by Google

ſtum alterum dignoſcendum lux aliqua effulgere poſſit: De hoc L. Aurelio certe accipiendus eſt Lapis alter Hiſpanienſis apud Gruter. (*a*), qui ſic habet

L. AVRELIVS L. F.
PAL
RVFVS
PRIMOPILARIS
LEG. XVI.
H. S. F.

omnia enim, ut vides, inter ſe adamuſſim conſonant, ut non alius profecto hic, quàm ipſemet noſter Aurelius fuiſſe appareat, nam præter prænomen, nomen, Patrem, Tribum, cognomen, quæ mirè utrobique ſibi reſpondent, etiam militiæ munus conſentit (*b*); at quid inde ſubſidii habebimus, dum hunc L. Aurelium in Hiſpaniis agentem, ibidem mortem oppetiiſſe ſtatuamus? vide quid primum conjecerim: non ante Octavianum Auguſtum Hiſpani in Romani Imperii jura ceſſere, idque unum ex externis bellis fuit quod [teſte Sveton. c. 20.] Auguſtus poſt Actiacam victoriam, Cantabris perdomitis, per ſe adminiſtravit (*c*); atque ex eo tempore tres ibi haberi Legiones placuit, quarum viribus, conſpectuque eæ gentes in obſequio continerentur: in Romanarum Legionum recenſu, quæ imperante Tiberio in Provinciis diſtributæ erant, eas Legiones etiam tum ordinarias in Hiſpania fuiſſe refert Tacitus (*d*), at id non diu manſit; nam uſque adeo imminutum deinceps in Hiſpania Romanum militem conſtat, ut ſub Galbæ Imperatoris initia una vix Legio (eodem teſte Tacito (*e*), ac præterea Svetonio (*f*) apud Hiſpanos conſiſteret: Quis autem reliquam hanc Galbiani ævi, Hiſpanicam Legionem, ipſammet Legionem XVI., in qua Aurelius noſter Primopilaris fuit, divinaſſe audeat; itaque longe veriſimilius putaverit, eam Legionem XVI. inter tres illas numerandam, quæ Auguſto, ac ſubinde Tiberio imperantibus in Hiſpania conſtitere: jam igitur ad Auguſti ævum hunc noſtrum Aurelium pertinuiſſe ſuſpicabimur, ac quidem recte ſe habere illud poteſt, ut Primopilaris ipſe Beneventi aliquando conſtitutus Urbe celebri, florentiſſimaque Colonia, quæ in obſervando Auguſto nulli concedebat, eum Lapidem Auguſto, cujus ipſe Caſtra jam *ſenis denis exactis ſtipendiis* ſequebatur, dedicaverit, poſtmodum vero cum in Hiſpania cum ſua Legione maneret, ibidem extremum clauſerit diem; Ac de ætate quidem Aurelii tum ex ſepulcrali titulo, quo ejus obitus in Hiſpania accidiſſe demonſtratur, tum ex primo pilo, quem in Legione XVI. duxiſſet, non obſcura accepta ſunt inditia, quæ vel clariora efficiet ipſius Lapidis Orthographia ad ipſa, ut diximus, Auguſtæ ætatis initia omnino referenda. Sed quid adhuc moror? De Cæſare Auguſto Lapidem loquutum ajo; idque non ex iis tantum, quæ modo allata ſunt, verum ex aliis etiam conjecturis omnino mihi fuit perſuaſum.

Prima igitur Lapidis linea, quæ grandioribus fortaſſe inſculpta literis ſequentium longitudinem æquabat, jam ſuperius facili negotio ſuppleta fuit: *Templum hoc ſacratum Herculi*. Hæc tamen verba ſolitaria in Lapide fuiſſe veluti pro titulo principali poſita, nec eorum ſenſum cum ſequenti linea cohæſiſſe crediderim: In ipſa autem ſequenti linea, ubi integra tantum ea verba ſunt: *Auguſti nomen felix*: non aliud expreſſum accipio, quam fauſtum omen ex Auguſti nomine tum recens accepto, C. Cæſari factum: quid enim veriſimilius (quandoquidem quæ hactenus obſervavimus, quæque adhuc obſervanda remanent, hunc Lapidem ad Auguſtum per-

 tinere

[*a*] Pag. 531. n. 4.

[*b*] At vero, quod hunc lapidem ſpectat, ultimam ejus ſiglam F. quovis pignore contendo, mendoſam eſſe, atque omnino in E corrigendam, ita ut in iis ſiglis expreſſa ſit vetus illa formula: HIC SITVS EST, in iis ſepulcralibus titulis adhiberi ſueta, qui ſupra defuncti cadaver locabantur; indicabat enim ibi eum quieſcere, cui titulus inſcriptus fuit, ad eorum monumentorum differentiam, quæ Cenotaphia græcis appellata honoris tantum cauſſa defunctis ſtruebantur, quo nomine perperam Piſanos lapides Cajo, & Lucio Auguſti filiis erectos inſigniſſe Cardinalem Noriſium notavit V. C. Marchio Maffejus hiſt. diplom. f. 22. qui ea potius Coloniæ Piſanæ *Senatuſconſulta*, ſeu *Decreta* nuncupanda cenſet. Promptius autem fuit illi literæ F. ſubjacentem ductum tranſverſarium ſupplere (quem aut ſcalptor, ut ſæpe factum, non integre extulit, vel injuria temporis detrivit, vel ſcriptoris negligentia prætermiſit), quam alias parum lapidi conſonas ſiglorum interpretationes comminiſci.

[*c*] Livius l. 28. de Hiſpania agens: *Prima*, inquit, *Romanis inita Provinciarum, quæ quidem continentis ſint, poſtrema omnium noſtra ætate ductu, auſpicioque Auguſti Cæſaris perdomita eſt*.

[*d*] Annal, l. 4. [*e*] Hiſt. l. 1. [*f*] In Galb. c. x.

Digitized by Google

tinere monent) quàm ipſius Auguſti nomen, firmato jam Principatu, tunc primum auditum, hoc marmore celebratum fuiſſe; atque utinam integra ea modo extaret, quæ ſolum ex reliquis verbis ejus rei conjecturam præbet; vel ſaltem ea, quæ detrita deſideramus verba, ſuperſtites literas, aut ſuis locis diſpoſitas, prout olim marmor exhibebat, aut mendo carentes (quod in in illo VOE ſuſpicari licet) certas omnino indubiaſque obtinuiſſemus, nam in iis ſupplendis tutius agerem, quod tamen ita præſto: QVOD NOVVM SIT C. CÆSARI AUGUSTI NOMEN FELIX: niſi pro NOVUM ſubſtituere malis FAUSTUM, ut illa ſolemnis formula a L. Aurelio expreſſa habeatur, veteribus Romanis familiaris: quod *Bonum, Fauſtum, Felix, Fortunatumque ſit*: cujus exemplum (ut alia præteream) de ipſo Auguſto tum cum Pater Patriæ ſalutatus fuit, exhibet Svetonius (*a*). Legiturque in inſigni Lapide Narbonenſi, quo votum pro eodem Auguſto publice ſuſceptum fuit (*b*); atque cum ſemel incœperim, jam integrum Lapidem a me ſuppletum proferam, rationes ſubinde, (nam commodius id erit) obſervationeſque alias, quibus ſingula illuſtrabuntur, adjecturus; illud dumtaxat præmoneo, non ſingulis dictionibus me puncta inſeruiſſe, quæ fortaſſe, ut ejus ævi mos erat, continua ſerie interjecta fuere, ſed quibuſdam tantum locis adjecta volui, quo clarior Lectori, certiorque Lapidis locutio haberetur.

TEMPLVM HOC SACRATVM HERCVLI
QVOD NOVVM SIT C. CAESARI AVGVSTI NOMEN FELIX
REMANEAT STIRPIS SVAE LAETATVS SVCCESSORE
PARENS. NAM QVOM TE CAESAR TEMPLVM
EXPOSCET DEVM. CAELOQVE REPETENS SEDEM
MVNDVM REGES. SINT HEIC TVA QVOI SORTE
HVIC IMPERENT. REGENTQVE NOS FELICIBVS
VOTEIS SVEIS
L. AVRELIVS L. F. PAL. RVFVS PRIMOPILARIS
XVI. MILITANS STIPENDIS SVB AVSPICIIS
IMP. CAESARIS DIVI F. AVGVSTI DD.

Antequam vero ad illuſtriora progrediar, ratio a me primum reddenda erit, cur inter leviores alias emendationes ſeptimâ lineâ illud *Regnentque* in *Regentque* commutaverim. Demenda enim fuit litera N, tum quia verbum *Regno* ſequentem mox caſum *nos* admittere nequeat, tum vero præſertim, quòd, cum Auguſtus tunc primum Remp. adminiſtrandam ſuſceperit, nullo pacto illud verbum, quod ad Regiam poteſtatem manifeſtius indicandam uſurpatum ſemper fuit, in eo monumento adhiberi potuit; ſcimus enim ab ejectis uſque Regibus, quam invidioſum Romanis ſemper fuerit *Regis* nomen, & proinde, quod ab ipſo eſt, *Regnandi* verbum; quod etiam manifeſte contra Auguſti conſilium fuiſſet, qui re ipſa contentus, ad minuendam ſibi invidiam ab hujuſmodi vocabulis conſtanter abhorrens, Domini etiam appellatione rejecta, *cuncta* (ut ait Tacitus) *nomine Principis ſub imperium accepit*; unde quodvis aliud vocabulum, dummodo ad eam rem remotius ſe haberet, ut eſt verbum *Regere*, atque ex ipſo *Rector* admitti debet; neque aliter Narbonenſes in laudato Lapide Auguſtum appellare auſi ſunt, dum annuum Sacrificium in ejus die natali faciendum decernunt.

VIII. K. OCTOBR. QVA DIE EVM SECVLI
FELICITAS
ORBI TERRARVM RECTOREM DEDIT

Nunc quod ad novum ipſum Auguſti cognomen attinet, præſtabit audire Svetonium (*c*): *C. Cæſa-*

[*a*] Svet. in Aug. c. 58. *Mox in Curia Senatus neque decreto, neque acclamatione, ſed per Valerium Meſſalam id mandantibus cunctis: quod bonum (inquit) fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, Senatus te cum Pop. Rom. conſentiens conſalutat Patrem Patriæ.*

[*b*] Apud Gruter. p. 229. ubi Plebs Narbonenſis ſic orditur: QVOD BONVM FAVSTVM FELIXQ. SIT IMP. CAESARI DIVI F. AVG. &c.

[*c*] Cap. 7.

Digitized by Google

C. Cæſaris, & deinde Auguſti cognomen aſſumſit, alterum teſtamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci ſententia, quum quibuſdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum Conditorem Urbis, prævaluiſſet, ut Auguſtus potius vocaretur non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine, quod loca quæque religioſa, & in quibus auguratò quid conſecratur, Auguſta dicantur ab auctu, vel ab avium geſtu, guſtuve, ſicut etiam Ennius docet dicens

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Aliam quoque cauſam afferre videtur Paterculus (*a*), qui ob Orientem, Occidentemque Octaviani operâ jam Romanis ſervientem pacatumque, ei demum Auguſti cognomen Planci ſententiâ, conſenſu univerſi Senatus Populique inditum narrat. Utramque tamen cauſſam eleganter complexus eſt Ovidius (*b*)

Sancta vocent Auguſta Patres: Auguſta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.
Hujus & Augurium dependet origine verbi;
Et quodcumque ſua Juppiter auget ope,
Augeat Imperium noſtri Ducis, augeat annos.

Haud igitur mirum huic tanto cognomini, in quo quicquid Sacrarum, humanarumque rerum excellentius videretur, omnino inerat, cui colendo, celebrandoque omnium ſtudia tum fervebant, etiam L. Aurelium ſuos plauſus addidiſſe, eoſque ad poſteritatis memoriam eo Lapide conſignare voluiſſe.

Ex ipſo autem Auguſti cognomine, cui primo loco felicitatem L. Aurelius precatus fuit, pergit ipſe, ut Auguſto Succeſſorem, quem is genuerit, exoptet; *ita ut Parens remaneat lætatus ſucceſſore ſtirpis ſuæ*, inde ſtatim Auguſtum ipſum alloquens vota ſua latius proſequitur: *Nam cum* (inquit) *Cæſar Templum expoſcet te Deum, & repetens Sedem Cœlo, reges mundum, ſint heic, qui ſorte tua imperent huic* (Mundo), *& regent nos ſuis felicibus votis*: Ad quæ quidem vota, ſive fauſtas precationes ſi animum intendamus, magis erit, ut Auguſto Lapis tribuendus videatur: Ipſæ enim non Auguſteo tantum ævo, verum etiam Auguſto ipſi plane conveniunt: ac, cum libeat hanc rem multis comprobare, a poſterioribus exemplis ordiar, ut ad Auguſtum deveniam. Plinius ut alia ſemper de Trajano, ita hæc præclariſſima habet [*c*], *quo majore fiducia iiſdem illis votis, quæ ipſe pro ſe nuncupari jubet, oro, & obteſtor, ſi bene Remp., ſi ex utilitate omnium regit, primum ut illum Nepotibus noſtris, ac Pronepotibus ſerves; deinde ut quandoque ei ſucceſſorem tribuas, quem formaverit, ſimilemque fecerit adoptato*. Jam & olim Seneca (*d*) his conceptis verbis, quæ ad noſtrum Lapidem accedunt fauſta omnia Imp. Claudio precatur. *Dii illum, Deæque omnes terris diu commodent: Acta Hic D. Auguſti, & annos vincat, ac quamdiù mortalis erit, nihil ex domo ſua mortale eſſe ſentiat; Rectorem Rom. Imperio filium longa fide approbet, & ante illum Conſortem Patris, quam Succeſſorem accipiat: Sera, & Nepotibus demum noſtris dies nota ſit, qua illum gens ſua Cœlo aſſerat*. Quid, quod proxime poſt Auguſtum Imperanti mox Tiberio iiſdem votis blanditur Vellejus [*e*]. *Juppiter Capitoline, & auctor, ac ſtator Romani nominis Gradive Mars..... Vos publica voce obteſtor, atque precor, cuſtodite, ſervate, protegite hunc ſtatum, hanc pacem, hunc Principem* (*f*), *eique functo longiſſima ſtatione mortali, deſtinate ſucceſſores quam ſeriſſimos, ſed eos, quorum cervices tam fortiter ſuſtinendo terrarum Orbis Imperio ſufficiant, quam hujus ſuffeciſſe ſenſimus*. At hæc univerſa (ne ſequioris ævi ſuccreſcentes adulatorias voces tantum putes) orto vix Principatu, deque ipſo Auguſto jamdiu uſurpabantur. Præiſſe omnibus videtur Cicero, qui adoleſcentis adhuc Octaviani virtutem, aut fortunam non tam Reip., quam privatis ſuis commodis profuturam, peſſimo tamen, ut eventus monſtravit, utriuſque fato, arbitratus, plura paſſim de eo, ac præſertim in Philippicis, fœdiſſima adulatione plena effudit; nam velut numen alterum e Cœlo delapſum agnoſcendum prædicabat, *divinumque adoleſcentem a Deo Reip. oblatum, ac ſubito præter ſpem omnium exortum* (*g*). Quin ſi Svetonio fides (*h*); nec ipſum Ciceronem quondam puduit ſomnium

[*a*] Lib. 2. [*b*] Faſt. I. 609. (*c*) Panegyr. in fin.
(*d*) De Conſol. ad Polyb. c. 26.
(*e*) Lib. 2. in fin.
[*f*] Hunc Principem non habent exemplaria, ſupplevit tamen recte Lipſius, ut ſequentia conſtarent. Edit. Antuerp. Plantini 1607.
[*g*] Philipp. v. cap. 16.
[*h*] In Auguſt. c. 94. *M. Cicero C. Cæſarem in Capitolium proſequutus ſomnium priſtinæ noctis familiaribus forte narrabat: Puerum facie liberali demiſſum Cœlo catena aurea ad fores Capitolii conſtitiſſe, eique Jovem flagellum tradidiſſe, deinde repente Auguſto viſo, quem ignotum adhuc pleriſque Avunculus Cæſar ad ſacrificandum acciverat, affirmavit ipſum eſſe, cujus imago ſecundum quietem ſibi obſervata ſit*: Quamquam igitur Octavianus ipſe rerum potitus neque *Domini* appellationem, neque *divi-*

Digitized by Google

nium ſibi factum evulgare, quo Auguſti Divinitatem manifeſtius affereret. Plurima de ea re præter Virgilium, Horatiumque legere quoque eſt paſſim apud Ovidium, ex quo ea tantum loca recitaſſe præſtat, quæ noſtro Lapidi mire reſpondent. Hæc itaque Naſo de Auguſto canit.

Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior Ævo,
Qua Caput Auguſtum, quem temperat, orbe relicto
Accedat Cœlo, faveatque precantibus abſens.

Et lib. 1. de Pont. Eleg. 2. v. 99.

Di faciant igitur, quorum illuſtriſſimus ipſe eſt,
Alma nihil majus Cæſare Terra ferat:
Utque diu ſub eo, ſic ſit ſub Cæſare Terra,
Perque manus hujus tradita Gentis eat.

In quo poſtremo verſu eandem, quam L. Aurelius in Lapide precabatur, Auguſtæ Gentis ſucceſſionem exoptat Ovidius, ex cujus demum utroque loco facile intelligimus quid in noſtro Lapide illud ſit. *Cum te, Cæſar, Templum expoſcet Deum, Cœloque repetens ſedem Mundum Reges.* Nam jamdiù Romanorum mentes opinio pervaſerat, divinam Auguſto eſſe e Cœlo originem, cui tandem ſtatione terrena perfuncto, non tamquam recens, adventitiumque Numen Cœleſtibus inſerit, ſed eò regredi, notaſque ſibi *Sedes repetere daretur*: Hinc ejus jam ſequutum obitum referens. Vellejus pro ſuo adulandi more, quo Tiberii gratiam iniret, hæc in eam ſententiam uſurpat. *In ſua Auguſtus reſolutus initia, Pompejo, Appulejoque Coſ. ſeptuageſimo ſexto anno Animam cœleſtem Cœlo reddidit.*

Atque jam illud confectum arbitror, ut noſter Lapis ad ipſum Auguſtum veriſimiliùs pertinere videatur; quod ſi poſtremò quis quærat, cur Herculi potius, quam alteri cuipiam Numini Templum illud dedicatum fuerit, ibique L. Aurelius Auguſti nomen tum primum receptum, ejuſque felicitatem celebrare maluerit, non unam, neque omnino inveriſimilem cauſam afferre poſſem; ex iis enim, quæ hactenus de Hercule diſſeruimus, quanto in honore apud Beneventanos Is fuerit, manifeſte patet, cui præter monumenta alia paſſim occurrentia, Templum etiam adeſſe voluerint. Quid ni igitur in ejus Numinis Templo, quod præcipue Beneventani colerent, digniore præ ceteris loco, ampliorem Auguſto honorem ex eo Lapide acceſſurum putarent. Illud etiam præſto eſt, Herculis quoque ſtudioſum fuiſſe Auguſtum; nam & Romæ Herculis Ædem ædificandi Marcio Philippo auctorem fuiſſe narrat Svetonius c. 29., ut exinde non abs re fuerit, nec Auguſto injucundum, ut eo ſacro loco ejus memoria perpetuo monumento celebraretur; quid, ſi tunc primum eaque de cauſa Templum ipſum a L. Aurelio, eodem Auguſti, quo Romæ Marcius Philippus, ſuaſu fuerit Beneventi ædificatum? non levis hæc ex noſtro Lapide haberi poterit conjectura, quam indicaſſe tantum ſufficiat.

Illud potius operæ pretium tandem erit, ſicubi ejus Templi veſtigia aliqua ſuperſint, in medium attuliſſe: Extat igitur prope Pontem Caloris vetuſti Ædificii non exigua pars lateritio opere conſtructa, quam antiqui Templi formam præferentem heic etiam ſpectandam exhibeo.

Hanc

Divinos honores ſibi præſenti tribui paſſus ſit, nec Templa in Provinciis [ut notat Sveton. c. 32.] niſi communi ſuo, Romæque nomine receperit, ultro tamen atque ubique (ut ſimulatam in eo moderationem agnoſcas) cuncta hæc certatim ab omnibus in eum fuere collocata: hunc adhuc viventem inter Deos ab Urbibus relatum refert Appianus l. v. Bell. Civ., cui optimam conciliant fidem veteres Nummi Græcarum præſertim Civitatum, in quibus Dei appellationem viventi Auguſto tributam docet Spanhem. Diſſert. v. *de præſt. Num.* f. 416. Edit. Amſtelod. 1671., atque ex iis unum exhibet ab Amphibolicis Macedonibus cuſum cum inſcript. ΘΕΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ac ne putes ſerviles Provincialium animos, ut ſuis commodis proſpicerent, in ejuſmodi adulationem ſolum effuſos; jam apud Romanos ipſos ſummi etiam in Rep. loci, atque in ipſa Urbe Roma res eadem obtinuit: ita ſane Virgil. Ep. 1. v. 6. Deum vocat Auguſtum. *Deus nobis hæc otia fecit: namque erit ille mibi ſemper Deus*, ubi ad rem optime Servius. *Iteratio* (ait) *ipſa excluſit adulationis colorem. Semper ideſt, & poſt mortem, & dum vivit: Alii enim Imperatores poſt mortem in numerum referuntur Deorum, Auguſtus Templa vivus emeruit. Horatius. Præſenti tibi maturos largimur honores. Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.*

Digitized by Google

RELIQVIAE VETVSTI TEMPLI HERCVLIS
EX OPERE LATERITIO AD PONTEM CALORIS.

Hanc S. Marciani Beneventani Epiſcopi, qui medio ſexto ſeculo floruit, vetuſtam olim Eccleſiam fuiſſe vulgi opinio eſt, quam ejuſdem circumjacentis agri, cui *S. Marciani* nomen eſt, ſervata adhuc appellatio confirmat. De S. Marciani Eccleſia haud Populares noſtri fortaſſe errant, ſed qui eam tùm primùm in illius honorem ædificatam putant, omnino falluntur; quis enim ſibi unquam perſuaſerit medio ſexto ſeculo, cum omnia barbariem jamdiu induiſſent, hanc publicorum extruendorum Operum, quorum magnificentia florentis Romæ ætate digna eſſet, curam, ingeniumque adhuc ſtetiſſe; an illud etiam veriſimile videri poſſit, Beneventanos eidem elegantiſſimo operi ædificando ſtudium, opeſque ſuas contuliſſe, quos ſcimus eodem prorſus tempore, circa annum nempe 542. a Totila Gothorum Rege tam miſere divexatos, ut illius furorem non ſolum in caput, fortunaſque Civium, verum in ipſa quoque ædificia, debacchatum conſtet, ita ut muri omnes, qui Urbem circumvallarent, ſolo tum fuerint æquati. Jamdiu igitur illud Templum extitiſſe debuit, in cujus reliquiis etiam nunc ſpectandam ſe offert veneranda quædam remotioris antiquitatis facies, quæ Romanam majeſtatem undique ſpirat; ita ut inter ſacras ædes, quas Gentilitas Beneventi unquam erexerit, magnificentior ipſa fortaſſe fuerit, quæ poſt hoſtiles vaſtationes, ac tam diuturnas temporis injurias, ſuas adhuc reliquias oſtentare poſſit; ſatis autem explorata res eſt, poſt redditam Eccleſiæ pacem, Gentilium Templa clauſa quidem, non tamen diruta, mox etiam ſuperſtitione omni, aliiſque Idololatriæ monumentis ſublatis, ad uſum publicum fuiſſe vindicata, plurium Auguſtorum de ea re leges probant *in Cod. Theod. De Paganis Sacrificiis, & Templis*: Sed plura ex iis in meliorem veræ Religionis uſum tranſiſſe, ac Chriſtiano ritu in Dei, ejuſque Sanctorum honorem fuiſſe ſacrata, Eccleſiaſtica monumenta paſſim teſtantur (*a*): utque alia præteream Romanum Pantheon attendiſſe

(*a*) Evertenda Fanorum ædificia prius edixerat S. Gregorius PP. in Epiſt. ad Edilberthum Angliæ Regem recens ad fidem cum ſua gente converſum lib. XI) epiſt. 66. ſed re melius perpenſa epiſt. 76. *Fana* (inquit. *idolo-*

tendiſſe ſatis erit, ubi, cum prius M. Agrippa auctore, Pagana Religio omnes Deos auguſta quidem ſede conſiſtentes, colendos conſtituerit, initio tandem ſeculi ſeptimi S. Bonifacius PP. IV. Chriſtiana ſacra rite locavit: Atque id quidem de noſtro Templo affirmandum quoque erit, ut quæ olim Idololatriæ ædes fuerit, in Chriſtianæ dein Religionis uſum conceſſerit, ac tandem, cum S. Epiſcopi Marciani memoriam (illatis fortaſſe illius Lypſanis) celebrandam Beneventani inſtituerint, ejus nominis appellationem habere cœpit.

An vero iſtud ipſum putemus Herculis Templum, quod noſtro lapide memoratum habemus, incerta res eſt; conjectaſſe tantum erit ex altero lapide *pro ſalute Imp. Commodi Herculi* dicato, cujus fruſta, ut jam dixi, ad ripam Caloris, ubi hujus Templi reliquiæ extant, aliquando videbantur. At non tanti res iſthæc, ut diutius pro Hercule, ejuſque Templo mihi ſit laborandum.

CAPUT SECUNDUM

De Superſtitioſis Ritibus Veterum Beneventanorum.

CUM omnis licet falſa Religio ſua ſacra, ritus, cæremonias, externoſque alios cultus quoſdam habere ſoleat, quibus tamquam manifeſtis argumentis hominum mentes ſe ſe produnt, ac quibuſdam etiam veluti adminiculis ad Religionem ipſam vehementius excitentur, hoc etiam (cum ſemel de rebus ſacris agere inſtituerimus) apud veteres Beneventanos pro temporum, quibus Idololatriæ ſtuderent, ratione, obſervaſſe nunc liceat: Rem hanc libens præteriiſſem, unde & infamiæ illius recordatio excitari poſſit, qua olim (an hodiedum?) Beneventani, Chriſtianis rebus jamdiu florentibus, tamquam ſuperſtitioſi apud vulgus laborarunt: At nimirum Popularibus meis ſilentio potius obfuiſſe viderer: Hinc poſteaquam de iis Sacris, atque Ritibus diſſeruerim, quæ publica Gentilitatis Profeſſio ſacrilega quidem, ſed communi omnium Populorum errore, minus indecora, atque turpia efficiebat, illud pro re nata poſtremo capite a me agetur, ut quæ jamdiu ſuſceptâ Chriſtiana Religione adhiberi ſolerent, ſceleſtiſſima ſane, atque impiiſſima, falsò tamen, & calumnioſe omnino de Beneventanis pervulgata oſtendam.

Quod igitur ea Sacra, Rituſque attinet, quos, dum adhuc Gentilitas obtinebat, Beneventani frequentarunt, præcipuum Taurobolio dabimus locum, cujus celebrandi morem plurimùm apud illos inoleviſſe docet veterum, quos fere omnes nunc primum edimus, lapidum numerus; Eos heic omnes ſimul ſubjiciendos cenſui, ut priori, quem illuſtrandum ſuſcepi, reliqui, uti opus fuerit, opportunam lucem ſint allaturi.

I. ATTI-

Idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt Idola deſtruantur: Aqua benedicta fiat, in iiſdem Fanis aſpergatur: Altaria conſtruantur; Reliquiæ ponantur; quia ſi Fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut a cultu Dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari. Eadem fuit S. Auguſtini ſententia epiſt. 47. ad Publicolam.

Digitized by Google

1.

ATTINI SACRVM
ET MINERVAE BERECINT
CONCORDIA COLLIB. IANVARI
CIMBALIOCO SECVNDO OB
CRIOBOLIVM FACTVM M. D
M. I. TRADENTIB. SEPTIMIO
PRIMITIVO AVGVRE ET SAC
SERVILIA VARIA ET TERENTIA
FLAVIANA SACERD. XV. VIR
PRAEVNTE MAMIO SECVNDO
HAEC IVSSV MATRIS DEVM
IN ARA TAVROBOLICA DVO
DENA CVM VITVLA CREM
SVB DIE V. IDVS APRILIS
MODESTO II. ET PROBO COS

2.

ATTINI SACR. ET MINER
VAE PARACENTIAE
L. SONTIVS PANCIVS IVSTI
NVS EQ. ROMANVS PRINCI
PALIS ET DVVMVIR ET MVNERA
RIVS NATALIS COLONIAE OM
NIBVS HONORIBVS PERFVNCT
ET SACERDOS MATRI DEVM M. I
IN PRIMORDIO SVO TAVROBO
LIVM A SE FACTVM TRADEN
TE SIMVL COSINIA CELSINA
CONSACERDOTE SVA
PRAEVNTE FLAVIO LIBE
RALI HAR. PVBL. PRIMARIO

3.

ATTINI SACRVM
ET MINERVAE
PARACENTIAE
TERENTIA FLAVIANA
SACERD. SECVNDO LOCO XV
VIR. OB TAVROB. TRA
DITVM A SERVILIA
VARIA SAC. PRIMA

4.

ATTINI SAC.
ET MINERVAE
PARACENTIAE
TREBVLANA IVS
TINA EVMANIS
TA.....OBOL
TR.....MA SER
VILIA VARIA SAC
.....XI. K. AVG.

Solennes operosissimi hujusce Sacri ritus, & cæremonias fuse describit Prudentius (*a*); ærea vero tabula jamdiu spectandas dedit Socius Academiæ Regalis Gallicæ (*b*), iterumque simili tabula, consimilibusque observationibus excudit cl. Auctor marmorum Taurinensium (*c*). Atque hi quidem plura de ea re post Reinesium, Van-Dalium, Fleetwoodum, Fabrettum; sed quipleraque minus recte observantes, multa etiam observatione digna prætermittentes non exiguum spicilegium reliquisse videntur, quod mihi percurrendum insignes nostri lapides superius recitati omnino postulant.

Ut igitur a Diis illis ordiar, quibus colendis hoc Sacrum institutum habebatur, quamquam perpetuum illud nostris lapidibus sit, ut Minervæ inscribantur, ne dubites tamen primas partes Matri Dei tribuendas, cui præcipue Criobolii, Tauroboliique sacra dicabantur. Jam quod Attin attinet, res satis nota ex aliis quoque antiquis Inscriptionibus, quas omnes congessit Fleetwoodus (*d*), qui etiam compendariam explicationem addidit; sed ex Fabretto,

[*a*] In Martyre Romano.

[*b*] Dominus de Boze tom. 3. Memoires de litterature &c. pag. 150. explication d' une Inscription antique, ou sont decrites les particularitez des sacrifices appellès Tauroboles. Amstelodami 1731.

[*c*] Parte 1. num. 2. pag. 13.

[*d*] Antiquarum Inscriptionum Sylloge a p. 11. Londini 1691.

Digitized by Google

to, qui earum cenſum augere ſtuduit, duo exempla dumtaxat indicaſſe ſuffecerit, quorum alter ita ſe habet pag.*666*. num.54.

SACERDVS . MAXIMA . M. D. M. I. TAVROBOLIO . CRIOBOLIOQ. REPETITO
DIIS OMNIPOTENTIBVS . MATRI DEVM . ET ATTI ARAM DICAVIT .

alterum vero num. 522.

M. D. M. I.
SVMMAE PARENTI HERMAE
ET ATTIDI MENOTYRANNO INVICTO &c. (*a*)

Ex quibus vides varie ejuſmodi nomen ſcribi inflectique ſolitum; nam & Attini, & Atti, & Attidi lapides habent, quibus & Atys addi poteſt ex S. Auguſtino (*b*) qui phyſicam, ſed ineptam ex Porphyrio ejus nominis, atque numinis interpretationem profert: Is autem ex Peſſinunte Phrygiæ Urbe Paſtor fuiſſe traditur, de quo Tertullianus (*c*) *Vidimus* (ait) *aliquando caſtratum Atyn illum Deum ex Peſſinunte*: Communis cum Cybele Matre Deùm cultus inde manavit, quod ipſe primus Sacrorum ritus, quibus Cybeles colebatur, inſtituiſſet, a qua etiam quod promiſſam ei caſtitatem non ſervaſſet, virilitate fuit mulctatus (*d*). Quid vero de Minerva dicendum, quam nulli, quos hactenus vidi, niſi ſoli præferunt noſtri lapides? Eam non alia de cauſa in Beneventanorum Tauroboliis adhibitam putaverim, quam quod ejus quoque ope felicius ea ſacra profutura crederentur, atque exinde factum, ut Berecyntiæ cognomen, quod ipſius Matris Deum proprium erat, novo, quod ſciam, exemplo Minervæ ipſi adjiceretur: Non illud tamen novum in ejuſmodi Sacro aliorum numinum favorem exorari, uti ex ſecundo lapide Fabrettiano paulo ante relato, in quo præter ipſam Matrem Deum, atque Atyn Mercurius græco Hermæ vocabulo memoratur. Abſit vero, ut cum Gutherio (*e*), atque Voſſio (*f*) Taurobolica ſacra Dianæ præcipue tribuantur, quorum errorem ex male intellectis ſiglis illis M. D. quas *Matri*, vel *Magnæ Dianæ* interpretabantur, jamdudum Grævius obſervavit (*g*).

Ejuſmodi igitur Criobolii, & Taurobolii Sacro peculiaris Matri Deum cultus exhibebatur, cujus ſane recentiora, ut mox dicetur, initia fuere, uti etiam non ipſius Numinis ſatis antiquam apud Romanos Religionem fuiſſe conſtat: ex Peſſinunte enim, ubi primum inſtitutam jam audivimus, demum in Urbem cum ipſo quoque Simulacro tranſtulit Scipio Naſica, translationique cauſſam effecere Decemuiri Sacris faciundis, qui ex Carminibus Sybillinis ad Senatum retulerunt, præſentis ejus Numinis ope futurum, ut victis, pulſiſque Italiâ hoſtibus non ſolum eâ, quâ tum vigeret magnitudine ſtaret Reſp., ſed ampliores adhuc Imperii fines proferret (*h*). Miram ſimulacri materiam atque formam, plura etiam, quæ prodigii inſtar in ea translatione acceſſerunt, fuſe commemorat Herodianus in vita Commodi, accepta occaſione, quod ille feſtiviùs, quam unquam Sacra ejus numinis aliquando celebraſſet; at ſpes ex divino reſponſo accepta ipſum Naſicam, & optimum quemque mox fefellit, nam cum ipſa novi Numinis Religione ſimul in Urbem invecta fuit maxima vitiorum colluvies, quæ ex ipſius ſacris maxime fovebantur: *Vicit enim* (ut ait S. Auguſtinus (*i*)) *Matris magnæ omnes Deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis*; adeo ut priſca Romanorum virtute labefactata, gliſcentibus vitiis, ex his utique ingens minuendo Imperio periculum imminebat, cujus vetera incrementa ſolis virtutibus parta agnoſcebantur: Certe non id fuit Naſicæ conſilium: *Abſit*, (inquit idem S. Auguſtinus) *ut Senator Populi Romani ea mente præditus, qua Theatrum ædificare in Urbe fortium virorum prohibuit, ſic vellet coli Matrem ſuam, ut talibus Dea ſacris propitiaretur, qualibus Matrona Urbis offenderetur*: At cur tantus vir, ut novæ Religionis auctor eſſet, ipſius Deæ oraculo electus? Cauſſam ex eodem Auguſtino audiamus: *Romanas occupatura mentes quæſivit optimum virum, non quem monendo, & adjuvando faceret, ſed quem fallendo deciperet, ut illa magnæ indolis*

[*a*] Menotyrannum explicat Fleetwod. adnotat. 8. *Menſium Rex, & anni moderator proprie dicitur Sol, qui ſub Attidis involucro heic cultus eſt*.
[*b*] De Civit. Dei lib.7. cap.25.
[*c*] Apolog. cap. 15.
[*d*] Lactantius Div. Inſt. l.1. c.17. Arnobius lib. v.
[*e*] De Veter. Jur. Pontif. IV. 19.
[*f*] De Idol. II. 53.
[*g*] Theſ. Antiq. tom.v. Prolegom. c.3.
[*h*] Livius lib.29. cap. xi.
[*i*] De Civitate Dei lib.7. cap.26.

Digitized by Google

indolis animus hoc velut divino teſtimonio ſublimatus, & vere ſe optimum exiſtimans, veram pietatem, Religionemque non quæreret: Atque hac quidem Diaboli arte deceptus Naſica; quid vero ab aliis obtinuiſſe putabimus, quibus aut virtus infirmior, aut etiam corrupti mores? Satis nota res eſt, quot novas gentes Romani ſubegerint, tot novas Religiones ſuſcepiſſe, ita ut quibus ſua jura jam darent, iiſdem ſeſe, eorum accepta Religione, obſtrictos efficerent. Hinc inundatio illa Deorum, quos Victores Romani ex omnibus, quas pervaſiſſent, Orbis partibus, licet peregrinos Civitate donarunt, ariſque, delubris, ac templis ſibi colendos inſtituerunt (*a*).

Quæ cum ex his, aliiſque, quæ in ſubjecta nota attulimus, graviſſimorum Scriptorum teſtimoniis ita eſſe videantur, haud ita facile in Viri clariſſimi, eruditiſſimique Mamachii ſententiam conceſſerim, quâ is ſtatuit (*b*), Romanos, cum Principatum in orbe terrarum obtinerent, id magnopere enixos, *ut quo tandem cumque poſſent, eam, qua ipſi tenebantur, Religionem introducerent*. Nam ex Strabonis loco, qui Geogr. lib. 4. poſtquam efferos quorundam Gallorum, Germanorumque mores narrat, qui e prælio decedentes cervicibus equorum hoſtium capita ſuſpendentes, domumque delata, ut eſſent ſpectaculo, veſtibulis affigebant, ac præterea hominem divinationi deſtinatum in tergo ferientes ex ipſo impatientiæ afflictandique modo vaticinium capiebant: *Ab hiſce* (ait) *rerum obſcœnitatibus fœdiſque ſacrificiorum, & divinationum ritibus mori noſtro contrariis Romani prorſus eos averterunt*: Non, inquam, ex hoc uno teſtimonio, res, de qua quærit Vir ſummus, definiri poterat, neque etiam ex aliis pluribus, quæ mihi adhuc præſto ſunt (*c*): Id enim unum ex hiſce evincitur, maximum ſcilicet inter alia plura ab Romanis dominantibus in perdomitas nationes emolumentum hoc promanaſſe, ut Barbaros pene omnes, quos vel armis domuiſſent, vel ſocietate ſibi devinxiſſent, nedum ad humanitatem, ſed ad cultiorum plerumque morum rationem, inſtitutumque revocarent. At aliud profecto eſt, ab ipſis Barbarorum ſacris crudeles quoſdam, fœdoſque Ritus abjiciendos curaſſe (quamquam, & eorum pleroſque ſuos feciſſe, Romanos aliquando non puduit,) aliud vero ex Patria Religione Barbaros ipſos ad Romanorum Sacrorum communionem ſummo ſtudio traduxiſſe; quod ſanè ipſis Romanorum juribus, inſtitutiſque, quorum tenaciſſimi erant, omnino vetabatur: Jus enim Sacrorum, quod aliis Civitatis Romanæ juribus præcipue adnumerabatur, haud facile Romani cum aliis communicari patiebantur, quin adeo ſibi peculiare ſervabant, ut (tantum abeſt, ut ipſorum præſertim opera Barbarorum gentes iis uti, aut docerentur, aut juberentur) vel ideo Municipes non viderentur optimo jure Cives eſſe, quia non iiſdem, ac ii, qui Romam incolebant, Sacris uterentur, ut fuſe oſtendit Sigonius (*d*); quin & ipſi Coloni, qui quondam Cives fuerant, ſi quando, ut alibi a me demonſtratum fuit, Colonia non Civium Romanorum eſſet, Sacrorum jus ita amittebant, ut eorum exercendorum nulla ſibi amplius ſupereſſet facultas; Quæ omnia non ſolum ſtante Republica, verum etiam ſub ipſis Principibus ex veteri inſtituto nunquam defecerunt. Fateor quidem etiam citra Romanam Civitatem datam, aliquos Populos Romanorum Deos, atque Sacra ſibi uſurpare potuiſſe; at hoc profecto nunquam ex enixa, quam ejus rei Romani ipſi habuiſſent, cura,

[*a*]. Quod ſane nec primæva Numæ inſtituta prohibere valuerunt, quibus, ut ait Tertull. Apol. 25. *Frugi Religio, & pauperes Ritus, & nulla Capitolia certantia Cœlo, ſed temeraria de Ceſpite Altaria, & vaſa adhuc ſamia, & nidor exilis, & Deus ipſe nuſquam*: Neque cum ſemel in Reip. perniciem res obtinuit, ab incœpto deterruit ſummorum Magiſtratuum auctoritas; quid contra Bacchica ſacra, quorum neſandiſſimos Ritus diſtincte retulit Hiſpala ad Poſtumium Conſulem apud Livium l. 39. c. 13. Poſtumius ipſe cum Marco Collega ſanxiſſent, nedum ex eodem Livio cap. 18. plane conſtat, verum etiam ex ipſo S. C. de ea re facto, quod ex ærea tabula adhuc ſuperſtite exhibet Fabrett. Inſcript. c. 6. pag. 427. & nuper præclaro Commentario illuſtravit V. C. Matthæus Ægyptius Neapol. 1729. at fruſtra id fuit, quod inter cetera alia Romanis Antiſtitibus exprobrat idem Tertullianus: *Etiam* (inquit) *circa ipſos Deos veſtros, quæ perſpecte decreverunt Patres veſtri, iidem vos obſequentiſſimi reſcidiſtis: Liberum Patrem cum myſteriis Conſules Senatus auctoritate non modo Urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt, Serapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo Capitolio prohibitos inferri, ideſt Curia Deorum pulſos Piſo, & Gabinius Conſules non utique Chriſtiani everſis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium, & ecioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes: his vos reſtitutis ſummam majeſtatem contuliſtis*: Sic etiam Lucanus Bello Pharſ. l. 8. v. 83.

Nos in Templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semideoſque canes, & ſiſtra jubentia luctus.

[*b*] Orig. Chriſt. l. 2. c. 2. §. 5., & rurſus c. 3. §. 1., cui titulum inſcribit: *Quemadmodum Romani ſubactis variis gentibus, earumque ditionibus in Provincias redactis curaverint, ut illæ Romanis ſacris aſſueſcerent*.

[*c*] Nam: *Infantes penes Africam Saturno immolatos palam uſque ad Proconſulatum Tiberii* tradit Tertull. Apolog. c. 9. Lactantius præterea Div. Inſt. l. 1. c. 21. *Apud Cypri Salaminam* (ait) *humanam hoſtiam Jovi Teucrus immolavit, idque ſacrificium poſteris tradidit; quod eſt nuper Hadriano Imperante ſublatum*.

[*d*] De Antiq. Jur. Civ. Rom. l. 1. c. 8.

Digitized by Google

ſed aliunde potius, præſertim vero ex frequenti cum Romanis commercio, accidiſſe potuit, quo factum fuit, ut Barbari Romanorum Deos, ac ſacra didiciſſent; quod ſi huc res, ut videtur, deducenda ſit, magis profecto fuit, quod fœdi etiam, ac ſævi Romani ex ipſis Barbaris in ſuam Religionem tranſtulerint, ut initio manifeſtum videbamus, quam quod hi ex illis accepiſſent; ſed hæc obiter.

Quod autem ad rem attinet, non peculiare minus quam frequens Matris Deûm Sacrum habebatur, quod Taurobolium, aut Criobolium appellabatur. Idem utriuſque Ritus, eadem cauſa: nominum diverſitas ex victimæ diverſitate derivata fuit; priore enim Taurus, Aries poſteriore immolabatur: Ritus autem ejuſmodi erat: qui eo Sacro inaugurandus erat, quod proprie Tauroboliari, aut Taurobolium accipere dicebatur, in altam ſcrobem conſulto factam demittebatur, ſuper quam foraminatis tabulis coopertam Taurus auratis cornubus, ſeu Aries adigebatur; cumque ibi jam conſiſteret, mactabatur, non antea remotus, quam totus ejus cruor in eam ſcrobem per tabularum foramina illapſus, eum, qui illic pene tumulatus jacebat, capite, naribus, oculis, auribus, & toto denique corpore ablueret.

Summam ejuſmodi Sacro virtutem ineſſe putabant Ethnici: non ſolum enim, eo percepto, ab omni labe ſe expiatos, ſed etiam in poſterum, aut certe per viginti annos (quo intervallo haud uni eidem ſemel Tauroboliato Taurobolium repetere licebat) novæ labis futuros expertes ſe crederent, quin in æternum renatos jactitarent: hujuſmodi formulæ in antiquis lapidibus frequentes ſunt. Sic apud Gruter. pag. 28. num. 2. *Taurobolio in æternum renatus*: & num. 5. *Iterato viginti annis ex perceptis Tauroboliis* VI. *aram conſtituit*: & apud Fabrett. fol. 666. num. 522. *Taurobolio, Criobolioque perfecto* XIV. *Kal. Aug. Diis animæ ſuæ, mentiſque cuſtodibus aram dicavit*: Hinc cum quiſque Tauroboliatus eſſet, non ſolum aliorum ſalutationes, gratulationeſque publice accipiebat, ſed pene Numinis inſtar adorabatur, ut inter alia de Taurobolio plura, id quoque Prudentius in Romano notavit verſ. 1046.

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi
Omnes ſalutant, atque adorant eminus
Vilis quod illum ſanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem ſub cavernis laverint.

Hinc mos quoque ille, ut, quod de aliis ſacris nunquam obtinuit, rei geſtæ memoria lapidibus tam magnifice celebraretur, etiam die, ac Conſule in monumento ſignatis, ut indubiæ fidei res apud præſentes, poſteroſque commendaretur; quod tum in aliis, tum in noſtro lapide factum apparet, in cujus fine ſic legitur: *Sub die* V. *Idus Aprilis Modeſto II., & Probo Cos*: Scilicet anno 228., quo Modeſtus iterum (*a*), & Probus Conſules proceſſerunt: Hinc denique erat, ut non ſolum pro ſua quiſque privata incolumitate Taurobolium faceret, ſed etiam ejuſmodi Sacrum pro Auguſtorum ſalute, aut Reipublicæ felicitate, ſeu pro publico bono celebraretur. Sic Taurobolium dicti lapidis Lugdunenſis dicitur factum *pro ſalute Imperatoris Cæſaris T. Æl. Adriani Antonini Auguſti Pii P. P. Liberorumque ejus, & Status Coloniæ Lugdunenſis*: Præterea id quoque obſervandum, quod ejuſmodi ſacrum non ab Plebeis ſolum, privatiſque aliis perſonis, ſed a Viris clariſſimis, atque ſummi in Republica loci frequentaretur, ut ab illo etiam non abhorrerent Auguſti, inter quos de Antonino Elagabalo hæc refert Lampridius: *Matris etiam Deum ſacra accepit, & Tauroboliatus eſt, ut Typum eriperet, & alia, quæ penitus habentur condita* (*b*): At præter Elagabalum, plures Viros clariſſimos, etiam Præfecturâ Urbis inſi-

[*a*] Secundum hunc fuiſſe Vettii Modeſti Conſulatum, de quo Faſti ſilent, dumtaxat ex noſtro lapide diſcimus. Fuerit igitur is oportet ante hunc annum Conſul ſuffectus, atque ideo priorem Conſulatum in faſtis neglectum putare debemus, in quibus ii præcipui Conſules ſignari ſolent, qui ſolennibus Comitiis, ut olim, vel ut poſtea, a Principe creati, anno initium dabant, ita ut, licet infra annum ipſum Magiſtratu abiiſſent, alioſque pro reliqua anni parte ſuffectos acciperent, integrum tamen annum tam in faſtis, quam publicis aliis monumentis ſuis inſcriptis nominibus occupabant, quod optimo more, rationeque inſtitutum fuit, ne incerta fieret annorum ſeries, temporumque ſignandorum ordo turbaretur.

[*b*] Hanc veram eſſe Lampridii lectionem jam viri docti obſervarunt; nam in antiquis editionibus, quarum duas ad manus habeo, Aldinam Venetam 1519. & Frobenianam Baſileæ 1533. pro *Tauroboliatus*, legitur *adeo debacchatus*. Cave autem, ne cum Jac. Conſtantio in Collectaneis cap. 20. *Cyphum*, ſeu *Scyphum* pro *Typo* reponas, quod ille inepte ſatis emendandum putavit, quaſi Deûm mater eo ſimulacro ſitellam dextra geſtaret, Iſidis Ægyptiæ inſtar, quam cum Cybele confundit, neque enim Scyphum, ſeu Sitellam auferre Elagabalus tanti habuiſſet, qui revera Typum ipſum, ſeu ſimulacrum eripere geſtiit, quod e rudi, ac pene informi lapide effictum Lampridius refert; quod autem Typi matris Deûm erigendi Elagabali fuerit conſilium, jam

Digitized by Google

insignes Tauroboliatos nobis exhibent antiqui lapides, & quod mirum magis videri posset usque ad IV. seculi exitum, ac sub ipsis Christianis Principibus ab ejusmodi viris celebratum id Sacrum ostendunt (*a*).

Quam igitur causam putabimus, ut tam sera hujusce sacri origo fuerit, ac cum semel obtinuisset, diu quoque post receptam ubique Christianam Religionem, abolitosque publica auctoritate superstitiosos ritus, summo studio, summosque apud Viros perseveraverit: Non aliam certe causam, quam consuetam Diaboli æmulationem, de qua plura ex Tertulliano superiori capite observavimus, agnoscendam crediderim: Certe Julius Firmicus (*b*), qui prior, uti diximus, Criobolii, ac Taurobolii meminit, in Criobolio ipso Abrahami sacrificium repræsentatum putavit: *Vide* (inquit) *quid sibi ludibriosus hostis invenerit, Abrahæ immolaturo filium jussu Dei Aries supponitur, & in vicinæ arboris radicibus immolatur*: Mihi vero utriusque Sacri institutionem ex verbis S. Pauli hostem sibi arripuisse congruentius videtur; atque Apostolus quidem ad Hebræos sic se habet cap. 9.: *Si enim sanguis Hircorum, & Taurorum, & cinis Vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*: Conjunxit quippe Diabolus in utroque Sacro nunc Arietis, nunc Tauri immolationem, ejusque ablutionibus expiandi, renascendique virtutem inditam persuadere conabatur tum exemplo veteris piacularis Hebræorum Sacrificii, tum præsertim ex *novi Testamenti sanguine*, quem Deus ipse Homo factus reparando humano generi in Ara Crucis Hostia simul & Sacerdos effudit: Erant quidem ante Taurobolii institutionem aliæ, quas eodem æmulandi studio Diabolus invexerat, lustrationes, ac sacrificia, quæ non Christiani solum Baptismi, ut idem Tertullianus testatur (*c*); sed etiam ut ex S. Justino accipimus (*d*), Eucharistiæ quoque virtutem sibi falso effingerent, atque usurparent; sed quæ haud tanti apud ipsos Ethnicos putarentur, ut miram illam, quam ex Taurobolio virtutem sibi deinde blandiri cœperunt, inesse crederent: Nota sunt illa, quæ Zosimus Religionis Christianæ, proindeque Imp. Constantini insectator acerrimus contra eundem Augustum, quem nefariorum criminum infamiâ calumniose notaverat, sibi usurpat lib. 2. *Horum nempe criminum sibi conscium Constantinum, ad Flamines accessisse admissorum lustrationes poscentem; illos vero respondisse, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula possit eluere*: At jam demum in uno Taurobolio illud Ethnicis persuaderi cœpit nihil non sibi propitium, omnisque plenum felicitatis in corpora, animosque exinde manare: hinc illa omnium veneratio, aut etiam, ut Prudentius ajebat, erga Tauroboliatos adoratio, quos veluti naturam divinam induisse, vel præcipuâ Deorum gratiâ, præsentique custodia donatos credebant; id quod Tauroboliati ipsi plane testabantur solennibus illis formulis in vetustis lapidibus obviis: *Taurobolio in æternum renatus Diis animæ suæ, mentisque custodibus &c.* & hujusmodi aliis, quæ cum Christianorum propriæ essent, ab iis profecto cum Christianorum Sacramentorum æmulatione Ethnici mutuari, mentiebantur. Ere autem sua fore putabat Diabolus, ut, cum II. seculo Christianæ res felicius augeri cœpissent, tum maxime

jam antea asseruit idem Lampridius, quem etiam audisse lubebit: *Heliogabalum in Palatino monte juxta Ædes Imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens, & Matris (Deum) Typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanorum veneranda in illud transferre Templum, & id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus celebretur. Dicebat præterea Judæorum, & Samaritanorum Religiones, & Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret.*

[*a*] Nam vir ille *Clarissimus*, cujus nomen in lapide apud Fabrett. intercidit pag. 665. num. 520. Taurobolium confecisse dicitur III. *Kal. Maji Fl. Anicio, & Nigriano Cos.*, nempe anno 350. Sic apud eundem Fabrett. n. 521. *Hermogenianus Præfectus Urbi Taurobolium, Crioboliumque perfecisse* dicitur XIV. *Kal. Aug. Gratiano ter, & Æquitio Cos.*, nempe anno 374. *Clodius* demum *Rufius Vulusianus ex Præfecto Prætorio, & ex Præfecto Urbi* in lapide apud Gruter. pag. 28. Taurobolium post viginti annos iteravit X. *Kal. Junii D. N. Valentiniano Aug., & Neoterio Cos.* nempe anno 390.

[*b*] De error. profan. Relig. pag. 36.

[*c*] De Baptismo cap. V. *Sed enim Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia Idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur; nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithræ, ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt: Ceterum villas, domos, totasque Urbes adspergine circumlatæ aquæ expiant passim. Certe ludis Apollinaribus, & Eleusinis tinguntur, idque se in regenerationem, & impunitatem periuriorum suorum agere præsumunt. Item penes veteres quisquis homicidio se infecerat, purgatrice aqua se expiabat . . . . . hic quoque studium Diaboli cognoscimus res Dei æmulantis, cum & ipse Baptismum in suis exercet.* Edit. Venet. 1744.

[*d*] In Apologia prima cap. 66. *Quod quidem* (idest Corporis, & Sanguinis Sacramentum, quod paulo ante commemorat (*etiam in Mitræ mysteriis, atque initiis fieri docuerunt per imitationem pravi Dæmones: quod namque Panis, & poculum aquæ in sacrificiis ejus, qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certe scitis* (ethnicos alloquitur) *aut cognoscere potestis*: Edit. Venet. Græco-Latin. an. 1747.

Digitized by Google

xime nova, ac firmiora Idololatriæ compararentur ſubſidia, quò magis Ethnici a Chriſtiana Religione ſuſcipienda averterentur; itaque eo celebriore invento Sacro, quo ſacrilegus ſanguis Divino Sanguini veluti opponeretur, magis magiſque Ethnicorum mentibus perſuadere ſtuduit nihil eſſe Chriſtianæ Religionis proprium, quod non apud ipſos Ethnicos majorum Religio præſtare poſſet: Hinc etiam factum, ut a clariſſimis quibuſque, ſummique in Rep. loci Viris (quorum exemplum apud reliquos omnes plurimum valere ſolet) præcipue Taurobolium celebrari curaret; neque aliam novimus ſuperſtitioſam peſtem ſerius, ut ex lapidibus manifeſtum eſt, ex orbe jamdiu Chriſtiano ſublatam.

Atque hæc de Taurobolio poſt aliorum tractationes, partim nova, partim luculentius explicata, generatim congeſſiſſe libuit: Sunt etiam, quibus prior Lapis indigere videtur, explicationes aliquæ opportune heic addendæ, ex quibus plura ſingularia habebimus, quæ in aliis omnibus hactenus editis Taurobolicis Lapidibus, nunquam invenies. Primum autem ſigla illa animadvertiſſe proderit M. D. M. I., quæ inter quintæ lineæ finem, initiumque ſequentis diſtribuuntur; quod igitur illorum explicationem attinet, fallitur certe V. Cl. Mazochius, qui (*a*) *Magnæ Deum Matri Iſidi* interpretatur. Fortaſſe Viro perſpicaciſſimo (cui uni ex abditis quibuſque locis omnis ſe ſe prodere geſtit Antiquitas) hæc ſcribenti in mentem venerit patrius Lapis Capuanus TE TIBI VNA, QVÆ ES OMNIA DEA ISIS ARRIVS BALBINVS V. C. quo etiam inter alia utitur Huetius (*b*), ut in Iſide Cybelem, aliaque Numina contineri probet, adducto etiam Apuleii loco Metam. XI., qui Iſidem eſſe ſignificat Rerum Naturam, eamque Deorum, ac Dearum faciem uniformem appellat, eamque ipſam eſſe ait, *quam Phryges Deum Matrem*, Attici Minervam, Cretes Dianam, Siculi Proſerpinam, Eleuſinii Cererem &c. appellant; Sed non hæc heic quærimus; quod enim rem attinet, ſatis conſtat, origine, nomine, cultu, loco, templis, diſcreta omnino inter ſe ea fuiſſe Numina; quod vel ex eo manifeſte liquet, quod diverſe, ac longe inter ſe diſſitis temporibus utriuſque cultus, ac Religio Romam pervaſerit. Stabit itaque vera illa explicatio, quam paſſim Lapides, Scriptoreſque veteres nos docent, ut nempe *Magna Deum Mater Idea*, ſiglis illis habeatur. Sic apud Fleetwoodum p. 15. n. 1. M.D.M. IDEÆ, & rurſus ejuſdem Lapidis lin. 5. M. D. M. ID. Quod vero Scriptores attinet, De Cybele ad rem hæc ſunt Lucretii l. 2. 610.

Hanc varie Gentes communi more Sacrorum
Ideam vocitant Matrem

ab Ida nimirum monte, ubi peculiariter culta fuit, ut vulgo notum.

Virgilius etiam (*c*)

Alma Parens Idea Deûm, tui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones:

ex quo Maronis loco non ſolum res ipſa conficitur, ſed præiſſe is quodammodo videtur formulæ illi poſtea receptæ, quâ Cybele in Taurobolicis Inſcriptionibus invocabatur.

At quemadmodum ei formulæ præiſſe videtur Virgilius, ita certe in Taurobolico tradendo haud defuiſſe debuit ejus Sacri adminiſter, qui peculiare *præeundi* munus obibat: Qualem fuiſſe Mamium Secundum noſter Lapis diſerte commemorat linea decima in hunc modum, PRAEVNTE MAMIO SECVNDO. Quid fuit *præire*, dum Ethnici Sacra quæpiam operarentur protrita res eſt, quam docet Plinius (*d*): *Vidimus* (inquit) *certis precationibus obſecraſſe ſummos Magiſtratus; & ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui favere linguis jubeat.* Et ſane nihil fortuito, aut ex privato conſilio in Rebus ſacris agendis effari fas erat, ſed omnia conceptis verbis pro Sacrorum, Numinumque diverſitate ſtatuta erant, atque in Sacerdotum libris expoſita, ut Gellius teſtatur [*e*]; quod ſi ſolo verbo aberratum ex ipſis libris fuiſſet, non modo non rite factum cenſebatur, ſed Dii graviter offendi, iique iraſci credebantur, ut ex Ciceronis loco colligitur (*f*).

Sed præter eum, qui *præiret*, alios quoque Sacerdotes in eo Sacro adfuiſſe conſtat, quorum opera Taurobolium, aut Criobolium alicui tradebatur; unde haud diſſimulandam duxi hallucinationem D. De Boze in dicta explicatione Lapidis Lugdunenſis, ubi Sacerdotem illum Q. Sam-

[*a*] Tom. II. Comment. in Kal. Neapol. ad diem 13. Junii not. 331. pag. 603.
[*b*] Demonſtr. Evang. Prop. IV cap. X. num 3.
[*c*] Æneid. X. v. 252.
(*d*) L. 28. c. 2.
(*e*) Lib. 13. cap. 22.
[*f*] De Haruſp. Reſponſ. c. X. *Si Ædibus verbo, aut Simpulo aberravit. Ludi ſunt non rite facti; eaque errata expiantur, & mentes Deorum immortalium Ludorum inſtauratione placantur.*

Digitized by Google

Q. Sammium Secundum cum noſtro Mamio, ſeu verius M. Amio Secundo quodammodo affinem, non tradidiſſe, ſed accepiſſe Taurobolium affirmat. Sed manifeſte is erravit; poſtquam enim in Lapide illius Taurobolii cauſſa indicatur, nempe *pro ſalute &c.* ſic pergit Lapis: *L. Æmilius Carpus IIIIIl Vir Aug. item Dendrophorus vires excepit, & a Vaticano tranſtulit, ara & bucranium ſuo impendio conſecravit. Sacerdote Q. Sammio Secundo ab XV. Viris occabo (a) & Corona exornato &c.* En igitur L. Æmilium Carpum, eum ipſum nempe, qui vires excepit, ideſt Tauri ſanguinem, qui pro ejus viribus ſatis commode, ac probabili magis ratione explicari ſolet, in Scrobe poſitus accepit; eum denique, qui Tauroboliatus eſt: Ipſe vero Sacerdos Q. Sammius Secundus, is, inquam, ipſe fuit, qui Taurobolium L. Æmilio Carpo tradidit: quod manifeſtum quoque fit ex ejus nomine (ut in aliis Taurobolicis Lapidibus) auferendi caſu poſito ſic: *Sacerdote Q. Sammio &c.* quo quidem caſu non ſolum tempus, quo is Sacerdotio fungebatur, indicari videtur; (eadem nempe ſcribendi formula, qua Conſules per eundem caſum indicantur in iiſdem, aliiſque paſſim Lapidibus) verum etiam peculiare munus oſtenditur, quod in tradendo Taurobolio eo tunc geſſit.

At Sacerdotum, qui ejuſmodi Sacro intereſſent neque certus numerus definiri, neque etiam ſexus ſtatui poteſt, nam in principali noſtro Lapide tres numerantur, qui tradiderint, nimirum: *Tradentibus Septimio Primitivo Augure, & Sac. Servilia Varia, & Terentia Flaviana XVVIR*: in ſecundo Lapide ſola tradidiſſe memoratur *Coſinia Celſina Conſacerdos*; in tertio vero, & quarto ſola pariter, quæ in primo occurrit *Servilia Varia* ejuſmodi miniſterium obivit, ut jam mirari ſubeat in ejuſmodi ſacro fœminas frequentius præ Viris fuiſſe delectas, interque illas tot Tauroboliis a ſe una traditis aſſiduam operam *Serviliam Variam* navaſſe, ſuamque tùm in Sacerdotio ſedulitatem, quàm inſignem erga Matrem Deûm Religionem in dictis Lapidibus apud præſentes, poſteroſque vulgandam curaſſe. Certe Beneventana hæc Mulier non mediocris, ut apparet, apud ſuos nominis, & loci ſe ſe publicis monumentis crebro celebrari curaſſe probatur tum ex antedictis Lapidibus, tum ex alio, quem ipſamet, (ut veriſimile mihi fit) defuncto filio dedicavit in hunc modum.

C. VMBRIO
SERVILIO IVSTO
IVSTISS. ABNEPOT
DECVRION. BEN
VIXIT ANN. XXX
SERVILIA VARIA
MATER

at de hoc Lapide alias.

Ad eos modo progrediar, qui in noſtris Lapidibus Taurobolium, aut Criobolium accepiſſe memorantur; in quibus illud etiam obſervandum occurrit a fœminis quoque ejuſmodi Sacrum frequentatum; nam præter ſecundum Lapidem, ubi *Pancius Juſtinus Eq. Rom.* Taurobolium fecit, reliqui tres omnes nonniſi fœminas Tauroboliatas nobis exhibent; ex qua re non illud cuipiam in mentem veniat, Sacerdotes fœminas, ut ſuperius notatum fuit, tum adhibitas, cum a fœminis Taurobolium accipiendum eſſet, nam *Pancio Juſtino* tradidit *Coſinia Celſina*, *Concordia* vero *Septimius Primitivus*, ut inde certum colligas in tradendo ſuſcipiendoque Taurobolio alterutrum ſexum indiſcriminatim adhiberi conſueſſe: Quod autem ad *Concordiam* attinet, ita de ea Lapis loquitur: *CONCORDIA COLLIB. JANUARI CIMBALIACO SECUNDO OB CRIOBOLIUM &c.* At primum ſingulare fortaſſe hoc erit, ut *Concordia* iſthæc, nullo adjecto cognomine, ex eo ſolum ſe noſcendam maluiſſet, quod fuerit Colliberta Januari, ut non ſolum ambo libertinæ conditionis fuerint, ſed etiam inter ſe ſe olim Contubernales, uni eidemque Domino olim ſervierint, a quo tandem ſimul manumiſſi antiquum Contubernium in Conjugium, quod Libertinis conveniret, tranſtulerunt: Eâ enim loquendi formulâ conjugium omnino conſtat expreſſum; ut ſcilicet eadem *Concordia* olim Conſerva, dein Colliberta, tandem uxor fuerit Januari nullo Mariti adjecto vocabulo, ſed dumtaxat proprio ejuſdem Mariti generandi caſu adjuncto

[a] De raro Occabi vocabulo, ejuſque ſignificatione legendus idem D. De Boze, qui poſt varias obſervationes eruditè congeſtas, non aliud fuiſſe conjectat, quàm aureum circulum, qui aut collo, aut brachio annectebatur.

Digitized by Google

adjuncto ſibi nomine juxta veterem morem illum, de quo latiſſime in Diſſert. I. c. 4. diſſetui. At quid ſibi velit illud *Cimbaliaco Secundo*, quod ſtatim in Lapide ſequitur, non ita facile patet. Putabam aliquando integrum verſum ita reſtituendum: *Concordia Colliberta Januari Cimba loco ſecundo*: ita ut *Cimba* cognominis loco ſit, quod ad ipſam *Concordiam* referatur; illud vero *loco ſecundo*, aut ab altero in faciendo Criobolio *Concordiam* eo tunc præventam fuiſſe, aut iteratum ab ipſamet *Concordia* Criobolium, quaſi *Secunda vice* indicare videatur: Sed illud *Cimbaliaco Secundo* in *Cimbaliaca Secunda*, quæ item ad ipſam Concordiam, ejuſque munus deſignandum pertineret, veroſimilius emendandum cenſui: Et ſane Cymbala inter Matris Deûm inſignia fuiſſe conſtat: In ſuis enim Simulacris Cymbala manu geſtare effingitur, cujus rei cauſam aperit Servius, qui ad illud Virgilii (*a*)

Tinnituſque cie, & Matris quate Cymbala circum.

quæ (inquit) *in ejus tutela ſunt, ideoque quod ſimilia Hemyciclis Cœli, quibus cingitur Terra, quæ eſt Mater Deorum*. Habes jam veterum Cymbalorum formam, quæ ex aere conſtabat. Hinc Propertius (*b*)

Qua numeroſa fides, quaque aera rotunda Cybelles:

Bina igitur ex ære erant formâ rotundâ, ac concavâ, quæ dum invicem colliderentur, tinnitum edebant, quod tradit etiam S. Auguſtinus in Pſalm. cxxx. *Cymbala invicem ſe tangunt, ut ſonent; ideo a quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt* (*c*): Ex eo itaque, quod Cymbala Matris Deum inſignia eſſent, antiquus obtinuit ritus, ut in ejus ſacris celebrandis Cymbala adhiberentur, quæ Miniſtri aliqui ad rem delecti pulſarent: notum id ex Apulejo (*d*), aliiſque, quos laudat Voſſius (*e*). Quid igitur? Ad eorum numerum, qui in Matris Deum ſacris Cymbala pulſandi munere fungerentur, Concordia recte poteſt referri, unde Cymbaliaca in Lapide appelletur, vel ſi malis Cymbaliſtria, qualis rectiore vocabulo dicenda eſſet. *Cymbaliaca* autem *ſecunda*, quod, ni fallor, in Cymbaliſtriarum Choro ſecundas partes agebat Hiſtrionum more, quorum alii primas, alii ſecundas agere dicebantur. Haud vero ſatis Concordiæ fuerat Taurobolium feciſſe, ſed amplius, ut celebriorem rem ipſam efficeret IVSSV MATRIS DEVM Sacrum egiſſe lineâ undecimâ teſtata eſt. Solenne fuit Ethnicis, cum Sacrum aliquod perageretur, vel quodpiam Religioſum opus dedicaretur, tum ad augendam apud præſentes Religionem, tum ad conciliandam ejus rei fidem, ac dignitatem, quæ publico monumento conſignabatur, captandamque ſui reverentiam, illam cujuſpiam Numinis juſſu geſtam deprædicare; quod tum in aliis paſſim vetuſtis Lapidibus, tum præſertim in Taurobolicis ad magnificandam ejus ſacri Religionem ſæpius uſurpabatur. Sic in Lugdunenſi Lapide Taurobolium illud *ex Imperio Matris Deum* factum dicitur: apud Fleetwodum pag. 12. num. 1. Taurobolium acceptum quoque dicitur *ex Vaticinatione Puſoni Juliani Archigalli*.

Pergit lapis nobis indicare, quid præſertim a *Concordia* juſſu Matris Deum geſtum ſit; videlicet IN ARA TAUROBOLICA DUODENA CUM VITULA CREM ideſt *Cremavit*, ſive thus, ſive potius Arietem ipſum, quo Criobolium perfecerat, quod promptum eſt; illud autem non ſatis obvium, quænam fuerit Ara illa *Taurobolica Duodena*: Simile quid invenio in Gruteriano lapide paulo ante indicato ex pag. 28. num. 5. ubi Cejonius Rufius Voluſianus: *Ex perceptis Tauroboliis VI. Aram conſtituiſſe* dicitur: Ex quibus quidem verbis, nullimode ſequitur uno eodemque tempore ſex ſimul Aras a Voluſiano fuiſſe conſtitutas, quod alioqui per *Sex*, aut *Senas Aras* dicendum omnino fuiſſet, ſed *Sextam*, ſeu VI. Aram ita in eo Lapide accipiendam cenſeo, ut eam ſexto jam demum loco, atque tempore poſt quinque alias ab aliis antea, ac diverſo tempore Tauroboliatis erectas fuerit conſtituta; quo ſane modo *Ara duodena* in noſtro Lapide intelligenda videtur, adeout iis numerus non ad aras a Concordia in ſuo Criobolio, peculiari aliquo ejus Sacri ritu, ſimul conſtitutas referri debeat, ſed id tantum indicat, undecim, ante Concordiæ Criobolium, extitiſſe jam aras, quas quiſque ſuas pro anteactis Crioboliis, aut Tauroboliis erexerat. Sic apud Reineſium Cl. I. n. 42. *Æmilia Serapias* poſt factum Taurobolium, *Petram Taurobolicam poſuiſſe* dicitur, ideſt Lapidem ipſum inſcriptum, futurum Poſteritati omni percepti Tauroblii monumentum. In

[*a*] Georgic. IV. 64.

[*b*] IV. 7. 61.

(*c*) De veterum Cymbalis poſt Pignorium, Rubenium, Sponium, Tillium, Perizonium, Lampium, Rhodium, alioſque præclare agit Zornius Opuſc. Sacr. tom. 1. c. 8. §. 4. ubi egregiam Commentationem inſtituit de uſu æreorum Tripodum, & Cymbalorum in Sacris Græcorum ad ſingularem verborum S. Pauli explicationem in 1. Corinth. XIII. 1.

[*d*] Metamorph. VIII.

(*e*) De Idololatr. l. 2. c. 53., & c. 56.

Digitized by Google

In ea autem Ara Duodena Concordia *eum Vitula cremavit*, ideſt cum Vitulatione: *Vitulationem* enim Sacrorum verbum fuiſſe conſtat, quod in ſolennioribus, lætiſſimiſque Sacrificiis teſte Macrobio (*a*) uſurpabatur. A vitulis ſane vox probe deſumpta, quorum præ aliis, ſaltibus, voce, aliiſque corporis motibus laſcivior in pratis lætitiam; quod jam docuit Feſtus, qui *Vitulantem* eum appellari vult, qui ſit *lætus gaudio, ut prato vitulus*, atque ad denotandam ſummam illam, quæ ex Taurobolio conſequebatur, lætitia, opportune ſatis *Vitulationis* vocabulum uſurpatum videtur: Si tamen ea dictio completa ſtatui velit, jam illud ſequitur, *Concordiam cum Vitula cremaſſe*, minus probe quidem, ſed quod idem ſignificat; *vitula feciſſe*, ut olim optimis Scriptoribus mos fuit (*b*).

At miſſo jam demum Taurobolio, ad alios ſuperſtitioſos ritus veniamus, quos non ut antea in Libertinæ conditionis muliere, ſed quod mirum ſit, in ingenua, ac planè clariſſima Romana Matrona inſpexiſſe erit. Nihil certe ex aliis hiſce ritibus ad veteres Beneventanos; ſed cum hi Lapidem in ſua Urbe dicaverint, ſatis eoſdem ritus probaſſe videntur. Lapis igitur ſic ſe habet.

FABIAE . ACONIAE . PAVLLINAE . C. F
FILIAE . ACONIS . CATVLINI . V. C
EX . PRAEF. ET . CONSVLIS . ORDIN
VXORI . VETTI . PRAETEXTATI . V. C
PRAEF. ET . CONSVLIS . DESIGNATI
SACRATAE . APVD . ELEVSINAM
DEO . BACCHO . CERERI . ET . CORAE
SACRATAE . APVD . LAERNAM . DEO
LIBERO . ET . CERERI . ET . CORAE
SACRATAE . APVD . AEGINAM
DEABVS . TAVROBOLITAE . ISIACAE
HIEROPHANTRIAE . DEAE . HECATAE
GRAECO SACRATAE DEAE CERERIS

Binos iiſdem verbis conceptos Lapides exhibet Gruterus (*c*), quorum alterum Romæ, alterum Beneventi extare notat: An igitur Beneventanos, cum hanc illuſtrem fœminam publico honoris monumento ornandam conſtituerint, Romani Lapidis verba deſcripſiſſe putabimus? At non geminum, ſed ſingularem eum Lapidem fuiſſe crediderim, quem etiam veroſimilius mihi fit, Beneventi extitiſſe. Et ſane ſi antiquiores veterum Inſcriptionum Collectores conſulamus, præter Manutium, qui Ortogr. v. Paullus n. 6. ſine ulla loci adnotatione eundem Lapidem affert, certe ex Libro *Antiq. Europ. Inſcr.* p. 153. n. 5. non alibi quam Beneventi extantem vulgavit Alex. Niger apud Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. v. c. 13. p. 278. ibidemque, nulla alterius Romani Lapidis mentione facta, poſitum agnovit Fleetwoodus p. 131. n. 3. Ex toties autem repetita hujus Lapidis editione id, quod plerumque aſſolet, factum fuit, ut plures nempe in ejus verba errores irrepſerint, & quod magis eſt, in exemplaribus fere omnibus, quæ circumferuntur, ut Gruteriano, Manutiano, Fleetwoodiano, aliiſque, poſtrema linea auctior vulgatus fuit contra ipſius Lapidis fidem, quam ex noſtratum ſchedis reſtituere aggrediar.

Fabia igitur Aconia Paulina (ut a perſonis ordiar, quæ in Lapide memorantur) appellatur primum C. F. ideſt *Caj Filia*, ac mox iterum *Filia Aconis Catullini*, ita ut bis ejuſdem Filia dicatur, ſemel poſt Patris prænomen, ſervato veterum more (unde ipſius Catullini prænomen, quod a Faſtis abeſt, ex noſtro Lapide noviſſe datur) mox rurſus dicitur *Filia Aconis Catulini &c.* Raro quidem exemplo, quod ſequiori ætate invenire tantùm erit; cujus etiam eam fuiſſe cauſam

[*a*] Saturnal. l. 3. 2. *Vitulari dicit, ideſt voce lætari Varro enim in lib.* XV. *Rerum Divinarum ita refert, quod Pontifex in Sacris quibuſdam vitulari ſoleat.*

(*b*) Virgil. Ecl. 3. 37. *Cum faciam Vitula pro frugibus ipſe venito*: ubi Servius i. e. *Cum ſacrificavero, & figurate cum faciam Vitula*, ait, *ut faciam Thure, ut faciam Agna*. Horatius, *ſeu poſcat Agna, ſeu malit Haedo*.

[*c*] Pag. 309. n. 2. & 3.

Digitized by Google

ſam crediderim, quod, cum paterna decora, quæ Aconiæ Filiæ novum decus addere videbantur, recenſeri in Lapide conſilium fuiſſet, iterum Aconis, ut hujus demum munera poſt proprium nomen adjicerentur, dicta fuit Filia: Aconis autem munera ad Urbanam Præfecturam, & Conſulatum redeunt, ſumma quidem Dignitatum faſtigia, quæ privatorum meritis, votiſque contingere unquam poſſent. Quod vero ad Aconiæ virum attinet, Vettium nempe Prætextatum, iiſdem quoque muneribus illuſtrem fuiſſe patet, in quibus obeundis Aconem Socerum proxime ſibi deceſſorem habuit, nam ſicuti Aconi ex Præfecto Præfectus mox ipſe ſucceſſit, ita cum Aco ordinarium gereret Conſulatum, ipſe jam ad eandem Dignitatem deſignatus in Lapide memoratur: Cum vero poſt ann. 349. quo Aco Catulinus Conſul proceſſit, Vettius hic (nam alios Vettios ſecundo, tertiove Seculo floruiſſe conſtat) vixiſſe debuit, mirari adhuc ſubit, ſummos Reip. honores in Ethnicum hominem tam liberaliter collatos: eſt apud Gruterum p. 1102. n. 2. de hoc Vettio Lapis Valentiniano Aug., & Eutropio Coſ. ideſt ann. 387. dicatus, in cujus area omnia tum Sacra, tum Civilia illius munera diſtincte inſcribuntur; nam ex uno latere *Sacra* recenſentur, quibus ex altero *Civilia* reſpondent. Quæ ad rem attinet referre ſatis erit.

VETTIO AGORIO	PRAETEXTATO V. C
PONTIFICI VESTAE	*Heic contrà munera*
PONTIFICI SOLI	*civilia recenſentur*
QVINDECIMVIRO	
AVGVRI	
TAVROBOLIATO	
CVRIALI	
NEOCORO	
HIEROPHANTAE	
PATRI SACRORVM	

Dignus plane Vir, qui ſuperſtitioſiorem fortaſſe Conjugem ſortiretur, aut efficeret, qualem Aconiam Paulinam ex noſtro Lapide fuiſſe conſtat.

Aliquas noſtri Lapidis partes parum feliciter interpretati olim fuere Gutherius *De Vet. Jur. Pont.* l. 4. cap. 19., & Joſ. Scaliger in Indice Gruteriano, quorum ſphalmata cum jam detexerit, ac ſimul emendaverit doctiſſimus Grævius in Prolegom. Tom. V. *Antiq. Rom.*, adeo libenter viro ſummo ſuam integre manere laudem volo, ut ipſa ejus verba heic recitare decreverim: Ex noſtro igitur Lapide hæc ſibi accepit Gutherius.

APVD AEGINAM DEABVS TAVROBOLITAE ISI
ACAE HIEROPHANTRIAE DEAE HECBTAE
GRAECO SACRANEAE DEAE CERERIS

Sed audiamus Grævium: *aut Tauroboliatæ ſcribendum eſt, ut & in præcedente, aut pro Taurobolitæ eſt poſitum, quod rarius: Quid magno* (Scaligero) *Indicis Inſcriptionum Gruterii in mente fuerit, cum ex hoc titulo Taurobolitam Deam eſſe ſtatuat: Sic enim in illo habetur. Taurobolita Dea 309. 2., & Iſiaca Taurobolita 309. Cum revera Iſiaca, & Taurobolita dicatur Fabia Aconia Paulina: Iſiaca, quia erat Iſidi Conſecrata (a), Taurobolita vero, quia in Taurobolii Sacro erat initiata. Neſcio quid viderit Gutherius, quum ipſa Inſcriptione doceri ait, ut modo monebamus, Matri magnæ Dianæ hæc Sacra facta eſſe, quæ tribus nominibus celebrata, triplexque Taurobolium illi uno, eodemque Sacro fieri conſueto apud Æginam: Hæc nemo intelligit, quid ſibi velint. Unum erat Taurobolium, quod ubi acceperit, nec hæc, nec præcedens*

(a) Quod ſcilicet Iſidis Sacerdotio initiata fuerit: notum illud Domitiani ex Svetonio c. 1. quod nempe is in Bello Vitelliano, ut necem ſibi paratam vitaret: *mane Iſiaci celatus habitu, interque Sacrificulos vanæ ſuperſtitionis ita latuit, ut deprehendi non potuerit*: unde etiam diſcimus proprias Iſiacis, de quorum corpore Aconia erat, fuiſſe veſtes, & quidem, quæ non ſolum nota aliqua inſignes, ſed quæ totum corpus, & præcipue caput obnuberent, ut ſic Domitianus ſe ipſum celare poſſet; quas etiam non ſolum dum ſacra Iſidis operarentur, ſed adhuc continuas adhibere Iſiaci ſolerent.

Digitized by Google

præcedens tertia (*a*) *significat*; *sed hæc docet*, *Aconiam sacratam fuisse Deo Jaccho*, *Cereri*, *& Coræ*, *i. e. Proserpinæ* (*b*) *apud Eleusinam*, *dein eandem sacratam apud Æginam* DEABUS, *quæ nullæ aliæ sunt*, *quam Mater cum Filia*, *Ceres*, *& Proserpina*: *Præterea Aconiam fuisse Taurobolitam*, *fuisse Isiacam*, *fuisse Hierophantriam Deæ Hecatæ*; *sic enim legendum*, *ut in præcedente* (*c*) *non Hecate*, *ut perperam editur*, *fuisse sacraneam Deæ Cereris* (*d*). *Illud* GRAECO, *quod interponitur*, *quid sit non intelligo*; *hinc in tertio* (*Lapide n.* 3.) GRÆCO *punctis subscriptis notatum est*, *tanquam suppositum verbum*, *nisi forte dicas subaudiri*, *vel excidisse* (*nam in tertio habetur lacuna*) GRAECO RITV *consecranea Cereris*, *non Asiatico*: *non miraberis eisdem Deabus sacratam esse Aconiam apud Æginam*, *quibus sacrata fuit apud Eleusinam*, *cum in tertia tertius locus commemoretur*, *ubi iisdem Deabus fuit sacrata*, *ut & Baccho*: *hæc enim ibi leguntur*

SACRATAE APVD LAERNAM DEO LIBERO ET CERERI ET CORAE

Ut diversis in locis diversis ritibus initiatæ se devoverint cultui eorundem numinum; *quod & ostendunt ultima verba utriusque Inscriptionis*, *ubi repetitur* Consecranea Deæ Cereris, *ut legitur in hac tertia* Sacratæ Deæ Cereris: *Cum tamen jam antea bis in illa dictum sit eam Cereri fuisse Sacratam*, *& in Eleusina*,

N

(*a*) Intellige Inscriptionem apud Gruter. ead. p. 309. n. 3. quam Beneventi extantem Gruterus affert, nam quæ n. 2. iisdem licet verbis, Romæ tribuit, ut superius notavi. Itaque pro *præcedens* volebat Grævius scribere *sequens*, qui nondum strictim, sed etiam obscure, ut vides, in omnibus se habet. In Scaligeri errorem lapsus olim fuerat Jul. Cæs. Capacius *Antiq. & Histor. Neapolit.* c. xv. edit. latin. Lugd. Bat. an. 1723. quam curavit Petrus Burmannus Tom. 9. p. 2. ubi sic ait: *Taurobolitam quoque Deam cum Isiaca conjunctam in antiquo Lapide Beneventi legimus*. At nugæ sunt.

(*b*) Nam Proserpina græce Κόρη, ut observat Fleetwood, ad nostrum Lapidem dicta p. 131. n. 3. Coram vero Κατ' ἐξοχὴν appellatam Proserpinam ex græco Κόρη, quod significat *Filia* observavit in extrema, quæ affert nostri Lapidis verba D. De Boze Regalis Academiæ Socius *Memoire de Litterature* tom. 6. fol. 445. edit. Amstelod. 1731. Veteres Siciliæ nummi, in qua Proserpinæ raptus accidisse traditur, eandem passim exhibent cum nomine Κόρη, aut Κόρα: quod postremum Latinitate jam donatum in nostro Lapide habemus.

[*c*] Nempe in Romana Inscriptione, quæ exhibetur num. 2.

[*d*] Ter Cereris mysteriis initiatam Aconiam memorat Lapis, diversis tamen in locis, ubi separatim ex veteri instituto, peculiarique cultu Sacra Cereris peragebantur; nempe apud Eleusin, Æginam, & Laernam, ut ex Lapide manifestum patet. Celeberrimum fuisse in Græcia Cereris cultum, vel ex hoc uno patere posset, quod tribus in locis, iisque Græciæ insignioribus ejus Sacra, initiationesque summa Religione celebrari solerent. Sed & apud Romanos vetustissimum, ut Cereri initiarentur, fuisse morem diserte tradit Cic. de Leg. l. 2. c. xiv. ubi hæc leguntur: *Neve quem initianto*, *nisi*, *ut assolet*, *Cereri*, *græco sacro*; unde & illud quoque certo scimus, non solum ex Græcia, ut superstitiones fere omnes, ita hanc quoque in Urbem permeasse, verum etiam ejus Sacra nonnisi eodem græco ritu recepta, ac servata: Ejusmodi ritum ex parte nobis aperit Lactant. D. I. l. 1. c. 21. ubi postquam Osiridis sacra recensuisset: *Sacra* (inquit) *Cereris Eleusinæ non sunt his dissimilia*, *nam sicut ibi Osiris puer planctu Matris inquiritur*, *ita hic ad incestum Patrui Matrimonium rapta Proserpina*, *quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur*, *idcirco Sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur*. Sed & illud Sacrorum Cereris peculiare, ut eadem per feminas Sacerdotes curarentur: Hinc Servius ad Æneid. IV. 99. nobilissimas Athenienſium Virgines Eleusinæ Cereri Sacra fecisse notavit; quod idem Romæ obtinuisse docent antiqui Lapides apud Gruter. p. 308. 4. *Casponia P. F. Maxima Sacerdos Cereris publica Populi Romani*, ubi notandum, quod Casponia isthæc non solum in Sacris Cereris publico Sacerdotii munere fungebatur; sed inter Sacerdotes reliquas *Maxima* (quod non Casponiæ cognomen, ut falsò ibi notatum lego) fuisse dicatur; ut inde accipiamus quanti Cereris Religio Romæ haberetur, dum in ejus Sacerdotio Sacerdos Maxima ad instar Pontificis Maximi constituta fuerit. Item pag. 1065. *Claudia Craita Macesteri sui Cereri Sanctissimæ DD.*, ubi illud Macesteri corrupte pro Magisteri Sacerdotium ipsum non insueto vocabulo significat: quo quidem sui Magisterii, seu Sacerdotii tempore aliquod signum tamquam gestæ Dignitatis perpetuum posteris monimentum a Claudia Cereri dicatum Lapis indicat. Sic etiam apud Fabrett. Inscript. c. 4. f. 342. n. 524. *Flaviæ Aunniæ*: *Sacerdoti Cereris*: *Ob honorem*: *Cæremoniorum*: *Honestissime prebitorum*: *Decreto Ordinis*, ubi vides Senatum, seu Decuriones (nam ambo Ordinis vocabulo æque intelligi possunt) eum Lapidem Flaviæ Sacerdoti Cereris publice decrevisse, quod ea Sacrorum Cereris Cæremonias honestissime curasset: Hinc haud mirum, dum Aconia, quæ non majorum solum imaginibus, sed etiam Patris, Virique Præfecturis, ac Consulatibus præfulgebat, se quoque Cereri Sacratam voluerit, interque ejus Numinis Sacerdotes recenseri.

Hactenus de Cerere, ejusque filia Proserpina. At quid cum illis Bacchus? Præter nostrum Lapidem etiam Pausanias in Atticis tradit, Eleusi insigne Templum fuisse Cereri Sacrum, ubi præter ipsius Cereris, ejusque Filiæ Proserpinæ Simulacra etiam tertium Bacchi, quem Jacchum appellat, Simulacrum communi cultu sociatum fuisse affirmat: quod apud Lærnam quoque ita fuisse ex eodem nostro Lapide discimus. Itaque cum de re satis constet, ratio quoque quærenda est, quam facile ex Virgilio, ejusque interprete Servio excipiemus. Sanè Servius ad illa verba Eclog. v. vers. 79. *Ut Bacebo*, *Cereri-*

Digitized by Google

nà, & apud Lernam, ubi erant quoque initia Laernæa, quorum meminit Pauſanias in Corinthiacis æque ut Eleuſina in Attica. Hactenus Grævius, cujus breves, nec ſatis perſpicuas in noſtrum Lapidem obſervationes quum adjectis notis illuſtraverim, adhuc tamen quod ad poſtremam Lapidis lineam attinet, quandoquidem is acu rem non tetigerit, quid de ea linea ipſe ſentiam paucis aperiam. Poſtrema igitur Lapidis linea apud Gruter., Manut., Fleetwood., alioſque plures ita ſe habet: *Græco Sacratæ Deæ Cereris*: quæ cum explicanda Grævius ſuſcepiſſet, putavit primùm, illud *Græco* addititium eſſe, ejuſque rei conjecturam ſibi fecit ex punctis, quæ eidem dictioni in Gruteriano Lapide n. 2. ſubſcripta habentur: Dein cum poſt eandem dictionem *Græco* in eodem Lapide a Grut. repetito n. 3. lacunam eſſe animadverteret, putavit dictionem RITV in eadem lacuna ſupplendam eſſe: *niſi forte* (inquit) *dicas ſubaudiri, vel excidiſſe* (*nam in tertio habetur lacuna*) *Græco ritu Conſecraneæ Cereris, non Aſiatico*. Quis ritus iſte Aſiaticus unquam fuerit, atque unde illum acceperit Grævius, ignoro prorſus: Illud plane ſcio non alio, quam Græco Sacro, ſeu Ritu Cererem coli conſueſſe tàm apud Græcos, quam in ipſa Urbe Roma teſte, Cicerone l. l. Sed non adeo ſe Grævius torſiſſet, ſi, ut de prima dictione *Græco* ſuſpicatus fuit, reliquas etiam omnes ejuſdem poſtremæ lineæ dictiones, ut par erat, ſuppoſititias animadvertiſſet; quod uti factum ſit, jam dicam. Habuit fortaſſe ejus Lapidis exemplum Vir quiſpiam doctus, qui cum extrema verba: *Hierophantriæ Deæ Hecatæ* haud facile legenti cuilibet intelligi poſſe videret, brevem illam explicationem, ſeu adnotatiunculam adjecit, ac primò per illud *Græco* id prænotare voluit, dictiones illas ex Græco idiomate derivatas, ſive latinis literis Græcam adhuc locutionem in iis ſervatam fuiſſe: Deinde explicationem aggreſſus ita reddidit: *Sacratæ Deæ Cereris*, in eo tantum falſus, quod Matrem pro Filia, ideſt Cererem pro Proſerpina, quæ Hecate eſt, accepiſſet. Nihil autem tam facile, quam ut Lapidis exemplum cum adnotatiuncula illa in ejus fine appoſita in aliorum manus pervenerit, qui, cum nihil tale ſuſpicari potuerint, Lapidis partem arbitrati, tamquam poſtrema ipſius verba cum antecedentibus annexa deinceps ediderunt; atque ita factum fuit, ut quæ e poſteriori manu adnotatiuncula dumtaxat enata, mox in ipſius Lapidis ſeriem, atque contextum irrepſerit. Ita quidem ſe res habuit, quam ſatis confirmant antiquiora, ac ſinceriora ejus Lapidis exempla non ſolum in noſtris Schedis antiquis exarata, ſed etiam edita a Malvaſia l. l., apud quem eadem poſtrema linea (quam propterea diverſis characteribus exprimendam curavi) omnino deeſt. At de Aconiæ Lapide, ſuperſtitioſiſque veterum Beneventanorum Ritibus, quod præſenti Capite mihi conſtitueram, hæc diſſeruiſſe ſatis habui.

CAPUT

Cererique. Hæc enim (ſubdit) *duo ſunt Numina, quæ & Ruſtici maxime colunt, & quorum numina communia ſunt mortalibus cunctis*, & rurſus, atque præclarius ad illam Virgilii invocationem, qua Georgicis initium dedit. *Liber, & alma Ceres*: *Simul*, inquit, *Liberum, & Cererem poſuit, quia iis Templa ſimul poſita ſunt, & ludi ſimul eduntur*. Pindarus in VII. Iſthmic. *Bacchum appellat* Πάρεδρον Δαμάτερος *i. e. Adſeſſorem Cereris*: nam vinum, cujus ipſe inventor, cum frumento, cujus cultum Ceres docuit, ſociari ſemper ſolet; utrique vero ad ſubſtentandam humanam vitam, ſatis opportuni, gratique ſemper habiti.

Ut autem omnia Aconiæ munera in ſumma perſtringamus, ter ipſa in tribus Græciæ locis Cereri, Proſerpinæ, & Bacchо Sacrata fuit; ad hæc Taurobolii Sacris initiata, dein in Corpore Iſiacarum adlecta, poſtremò vero Hierophantria Deæ Hecatæ in Lapide appellatur, de quo pauca obſervanda ſuperſunt. Varia pro Numinum diverſitate Sacerdotum fuiſſe nomina, eadem licet omnium munia plerumque eſſent, notat FleetWod. adnotat. ad Lap. Taurob. p. 17. n. 6. Sic *Archibuculus in Sacris Dei Liberi, Pater Sacrorum in Mithriacis, Tauroboliatus in Matris Deum, Hierophanta demum in Hecates Sacris*.

Ac quidem de Hierophanta id ſatis certum videri poteſt non ſolo Lapidum exemplo, ſed etiam frequenti Scriptorum uſu. Sic apud Scholiaſtem Theocriti Idil. II. *Apollodorus Athenis Hierophantem, cum Hecate invocatur, pulſare crepitaculum æneum*. Arnobius l. 5., ubi de Eleuſiniis Sacris agit, quæ, ut jam vidimus, Cereri, ejuſque Filiæ Proſerpinæ, ſivè Hecatæ, communia erant Eumolpi meminit; *a quo gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruerunt Hierophantæ*; unde non alii, quamquam Hecates nomen haud adjiceretur, Hierophantæ ſimpliciter appellati, intelligendi ſunt apud eundem Arnob. d. l. cum inter Caduceatores, & Præcones eos recenſet, iidemque accipiendi in l. 14. Cod. Theod. de Pagan Sacrif., ubi Impp. Arcad., & Honor.. *Privilegia ſi quæ conceſſa ſunt antiquo jure Sacerdotibus, Miniſtris, Præfectis, Hierophantis agrorum aboleri* mandant; ita ut Hierophanta, aut Hierophantes, græcum vocabulum latinitate donatum, quod *Sacrarum Cæremoniarum Magiſtrum, aut Interpretem* dixeris, de Hecates Sacerdote propriè diceretur.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM

In Veterem Inſcriptionem GENIO COLONIÆ BENEVENTANÆ *dedicatam Commentarius.*

GENIO
COLONIAE BENEVENTANAE
SEPEA . C. L. FIDELIS
SVA . PECVNIA . FECIT
LOCO D. D. D

ANtequam ab inſtituta Rerum Sacrarum tractatione manum ſubmoveam, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi Auctarii loco (quod earum rerum faſtidioſis, aut minus cupidis non injucundum fortaſſe erit) hunc præclarum Lapidem peculiari commentario illuſtrandum ſuſcipiam : neque enim me patrias Antiquitates exornantem pigere debuit, de Beneventanæ Coloniæ Genio diſſeruiſſe, cujus olim religio tanti habita, ut apud externos, ultraque Beneventani Territorii fines celebrari ſoleret : Lapis in Urbe Ariano proſtat in ſtatuariæ Baſis formam, quæ Genii ſignum olim impoſitum oſtendit : Jam vero de Geniis aliqua præfari libet, quæ excellentiorem eruditionem nondum aliis (*a*) obſervatam continebunt, ut (quod mihi ſuperiori capite conſtituerim) ex iiſdem tandem Geniis, unde recentium ſuperſtitionum cauſa promanaſſe videtur, vulgi rumorem, quo Beneventanorum nomini infamia creari conſuevit, manifeſtæ falſitatis convincam.

Genios, vel quos novo vocabulo (ut Cicero notavit (*b*)) *Deos Genitales* appellare mos fuit, in Deorum cenſum non Poetarum commenta, adulantium impudentia, aut vulgi inſania, ſed Sapientum omnium, quos antiqua Gentilitas jactat, conſenſus invexit : Præclara illa ſunt, quæ habet Plato in Sympoſio (*c*), ubi cum Socratem adduxiſſet Dictimam interrogantem, cujuſnam naturæ Amor eſſet, quem inter mortale, & immortale medium jam illa dixerat,

[*a*] De Geniis poſt Lipſium Phyſiolog. Stoic. L. 1. Diſſert. 19. 20. & 21. diſſeruit Fabrettus Inſcr. antiq. c. 2. p. 72.: Eidem materiæ pleraque ſelecta adſtruxit Vir doctiſſimus ac penitioris Antiquitatis eximius illuſtrator Jo. Bapt. Paſſerius in Diſſert. *de Genio Domeſtico*, & rurſus in Diſſert. *Acheronticus* poſt monumenta *Etruſ. Muſ. Guarnac. edita a V. C. Gorio Florentiæ* 1744. Rem totam confeciſſe conatus eſt nuper eruditus Jo. Franc. Madriſius Oratorii Presbyter : *Lezione ſopra i Genj* : *Miſcellanea di varie operette Tom.* VII. *Venetiis* 1743. ; quæ cum omnium manibus teratur, mox cuique obſervationes meas adhuc lecturo compertum faciet, quid tandem a me in eadem materia præſtitum modo ſit.

(*b*) De Orator. l. 3. c. 28. : *Sæpe*, inquit, *ſine conjunctione verba novantur, ut ille Genius, ut Dii Genitales* &c. ut facile ſit, non ante Ennium ejuſmodi vocabulum Latio invectum, ipſumque Ennium ab Cicerone ejus vocabuli, & aliorum, quæ ibi recenſet auctorem agnoſci ; occurrit enim in ejuſdem Ennii verſu, quem recitat Servius Æn. VI. 764.

Romulus in Cœlo cum Dis Genialibus ævum
Degit .....

quæ licet ita ſint, importunam tamen cenſebimus Urſini emendationem in altero Ciceronis loco Orat. pro Cluent. c. 14. ubi *Genialem lectum* in *Genitalem* vertit, uti Ciceronem ſcripſiſſe credit, ac præterea Horatium ep. 1., idque perſuaſum ſibi habet ex nummo Criſpinæ Commodi, in quo lectus, ſeu ara effingitur cum inſcriptione : DIS GENITALIBVS : Nam *Geniale* recte adjicitur rebus iis ad Genios quoquo modo pertinentibus, quibus tamen non, ut Geniis ipſis, ſuapte natura generandi vis ineſſe putabatur, quæ ſolis Geniis tribuebatur: Hi itaque ſoli *Genitales* erant, quorum naturam, & munus ita deſcribit Cenſorinus De Die Natal. c. 3. *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit, ſive ut genamur curat, ſive quod una genitur nobiſcum, ſive quod nos genitos ſuſcipit ac tuetur, cereve a gignendo Genius appellatur*: ubi vide Lindenbrogium, & Barthium.

(*c*) Socrati interroganti ita Dictima reſpondet : *Magnus o Socrates, Dæmon* : *omnis enim Dæmonum natura inter Deum, & mortale eſt intermedia* : *Ecquam vero, inquam, illa vim habet ? Interpretis & Portitoris quaſi munere fungitur, ut res humanas ad Deos, divinas ad homines tranſmittat* : *Horum quidem preces & ſacrificia, illorum præcepta, & ſacrificiorum remunerationes, & præmia. Ipſe enim in medio ſit, utrumque omnino complet, ut univerſum ipſum cum ſeipſo hujuſmodi vinculo connectatur* : *Hujus Dæmonum naturæ ductu, & auſpiciis omnis divinatrix progreditur, & omnis ſacrificiorum vis, & procuratio, quantum videlicet vel in ſacrificiis, vel expiationibus, vel incantationibus verſatur, denique quantum ad omnem divinationem, præſtigiarumque molitionem*

Digitized by Google

rat, in Dictimæ reſponſione copioſe ſatis ac luculenter cujuſdam, quem omnino eſſe docebat, magni Genii naturam, ac munera declarat: In hoc autem Platonis Genio, quem, ut notat Lactantius (a), δαιμονιάρχην Triſmegiſtus vocabat, facile deprehendi poſſe opinatur Jacobus Bruckerus (b) arcanum illud futuri Meſſiæ, qui utrâque conſtans naturâ, Dei propterea Hominumque mediator conſtituendus aliquando eſſet; quam quidem eventuræ rei veritatem cum ex ſapientiorum Hebræorum conſuetudine Plato didiciſſet, ita, ut ſuperius audivimus, interpolatam, in ſua dogmata retulit: ſed de hac re mox videbimus.

Illud tamen certum conſtat huic Platonis doctrinæ plura ejus ſcholæ ſectatores ex proprio ingenio addidiſſe: nam innumerabiles alios commenti ſunt Genios, quibus eandem mediam inter Cælum, & Terram regionem incolentibus, in idemque magni illius Genii munus adminiſtris adſcitis; ſingulorum hominum locorumque curam, atque tutelam attribuerunt: Itaque Genii non ſolum mediam inter Deos, Homineſque Sedem, ſed etiam Naturam fuiſſe arbitrabantur, itaut cum Divinam non omnino attigerent, Humanâ tamen excellentiores putarentur, *Medioxumi* proinde appellati: De eorum munere plurima ex Platonicorum placitis congeſſit Rhodiginus (c), quorum ſumma eò redit, ut nempe animis omnibus in vitalem hanc lucem prodeuntibus ſuus cuique detur Dæmon, qui ſit actionum omnium, ipſarumque mentis cogitationum inſpector: Is vero religioſum ſibi cultum impendentibus per ſomnia aliave ſigna, mala averruncando, bona inferendo, præſentem utique opem ferens, preces, & vota Deo exhiberet, cui demum, animis corporis nexu exolutis, anteactæ vitæ opera judicanti teſtis aſſiſteret. In his igitur Platonicorum Geniis, veriſimile magis, quam quod de ipſo Platonis Dæmoniarcha opinabatur Bruckerus, Chriſtianæ Religionis dogma de Cuſtodibus Angelis agnoſcere erit. Scimus enim, quæ poſt ortam Chriſtianam Religionem (non enim antiquiora tempora moror) fuerit Platonicorum æmulatio: De Plotino, ac Porphirio ſatis conſtat: Sed infeſtiores Platonici illi, qui tum alibi, tum præſertim Alexandriæ ejus Philoſophi doctrinam ſectari profitebantur: Ut enim Chriſtianæ Religionis dignitati detraherent, ſupervacuam illam dictitabant, quæ nihil traderet, quod non antea Plato docuiſſet: quod ut oſtenderent, plura ejus libris aſſuerunt, quæ vel a Chriſtianis certa fide teneri, ſervarique, vel divinis Scripturis contineri noverant: quæ tamen res nullo adverſus Chriſtianam Religionem ſucceſſu, in ipſius potius Platonis injuriam ceſſit, cujus genuina opera ea de cauſa ſunt nobis modo deſideranda.

Sed ut ad Platonem redeam, non is certe ſui magni Genii doctrinam ex Socratis præceptis duntaxat hauſit, ſed ſui quoque præceptoris experimento probatam accepiſſe videtur: Etenim Deus ille, quem Socrates aſſiduum ſibi Comitem adeſſe jactabat, non alius, quam ejus fuiſſe Genius putabatur, quem tanti poſtmodum ſapientiores viri fecerunt, ut plura de illo Plutarchus, integrum etiam opus Apulejus conſcripſerit: At quæ olim ejus rei fides extiterit, ex Cicerone (d) colligi poteſt, qui de Socratis Dæmonio (ut appellat) multa affert exempla, quæ vehementem Commenti ſuſpicionem inducunt: Id enim emunctæ naris ſapientibus Ethnicis perſuaſum plerunque erat, ejuſmodi Deorum cum Hominibus conſuetudines a præclaris Viris ſimulari, atque in vulgus effundi conſueſſe, ut ſibi, ſuiſque dictis divinam è cælo auctoritatem conciliarent: Id quod de Numæ cum Ægeria collocutionibus idem Cicero fidenter pronunciat (e) quas inter Poeticas Fabulas rejiciendas omnino cenſet; Quanquam verum id eſſe potuit, ut Socrates Dæmonem aliquem ſibi aſſidue illudentem, Deo permittente, habuerit, quod tum aliis, tum præſertim S. Auguſtino (f) probatum videtur, atque exinde ſuum Plato Dæmoniarcham, ſuos demum Dæmones, ſeu Genios Platonici conſtituerint.

Sed

tionem refertur: Deus autem cum homine non miſcetur, ſed per hanc Dæmonum naturam commercium omne, atque colloquium inter Deos, Homineſque conficitur, & vigilantibus nobis, & dormientibus. Editionis Græcolat. Henr. Stephani 1578.

(a) Div. Inſt. l. 2. c. 14.

(b) Hiſt. Crit. Philoſ. Diſſert. Prælim. Lipſiæ 1742.

(c) Lection. Antiquar. lib. 1. c. 31. Baſileæ 1507.

[d] De Divinatione. lib. 1. cap. 54.

[e] De legibus lib. 1. cap. 1.

(f) De Civ. Dei l. VIIII. c. 14.: *Non eſt*, inquit, *Socrati amicitia Dæmonis gratulanda, de qua uſque adeo & ipſe Apulejus erubuit, ut de Deo Socratis prænotaret librum, quem ſecundum ſuam diſputationem, qua Deus a Dæmonibus tam diligenter, copioſeque diſtinxit, non appellare de Deo, ſed de Dæmone Socratis debuit: maluit tamen hoc in ipſa diſputatione, quam in titulo libri ponere: Ita enim per ſanam doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes, vel pene omnes Dæmonum nomen exhorrent, ut quiſquis ante diſputationem Apulei, qua Dæmonum dignitas commendatur, titulum Libri De Dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem ſanum fuiſſe ſentiret*: & ſane licet Dæmonis nomen, ſpectata origine non honeſtum modo, ſed magnificum plane eſſet, unde ſummi honoris cauſa Ariſtoteli inditum fuit, poſtea vero, cum ejuſdem naturæ ſpiritus aliqui omnino improbi comper-

Digitized by Google

Sed neque alia, ut de Platonicis modo vidimus, Stoicorum de Geniis fides, atque doctrina: *Unicuique noſtrum* [ajebat Seneca epiſt. 110.] *Pædagogum dari Deum; non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait*: De Plebe Deos: *Ita tamen hoc ſeponas velim, ut memineris Majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe; ſingulis enim & Genium, & Junonem dederunt*: ut jam videas inſanum illud ipſi quoque Senecæ fuiſſe probatum, ut in innumerabili illo, pro hominum multitudine, Geniorum Cenſu, diverſus etiam, pro utroque humano ſexu, Geniorum ſexus diſtingueretur, itaut (quod paſſim omnibus erat perſuaſum (*a*)) ad viros Genii, Junones ad mulieres pertinerent.

Præter verò infinitum numerum, diverſumque Geniorum ſexum, in iis etiam alium alio præſtantiorem Ethnici agnoſcebant: Cumque unicuique hominum ſuum Genium attribuerent, jam non eos temerè, aut indiſcriminatim ad ſingulorum tutelam dari, ſed, qui excellentiores eſſent, ſummis item viris cuſtodes delectos arbitrabantur: Hanc Geniorum differentiam probavit Plutarchus (*b*) qui, *ut inter homines, ita etiam inter Genios gradus eſſe, & diſcrimina virtutis, & naturæ affirmavit*: quod ex ipſomet (*c*), qui rei exemplum alibi narravit, confirmaſſe præſtat: Tradit enim, M. Antonium, & Auguſtum, dum amicitia vigebat, otiumque ſuppeteret, diverſis inter ſe luſibus tranſmittere tempus ſolitos: Verum in iis cum ſemper victus abiret Antonius, quidam apud eum divinandi peritiâ clarus, ita ſubmonuit: *Antoni quidnam tibi cum Adoleſcente iſto? refuge ipſum, & vita: tu quidem illuſtrior es, natu item grandior, ſed pluries quoque Imperator: ſed neſcio, quo pacto hujus ipſius Dæmonem Dæmon reformidat tuus*: Utrique autem proprium Dæmonem, ſeu Genium adſiſtentem Vates ille ſignificabat, ſed Auguſti potentiorem præſtantioremque eſſe, cui, ut eventus probavit, Antonii Genius aliquando concedere debuiſſet: Hinc jam orta cum ipſo Principatu peculiaris illa erga Genios Principum veneratio, de qua cum nihil hactenus accuratè obſervatum fuerit, paulo copioſiùs mihi erit differendum.

Ac primùm non ſatis conſtat, an hujuſmodi Genio numen illud, quod cuique mortalium dari ſoleret, excellentioris tamen virtutis, ut ſuperius notavi, Principi adſiſtens, vel ipſo Principis animus ſignificaretur: Poſteriorem ſententiam tenuit Apulejus, qui animum humanum adhuc in corpore poſitum ſatis propriè Dæmonem, i. e. Genium nuncupari poſſe docuit: Id etiam a S. Auguſtino affirmari putat Fabrettus, qui poſtquam Apuleii verba recitaſſet: *Conformia* (inquit) *ſunt prædictis S. Auguſtini verba lib. 7. De Civit. Dei c. 13. Genius eſt uniuſcujuſque animus rationalis*: Sed Vir doctus longè fallitur, qui aut nunquam, aut oſcitanter S. Auguſtini locum legiſſe videtur; etenim non eſſe Auguſtini verba ſatis liquet, ſed ejuſdem Apuleii, quæ,

comperti eſſent, jam iis ſenſim Dæmonum appellatio duntaxat adhæſit: De Chriſtianis omnibus id omnino certum, apud quos ejuſmodi nominis ſignificatio ex divinis libris nota erat, ubi in malum ſemper ſenſum uſurpatum notarunt Euſeb. Præp. Evang. l. 4. c. 5. & Origen. contr. Celſ. l. 1. c. 5.: Apud Ethnicos autem id ſaltem obtinuit, ut id nomen nunquam fere ſine adjectivo adhiberetur, unde ab ipſo Dæmone malignitas, quæ ei ineſſe cæperat, tolleretur: Sic Philo apud Euſeb. Præp. Evan. l. 1. Phænices Draconem coluiſſe tradit, *quem* ΑΓΑΘΟΝ ΔΑΙΜΟΝΑ *Bonum Genium vocabant*: Servius etiam Georg. 3. 417. *Sunt*, inquit, ἀγαθοδαίμονας, *quos latini Genios vocant*: quibus accedit nummus Egyptius apud Spanhem. Diſſ. 3. p. 188. in quo illinc Heronis effigies, hinc Draco coronatus cum inſcriptione: ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙ. Hinc haud recte ſe geſſiſſe videtur Plutarchi Interpres; quum enim is in Conv. hæc ſcripſiſſet: *quid utiliſſimum? Deus. quid damnoſiſſimum?* δαίμων. in hac poſtrema voce Dæmonis vocabulum retinendum erat, haud vero in *Genium* vertendum, quod contra Plutarchi ſententiam videtur, qui improbam in Dæmone naturam indicare volebat. Cæterum quod Dæmones, ſeu malos Genios attinet, de his experientia docti jamdiu Ethnici judicabant; notus enim iis fuerat Libantis Genius, qui ut refert Pauſanias Eliac. 2. 6. in Temaſſenſes ſæviebat, cui placando Virgo omnium pulcherrima quotannis devovebatur. *Calore fuit vehementer atro, omnique reliqua ſpecie maxime formidabilis, cujus amictus lupi pellis erat*: quo modo è Temeſſenſium finibus ejectus fuerit legere eſt apud dictum Pauſaniam, imo & ſpectare in Tab. x. Muſei Etruſc. Guarnac., quam, ut reliquas omnes egregie illuſtrat clariſſimus Gorius. Hos etiam Dæmones Larum nomine vocabant Ethnici, quorum à Geniis differentiam pluribus erudite obſervavit doctiſſimus Paſſerius in Acherontico c. 12.

(*a*) Qui Viris Genius, fæminis Juno appellabatur, ut pluribus probat Fabrett. Inſcr. cap. 2. p. 73. ubi aliis Scriptoribus vetuſtos lapides addit, quibus ille quidem ſuperaddi dignus, quem affert Gruter. p. 24. n. 2.

IVNONIBVS SACRVM
M. MAGIVS M. L. AMARANTVS
IIIIII VIR ET
MAGIA M. F. VERA MAGIA M. L. ILIAS
AEDEM. SIGNA &c.

ubi vides plurali numero Junones inſcriptas, eaſque in hoc lapide binas, quarum altera ad Magiam Marci Filiam, alteram ad Magiam M. Libertam pertinebat, ut perinde rectiſſime V. C. Paſſerius in Acheront. cap. XIV. obſervarit, nihil has Junones cum eo, quæ Jovis putabatur & Soror, & Conjux, niſi commune nomen habuiſſe. Laudanda etiam Viri doctiſſimi conjectura, qui Maſculorum Genium *Junum* etiam olim fuiſſe appellatum ex loco Dionyſii Halicarnaſſei ab ſe emendato notavit.

[*b*] De Oracul. defect.

[*c*] De Romanor. Fortun.

Digitized by Google

quæ, ut erronea, ac falſa probaret, Auguſtino recitanda erant : ſed jam illud audiamus : *& cum alio loco* (Apulejus) [a] *Genium dicit eſſe uniuſcujuſque animum rationalem & ideo eſſe ſingulos ſingulorum &c. Sed ſi omnis Genius Deus* (en Auguſtini reſponſionem) *& omnis Viri animus Genius, ſequitur quod ſit omnis Viri animus Deus, quod abhorrere abſurditas ipſa compellit* : Sinamus itaque abſurdum iſtud, putidumque errorem Apulejo dumtaxat, ac ſolis Ethnicis, nec quidem omnibus, ſed aut iis, qui fædiſſima ducti adulatione vivos adhuc Principes in Deorum Cenſum referentes, Templis, Aris, Signis, cæteroque divino Cultu donabant, aut etiam Poetis, qui his non contenti, etiam in Principum ſtatutis ſenſu omni, nedum ratione carentibus ſuum ineſſe Genium comminiſcebantur, ut de Domitiani Statua Statius canebat (b).

. . . . . Inſeſſaque pondere tanto
Subter anhelat humus, nec ferro, aut ære laborat,
Sed Genio . . . . . .

At non Principis animum, ſed potius numen, in cujus tutela Princeps eſſet, pro ejus Genio, Ethnici paſſim accepiſſe videntur : Certè non alium intellexit Plinius (c), dum Trajanum alloquens *Simili* (ait) *reverentia, Cæſar, non apud Genium tuum Bonitati tuæ gratias agi, ſed apud numen Jovis Opt. Max. pateris* : non enim inquit, ipſi Trajano gratias agi conſueſſe, quaſi is ea re Deus haberi voluiſſet, quod certè nullam moderationis laudem contineret, imò peſſimis Principibus, coram ipſo Trajano, paſſim exprobat Plinius ; ſed quod Auguſti (d), aliorumque bonorum Principum exemplo in ſolennem veluti morem, ac Principatus jura tranſierat, id certè de Trajano Plinius eo loco intellexit (e), ut Ille videlicet Genio ſibi adſiſtenti, divinis licet honoribus opinione omnium ſatis digno nullam præ Jove reverentiam exhiberi ſit paſſus.

Nec ſane alio ſenſu veteres Chriſtiani Genium Principis intelligebant : etenim illam juramenti formulam, quâ per *Genium Principis* jurari mos erat, utpotè ſuperſtitioſam, idololatriæque ſpeciem præferentem, omnino deteſtabantur : Hinc præter Tertullianum (f) & Origenem (g), qui ejuſmodi juramentum Chriſtianis vitandum monuere, præclarum ejus rei exemplum præbuit S. Polycarpus (h), qui idem juramentum a Proconſule ſibi delatum conſtanter recuſavit : & quidem ſolenne id fuit Proconſulibus præter ipſius Principis Imagines, (ut ex celeberrima Plinii epiſtola, in ſuperiore nota probatum fuit) ejuſmodi juramentum per *Genium Principis* Chriſti Confeſſoribus præſtandum offerre, ut ad Idololatriæ partes tranſiſſe probarentur : Notiſſima res, quæ paſſim occurrit in Martyrum Actis a Cl. Ruinartio collectis (i) ; ut proinde mirum ſit Genium Principis memorari in illa juramenti formula, quam S. Gregori ævo Epiſcopus quidam ſuam hæreſim anathematizans uſurpavit : *Unde jurans* (inquit) *dico per Deum Omnipotentem, & hæc S. quatuor Evangelia, quæ in manibus teneo, & SALVTEM GENIVMQVE illuſtrium Dominorum &c.* (k) ; niſi Genius heic pro Principum *honore*, quem cum eorum *ſalute* conjungi placuit, intelligeretur, ut alibi dicam : Cæterum ſi Genii nomine ipſe Principis animus, ſive ejus *vita*, aut *ſalus*, ſecluſa omni Divinitatis fide, ſignificatus tum fuiſſet, non adeò

juramentum

[a] Inſcr. ant. p. 73.
(b) Sylv. 1. 1. 17.
[c] Panegyr. cap. 52.
[d] De Auguſto hæc narrat Suetonius cap. 60. *Reges amici, atque ſocii Ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi ſumptu deſtinaverunt, Genioque ejus dedicare.*
[e] Illud moderationis exemplum inter Trajani laudes præteriſſe nefas fuiſſet Plinio, qui ea Panegeri non tam Trajanum laudandum, quam etiam futuros Principes ſibi inſtituendos propoſuerat. Cæterum & ipſe in turpiſſimo aliorum errore verſabatur, aut eadem, qua cæteri, adulatione erga Trajanum tenebatur, ut ex ipſius ad Trajanum epiſtola lib. x. 97. manifeſte patet. *Præpoſitus eſt*, inquit, *libellus ſine auctore multorum nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe; cum præeunte me, Deos appellarent, & Imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris numinum afferri thure, ac vino ſupplicarent* : & ex intervallo : *omnes & Imaginem tuam, Deorumque ſimulacra venerati ſunt* : Temperantior certe in ea re Trajanus, qui Plinio mox reſpondens nihil de adoranda Imagine ſua, ſed de ſolis Diis venerandis reſcripſit : *Qui negaverit*, inquit, *ſe Chriſtianum eſſe, idque reipſa manifeſtum fuerit, id eſt ſupplicando Diis noſtris, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret.*
[f] Apolog. c. 28.
[g] Contr. Celſ. 1. 8.
[h] Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 14.
[i] Inter alia, quæ S. Sperati ſunt, hæc habent : *Saturninus Proconſul dixit : Dicente te de myſterio non inferam mala : tantum jura per Genium Regis noſtri : Speratus dixit : Ego Imperatoris Genium neſcio, ſed cæleſti Deo meo ſervio.*
[k] In Appendic. Epiſtolar. S. Gregorii PP. n. x. Tom. II. edit. PP. S. Mauri : ubi hæc adeſt inſcriptio : *Promiſſio cujuſdam Epiſcopi hæreſim ſuam anathematizantis, quam ſolvi facit in nomine Domini Imper. Conſtantinopoli ſub die* 10. *Menſ. Februarii Indict.* v. ; ea verba, quæ *ſalutem, Geniumque* habent, male inſerta huic promiſſioni fuiſſe retur Guſſanvillæus in notis ibidem, ſed eandem, quam olim, ibi fuiſſe Genii ſignificationem jam dixi, & paulo infra ex eod. S. Gregorio uberiùs oſtendam.

Digitized by Google

juramentum illud exhorruiſſent Chriſtiani, quibus alioqui fas eſſe, per Vitam, aut Salutem Principis jurare, docebat idem Tertullianus (*a*), exemplo quidem Joſephi *per ſalutem Pharaonis* jurantis (*b*); quin imo eam juramenti formulam Sæculo IV. inter Chriſtianos ſatis uſitatam manifeſtè probant orthodoxi Impp. Arcadius, & Honorius, qui in l. 41. Cod. De Tranſact.: *Eos*, inquiunt, *hujus legis vel jactura dignos eſſe jubemus, vel munere, qui nomina noſtra placitis inſerentes, SALVTEM PRINCIPVM confirmationem initarum juraverint eſſe pactionum*: Ad IX. autem Sæculum obtinuiſſe, Caroli Magni Capitularia teſtantur, ubi diſtrictè vetitum, ne deinceps *per Salutem Regis, & Filiorum ejus* juraretur, Ant. Contius obſervavit (*c*).

Quod autem Ethnicos ſpectat, ſummam ejuſmodi juramento Religionem ineſſe, perſuaſum illis fuiſſe oſtendit Tertullianus, dum eoſdem alloquens (*d*) *Majore*, inquit, *formidine, & callidiore timiditate Cæſarem obſervatis, quam ipſum de Olympo Jovem: citiùs denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæſaris pejeratur*: (*e*) ex quibus jam illud apparet, majorem omni Religione fuiſſe pœnæ metum, qui ejus juramenti reverentiam extorqueret, omnemque ei vim conciliaret; quod jam tum a Principatus initio obtinuit: & quidem falſus videtur Suetonius, qui priorem Claudium neque ſanctius, neque crebrius juramentum quàm per Auguſtum, inſtituiſſe refert (*f*); id enim, jam longe antea in more inſtitutiſque fuiſſe ſcimus ex Tacito (*g*) qui ſub Tiberio, *Rubrio crimini datum* narrat, *violatum perjurio nomen Auguſti*: Ejus autem perjurii pœnas temperaſſe videtur Imp. Alexander non autem ſuſtuliſſe, ut de aliorum perjuriorum crimine declaravit, quorum vindictam ad Deos ipſos pertinere dixit; qua vero pœna Perjurus per Genium Principis afficeretur ex Ulpiano ejuſdem Alexandri Adſeſſore audire præſtat (*h*): *Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis dare ſe non oportere, & pejeraverit..... Imperator noſter cum Patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigatum dimitti, & ita ei ſuperindici*: ΓΡΟΓΕΤΩΣ ΜΗ ΟΜΝΥΕ (*i*): Sed præter mitiores, quas ſtatuit pœnas, illud etiam in Imp. Alexandro laudandum, quod impune pariter idem juramentum ſperni voluerit, quo ſervato improbi mores foverentur: Egregium hujus rei exemplum ipſemet nobis reliquit in l. 2. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt. cujus aurea verba recitare jam libet: *Alienam* (ita Alexander ad Fauſtinianum reſcribit) *ſectæ meæ ſolicitudinem concepiſti, quaſi crimen majeſtatis ſuſtineres, ſi ſervo tuo iratus eſſe non ſuſtineres, quod ſemper te facturum inconſultò juraſti*: ubi vides etiam in Ethnico Principe ſervatas Chriſtianæ Ethices regulas; pluris enim apud illum Juſtitiæ, quæ Juramenti comes eſſe debet, quam propriæ Majeſtatis ratio valuit.

Sed jam ex excellentioribus hiſce Geniis, qui ad tutelam Principum deligebantur, ſi Madriſium ſequamur (*k*) ſublimiores nobis ſedes conſcendendæ eſſent, ac in cæleſti Deorum Concilio, quot ipſos Deos, totidem cuique Genios adſidentes numerare oporteret: at non id mihi otium,

[*a*] Apolog. cap. 32. [*b*] Geneſ. cap. 42.
[*c*] Prælect. ad l. 2. Cod ad Leg. Jul. Majeſt.
[*d*] Apolog. l. 1.
[*e*] Quæ verba, ut alia imitatus Minutius Octav. *c. 29. eſt*, ait, *illis tutius per Jovis Genium pejerare, quam Regis*. (*f*) In Claud. cap. XI.

(*g*) Annal. lib. 1.: Eò res proceſſit, ut etiam nunquam per Genium Principis dejerare criminoſum eſſet; nam Caligula, referente Sueton. c. 27. *pleroſque honeſti ordinis ſtigmatum notis prius deformatos ad metalla, & beſtias condemnavit, quod nunquam per Genium ſuum dejeraſſent*.

(*b*) L. 13. §. ult. D. De Jurejuran.

(*i*) Id eſt *Petulanter ne jurato*, ut eſt in Textu Gothofredi, ſive *Perperam ne jures*, ut vertit Ant. Contius l.l., qui etiam illud recte docet verbum *ſuperindico* à Ulpiano uſurpatum, non titulum, aut tabellam iis verbis inſcriptam denotare, quæ capiti, aut fronti perjuri affigeretur, ut falsò putavit Duarenus, ſed non aliud eſſe, quam *ſuperclamari*, & præconis elogio, itaut plebs audiret, prædicari; quod aliis exemplis confirmat.

(*k*) Madriſius Lezione de Genj §. 4. ſuos Diis ſingulis Genios attribuit, non ut illorum adminiſtros, ſed eodem plane, quo erga homines fungi ſolerent munere omnino adſidentes: Id ſibi ex Petronii loco ſuaſum habuit, ubi Genius Priapi memoratur, ex Arnobio, qui Jovialis Genii meminit, atque ex vetuſto lapide, ubi legitur: GEN. PLVT.: At non hic ſiſtit: Pergit enim, & ubicumque Numen alicujus Dei memoratum invenit, hunc ejuſdem Dei Genium, utique ab eo diverſum affirmat: *Virgilio* (ita poſt alios ſcriptorum locos, quos undique conſarcinavit) *pure ha fatto tal diſtinzione l. 7. Eneid. facendo dire da Giunone v. 297.*

..... Mea Numina tandem
Feſſa jacent.....

e più ſotto v. 310.

...Vincor ab Ænæa, quod ſi mea Numina non ſunt
Magna ſatis.....

ancor Apulejo Aſin. Aur. l. 6. diſtingue il nume di Giunone da Giunone ſteſsa: Supplicanti ſtatim ſeſe Juno cum totius ſui Numinis auguſta dignitate repræſentat... *Il che meglio appariſce dal vedere gli ſteſſi Dei ſolleciti per erezione di Altare ad eſso loro Nume, come abbiamo da Solino Polyſt. c. 2. di Ercole*: *Suo quoque Numini idem Hercules inſtituit Aram, quæ maxima apud Pontifices habetur*: At virum doctum, qui ex prædictis Scriptorum locis *Numinis* ſignificationem probè noſcere poterat, falli quiſque videt.

Digitized by Google

otium, neque certam, quâ ſequar, mihi viam video demonſtratam; tutiori itaque itinere inferiora petere malim, atque ex Hominum Genjis, ad Locorum Genios deſcendam.

Ejuſmodi fuiſſe Genium ſatis conſtat, quem noſter lapis initio præfixus exhibet, dum Coloniam Beneventanam in ſua tutela habuiſſe credebatur: cui etiam alterum addidiſſe libet, quem noſter item antiquus lapis commemorat.

GENIO
LOCI ET
NVMINI (a)
CERERIS
CONCOR
DIVS COZ (b)
HORR

Ex quo diſcimus, ſingulis quibuſque locis adeo propriam, neceſſariamque Geniorum præſentiam fuiſſe creditam, ut quanquam loci ipſi in alterius certi Numinis tutela eſſent, haud tamen ſuo quiſque Genio carere putaretur: Sic præter noſtrum lapidem, ubi non ſolum adeſt Ceres, peculiare quidem ſegetum numen, quæ in Horreis publicis condebantur, ſed etiam ejuſdem loci Genius expreſſus legitur, occurrit etiam apud Fabrettum (c) lapis inſcriptus: *Jovi Cuſtodi & Genio Theſaurorum*: quaſi ipſius ſummi Jovis cuſtodia haud ſatis tuti ii Theſauri fuiſſent, niſi peculiaris quoque Genius illorum tutelæ præeſſet.

Hinc fuit, ut tantam non ſingulis duntaxat hominibus, ſed locis etiam attributam Geniorum multitudinem ipſi Ethnici deriderent, feſtivumque illud Petronius dixerit (d): *Utique noſtra Regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire*: (e) Id quod Symmacho exprobabat Prudentius lib. 2.

Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum Portis, Domibus, Thermis, Stabulis ſoleatis
Aſſignare ſuos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Et ſane

(a) Ubi vides Numen Cereris non eſſe ejuſdem Cereris Genium, ut falſo opinabatur Madriſius: alioqui lapis *Genio loci*, & *Cereris* dixiſſet: addidit vero *Numini Cereris*, ut a Genio loci omnino diſtingueret, ſolamque Cereris *potentiam*, *auctoritatem*, *divinitatem* demonſtraret.

(b) Hujus dictionis COZ multiplex explicatio dari poteſt: ac primùm CONSERVATOR interpretor exemplo lapidis apud Grut. p. 75. 1. ubi legitur: *Genius conſervator Horreorum Galbianorum*: ut Concordius lapidem *Genio loci*, *ac Numini Cereris Conſervatoribus Horreorum* dicaſſe videatur: quod ſi dictio ipſa ad Concordium pertineat, recte & ipſe *Conſervator Horreorum*, quod ejus munus eſſet, dici poteſt: quanquam eodem modo atque munere & CONSVL Horreorum, & COMES Horreorum appellari potuit, ac fortaſſe in lapide uſurpatum fuit: *Comitis* Horreorum munus occurrit in *l. un. Cod. De Piſtoribus*, ubi Leo Imp. Piſtores, qui Comitis Horreorum dignitatem adepti fuerint, Piſtrino reddendos mandavit: & quidem (licet a Sæculi v. moribus Chriſtianis Genii, Cereriſque religio abhorreant) ejus ævi faciem oſtendit lapis, ubi & barbarum ipſum COZ, & unico ipſo ſuo contentus nomine Concordius occurrit.

[c] Inſcr. ant. p. 77. n. 88. (d) Satyric. p. 12.

(e) Cave tamen, ne cum Madriſio §. VI. & VII. Genios alios confingas, qui rebus præſint intellectu dumtaxat notis, *che nel loro eſsere* [ut ait] *nulla hanno di fisico*: non enim hanc alteram Geniorum Plebem ipſi unquam Ethnici agnoverunt: *Genius Famæ* apud Martial. l. 7. 84. & *Genios Librorum* apud eund. l. 6. 60. non eſt Numen aliquod, ſed potius *Gratia*, *ac Venuſtas*, quam libro, *ut vivat*, ſeu per omnes ætates legentes habeat, neceſſariam dicit Poeta: Apud nos Italos etiamnum familiari ſermone illud uſurpatur: *Andare ſecondo il Genio*, aut: *eſsere contro il Genio*: quo animi de quapiam re vel voluptatem, vel averſionem ſignificamus: At pergit adhuc Madriſius & ipſis Virtutibus Genium adſiſtentem attribuit: nam ſuum *Juſtitiæ Genium* adeſſe colligit ex Euſebii loco *Vigoris* etiam *Eccleſiaſtici Genium* ex S. Gregorio PP. penè admiſerat, niſi tandem illud rectè animadvertiſſet: *ma il Santo non credo voglia dir altro qui, ſe non indole, coſtume*: Nec tamen S. Gregorii phraſim omninò cæpit, quam miror etiam doctiſſimo Chriſtiano Lupo haud cognitam fuiſſe: Is enim in Append. ad Epheſinum Latrocinium Act. 1. ubi Euſebius Dorylecenſis poſtulavit legi ſuum Libellum adjurans *per Sanctam Trinitatem*, *& per ſalutem Theodoſii*, *& Valentiniani Auguſtorum*, dum formulæ illius meminit, quam ſuperius recitavimus ex App. Epiſt. S. Gregorii. *per ſalutem Geniumque illuſtrium Dominorum*: quam etiam ipſius Gregorii fætum eſſe putat, hæc addit: *Omitti debuerat vox* Geniumque, *utpote Pagani*, *atque Idololatrici juramenti ſignificativa*, *ideoque cum vocibus*, *Dies Lunæ*, *Dies Martis*, *Mehercule*, *Me-Caſtor*, *aliiſque id genus variis etiam hodie nimium graſſantibus*, *ab omni ore Chriſtiano proſcribenda. Uti ex pravo ſæculi noſtri more*

Digitized by Google

Et ſane hanc vulgarem ſuperſtitionem magni habuit Prudentius refellere adverſus Symmachum, qui Idololatriæ acerrimus propugnator poſt ademptos Imp. Gratiani lege (*a*) ſumptus, qui de publico ſacerdotibus gentilibus ad ſacrificia, Templorumque operas miniſtrabantur, in relatione, quam ad Imperatorem de ea lege abroganda, reſtituendoque Deorum cultu habuit, eo præter alia plura argumento utebatur, *ſuum cuique morem, ſuum cuique ritum eſſe: varios Cuſtodes urbibus cunctis Mentem Divinam diſtribuiſſe, ut animæ naſcentium, ita populis fatales Genios dividi, & obſeſſis Hieroſolymis auditam vocem: Numen Urbis alio migrare, ideſt Genium*: Ex quo Symmachi loco plura ad rem, quam agimus, egregiè illuſtrandam obſervare jam licet.

Ac primùm noſcis jam, diſertiſſimi Senatoris callidiſſimum ingenium, dum innumeris aliis exemplis poſthabitis, quæ ex Ethnicorum doctrina, atque ſcriptis prompta ſibi erant, unius Hieroſolymæ meminiſſe maluit; nam dum res apud Chriſtianos Imperatores ageretur, ſatis propriæ cauſſæ conſultum putabat, ſi quod ipſe de Geniorum Religione ſuadere ſatagebat, domeſtico exemplo probaret: Etſi autem de rei veritate conſtitiſſet, perperam tamen ejuſmodi exemplum ad ſuam cauſſam pertrahebat Symmachus: Quæ verò ejus facti ſit fides, quod ex Joſepho, ac Taeito ipſe exceperat, definire non auſim, niſi quod rei geſtæ veritatem S. Hieronymus (*b*) agnoviſſe videatur.

Sed & eodem exemplo alteram Ethnicorum doctrinam comprobare nitebatur Symmachus: Siquidem, cum oppidum, aut Urbs ab hoſtibus oppugnaretur, inque eorum poteſtatem jamjam redigenda eſſet, Genius ille, qui loci tutelam habebat, illinc excedere, novaſque ſibi ſedes quærere putabatur: Sic Trojâ jam conflagrante:

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Di, quibus Imperium hoc ſteterat ..... (*c*)

Hinc ortus mos, ſive ritus, quo hoſtes obſidionem facturi, Numen illud, in cujus tutela locus eſſet, ut eum deſereret exorabant, amplioreque templo in ſua Urbe promiſſo, ad ſe precibus evocabant: Formulam dat Livius, atque ex antiquo lapide exhibet quoque Fleetwoodus (*d*): Qua in re ſuperſtitioſiſſimi omnium videbantur Romani, nam qui hoſtium arma, vireſque omnes flocci face-

more nos etiam hodie Sacerdotes frequenter haſce voces ſine idololatria uſitamus, ita & iſtam Gregorius: Abſit vero, ut Sanctiſſimo, Sapientiſſimoque Pontifici hanc injuriam inferamus, ut in ejus vocis uſu pravum ſæculi morem ſectatus fuerit, qui tamdiu *Fati* vocem damnavit Hom. 2. in Evang.: quanquam verò incertum, an ea juramenti formula è manu Gregorii ſit, adhuc tamen Genii vocem eidem familiarem fuiſſe non abnuimus: Sic ad Sabinianum Iaderæ Epiſ. lib. VIII. ep. 24. al. 25.: *quicquid ad honoris veſtri reverentiam, & Genium præfatæ Eccleſiæ pertinet &c.*: Et ad Syagrium Auguſtodun. Epiſc. l. IX. ep. 108. al. 113.: *Pallium te non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro Genio, & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiviſſe*: At ſicuti in ea formula *dignitatem*, ita in præfatis Epiſtolis *ornatum, ſplendorem, decus* ea voce probè ſignificata, ſatis patet.

[*a*] Gratiani legem memorant, confirmantque Impp. Honorius, & Theodoſius *in l.20. Cod. Theodoſ. de Pagan. ſacrific.*

[*b*] Tacitus hiſt. v. ubi Hieroſolymorum obſidionem a Tito factam fusè narrat, hæc habet: *Viſæ per Cælum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere Templum: expanſæ repente Delubri fores, & audita major humanâ vox: Excedere Deos: ſimul ingens motus excedentium*: Joſephus autem de eadem re iſta refert De Bello Judaico lib. 7. cap. 12. *Feſto die; quam Pentecoſtem vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more ſuo ad divinas res celebrandas ingreſſi primùm quidem motum, quendamque ſtrepitum ſenſerunt, poſtea verò ſubitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc*: Quid verò S. Hieronymus? ipſum quoque audiamus in epiſt. lib. 2. 7. edit. Rom. 1731. *Poſtquam velum Templi ſciſſum eſt, & circumdata ab exercitu Hieruſalem, & Dominico Cruore violata, tum ab ea Angelorum præſidia, & Chriſti gratiam receſſiſſe: Denique etiam Joſephum, qui vernaculus ſcriptor eſt Judæorum, aſſerere eo tempore, quo Crucifixus eſt Dominus, ex adytis Templi virtutum cæleſtium erupiſſe voces dicentium: Tranſmigremus ex his ſedibus*.

[*c*] Ubi Servius ſic commentatur; *Exceſſere*: quia ante expugnationem evocabantur ab hoſtibus numina propter vitanda ſacrilegia: Inde eſt, quod Romani cælatum eſſe voluerunt, in cujus Dei tutela Urbs Roma ſit: & jure Pontificum cautum eſt, ne ſuis nominibus Dii Romani appellarentur, ne exaugurari poſſint: & in Capitolio fuit clypeus conſecratus, cui ſcriptum erat: GENIO VRBIS ROMAE SIVE MAS SIVE FOEMINA.

[*d*] Livius lib.v. Camillum Vejos expugnaturum ita precantem tradit: *Te nunc Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos Victores in noſtram, tuamque mox futuram Urbem ſequare, ubi te dignum amplitudine tua Templum accipiat*. Quod vero ea de re ſolenne carmen affert Fleetwood. pag.49. num.1. his verbis conceptum eſt: *Si. Deus. ſi. Dea. eſt. cui. Populus. Civitas. que. Karthaginienſis. eſt. in. tutela. te. que. maxime. ille. qui. Urbis. hujus. Popoli. que. tutelam. recepiſti. precor. veneror. que. veniam: que. a. vobis. peto. ut. vos. populum. Civitatem. que. Karthaginienſem. deſeratis. loca. templa. ſacra. Urbem. que. eorum. relinquatis. abſque. his. abeatis. ei. que. populo. Civitati. que. metum. formidinem. oblivionem. iniiciatis. proditi. que. Romam. ad. me. meos. que. veniatis. noſtra. que. vobis. Templa. ſacra. Urbs. acceptior. probatior. que. ſit. mihi. que. Populo. quo. Romano. militibus. que. meis. prepoſiti. ſitis. ut. ſciamus. intelligamus. que. ſi. ita. feceritis. voveo. vobis. templa. ludos. que. facturum*.

Digitized by Google

facere didiciſſent, jam de hujuſmodi religioſis illorum precibus ſibi pertimeſcendum putabant: Id itaque, ut rei periculo occurrerent, fuit conſilium, ut Deum Urbis tutelarem, omnino ignotum eſſe vellent, itaut ne quidem ejus nomen cuiquam, niſi ſolis Pontificibus ſciri ſinerent, quod ſi quis forte ſciens enunciaſſet, capite damnabant, ſi tamen fides Servio, qui eo crimine *quendam Tribunum in crucem levatum fuiſſe* refert (*a*).

Age nunc, quæ Geniorum effigies eſſet, inquiramus; id enim poſtulat noſter lapis in ſtatuariæ Baſis formam elaboratus, poſtulant etiam frequentiſſimæ olim Geniorum imagines, quæ pro recepta omnibus eorum Religione proprios habebant artifices, qui effingendis Geniorum imaginibus Geniarii appellabantur (*b*): Non unâ autem, eâdemque figurâ Genii effingi ſolebant; Humanam ſpeciem plerunque præferebant, modo pueri, modo juvenes, nonnunquam ſenilem aſpectum (*c*) repræſentantes, ſeminudi tamen dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiam geſtantes, caput aut calatho, aut velo, aut etiam galea (*d*) opertum habebant. Altera Geniorum effigies non Humana tantum deterior, ſed quæ plane horrorem injiceret, Serpentis, ſeu Draconis formâ conſtabat.

Quod poſteriorem effigiem attinet, non eam pro ipſius Genii veluti ſymbolo adhibitam, ſed reipſa qualis naturali forma Genius eſſe putaretur, intelligendam malim: Frequens enim illud in veteri hiſtoria occurrit, non ſola infra humanam ſpeciem animalia, ſed monſtra quoque ipſa in Deorum cenſum relata, quibus etiam Aræ, ac Delubra dedicarentur: ac, ne ab inſtituta re diſcedamus, plura quidem ſunt, quæ ex noſtris divinis libris Ethnici, pravo, ut ſemper, ſuiſque moribus accommodato intellectu, ad ſuperſtitioſum Serpentum cultum ſibi exempla arripuere: nam præter Serpentem illum, qui primos Homines ad peccandum pellexit, celebris profecto apud omnes fuerat æneus alter Serpens, qui a Moyſe exaltatus præſentiſſimam in ſummo diſcrimine opem Hebræis attulit, atque his quidem in idololatriam ſatis pronis, ea de re divinam illi ineſſe naturam, poteſtatemque ita perſuaſum fuit, ut per longiſſima temporum ſpatia nullo pacto ab ejuſdem adoratione removeri potuerint (*e*): Quid, quod Diabolus ipſe, qui primum ſerpentis ſpecie malorum omnium, quæ humani generi contigere, olim auctor, non Hebræos tantum ad ſuperſtitioſum ſerpentis cultum traduxiſſe contentus, hanc quoque inſaniam, poſt receptam Evangelii lucem, Chriſtianorum aliquot mentibus perſuadere aliquando potuit: Sanè Hæretici quidam S. Epiphanio (*f*) memorantur, a Serpente, qui græce ὄφις, quem in ſuis ſacris Ædibus in Ciſtula aſſervabant, allatiſque dietim cibis enutritum adorabant, Ophitæ appellati.

At ſi ex veteribus Hebræis, ipſiſque demum Pſeudochriſtianis ad reliquas nationes Idololatriæ ſervientes rem deducamus, jam latius obtinuiſſe Serpentum cultum obſervare erit: Prætereo fabulas, queis Mercurii caduceum binis ſerpentibus inſignitur, neque etiam celeberrimum apud veteres Æſculapii ſerpentem moror; præclariora enim, ac certiora alia præſto ſunt exem-

[*a*] In Georgic. 1. 498.

[*b*] Sic in Romano lapide aput Gruter. pag. 25. n. 1. occurrit M. Canulejus Philonicus, qui dicitur *Geniarius poſt Ædem Caſtoris*, cujus ſcilicet officina erat poſt Ædem Caſtoris region. IX. in circo Flaminio. more illo, quo artificibus, & negotiatoribus in vetuſtis ſaxis apponi ſolet locus, ubi negotiarentur, artemve exercerent.

[*c*] Marmoreum anaglyphum exhibet V. C. Gorius Inſcr. Etruſc. tom. 1. pag. 185. ubi præter Herculem a dextra, Jovem Cælium in medio, adeſt a ſiniſtra Genius ſenili forma barbatus, & ſeminudus, quem quodpiam numen aliud putare omnino vetat ſubjecta imagini inſcriptio: *Genius Cælimontis*: ideſt Genius Cælii montis, ut rectè explicat Gorius, qui hunc Genium eâdem, qua fluvii deſcribuntur, formâ expreſſum ideo arbitratur, quod a montibus aquæ oriantur.

[*d*] Galeatum Genii caput videre eſt in nummo Dioeletiani (Tab. II. num. 9. poſt orat. vet. orat. edit. Venet. 1719.) cum inſcriptione: *Genius Exercitus Illyriciani*: ex quo illud opinari proclive eſt, has diverſas operiendi capitis formas, diverſaſque ætates pro diverſa rerum, quibus ſinguli præerant Genii, ratione fuiſſe uſurpatas, ſic Genius is, in cujus tutela exercitus eſſet, rectè ex ipſa militia inſigne aliquod ſibi proprium efficiebat, ac proinde abjecto velo, aut calatho, galeam ad ſui capitis operimentum adhibuit.

[*e*] Regis Ezechiæ laudi vertitur, quod ſerpentem æneum tandem confringes, ejus cultum ad ea uſque tempora apud Hebræos retentum ſuſtulerit. Reg. IV. cap. 28. *Ipſe diſſipavit excelſa & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quod fecerat Moyſes: ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum.*

[*f*] Lib. 1. contr. Hæreſ.: Ophitarum meminerunt quoque ante Epiphanium S. Irenæus lib. 1. cap. 34. Sed Tertullianum audire præſtat, qui in de Præſcript. c. 47. hæc de Ophitis habet: *Serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipſi Chriſto præferant: Ipſe enim, inquiunt, ſcientiæ boni, & mali originem dedit: Hujus animadvertens potentiam, & majeſtatem Moyſes, inquiunt, æreum poſuit ſerpentem, & quicunque ipſum aſpexerunt, ſanitatem conſecuti ſunt: Ipſe, ajunt, præterea Chriſtus in Evangelio ſuo imitatur ipſius ſerpentis ſacram poteſtatem dicendo: Sicut Moyſes exaltavit &c.*

Digitized by Google

exempla, quorum initium ducit Draco ille ſacris libris (*a*) celebratus, quem vivum Babylonii adorabant: Ægyptios autem divinam ſerpentibus tribuiſſe naturam, quos ſuos Genios affirmabant, tum Philo teſtatur, cujus verba ſuperioribus notis recitavimus, tum etiam manifeſte oſtendunt eorum nummi, percuſſi ſub Cæſaribus Nerva, Trajano, Hadriano, Pio, aliiſque, in quibus aut Dracones coronati, aut iidem cum caduceo, ſiſtro, ſpica, aut etiam cum venerabili eorum Serapide repræſentantur: At ex his, aliarumque gentium nummis non apud Ægyptios ſolos, verum etiam apud innumeros alios populos Serpentis familiarem cultum fusè, egregièque probavit Ill. Spanhemius (*b*), cui integram actæ rei laudem ſervantes, nihil ex ejus locuplete penu nummaria nobis excerpimus, vetuſto tantum lapide (*c*) (quod noſtri inſtituti eſt) rem amplius ipſam illuſtraſſe contenti.

At quæ, inquies, ratio fuerit, ut Genii alterutra modo humana, modo ſerpentis ſpecie conſtare crederentur? Latet quidem cauſſa, quam nulli veterum tradidere, conjectare tamen poſſumus, dum ex rerum diverſitate, quibus Genii præerant, diverſam eorum formam deducere liceat: Itaque Perſonis, ac præterea Civitatibus, Coloniis, Collegiis, aliiſque id genus, quæ hominum cœtu componebantur, jam illud paſſim obſervabimus, Genios plerumque humanam formam præferre; quaſi pro majori rerum dignitate, earum quoque Geniis præſtantior ſpecies deberetur: Pro locis vero, aliiſque rebus ſenſu, rationeque carentibus jam videas frequentius Genios ſerpentis formam obtinere (*d*). Quâ quidem conjecturâ de Serpente Capuani Anaglyphi, qui tandiù Fabretti, Mabillonii, Mazochii præclariſſima ingenia exercuit (*e*), *Theatri Genium* eum fuiſſe veriùs pronunciabimus.

[*a*] Ita Daniel. cap. 14. habetur: *Erat Draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonii, & dixit Rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere, quia iſte non ſit Deus vivens: adora ergo eum.*

[*b*] De Præſt. Numiſm. Diſſert. 3. pag. 185. & ſeqq. edit. Elſevir. 1671.

[*c*] Donius claſ. 1. num. 59. pag. 16.

CARPVS AVG. L.
PALLANTIANVS
SANCTIS
DRACONIBVS
D. D.

ubi Cl. Gorius incertus primùm, an eos Cereris Dracones, vel Æſculapio, aut Hyſeæ ſacros eſſe putet, demum pro Geniis locorum veriſimilius intelligendos arbitratur, quod & certum deinde ex eodem lapide ſtatuit pag. 44.: Facit ad rem omnino Propertii verſus lib. 4. eleg. 8.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis.

[*d*] Virgilius poſt elegantem colubri, qui Ænææ apparuit deſcriptionem ita ſubdit Æn. v. 95.

Incertus Genium ne loci, famulum ne Parentis
Eſſe putet .....

nullus enim (ita etiam Servius ibid.) *locus ſine Genio, qui per anguem plerumque oſtenditur*: Perſius:

Pinge duos angues, pueri, ſacer eſt locus, extra
Meiite .....

[*e*] Dum de hoc rudi Antiquitatis monumento loqui adhuc non pigeat, vulgavit illud prior Paſchalis, dein Mabillonius Itin. Ital. pag. 103. tandem Fabrettus Inſcr. ant. pag. 78.; ac miſſo Paſchale, hi quidem ſerpentem inter alia ſimulacra in marmore expreſſum pro Genio acceperunt, præeunte etiam inſcriptione ſupra ipſum ſerpentem extante: *Genius Theatri*: Verùm Mazochius in Camp. Amphit. pag. 158. fruſtra in eo ſerpente Theatri Genium quæri putat, quem veriùs in Sacrifici, qui proximè ſerpentem antecedit, effigie repræſentatum contendit: Certum id ſibi ſuadet ex eadem, quam Genii præferre ſolent effigie, quæ cum Sacrifico illo rectè convenit, quem ipſum Genium eſſe eadem inſcriptio indicat, quæ ab eo incipiens in ſequentis ſerpentis ſimulacrum deſinit: At nimis ſibi fortaſſe blanditum Mazochium putaverim, dum rem demonſtraſſe putat: etenim leve illud videri poteſt, quod inſcriptio a ſacrifico initium faciat, quaſi illi indicando ſuperpoſita; nam cum extrema Anaglyphi pars lateralis, ubi ſerpentem Marmorarius locavit, non ita in ſerpentis ſpatio pateret, ut ſeparatas ab aliis ſimulacris binas illas dictiones capere poſſet, hinc fieri potuit, ut ab interiore altera ſacrifici imagine dictiones ipſæ, quæ ad ſerpentem referuntur, inſculpi cœperint: Præterea non ea ſacrifici effigies ſeminudum exhibet, neque calathum vertice oſtendit, quæ, ut alibi diximus, Geniorum præcipuè ſunt notæ: At quid moror? Anaglyphum alterum Capuano propè ſimile habet Sponius *Recerch. d'Antiq. Diſſert. 29. pag. 479.* In eo tres Nymphæ Fontinales mediæ ſtant inter erectum Serpentem a dextra, & Sacrificum libantem a ſiniſtra: quid ſibi vellet ſerpens, haud curioſiùs quærendum ſibi duxit Sponius: at Fabrettus eo ſerpente ſalubritatem aquarum indicatam ait Diſſ. 11. De Aq. & Aquæd. pag. 99. Rem demum acu tetigit doctiſſimus Gorius, qui in Doniano lapide cl. 1. num. 126. cujus hæc ſunt verba:

DEMETRIVS C. N. S. EX VISO
HVIC LOCO TVTELA POSVIT.

cum illud obſervaſſet, *Tutelæ* nomine Genios ipſos plerumque appellari, eoſque anguium figura a Veteribus exprimi ſolitos, id tum aliis exemplis, tum etiam ex Sponiano Anaglypho confirmat, ubi ſerpentem pro Genio accipiendum ſtatuit. Vides igitur, an jure in Capuano Anaglypho Sacrificus ille, qui in Sponiano pariter adſtat, Genius eſſe poſſit, qui ſua demum Serpentis forma utrobique a Sacrifico omnino diſtinctus habetur: At cum ſemel Mazochius a ſui Anaglyphi Serpente Genium [quem VV.CC. Mabillonius, & Fabrettus certum voluere] abjudicaſſet, ne otiosè ſculptus putaretur, jam ad vetuſtas Capuæ origines oſtentandas, aut veriſimiliùs, ut ejus aſpectu homines ab urinis, aliiſque immittendis ſordibus deterrerentur, appoſitum arbitratur:

Atque hæc de Geniis ex Ethnicorum diſciplina, inſtitutis, ſuperſtitione diſſeruiſſe ſit ſatis: Quid de illis ex ſanæ Religionis Canonibus ſentiendum ſit, ſatius erit ex uno Davide didiciſſe, qui breviter ita edixit: *Omnes Dii Gentium dæmonia* (*a*), quàm ex vetuſtis aliquot Eccleſiæ Patribus, qui Davidicæ ſententiæ (qua omnis ejus rei veritas abſolutiſſimè continetur) plura a recta fide aberrantia de Geniis aſtruxere (*b*): Illud tamen, quod antea Plato de Geniis docuerat, ac poſtmodum Chriſtiani Patres confirmarunt, experientia ipſa ſatis probatum ſemper fuit, Divinationum, Præſtigiarumque, Magorum denique, Sagarumque artem omnem, ac poteſtatem Genios hos, ſeu Dæmones auctores, ac magiſtros habere; Quod cum ita ſit, ad eam, quæ Beneventanis vulgò exprobrari ſolet, veneficiorum infamiam abolendam deveniam. Scio, mihi cum ſolo fortaſſe hominum vulgo rem eſſe; docti ſiquidem, ac cordati quique ſub omni cælo fabulam, ac rumorem riſere ſemper: Intererit tamen a Beneventana Urbe, cujus gloriæ laboramus, omnem abeſſe notam, quam licet ſola falſitas invexerit, præjudicatæ tamen opiniones nonnunquam fovere ſolent: Noſtræ itaque Urbis vitio, an calamitati tribuitur, vigere in ejus agro *Nuceam* arborem, ſub qua nefarii ſagarum tum noſtratum, tum externarum nocturni conventus, ludi etiam, choreæ, ac convivia agitentur; præterea Aniculis quibuſdam Urbem vexari ſolitam,

..... Carminibus quæ verſant atque venenis
Humanos animos .....

eaſque *nudis pedibus paſſoque capillo* noctu per domos vagari & ..... *ſimul ac vaga luna decorum*
Protulit os, tunc oſſa legant, herbaſque nocentes (*c*)

Hujuſce rei rumor a ſeptimo ſæculo initium habuiſſe videtur, tum cum Langobardis dominantibus ſuperſtitiones aliquæ adhuc Beneventi ſervarentur: Harum cauſſa ſive illa fuerit, quòd antiquæ gentilitatis nondum radices omnes initio, cum Evangelica lux noſtris oris affulſit, penitus evulſæ fuerint, ſive veriùs (ut alibi fuſius dicam) quòd ex Langobardorum moribus, (quorum ſatis recens tum Chriſtianæ Fidei profeſſio, tum Beneventani Ducatus inſtitutio) ejuſmodi labes in Beneventanam Urbem irrepſerit, aureum Viperæ ſimulacrum ſui Ducis exemplo obſervabant ea ætate Beneventani, quibus etiam illud ſolenne erat, ut ſub quadam arbore, quam ſacram habebant, ſuperſtitioſos ludos certis quibuſdam ritibus inſtitutos celebrarent: ac primùm quidem in illius Viperæ cultu ſuperſtitem adhuc vetuſtæ Geniorum Religionis imago quædam agnoſci poteſt; in Viperis enim, ut in Serpentibus olim cæteris, etiam *Bonos Genios* adeſſe notat *Servius in Georg.* 3. 417., nec profecto, niſi in eo aureo Viperæ ſimulacro divini aliquid ineſſe, ſibique opem ex illo, tutelamque præſtari poſſe putaſſent Langobardi, retinendæ ejuſdem Religionis tam ſtudioſi fuiſſent: ſed de hac re jam plura ſuperiùs: Ex iis vero ludis, qui ſub ea arbore ſuperſtitioſo ritu celebrabantur maniſeſtam jam vides originem vulgaris illius opinionis, qua ſacrilegam arborem nefariis Sagarum coitionibus infamem, adhuc in Beneventano agro extare creditum ſit.

Utramque ſuperſtitionem tum aurei Viperæ ſimulacri (ex quo conflato calix ad ſacra Chriſtianæ Fidei myſteria peragenda extructus fuit), tum ludorum illorum, exectâ radicitùs arbore, flammiſque combuſta, eodem ſeptimo ſæculo ſuſtulit S. Barbatus Beneventanus Civis, ac deinde Epiſcopus, incaſſum apoſtolico ejus zelo primùm adverſante, tandem obſequuto Grimoaldo I. Langobardorum Beneventi Duce, deinde Italiæ Rege: Res ſatis nota ex vetuſtis ejuſdem S. Barbati actis, quæ a Bollandi Sociis exibentur ad diem XIX. Februarii, & autographa aſſervantur in Bibliotheca Metropolitana. Utramque, inquam, ſuperſtitionem ſuſtulit S. Barbatus, at non item ſublata ſimul, quæ vulgarium hominum mentes pervaſerat opinio, ſub

bitratur: at novum hoc de ſerpente judicium alii viderint: illud mihi mirum, tantam uni Serpenti aut religionis, aut terroris a ſummo viro tributum ad ſervandam loci munditiem, quantum obtinere non potuiſſe putaverit, nec cum ſua haſta Dianam, nec cum ſuo fulmine Jovem, in eodem Anaglypho ſimul cum Sacrifico, ac Serpente inſculptos.

[*a*] Pſalm. 95. 5.

[*b*] Plures ſunt præclariſſimi Chriſtiani Patres ſecundi, & tertii ſæculi, qui in ea opinione fuerunt, quam etiam ſcriptis tradidere; ejuſmodi Genios ex iis Angelis fuiſſe procreatos, qui ad hominum cuſtodiam a Deo delecti, mox a Principe Dæmone terræ dominatore pellecti, ex mulierum congreſſu hanc Geniorum ſobolem, mediam ex diverſæ naturæ parentibus naturam ſortitam ſuſceperunt: qui error ex pravo intellectu loci Geneſeos cap. VI. manavit. Ita præter Philon. de Gigant. Joſephum Antiquit. lib. 1. cap. 4. planè ſenſerunt Athenagoras orat. pro Chriſtian. Clemens Alexand. ſtrom. 3. Tertullianus de Veland. Virgin. cap. 2. Origenes contra Celſ. lib. v. 12. S. Cyprianus de Vanit. Idolor. Lactantius Div. Inſtit. l. 2. 14.

[*c*] Utar Horatii verſibus in *Gratidiam Veneficam Neapolitanam* Serm. lib. 1. ſat. 8. edit. Venet. 1549. cum notis Acron. Porphyr. aliorumque.

Digitized by Google

ſub eadem adhuc arbore, quæ Dæmonum operâ iterum germinaſſet, eiam ab indigenis, adveniſque Sagis veteres ludos celebrari, veneficiorumque omnium diſciplinas exerceri.

Et ſane poſtquam inter Carolum Galliæ Regem cognomento *Magnum*, ac Grimoaldum III. Beneventi Langobardorum Principem ſub ejuſdem ſæculi exitum bellum icto fœdere quieviſſet, fors fuit, ut Boum peſtis in Galliis graſſari cœperit: ex ea re ſtatim rumor in vulgus ſparſus fuit, Grimoaldum veterem Caroli hoſtem tranſmiſiſſe veneficos homines cum pulvere, quem ſpargerent per campos, montes, prata, & fontes, hunccque pulverem bobus mortem inferre: Multi, qui hujuſmodi veneficii accuſabantur, fuerunt comprehenſi, & cum ſe talem habere, & ſpargere pulverem faſſi fuerint, partim affixi tabulis in flumen projecti, necatique: Horum confeſſio, ac ſupplicium rei fidem confirmabat apud omnes, quibus tandem abſurdiſſimam eſſe oſtendit S. Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus (*a*); edito enim libello falſum id eſſe probavit, quod nuſquam humanis viribus, etiam Dæmonum ope ſuffultis patrari poſſet, atque ab Gallorum mentibus eam adverſus Beneventanos opinionem amoliri pergens, non illud etiam rationi conſonum ſubdit, *unde talis pulvis fieri poſſet, de quo ſoli Boves morerentur, aut quomodo portari poſſet per tam latiſſimas regiones, quas ſuperſpargere pulveribus homines non poſſent, nec ſi Beneventani viri, & feminæ, ſenes & juvenes cum ternis carris pulvere carricatis egreſſi de regione fuiſſent*: Eos, qui id faſſi fuerant, juſto Dei judicio a Diabolo ſeductos docet, ut ipſi contra ſe eſſent teſtes fallaces ad mortem: Dolet poſtremò Agobardus tantâ tunc mortales ſtultitia oppreſſos, ut Chriſtiani earum rerum fidem tam facile admitterent, quas nunquam antea quiſquam poterat ſuadere Paganis: Vides igitur, quàm vetuſta, quibuſque eventibus apud diſſitarum etiam nationum vulgus confirmata de Beneventanorum veneficiis opinio: ſed jamdiù S. Agobardo debemus, quod nulla mercede poſtulatus Patronus, non ulli neceſſitudini, aut partium ſtudio, ſed uni veritati ſerviens Beneventanos a falſo vulgi rumore, quo veneficiorum inſimulabantur, non tàm ſtrenuè, quam feliciter vindicaverit.

Quod vero *Nuceam arborem* ſpectat, fruſtra eam poſt decem ſæcula quæſiſſe erit, niſi in vulgi mente adhuc conſitam dicamus; itaut de ea ſatis congruè uſurpare jam poſſimus, quæ de C. Marii Quercu in Agro Arpinate ajebat Cicero (*b*): *Quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, niſi fortè Athenæ ſempiternam in arce Oleam tenere potuerunt, aut quod Homericus Ulyſſes Deli ſe proceram, & teneram Palmam vidiſſe dixit, hodie monſtrant eandem, multaque alia multis locis diutiùs commemoratione manent, quam natura ſtare potuerunt.*

Sed de falſo, quod Beneventanis impingi ſolet, ſuperſtitionum crimine alia, quibus res conficietur, in ſequenti Diſſertatione opportuniùs afferemus.

DISSER-

[*a*] Bibliot. Patrum tom. XIV. edit. Lugduni 1677. Inter opera S. Agobardi liber *de Grandine, & Toniſtruis* inſcriptus, ubi is *Magos Tempeſtarios* inanes, ac commentitios eſſe probat, in eaque ſiſtit omnium penè Patrum, ac Theologorum ſententia, nullo pacto videri homines ex diſſitis locis in certam regionem Dæmonis opera coire poſſe, aut etiam clauſas privatorum domos, & cubicula penetrare, quod tantùm læſa a Dæmone, perturbatâque eorum phantaſia fieri contingit: ut docuit S. Auguſtinus, aut quiſquis ille ſit, auctor operis de Spiritu, & anima cap. 28. relatus in can. Epiſcopi 26. qu. 5. quem locum, ſi cui libet, adire poteſt, ac præterea Canonum XIV. ejuſd. quæſtionis, ubi de hac re præclarè, ac fusè agitur: Non enim præſentis inſtituti eſt, ut id a nobis heic diſceptetur, quibus ſatis fuit, ſolo facti veritate propoſita Beneventanos ab hujuſmodi veneficiorum calumnia, aut rumore vindicaſſe.

[*b*] De Legibus lib. I. cap. I.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Tempore, quo primùm Beneventi ſuſcepta eſt Chriſtiana Fides.

Elicioremmateriam lætiore calamo tandem aggredior: poſtea enim quam inter Idololatriæ fæces, numinum monſtra, ſuperſtitionumque inſanias verſari diù contigit, ad veram demum Religionem, cujus triumphatrix Gloria illorum everſione, ſubſtratris veluti hoſtium ſpoliis, auguſtior ſe extulit, ſermonem convertam: De tempore itaque agendum mihi nunc erit, quo veteribus Beneventanis Chriſtianæ Religionis illuxere primordia; atque ea quidem de re illuſtrior quàm hactenus, ſubindeque rebus aliis, Vetus Beneventum videri geſtiens, optaret ſanè præcipuum hoc decus certis potius, luculentiſque rerum geſtarum monumentis, quam conjecturis comprobare: At nullam ex antiquis literatis lapidibus opem nobis adfuturam ſperamus, quorum ſubſidio cetera pene omnia, quæ hoc volumine continentur, exequi datum fuit: Enimvero qui apud nos extant Veterum Chriſtianorum lapides (de quibus poſthac ſeparatim agetur) cum ſeræ admodum Chriſtianæ Ætatis manifeſti ſint fœtus, nihil, quod de prioribus, quæ heic quærimus, ſæculis, certum, atque opportunum ſtatuamus, ſuppeditant: Veriſimilibus igitur conjecturis, traditionibuſque plerunque utendum erit, quæ profecto (ut doctiſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca ſatis rectè obſervabat (*a*)) non evertendæ, ſed omninò retinendæ erunt, præcipuè cum in Eccleſia Romana, ac toto in Orbe Chriſtiano jam olim receptæ fuerint; adeout non egeamus prava illa diligentia, quam adhibuerunt illi, qui etiam falſis, atque confictis ſub nomine Veterum Auctorum monumentis vetuſtatem Chriſtianæ Religionis ſibi arrogare nituntur.

Ab Apoſtolorum itaquæ ævo, immo & ipſius Apoſtolorum Principis miniſterio, prædicationeque Evangelicæ legis lucem Benevento affulſiſſe memoriæ proditum eſt; non exiguus vero eorum, qui tunc Chriſto nomen dediſſent, numerus fuiſſe ex eo probatur, quod naſcentis tum primùm Beneventanæ Eccleſiæ Epiſcopum conſtitui mox oportuerit, juxta morem illum, quem in ſingulis Urbibus ad fidem recens converſis ſervatum docet S. Epiphanius (*b*), in quibus non continuò Epiſcopalis ſedes erigebatur, niſi fidelium, ſacrorumque Miniſtrorum copia haberetur: Primum autem Beneventi Epiſcopum, contra quàm hactenus creditum vulgò fuerit, S. Marcianum Martyrem diſcipulum S. Petri, Civibus ſuis prorſus ignaris patefecit nuper Franciſcus Pacca Archiepiſcopus in Encyclica Epiſtola, quam ad Paſtorale Patriæ ſuæ munus evectus de more conſcripſit; cauſſam, cur a recepta ſententia receſſiſſet, hanc mihi humiliter ſciſcitanti benignè reddidit, quod ſcilicet in Uſuardo S. Sophiæ in Bibliotheca Vaticana aſſervato, cui X. aut XI. ſæculi antiquitas tribuitur, hæc in menſe Junio aliquando ſe legiſſe meminerit: *Beneventi S. Marciani Epiſcopi, & Martyris diſcipuli S. Petri*: At, fateor, non id mihi ſtatim perſuadere potui, quod ex dubiæ fidei monumento vix veriſimile conjectare ſinit perpetuum apud omnes ejus rei ſilentium: quis enim credat, cum longo tempore Eccleſia S. Sophiæ ejus Codicis quotidiana pene lectione uti debuiſſet, atque adeo vulgatum apud omnes Beneventanos S. Marciani primi Epiſcopi nomen jam fuiſſet, ejus tamen rei ita periiſſe memoriam, ut nullum vel leve veſtigium ad poſteros permeaverit.

Donec igitur meliora afferantur, tutius mihi erit communem illam, vetuſtiſſimamque ſequi

[*a*] In Epiſtola ad Henricum Valeſium, quæ eſt Diſſertatio ultima poſt Tractatum *de Concord. Sacerd. & Imper. edit. Roboreti* 1742. cui titulus: *De Tempore, quo primum in Galliis ſuſcepta eſt Chriſti Fides*: Queritur ibi eruditus Archiepiſcopus de ipſo Valeſio, aliiſque recentioribus, quod facile conceſſiſſe viderentur Gregorio Turonenſi ſcribenti *ſub Aurelio Antonino viſa primum in Galliis Martyria, Dei Religione trans Alpes ſerius ſuſcepta*: Contrarium ipſe probat, initiumque Chriſtianæ Fidei in univerſa Gallia ab ipſis Apoſtolis repetendum oſtendit.

[*b*] S. Epiphanius Hæreſi 79. *Præsbyteris, & Diaconibus in primis opus erat: a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt: ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrebat, nullus eo loco poſitus eſt Epiſcopus, at ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti.*

Digitized by Google

qui traditionem pluribus non mediocris notæ probatam Scriptoribus, quæ S. Photinum primum Beneventi Epiſcopum a S. Petro ordinatum fuiſſe teſtatur: Et ſane traditiones omnes, quæ ab remotiſſimis uſque ſæculis de ejuſmodi re per manus veluti mandatæ ad nos pervenere, in dubium revocare, intemperantioris critices licentia illa eſſet, qua acerrima ingenia ſingularis potius eruditionis cupidine, quam veritatis ſtudio illecta, abuti ſolent: Jam quod Italiam ſpectat, cum pleræque in ea illuſtres Urbes (*a*) non de ſuſcepta ſolum, in ipſis Chriſtianæ Religionis primordiis, Chriſti fide, verum etiam de conſtitutis ſibi eodem tempore Epiſcopis adeo glorientur, non invidenda certe iis erit ejuſmodi gloria, quam diuturna tuetur poſſeſſio; quod ſi certum adhuc deſideretur monumentum, ſtabit profecto pro juſtæ ejuſdem poſſeſſionis titulo tum S. Petri, tum S. Pauli in eaſdem regiones adventus, ac diuturna commoratio: Ac de Paulo quidem non ſolum teſtatam rem faciunt Acta Apoſtolorum, ſed divina plane fide credendam exhibent: De Petro autem, nemo ſanæ mentis, ne dicam mediocris ingenii, qui a limine Eccleſtaſticæ antiquitatis monumenta ſalutavit, id contenderit, quandoquidem veterum, graviſſimorumque Scriptorum conſenſus, quicquid Salmaſio multo, ſed tamen irrito conatu laboratum contra fuerit (*b*) binas illas Reip. Chriſtianæ funeſtiſſimas faces, Lutherum videlicet, ac Calvinum ad rei geſtæ veritatem fatendam coegerit (*c*): quod cum ita ſit, nihil profecto verius, certiuſque affirmari poteſt, quàm Petrum in eo itinere, quo ter (*d*) Ciſtiberina Italia ſibi fuit peragranda, illuſtrioribus ſaltem locis, quà pertranſiſſe oportuit, Evangelii prædicandi munere non ſine felici ſucceſſu omnino fuiſſe functum (*e*). Fateor quidem, plurima tum in quædam eorumdem Epiſcoporum Acta, quæ circumferuntur, tum in ipſas Traditiones commenta irrepſiſſe, at non ea profecto illius rei veritati officient, qua in pleriſque Ciſtiberinæ Italiæ Urbibus, ipſius Petri prædicatione ac labore, Chriſti Fidem ſuſceptam fuiſſe conſtat: Ac, quod Beneventum attinet, ſincerior fortaſſe, quia cæteris ſimplicior ad poſteros ejus rei traditio pervaſit, dum de ſuo primo Epiſcopo Photino, ac de Petri in ſua mænia adventu nihil magnificum, ac quadam miraculorum pompa illuſtre jactat, eo dumtaxat contenta, ut eundem Photinum primum ſibi ab eodem Petro Epiſcopum conſtitutum velit: Cur autem Beneventi & Chriſti Fidem prædicaſſe, & in florentiſſima Urbe Epiſcopum (de cujus nomine, an Photinus fuerit, an Marcianus, vel quocumque is demum nomine vocaretur, non certo) qui ad fidem jam recens converſos confirmaret, regeretque, alioſque convertendos curaret, conſtituiſſe non debuit Petrus? qui cum ter terreſtri itinere (quod veriſimilius mihi fit) Ciſtiberinam Italiam, ter quoque Beneventum, (quæ rectâ ex Hieroſolymis Romam venientibus, ex eaque illuc redeuntibus via fuit) inviſere opus habuit, itaut nullum, ut eò diverteret, novi itineris laborem perferre debuerit: Cæterum non obſcuri, contemptique nominis tum Beneventum erat, quin potius inter Ciſtiberinarum regionum Urbes præclariſſima, neque ipſa etiam longo terrarum ſpatio ab Urbe remota; Hinc utrâque de cauſsa, cum Petrus Romæ ſibi ſedem conſtituiſſet, pari quidem ſtudio curare debuit, ut tum in Urbem ipſam, tum in finitimas regiones, illuſtrioreſque earum Urbes, Evangelii prædicatio effunderetur, quod non ſolum per ſuos diſcipulos, verum etiam per ſe ipſum præſtitiſſe S. Epiphanius teſtatur (*f*).

Quid vero cauſſæ fuerit, ut poſt Photinum ipſum, (qui prior ab Apoſtolo Petro Beneventi Epiſcopus ordinatus, Beneventani Epiſcopatus Religioniſque Chriſtianæ in eam Urbem invectæ fundamenta jecit) nullius ſubinde Epiſcopi uſque ad tertii ſæculi exitum, non dicam acta, ſed

[*a*] Non Beneventani ſolum Photinum ſibi Epiſcopum ab Apoſtolo Petro conſtitutum affirmant, ſed conſtans quoque Neapolitanorum de Aſpreno, Capuanorum de Priſco, Sveſſanorum de Siſinnio &c. Epiſcopis in eadem loca ab eodem Apoſtolo ordinatis eſt opinio: *De certis locis* (ſunt verba Card. Baronii ad ann. 44. num. 27.) *ad quæ Petrus Romam veniens divertit, nobilia in his remanſerunt antiquitatis veſtigia, ſed traditione potius, quam ſcriptura firmata.*

[*b*] Salmaſius in Apparatu de Primatu Papæ.

[*c*] Martinus Lutherus tom. 2. pag. 66. Jo. Calvinus Inſtitut. l. 4. cap. 16. § 23.

[*d*] Bis Romam adventaſſe Petrum ſatis conſtat; Primum ſub Claudio, cujus edicto, quo Judæi Urbe excedere juſſi fuiſſent, rediit is Hieroſolymam, ubi cum cæteris Apoſtolis Concilium celebravit: ſed Claudio defuncto iterum Romam petiit, ubi demum ſub Nerone Martyrium accepit.

[*e*] S. Dionyſius Corinthius apud Euſebium lib. 2. cap. 23. de utroque Apoſtolo hæc habet: *Ambo ſimul adventantes, & per omnem Italiam ſimul docentes....*

[*f*] *S. Epiphanius Hæreſi 27. cum non ſibi conſtare dicat, an S. Clemens* ſuperſtite adhuc Petro ordinatus fuerit Epiſcopus Romanus, affirmare tamen id videtur hac ratione: *Quod poterat viventibus adhuc Apoſtolis Petro ſcilicet, & Paulo, Epiſcopi alii ſubrogari, quod iidem illi, prædicandi Evangelii gratia, in alias Urbes, regioneſque profectionem ſuſciperent, cavere autem Epiſcopo Romæ non poſſet.*

Digitized by Google

ſed ipſum nudum nomen in Beneventanæ Eccleſiæ Faſtis occurrat: & ſane mirum id cuipiam fortaſſe videbitur, cum ne illud quidem in mentem venire queat, aut ex hoc trium pene ſæculorum ſilentio ea omnia labefactari, quæ de S. Petri in noſtram Urbem adventu, prædicatione, ejuſque diſcipuli Photini ordinatione optimis conjecturis ſuperius ſtatuta ſunt, aut potius vix orta exaruiſſe ſtatim Beneventi Fidei germina, quæ Petrus, Photinuſque plantaſſent; itaut hoc demum veteribus Beneventanis ſummo vitio verti poſſit, quod ſuſceptam ſemel Chriſtianam Religionem mox perire in ſua Urbe paſſi ſint, aut certe quibuſque barbaris nationibus rudiores, obſtinatioreſque trium fere ſæculorum ſpatio, nunquam aures, animumque Evangelicis Præconibus accommodarint; quæ cum nemo facile ſibi perſuaſerit, imo nullum vel eadem leviter ſuſpicandi argumentum appareat, non equidem turbare nos debet tam diuturnum ſacræ antiquitatis ſilentium, cujus etiam ſatis veriſimilis cauſſa præſto eſſe videtur.

Rariſſima ubique eſſe Eccleſiaſtica priorum ſæculorum monumenta, reſque Chriſtianorum per eam ætatem geſtas magna ex parte intercidiſſe nemo ignorat: ſive quod priores Chriſtiani parum literas callerent, aut non curarent res ſuas in tabulas referre, ſive quod ſævientibus tum in Chriſtianam Religionem Ethnicis Principibus, ſe, ſuaſque res, ſi ſcriptis mandaſſent, vulgari pertimeſcerent: Illud autem omnino certum conſtat, poſtrema ſimul, atque omnium, quæ Eccleſiam vexarunt, Diocletiani perſecutione tum in Chriſtianorum vitam, tum in ſacros Codices immani furore ſævitum; ea enim infenſiſſimi Chriſtianæ Religionis hoſtis mens erat, ut extinctis, atque ad internecionem uſque conſumptis Chriſtianis univerſis, omnes quoque Codices, ſcriptaque monumenta igne abſumerentur, ut vel hoc pacto cum ipſis Chriſtianis & nomen, & Religionis memoria omnino deperiret: Chriſtiani itaque multi vel ex uno eo capite, quod Codices tradere nollent, ſæviſſimis cruciati tormentis martyrio affecti fuere: Horum omnium memoriam una die Romana Eccleſia etiamnum celebrat (*a*), legitimamque martyrii eam fuiſſe cauſam ſtatim poſt perſecutionem ipſam agnovit Concilium Cirthenſe Diocletiano VIII., & Maximiano VII. Coſ. nempe ann. 303. in Africa celebratum, ubi ſecundus Tigiſitanus Epiſcopus ita fatur: *Quid ergo facturi ſumus de martyribus, quia non tradiderunt, ideo, & coronati ſunt?* Eadem acta Cirthenſia ſummatim recitantur ab Optato Milevitano contra Parmen. lib. I.; inſigne vero eorumdem fragmentum nobis ſervavit S. Auguſtinus cujus partem, quæ ad rem noſtram facit, utpote longiuſculam in ſubjectam notam (*b*) rejiciendam cenſui. Cum igitur per omnes Provincias, earumque Urbes, oppida, vicos, Codices Chriſtianorum omnes conquirendos, comburendoſque publicis edictis juberetur, factum inde fuit, ut maxima illorum copia peſſum ierit; cum enim alios Ethnici in Chriſtianorum domibus, aut cryptis, aut ſacris ædibus ſervatos inveniſſent, alios etiam Chriſtiani ipſi tormentorum vi, metuve devicti tradidiſſent, *Traditores*, ut ex dicto Concilio Cirthenſi liquet, proinde appellati, pauci admodum, vel etiam nulli alicubi (ut de Benevento affirmandum erit) reliqui fuere Codices ad Chriſtianos pertinentes, qui impiorum manus, indictaſque flammas effugerint.

At cum domeſticis monumentis caremus, adeſt tamen, quod alienæ diligentiæ Eccleſia Beneventana debeat, ne omnes ſuorum Chriſtianorum res inter offuſiſſimas prioris ætatis tenebras omnino conſepultæ deperierint: Habemus enim, labente primo Chriſti ſæculo S. Piatum, ſeu Platonem Beneventi floruiſſe, qui claro genere ortus, eximia tamen ſanctitate, Chriſtianæque Fidei dilatandæ zelo clarior, Romam adiens, Sanctoque Dionyſio in Gallias proficiſcenti cum aliis comes adjunctus, Tornaci, quam ſibi Galliæ Urbem, ejuſque finitimam regionem elegit, adeo felici ſucceſſu Evangelium prædicavit, ut Tornacenſium Apoſtolus jure dictus, etiamnum in ea Eccleſia ſumma veneratione colatur: Beneventum S. Piati Patriam fuiſſe affirmat locuples, optimæque fidei teſtis Sanctus Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, qui Rythmico carmine (*c*) ſatis fuſe, ac luculenter ejus res geſtas exequitur.

Ac de

[*a*] Martyrolog. Rom. die 2. Januar. *Romæ commeratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui ſpreto Dioletiani Imp. edicto, quo tradi ſacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam ſancta dare canibus maluerunt.*

[*b*] S. Auguſtinus contra Creſconium lib. 3. cap. 26. & 27. ex Actis Concilii Cirthenſis hæc inter alia plura recitat: *Secundus Marino dixit: Dicitur & te tradidiſſe: Marinus reſpondit: Dedi Pollo chartbulas, nam Codices mei ſalvi ſunt: Secundus dixit: Tranſi una parte. Secundus Donato Calamenſi dixit: Dicitur te tradidiſſe: Donatus reſpondit: Dedi codices medicinales: Secundus dixit: Tranſi una parte: Et alio loco Secundus Victori a Ruſicate dixit: Dicitur te tradidiſſe quatuor Evangelia: Victor reſpondit: Valentinianus curator fuit, ipſe me coegit, ut mitterem illa in ignem &c.*

[*c*] Extat hoc carmen inter opp. S. Fulberti t. XVIII. Bibliot. Patr. edit. Lugdun. ann. 1677. ubi poſt Epiſtolas,

Digitized by Google

Ac de Piati patria nemini dubium esse potest; an vero ejusdem ætas in primi sæculi fine sit consignanda, non æque certum facit ejusdem Fulberti auctoritas, qui eum, ut ex carmine constat, sub Maximiano passum postremò asseruit: nec secus Romanum Martyrologium, quod sub die 1. Octobris, postquam a S. Dionysii sociis illum abjudicat, ac S. Quintino comitem adscribit, eâdem Maximiani persecutione coronatum commemorat: an igitur in eo falsus fuerit S. Fulbertus, quod pro Quintino Dionysium substituerit? vix puto: nam Piatum Dionysii socium præter Fulbertum, commemorat quoque Martyrologium Ægyptiacum in shedis Antonii Caraccioli, ac Martyrologium Molani secundæ editionis (a) hisce verbis: *Tornaci S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionysio ejusque sociis abiit de Roma, & Gallias prædicationis causa petiit, ac postea consummato martyrio migravit ad Dominum*: Rem denique ita se habuisse persuasum fuit Petro de Natalibus l. IX. cap. XI.: Hinc, cum in laudatis Martyrologiis martyrii tempus non fuerit designatum, quod tamen facile ex Dionysii ætate intelligi poterat, vel memoriæ lapsum in Fulberto agnoscere debemus, vel in ejus carmine mendum irrepsisse, ut pro Trajano (sub quo Dionysii martyrium consignat Card. Baronius ad an. 109. n. 38.) Maximianus scriptus habeatur: neque enim in ipso Dionysio errasse potuit Fulbertus, qui plura in Carmine addidit, quæ nonnisi Areopagitæ convenire, eumdemque omnino demonstrare videantur.

Utut autem de S. Piati Beneventani civis, Tornacensiumque Apostoli ætate aliis judicare libeat, illud tamen omnino certum constat longo ante partam Ecclesiæ pacem, dominantibus adhuc Idololatris Principibus, Christianam Religonem jamdiu Beneventi receptam; nam, qui ex Martyrologii Romani fide S. Piatum seriùs floruisse contenderit, haud tamen is negabit, illum a pueritia (quod Fulbertus speciatim meminit) Christiana Fide fuisse imbutum; quod si in ea re vel suos parentes, aut quosvis alios Magistros, ut par est, ei dederimus, magnam certe priorum sæculorum partem habebimus, Christianis viris, qui Beneventi extarent, jam satis illustrem; cur vero Beneventi non extarent Christiani, ubi post Photini ordinationem a S. Petro factam, aliorum (quorum dumtaxat nomina nobis invidit antiquitas) Episcoporum electiones peragi consuebant? cujus plane rei optimæ, quæ etiamnum suppetunt conjecturæ, erunt mihi modo proferendæ.

Celeberrimum sane est non in unius Beneventanæ Ecclesiæ Fastis, sed toto Christiano Orbe, omniumque sæculorum memoria commendatum S. JANUARII Beneventani Episcopi nomen, qui in Diocletiani persecutione sanguinem semel effundens, adhuc in eo redivivus admirabile Fidei testimonium reddere pergit: Ex hoc autem nostro Sanctissimo Episcopo primum illud pro certo statuendum erit, nullatenus Beneventanis expectatum tempus, quo sub Christianis Principibus, quam veram demum agnovissent, suscepissentque, Christi Fidem non impune solum, sed summi quoque honoris causa profiterentur: Jamdiu enim, ut dixi, sub Ethnicis Principibus, iisque etiam in Christianos furentibus palam Christianam Religionem sectabantur; itaut tantum absuit, ut, post Sancti Januarii martyrium, cum quo Festus ejusdem Beneventanæ Ecclesiæ Diaconus, & Desiderius Lector simul coronati sunt, ab eadem Religione perterrefacti

 desci-

stolas, & sermones, ejusdem quoque Prosas, & Versus invenies, inter quos S. Piati carmen, seu hymnus, cujus verba heic recitare non piget,

In Tellure Beneventi, clarus ortus Patribus, Insignis Mundo Piatus, sacris fultus moribus. (pro *fultus*, legendum puto *fulsit*)
Mox Puer Christum sequendo admirandis nisibus insignis, Post adultus vilipendit vanam Mundi gloriam, De suis nil reservans præter vestem simplicem.
Sed quæcumque possidebat dans fomentis Pauperum, nescius Romam pergit jam vir extans, illic & conjungitur Dionysio, suisque Sanctis Consodalibus.
Sic in cœtum tantorum virorum lumen viget additus Dionysio, bis profectis prædicare Christum Genti Gallicæ.
Tornacum versus Piatus se direxit inclytus, cum Parisium iret Beatus Dionysius.
Tornaco ergo diffundendo latè sancti Verbi semina, Christo convertit virorum terdena millia.
Præter parvos & secundi sexus turbam maximam Christicolum genuinis inter hæc coruscans virtutum miraculis.
Edomabat parcitate duras vires corporis, ut frangendo roboratus, hosti non succumberet, & illum debellaret fortiter.
At Cæsar Maximianus, ut Piati hausit famam virulentis auribus, comprehendi jussit Eum ad necandum protinus.
Utque fama est, ille militare promptus, atque vinci nescius, nexus vicit, flagra vicit, & omnes impetus.
Decollatur namque tandem, læto cœtu Martyrum, Palmam gessit laureatus, ad Cæli Palatium.
Dumque gleba conderetur glorioso corpus Martyris, fusus odor est superni circumcirca nectaris.
Ne quid Mundus hæsitaret de salute spiritus, cujus caro tunc probabat, hunc regnare cælitus.

[a] Franciscus de Aste in not. ad Martyrolog. Rom. sub die 1. Octobris.

Digitized by Google

deſciverint, ut potius, ne Chriſtianorum Res quid detrimenti caperet, novum ſibi Epiſcopum mox eligendum curaverint: Theophilus is fuit (*a*). S. Januarii ſucceſſor, cujus tempore, Licinio Maxentioque Romanum Imperium in Italia moderantibus, dirè adhuc Chriſtianorum res vexabantur: ſed & S. Januarium Epiſcopum alios deceſſores Epiſcopos habuiſſe vix erit dubitandum: cum enim is, Idololatria adhuc dominante, imo fervente in Chriſtianos perſecutione, Epiſcopatum Beneventanum adminiſtrarit, ad quem nonniſi ſub tertii ſæculi exitum electus videtur, neque verò omnia, quæ de eo extant Acta primum Beneventi Epiſcopum fuiſſe tradant, nihil profecto vetat, quin longe ante ejus ætatem, & Chriſti fidem Beneventanos amplexos, & ſuos Benevento fuiſſe antea Epiſcopos credamus, quorum nomina, atque acta ex ſuperius allata, vel quavis alia de cauſsa modo deſiderantur.

Sed ad eandem rem uberius, certiuſque comprobandam alia quoque argumenta in medium afferre præſtat, quæ ejuſdem S. Januarii Epiſcopatus nobis opportune ſuppeditat: Horum caput illud eſſe fateor, Sanctum nempe martyrem nedum Beneventi Epiſcopum, verum etiam Civem fuiſſe: Natale S. Januarii ſolum, ſive naturalem Patriam Beneventum univerſa agnovit antiquitas; at ex tam diuturna poſſeſſione pluribus titulis etiam comprobata Beneventanos exturbare Neapolitani conati ſunt; quibus etiam, qui blandiretur inter alios inventus eſt Ughellus, cui amplius libuit ſtemma Januariæ gentis, quæ hodie ſummo loco Neapoli floret, S. Januario Epiſcopo Beneventano affictum exhibere (*b*): non ſiluere tamen Beneventani; quam ob rem inter utriuſque partis literatos viros lis exarſit; nam ſuperiore ſæculo Vipera, ac Bilocta ornatiſſimi Patritii, doctique viri cum Caracciolo, & Tutino eruditis Neapolitanis ſtrenue decertarunt; noſtro vero hoc ſæculo progrediente etiam pro Beneventanis *enſe armatus* prodiit Nicaſtrus Epiſcopus Claudiopolitanus, in cujus opere pro eruditi ſæculi genio accuratiorem rerum, orationis, monumentorumque delectum deſideraveris, cui tamen pretium feciſſe videtur Nicolaus Carminius Falco [nunc Sanctæ Severinæ Archiepiſcopus], qui edita anno 1713. Sancti Januarii Hiſtoria, Neapolitanorum, Neapolitanæque Januariæ Gentis clariſſimæ cauſſam poſtremò ita egit, ut præter ridicula plura, quæ paſſim habet, putidiſſima commenta ex antiquiſſimis monumentis *divinitus*, *nec ſine miraculo*, ut ait, *ſibi uni tandem compertis nobis obtrudat*: Sed quod attinet, meum heic erit (quandoquidem pro re nata id pertractare contingit) rei ipſius momenta in medium afferre, non omnia tamen, ſed tutiora, ac graviora, atque ab aliis nondum obſervata, quæ ſimul omnia unam, vel alteram paginam vix implebunt; nam in optima cauſſa levibus quibuſdam, incertæque fidei argumentis uti ſupervacaneum erit, neque lectorem plus æquo gravari decet, cui ea dumtaxat expoſuiſſe ſatis eſt, quibus is rectum de ejuſmodi re judicium ferre poſſit.

Primum itaque erit argumentum illud, quod ex Gente Januaria, quæ prioribus ſæculis Beneventi floruit, S. Januarium Beneventi Epiſcopum omnino progenitum nobis demonſtrat: ejuſmodi argumentum viris doctis ſatis probari video, ut de alicujus viri patria recte definiri queat; ac ne a re propoſita longius digrediar, ſatis erit eruditi Equitis Oliverii judicium attendiſſe, qui cum inter marmora Piſaurenſia *Terentiam Philuſam* n. 117. inveniſſet, *de Terentia gente* Piſauri olim extante non modo certum pronunciat, ſed etiam ſuam ſententiam *mirifice confirmari* ait, *qua S. Terentium Piſaurenſium Patronum, quem apocrypha ejuſdem martyris acta Pannonum fuiſſe tradunt, non ſolum martyrio, ſed etiam natione vere Piſaurenſem fuiſſe ſtatuit*: At ex eo amplius Beneventanis argumentum iſtud favere omnino debet, quod ii non ex unius, vel alterius lapidis fide Januariæ Gentis inter ſuas extantis monumenta repetant, ſed ad octo uſque lapides ſuperſtites adhuc numerant, primi vel alterius ſæculi ætatem ferentes, qui Januarios præferunt haud mediocris in Beneventana civitate loci viros mulieresque: non heic lapides iſtos afferendos cenſui, ne diutius lectorem morer, cui promptum erit in Theſauro huic volumini adjecto, perlegere: ſcio eodem omnino argumento Neapolitanos aliquando uſos, qui ex vetuſtis lapidibus ſuos æque Januarios oſtentare conantur: ſed paris argumenti non eadem vis, atque ratio, quæ ſolis ineſt Beneventanis lapidibus; nam, ut mittam dicere de Neapolitanorum lapidum fide, cum ſexcentos pene Januarios ex totius Europæ Urbibus, ac univerſo pene orbe, antiquorum lapidum teſtimonio collegerit Falconius (*c*), ita profecto Neapolis, ut aliarum Urbium, ubi Januarios

[*a*] Theophilum Beneventanum Epiſcopum initio quarti ſæculi floruiſſe manifeſtum eſt ex Actis Lateranenſis Concilii, ſub Melchiade Papa celebrati an. 313. ubi is interfuit; de quo Optatus Milevit. adverſ. Parmen. l. 1.

[*b*] Tom. VIII. Ital. Sac. edit. Roman. an. 1662.

[*c*] Cui bono Falconius Januariorum omnium, quotquot antiqui lapides habent, cenſum inſtituere laboraverit, non ſatis video: An ut S. Januarium Neapolitanum civem fuiſſe probet? quàm ineptum ejuſmodi ſit argumentum, ſuperius demonſtravimus? An Januariæ familiæ ornamento? quippe quæ olim ubique gentium propagata conſtitit: at nullum exinde decus, quod ſæpe,

nuarios floruiſſe jam conſtat, Januarius Civis cenſeri poſſet; non ulli autem earum Urbium id hactenus in mentem venit ut Januarium Civem ſibi vindicet, quod ſi unquam contenderent,

ſæpe, ut fit, ex propagatione ipſa vileſcit, innumeris Januariis libertinæ conditionis, aut ex plebis fæce nobis patefactis: An demum, ut in illuſtrandis, quos omnes exhibet, Januariorum lapidibus eruditionem oſtentet? Ita ſcilicet: A Tarraconenſi lapide orditur (nam Geographorum more ab Hiſpania in reliquas Europæ regiones progreditur) quem ſic exhibet lib. Geneaol. della famiglia di S. Gennaro cap. 13.

Q. AELIO IANVARIO . . .
P ROC. HEREDITAT. . . . XX
PROC. CHOSDROE . . . . REG
SYRIAE. COELES. . . . . YRI
AD . . . VECT. ILLYRIC. PRAES
PROV. HISP. CITE
RIORIS TARR. PRAE
SIDI PROV. TING. PRAE
SIDI PROV MAV. . . . . RITA

An autem literæ illæ, quæ ex utroque latere ſolitariæ ſunt, quæque cum dictionibus linearum, quibus reſpondent, coire omnino debent, ut eaſdem dictiones perficiant, Quadratarii, vel Falconii luſus fuerit, non liquet; certe apud Gruter. pag. 346. num. 1. unde lapis deſcriptus, nihil ejuſmodi occurrit: ipſum tamen Falconium audire præſtat. *Benchè non poſſa congetturarſi, da chi gli foſſe inalzato un tal marmo, ſe non ſe da Tarraconeſi, nulla però di mance chi non vede dagli orrevoliſſimi poſti, che egli* (Q. Elio Januario) *dall' Impero Romano ottenne, il gran talento che ebbe per ſoſtenere cariche così vaſte, tutte ad un tratto?* Abſit, ut Falconio credamus, munera omnia, quæ cuique in veteribus inſcriptionibus tribuuntur, uno eodemque tempore adminiſtrata: At quid de muneribus ipſis Falconius? *E che quella proccureria delle Redità, non bagatella, o di poco decoro, ma qualche gran coſa (anche perchè prima ſcritta) dovette eſſere*: Imo quia primo loco ſcripta primum ad poſteriora munera fuiſſe gradum ſatis doceant tum aliorum lapidum ſexcenta exempla, tum muneris ipſius conditio, quod Falconius magnum quid fuiſſe ſuſpicatus in eo adhuc laudandus videtur, quod ingenue neſcire fateatur, quod quilibet e trivio docere eum potuiſſet, Procuratores nempe Hæreditatum, ſeu *Viceſimæ Hæreditatum* (ut omnino lapis habet illo duplici xx. eidem lineæ dictionibus e latere reſpondenti) in omnibus Provinciis olim fuiſſe, unde magnus Fiſco reditus proveniebat; quorum præter leg. 1. Cod. De Uſur. Rei Jud. & leg. 32. D. De Jur. fiſc. frequens in antiquis lapidibus occurrit mentio: Utinam vero Falconius ipſe, qui protritam rem ignorabat, a cæteris difficilioribus explicandis abſtinuiſſet; niſi fortaſſe leviorum ſcientiam deſpiciens, ſe in maximis tantum verſatum probare voluerit: ſic itaque pergit: *Egli fu Criſtiano, e viſſe intorno al* DC. *della noſtra ſalute: ciocchè chiaramente ſi vede, perchè ebbe per Clientolo appo il Romano ſoglio (come ancora ſi coſtumava a' ſuoi tempi) Coſdroe Re di Perſia: fu queſti amico, e confederato de' Romani, ma irritato dall' Imp. Maurizio* . . . . . At quid adhuc moror nugaciſſimas haſce Falconii nugas: facile Falconio ſucum feciſſe potuit illud CHOSDROE tertiæ lineæ, atque in eo Regem Perſarum ſibi videre viſus, ita ejus nomine perterrefactus extitit, ut ridicula omnia, atque ineptiſſima illuc derivare potius, quàm Regem Choſroën, quem ſolum ſciret, iratum e lapide eiicere voluerit; ſed is eiiciendus erat omnino, qui per ſummam injuriam lapidem invaſerat: Sic igitur in Gruteriana, editione lapidem emendandum cenſeo, ut pro *Choſdroe*, quod corrupte legitur, non aliud, quam Provinciæ Romanæ nomen illic ſcriptum fuerit, quæ *Oſrhoene* Dioni, *Oſdroene* Appiano appellatur, Regio Syriæ, in Meſopotamiæ confinio, quæ inter 40. Præſidiales Imperii Orientalis Provincias recenſetur a Panvinio (de Imp. Rom. pag. 900.), in eaque P. Elius Januarius, ut in cæteris, quæ in lapide ſequuntur, Provinciis primum Magiſtratum geſſit, itaut neque is circa ſexcenteſimum æræ Chr. annum vixerit, eo ſcilicet tempore, quo omnes fere Provinciæ in lapide numeratæ jamdiu a Romano Imperio defecerant, neque Rex Choſroës de Stillicidiis, aut de Fidei-commiſſo apud *Solium Romanum*, ſeu ad Tribunal *Prætoris Peregrini* agere judicio debebat, ut Ipſe Elii Januarii Cliens eſſet, ille vero ipſius Procurator deligeretur; neque tandem, ut Falconius ajebat Januarium Chriſtianum dicere liceat.

Falconianæ eruditionis ſpecimen hoc dediſſe ſufficiat; quamnelius mirari ſubit in ejus lapidis explicatione, quem ad S. Januarium ipſum refert. Sic igitur Falconius lib. 3. cap. 1. *In un marmo di porfido nericante ſi oſſerva ravata una bella Croce; di S. Gennaro reliquie furon locate da S. Silveſtro: ve le posò egli nella Conſecrazione che fece in Napoli della Chieſa di S. Gio. Maggiore: Ivi, dico, fu detto marmo antichiſſimo il nome, e cognome del Santo vi fu ſcolpito* . . . . *Il nome del Santo, come ancor nelle ſue antiche Medaglie ſi legge, è quel* SCS IAN, *cioè S. Januarius, a cui col nome di* FAUSTO *Napoli viene raccomandata: egli è queſto appuntino:*

Digitized by Google

eodem omnino pacto, quo modo Neapolitani, ſibi inaniter blandiri judicarentur: ſtabit igitur pro ſolis Beneventanis argumentum, quibus, cum S. Januarium Epiſcopum nemo denegare auſit, ut Civem quoque probare poſſint, optime favet cum ipſa (ut mox videbimus) Epiſcopali dignitate juncta ſimul plura ipſa, quæ diximus pervetuſtis lapidibus conſignata Januariæ gentis monumenta; His addam quoque, quod rem omnino conficere videtur, inſigne alterum, ac omnium præclariſſimum monumentum ex Eccleſiæ Beneventanæ Faſtis optima fide depromptum, in quibus ante medium ſæculum quartum, cujus plane ſæculi initio S. Januarius Epiſcopus, & Martyr extitit, adhuc S. Januarius alter Epiſcopus, & Confeſſor floruit, de quo in Diſſert. IV. plura a me dicta invenies: An vero ex Januaria gente Neapolitana, ſuis omnino neglectis civibus, poſteriorem hunc Januarium adhuc ſibi Epiſcopum accerſere Beneventani voluerint? Non id certe Neapolitani ſibi tribuunt, qui, dummodo priorem ſibi vendicent, poſteriorem Januarium Beneventanis libenter concedunt: at, cum liberales in altero videri volunt, alterum vel nolentes coguntur amittere: Ex hoc enim Januario altero, quem Beneventanum Civem Neapolitani omnino admittunt, quique à priore vix quadraginta annorum ſpatio remotus fuit, jam tuto affirmari poterit, non ſolum Januariam Gentem ſatis illuſtrem Beneventi extitiſſe, verum etiam poſteriorem hunc Januarium, tum prioris Gentilis ſui meritis, tum ſuis virtutibus ſatis probatum, ad Epiſcopale Patriæ munus a ſuis Civibus electum fuiſſe.

Sed & argumentum alterum ad probandam Januarii Patriam ſatis luculentum ſuppeditare nobis videntur ejus Martyris Acta, quæ aliis omnibus, quæ hactenus circumferebantur, antiquitate, ac ſinceritate præſtantia, nuper Bononiæ inventa, nunc primum vulgavit V. C. Alex. Mazochius in calce tom. I. Comment. in Kalend. Neapol.: multa in hiſce actis abſunt, quæ vel nimis admiranda, vel minus veriſimilia in aliis legi conſueta, virorum doctorum judicio non immerito reprehendebantur, adsunt, cæteris neglectis, hæc eadem tandem eſſe ſincera, ac primigenia S. Januarii Acta, *antiquitate, breviloquentia, ſimplicitate, nec non gravitate ſe mirifice commendantia* recte Mazochius pronunciaverit: ſed & in hiſce actis, de quibus nunc demum in lucem erutis tantopere ſibi gratulantur Neapolitani, deſiderandum ipſis modo eſt, quod ex Apocryphis, ſeu interpolatis aliis, ad S. Januarium ſibi civem vindicandum, ſuppetere poſſe arbitrabantur (*a*). At, quod noſtra interest, Matrem S. Januarii eadem acta [qui-

De nomine, ſeu cognomine *Fauſti*, quod S. Januario Falconius ex hoc lapide attribuit, ſomnia ſunt, nam dum monumenta omnia de ea re ſilent, illud *Fauſte* adverbii loco ſcriptum fuit: quis vero Falconio concederet illud STS IAN. ad S. Januarium referri, & non potius ad S. Johannem, in cujus Æde lapis adhuc aſſervatur? Unde demum Falconio comperta fuit antiquitas, uſuſque lapidis? Ab ipſomet libenter audimus, qui areæ ejus monumenti Tabulæ ſic ſubſcribit: *Au tres fort celebre, au tres fort glorieuſe S Januier pour auoir fait connoitre a l'Auteur Falcon que cette memoire fia de la dedication du Temple de S. Jean avec le reliques de luy, le meſme Auteur cette marque eternelle de connoiſance*: Colitus itaque accepit Falconius lapidis antiquitatem, atque uſum; & ne res tanta in profanum vulgus effunderetur, gallico ſermone teſtatum voluit; at præter revelationem Falconio ſoli factam, majus illud obſtupebimus miraculum, quo lapis, qui XII. aut ſerioris ævi ſaltem eſt, tam cito ſeneſcere potuit, ut quatuordecim ſæculorum ætatem modo ferre cogatur, imo & ante ipſam Eccleſiam S. Johannis Majoris natus ſtatuatur, quæ nonniſi medio ſæculo VI. a Vincentio Epiſcopo (ut Cl. Mazochius in Præf. Kalend. probat) primùm edificata fuit.

[*a*] In poſtrema ſectione Actorum S. Januarii, quæ Baronius vulgavit de translatione corporis ejuſdem Martyris (quam circa an. 432. ſub S. Joanne I. Neapolitano Epiſcopo conſignandam putat Mazochius) hæc habentur. *Poſtea vero quieto jam tempore (i. e. ſub Chriſtianis Principibus pace Eccleſiæ reddita) venerabiles Epiſcopi una cum omnibus ex genere beatiſſ. Martyris Januarii, cum Plebe Dei ſancta, cum hymnis, & laudibus corpus ejus tollentes juxta Neapolim tranſtulerunt*: qui autem ex genere beatiſſimi Martyris memorantur, nonniſi ex Urbe Neapoli, quò ſacrum corpus transferendum erat, ad eam translationem celebrandam confluxiſſe contendebant Neapolitani, quaſi quod paci modo non item illud verum eſſe queat, ut Benevento, quò celebrandæ translationis fama ex locorum propinquitate mox pervadere poterat, illuc concedere facile potuerint; eoque vel magis, quo Acta ipſa non unum, ſed plures Epiſcopos fuiſſe deſignent, qui eam translationem curaſſent, adeout præter Neapolitanum, Beneventanum quoque, atque alios ejuſdem Regionis Antiſtites, ſi hiſce actis fides habenda eſſet, præſentes ſane fuiſſe veriſimile videatur: At cum ex Baronianis Actis utraque pars eam rem ad ſe traheret, tum Mazochiana Acta, ſolennem formulam *neutri* manifeſte profanciant, Nullum enim illorum hominum, qui ex genere S. Januarii ad eam translationem convenerint, veſtigium in hiſce actis apparet, quorum verba ita ſe habent. *Poſtea vero quieto jam tempore venerabilis Epiſcopus una cum plebe Dei ſancta cum hymnis, & laudibus tollentes juxta Neapolim tranſtulerunt, & poſuerunt in Baſilica, ubi nunc requieſcit*: quæ cum ita ſint, videant Neapolitani, ne de aliorum actorum, vel potius de ſuorum hominum mala fide juſte redargui poſſint, qui in iis actis ea verba (nullo tamen, ut a me oſtenſum eſt, ſuæ cauſæ emolumento) ad-

Digitized by Google

[quibus illa, quæ a Card. Baronio vulgata fuere, omnino consonant] Beneventi degentem, ibique sancto fine quievisse præclare testantur (a). Ex quo fit, universam S. Januarii familiam Beneventi consedisse: Quid enim? an tunc primum, cum S. Januarius Beneventanum Episcopatum adeptus fuit, eò quoque illius Mater, cum reliquis agnatis commigrasse putanda erit? Nunquid Neapoli Urbe persecutionum experte, vel cum vitæ discrimine, vel non sine gravissimis incommodis aliis Christianam Religionem profiteretur, aut tanta fortasse rei familiaris, qua se substentaret, premeretur angustiâ, ut Mater filium Episcopum longe a patriis laribus sequeretur? At pudet jam absurda hæc tantum commemorasse, quæ nec sanæ mentis quisque sibi audienda permiserit: Dum igitur certo constat, Beneventanam Urbem Matri S. Januarii domicilium præstitisse, cum eaque reliquam familiam ibidem suos habuisse lares verisimile omnino sit, jam illud sequitur, ut, cum non ullæ aliæ nisi ineptissimæ subsint causæ, domicilium ad solam originem, qua communis Januariæ Gentis Beneventum Patria erat, referendum esse videatur.

Quæ tandem de causa [quod postremo loco invictissimum omnium mihi argumentum seposui] non suorum civium aliquem, qui in Cleri censum adscriptus esset, constituendum sibi Episcopum curassent Beneventani? Notissima sane est, quæ tum maxime vigebat, Ecclesiæ disciplina, ut in singulis Urbibus, ubi Episcopales sedes constitutæ essent, Episcopus ipse, qui in defuncti locum succederet, nonnisi ex ejusdem Ecclesiæ Clero esset omnino eligendus: Plures vetustissimæ ejusmodi disciplinæ testes habentur Summorum Pontificum, qui ineunte sæculo v. floruerunt, decretales Epistolæ, ut Zosimi, Hilarii, Cælestini I. Leonis Magni (b): sed præstabit ætatem, de qua agimus propiùs attingere, cum nimirum disciplinam hanc servari magis interesse videretur: Hinc, ut alia exempla præteream, Julius PP. in ea ad Orientales epistola, quam S. Athanasius Apologiæ II. intexuit (c) perspicuè demonstrat, Arianos tum ex aliis, tum præsertim ex eo capite gravissime in Ecclesiæ leges peccasse, quod Georgium, qui nec Alexandrinus civis, nec illius Ecclesiæ Clero adscriptus esset in Athanasii locum præfecissent: *Ubi* [inquit] *istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut traditio Apostolica, immittere Georgium peregrinum, & externum hominem, nec Alexandriæ baptizatum, neque Plebi cognitum, neque postulatum a Presbyteris* (d): Ex quibus Julii verbis non modo illud discimus nefas tum fuisse extra Cleri gremium loci Episcopum aliunde adsciscere, verum etiam disciplinam illam, qua Sacerdos, vel Diaconus propriæ Ecclesiæ præficiendus erat, ex Apostolica traditione promanasse, Ecclesiasticis vero Canonibus fuisse confirmatam: nec profecto secus se habere res debuit; cum enim in Episcopi electione Plebis præsentiam testimoniumque adhiberi oporteret, ut inter alios præclarissime testatur S. Cyprianus (e), quonam pacto peregrini externique hominis virtutes perspectas habere Plebs poterat, ut verum, rectumque de eo testimonium ferre posset, maxime cum Idololatria vigente, persecutionibusque exardescentibus nulla, aut rara admodum inter diversarum Urbium Christianos erant commercia, quibus,

adsuenda curarunt: Dixi tantùm de actis antiquis, nam fabulas Emanuelis nescio cujus Monachi Basiliani non moror, quas miraculose compertas, seu potius sub eo nomine confictas Falconius jactitat in Proemio, & tot. lib. 3.: ubi ex hujusmodi actis S. Januarii genus, patriam, distinctaque ætatis, virtutumque serie vitam ab nativitate ad Martyrium commenticiis, ridiculisque narrationibus contexit. Græculi alicujus hunc esse fœtum infimo ævo editum nemo non videt: de quo tamen more suo Falconius ita pronunciat: *L'Autor di tal legenda, come vidi nel fine di essa, fu un tal Emanuele Napoletano Monaco Basiliano del monastero Gazarese di Napoli appunto nel 500. di Cristo.*

[a] Actorum sect. 7. hæc sunt: *Mater quoque S. Januarii in civitate Beneventana posita vidit in somnis ante triduo, quod Januarius Episcopus in aera ad Cælum volabat: & eum de somno suo excitaretur & interrogaret, quid vellet esse; subito nuntiatum est ei a quodam, filius Januarius Episcopus pro Dei amore in vincula teneretur; at illa pertegrita prosternens se in oratione reddidit spiritum.*

[b] S. Leo epist. 84. cap. 6. inter alia statuit, ut Episcopus: *Omnium Clericorum, atque omnium Civium voluntate discussa, ex Præsbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligeretur.*

[c] Habes etiam eamdem Julii PP. epistolam ordine tertiam apud Labbeum Coll. Conc. tom. 2. pag. 527. edit. Venet. ann. 1728.

[d] Rem eandem acriùs subinde inculcat idem Pontifex hisce verbis: *Si enim in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter Ecclesiasticum Canonem fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso Clero Episcopos Provinciæ constituere, nequaquam autem Apostolorum Canones violare.*

[e] S. Cyprian. lib. 1. epist. 3. edit. Erasm.: *Propter quod diligenter de traditione divina, & apostolica observatione tenendum est, & servandum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam Plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur Plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.*

Digitized by Google

quibus, ut Perſecutorum ſævitiam effugerent, ſatius erat domi ſe continere, adeout ſacros conventus in cryptis, cœmeteriis, aliiſque abditis locis, clam, ac vix quidem ſibimetipſis noti agere conſueſcerent.

At quid, inquis, cauſſæ fuerit, ut contra ejuſmodi legem aliquando peccaverint Beneventani, qui medio quinto ſæculo S. Tammarum, non Campanum quidem, aut ſaltem Italum, ſed domo Afrum (qui Vandalica perſecutione navigio fatiſcenti cum ſociis impoſitus ad Campaniæ oras appellens, Chriſtianis virtutibus, vitæque ſanctitate conſpicuus eſſe cœpit) Epiſcopum ſibi elegerunt: quin ego ajo non ea ſolum ætate, qua Chriſtianorum res maxime florebant, verum etiam prioribus tribus ſæculis, tum Beneventi, tum alibi, atque in ipſa etiam Romana Eccleſia ab ea lege aliquando fuiſſe receſſum; cujus tamen rei non una eſſe cauſa videbatur; vel quod nemo civium ad paſtorale munus ſubeundum idoneus tum adeſſet, vel is Epiſcopus poſtularetur, qui licet externus homo, diu tamen in eodem loco moratus, ac præterea in Cleri cenſum adſcriptus ceteris digniorem ſe probaſſet, vel certe (ut ferè ſemper accidit) miraculo aliquo, viſibili veluti ſorte e Cælo delapſa divinitùs probaretur: At nihil hujuſmodi in Januarii electione contigiſſe, in ejus actis omnibus legere eſt, [nam de commentitiis Græculi Monachi Baſiliani, ſeu Falconii narrationibus acta res eſt] ut proinde nulla appareat cauſſa, cur Beneventani eam legem, quam centum quinquaginta pene annorum ſpatio in novem S. Januarii ſucceſſoribus, qui omnes Cives fuere ad S. Tammarum uſque, adeo religioſe ſervarunt, in S. Januario ipſo contemnendam exiſtimarint. Quid vero opus Beneventani tum haberent, ut extra ſuæ Eccleſiæ Clerum Epiſcopum ſibi quæſiſſe debuerint, quaſi non inter ſuos, qui digni eſſent, reperirentur? Aut quid tandem boni ex Neapolitanis ſibi poterant polliceri? Utrumque cum demum probaverimus, confecta tandem res erit.

Ac primùm, quod Neapolitanos ſpectat, ægre poſtremum hoc argumentum a me tractari fateor, quo eorum gloriæ, quam alioquin multis ſpectatam nominibus non mirari ſolum, verum etiam fovere potius, tuerique in animo ſemper fuit, nonnihil modo detractum videatur: At dum rei ratio poſtulat, Patriæ, ac veritati erit inſerviendum. Quid igitur? an Beneventani Epiſcopum ſibi quæſituri in Neapolitanorum quempiam oculos, mentemque conjeciſſent? qui fuerit tum Neapolitanæ Eccleſiæ ſtatus, atque conditio ex ſequioris ævi monumentis (nam ad ejus ævi exempla adverſus Beneventanos provocare video Neapolitanos) facile intelligemus: quantum enim, dum Idololatria ſtaret, Chriſtianam Religionem averſatos fuiſſe Neapolitanos putabimus, qui, exciſo jam Idolorum cultu, adhuc ejuſdem fuere tenaciſſimi? Certe quarto labente ſæculo non alio, quam *Religioſæ Urbis* nomine Neapolim commendavit Symmachus, atque eo ſane nomine, quod perperam ad Chriſtianæ Fidei cultum, vel aliam quampiam cauſam plerique interpretari conati ſunt, nonniſi veteri Ethnicorum Religione, præ aliis Urbibus Neapolim ſolam excellere notavit Symmachus Chriſtianæ Fidei infenſiſſimus hoſtis (*a*): quale igitur fuerit Beneventanorum conſilium petere ſibi Epiſcopum ex ea Urbe, quæ adeo gravi laborabat infamia, quam omnino id augebat, quod toto trium ſæculorum intervallo,

[*a*] Symmachi verba ex lib. 8. epiſt. 28. hæc ſunt: *Quam primum Neapolim, petitu Civium ſuorum viſere ſtudeo: Illic honori Urbis Religioſæ biduum deputabo*: Peregrinus in Camp. Felic. Diſſert. 4. prior hunc Symmachi locum obſervavit, atque ex illius enixiſſimo in Idololatriam ſtudio, implacabili vero in Chriſtianos odio, Neapolim Ethnicæ Religioni tum addictiſſimam eo Epitheto denotari ratus, nodum hunc literatis Neapolitanis ſolvendum reliquit: An vero poſt Peregrinum ſolutus unquam fuerit, audire præſtat nuperum Hiſtor. Civil. Neap. Scriptorem Peregrino conſentientem to. 1. pag. 621. *Tra le città Greche di queſte noſtre Regioni Napoli certamente fu la più ſuperſtizioſa, e la più attaccata agli errori degli Etnici..... Per la gran ſuperſtizione de' Napoletani, e per la ſomma lor venerazione a' Patrj Numi, eziandio dapoichè Coſtantino diede pace alla Chieſa ſi penò gran tempo innanzi che il falſo culto poteſſe aboliſi*..... ac poſtquam rem ipſam laudato Symmachi loco confirmaſſet, hæc ſubdit: *Ciaſcuno sà, che Simmaco fu fiero, ed atroce nemico de' Criſtiani: onde chiamando Napoli Città religioſa non poteva a patto veruno intendere della Criſtiana Religione, ma ſolamente rovinando d' ogni parte il Gentileſimo riputò egli Napoli coſpicua, e Religioſa per quella falſa Religione, che da lui coſtantemente ſi profeſſava..... Camillo Pellegrino laſcio a' Letterati Napoletani la cura di ſcioglier il nodo, che queſto paſſo di Simmaco gli metteva fra le mani: Il noſtro accuratiſſimo Chioccarelli s' impegnò di ſuperarlo, volendo, che Simmaco intendeſſe dalla Religione Criſtiana..... Un Frate Carmelitano Scalzo* (P. Hieronymus a S. Anna Vit. S. Januarii) *a' noſtri tempi ha voluto anche egli prenderſi queſta briga, ma non erano di ciò le ſue penne..... ma niun nodo vi ſarà, quando ſi voglia por mente allo ſtato di allora di queſta Città, ed a queſte noſtre Regioni, dove non ſi finì di abbattere l' Idolatria fino a' tempi di Arcadio, ed Onorio*: Poſt horum celebrium Scriptorum ſententiam rem recoquere voluit P. Troylus in tom. 4. part. 1. pag. 169. Hiſt. Neap. dictumque Epitheton ad Neapolitanorum comitatem, hoſpitalitatemque referendum arbitratus fuit: An vero huic quadret, quod de Religioſo altero Auctor Hiſt. Civ. pronunciavit, alii judicent.

Digitized by Google

lo, cum tot perſecutiones in Chriſtianos exarſiſſent, nullus Neapolitanorum inventus fuerit, qui Chriſtianæ Fidei veritatem proprio ſanguine, vel leviore aliquo ſupplicio confirmarit.

An vero deteriores Beneventani? vel ſaltem par fuerit eorum cauſa? Vicem certe Beneventanis Neapolitani rependent, quod ſeriùs, quam alibi Idololatriæ radices Beneventi evulſæ fuerint, eamque laudem etiamnum Beneventana Eccleſia canat S. Barbato Epiſcopo, qui ſeptimo declinante ſæculo eam adminiſtravit; ſed de hac re mox videbimus: Illud interim obſervaſſe præſtat, præcipuum, ac prope ſingulare Beneventanæ Eccleſiæ fuiſſe decus, quod in ſui Cleri cenſu Viros Sanctitate illuſtres perpetua quadam ſucceſſione enumeraverit: non hùc ſolos referam Epiſcopos, qui pene omnes ſanctimonia præclari a S. Januario ad S. Tammarum ex eodem Clero ad Epiſcopale munus aſſumpti Eccleſiam ipſam, ac Patriam ſummopere illuſtrarunt; ſupererant enim in ipſa Eccleſia, quos eodem munere ſatis dignos, acceptus rite ſanctitatis honos etiam nunc manifeſte declarat: ac ne longius quam par eſt, extraque Romanæ ætatis fines progrediamur, mitto heic Beneventanos illos Cives ſanctitate illuſtres, quos ſexto ſæculo ac deinde Beneventana Eccleſia recenſet, de quibus conſulendus noſter Vipera (*a*): Vix etiam moror vel S. Paulum Beneventanæ Eccleſiæ Diaconum, vel S. Benignum ejuſdem Archidiaconum præclariſſima quinti ſæculi lumina (*b*): ſed ad quartum ſæculum, imo ad illius tandem initia rem deducere maxime juvabit, unde & illuſtriorem, uberioremque ſegetem, ſolidioremque noſtro argumento vim facile colligere promptum erit: Felicem, fœcundiſſimamque Martyrum Matrem Beneventanam Eccleſiam tum fuiſſe conſtat: Eâdem Diocletiani perſecutione, qua S. Januarius coronatus fuit, duodecim Beneventanos Cives, ex eiſque quinque ſacris initiatos martyrio fuiſſe decoratos, ipſorum Neapolitanorum fide teſtatum habemus (*c*); His adjungendus eſt S. Stephanus, & ipſe in eadem Perſecutione Martyr (*d*): qui tamen ſi omnes deficerent, nonne Beneventanæ Eccleſiæ, præclariſſimos S. Januarii ſocios, *Feſtum* inquam Diaconum, & *Deſiderium* Lectorem oſtendiſſe ſufficiet? Hos tum ſuo gremio fovebat Beneventana Eccleſia ſacrorum miniſtros, quorum virtus adeo excellebat, ut illos paſtorali munere digniſſimos vel ex hoc uno abunde probaret, quod martyrio demum coronari digna fuerit.

Atque ex his quidem brevi licet ſermone concluſis, ſatis habet æquus lector, ut quam juſta ſit Beneventanorum cauſsa, facile judicet. Utinam vero recentiores ipſi Neapolitani non præjudicatis opinionibus, ſed potius veritati, imo & Majorum ſuorum judicio aliquando famulandum ſibi eſſe cenſerent: non omnia hi viderant momenta hæc, quæ protulimus, adhuc tamen talia ſibi ſuppetere probe noverant, ut Beneventanis non ſolum hoc decus invidendum eſſe haud putarent, verum etiam aſſererent, atque ultrò deferrent: Hinc factum fuit, ut in tot tantiſque publicis monumentis, quibus S. Januarii memoriam, laudes, beneficia celebrare ante ſuperioris ſæculi ætatem tantopere curarunt, nuſquam civem ſuum (quod omnino promptum erat, imo gratum, atque apprimè honorificum) commemorarint: Certè in vetuſtis Neapolitanorum Nummis quibus ſolenne fuit, S. Januarii Epiſcopi effigiem perpetuò inſculpere, nihil tale in eorum inſcriptionibus legiſſe eſt, quod illorum Civem fuiſſe oſtendat: Apoſtolum potius Januarium legas in eorum uno, cui hæc græca epigraphes eſt: Απόσ. Ιανυαριος (*e*): Sed neque (quod adhuc obſervandum mihi duxi) poſteaquam Neapolitanos æmulatio tenere cœpit Januarium ſibi Civem jactandi, eorum ſtudium foviſſe voluit V. C. Mazochius

[*a*] In Catalogo SS. Beneventanorum, quem edidit Neapoli an. 1635.

[*b*] De S. Paulo Beneventanæ Eccleſiæ Diacono, qui S. Æmilii Epiſcopi fuit comes in legatione Innocentii PP. I. ad Arcadium Imp. ob cauſam S. Jo. Chryſoſtomi, locupletes teſtes ſunt Palladius, & Theodorus in Dialogo de vita Chryſoſtomi, ubi ſanctitatem illius extollentes illud etiam ſingulare de eo referunt, quod in eo itinere S. Paulus Apoſtolus ei apparens ita allocutus ſit. *Videte, ut cautè ambuletis, dies enim mali ſunt*: Videndus etiam de noſtro Paulo Card. Baron. ad CDV.: De S. vero Benigno Beneventanæ Eccleſiæ Archidiacono, qui ad extremum ejuſdem ſæculi floruit, quod ſimul cum S. Sophio Epiſcopo ſuo, Odoacre Rege Ariano in catholicos furente, Martyrium conſtanter ſubierit, præter Martyrologium Anglicum ſervatum in Anglic. Collegio de Urbe, teſtatur antiquiſſimus codex Archivi S. Sophiæ Beneventi in Bibliotheca Vaticana aſſervatus.

[*c*] Auctor Hiſt. S. Januarii l. 4. c. v. pag. 365. & Remondini in Hiſt. Nolana .....

[*d*] De S. Stephano Martyre Beneventano agit Epiſcopus Cabilonen. in Topographia SS. Martyrum V. B. & noſter Chronologus Falco, qui ad an. 1119. ejus corporis ſimul cum aliis SS. Civium corporibus, quorum locus memoria exciderat, ſumma Urbis lætitia inventum refert.

[*e*] Cur in eo nummo S. Januarium Martyrem titulo *Apoſtoli* donare voluerint Neapolitæ divinare nondum potuiſſe fatetur V. C. Muratorius *Antiq. Med. Ævi Differt.* XXVII. *De Moneta, ſeu Jure condendi nummos*, ubi vetuſtos Neapolitarum nummos exhibet pag. 621. At facilè (ni fallor) rei cauſa patet, ſi ex ejuſdem nummis, aliiſque monumentis eximium Neapolitarum erga S. Januarium cultum arguamus, quo factum fuit, ut ea Civitas Martyris præſentia, qui in ejus Lypſanis aderat, in Chriſtianæ pietatis officiis religioſiùs contineri didiciſſet;

Digitized by Google

chius Neapolitanæ Eccleſiæ, Neapolitanique Lycei principale ſidus: quid enim? Haud ipſe quidem *in Commentar. ad Kalend.*, neque in *Diſſertatione De Neapolitana Eccleſia ſemper unica*, cum utrobique de S. Januario pluribus, ac pene ex inſtituto agat, Neapolitanum Civem unquam appellat: Quod de ſummo Viro haud mirum, qui (ut de ſe fatetur in Canonicorum Neapolitanorum origine pertractanda) *veritati uni litare ſemper animum inducens ſuum*, de Martyris Patria optimo conſilio tacere ſatis habuit: quo tamen ſilentio populares ſuos de falſa, commentitiiſque monumentis nuper quæſita laude monuiſſe, Beneventanorum verò poſſeſſionem ratam habuiſſe viſus eſt; vel ſaltem utrorumque gratiam, re intacta, tenuiſſe maluit: Sed non ſolo ipſorum omnis ævi Neapolitanorum ſilentio (quod magni habendum fuit) Beneventanorum cauſa juvatur: Adſunt etiam Neapolitanorum teſtimonia, qui demum Beneventum S. Januarii Patriam olim affirmarunt (*a*): Quod ſi ex Martyris corpore, & ſanguine, quæ Neapoli aſſervantur, in Neapolitanorum mentem modo venerit, ut Civem quoque ſuum eſſe credant, caveant ne in Beneventanorum mentem illud veniat, ut Neapolitanis objiciant, *Divino admonitu* (*b*) opus omnino fuiſſe, ut conſummato Martyrio ſacra Lypſana ſibi præriperent: Quid enim? Cum Martyrii locus prope Neapolim fuerit, adeo Chriſtianum ſanguinem erubuiſſent, recentiſque gloriæ, quæ nuſquam eis antea contigerat, ignavi æſtimatores Neapolitani fuiſſent, ut de glorioſiſſimi Civis ſepeliendo corpore divinitus admonendi eſſent? an etiam, ſi modo Civis ille fuiſſet, mox poſt Martyrium in Marciani pago, ſubinde extra Neapolis mœnia tumulandum curaſſent? Obſervantiores certe Beneventani, qui quum ſæc. IX. ſub Principis Siconis auſpiciis Neapolitanos armis ſibi ſubdere molirentur, maximæ Victoriæ laudi duxere, ut illos ſibi tributarios effeciſſe contenti, ſolum S. Januarii corpus (ſatis opima ſpolia) domum reportarent: Aſportatum illud quidem Neapolim rursùs; at dum ſolis Beneventanis S. Januarium Civem jure habere ſinant, habeant modo Neapolitani pretioſiſſimum Theſaurum, quem non ſibi ſolis habent; quandoquidem non unius Neapolis, aut Beneventi, ſed univerſi Regni tutelæ, totius Eccleſiæ decori, ac Fidei Chriſtianæ gloriæ ſervari videatur.

Sed ut tandem inſtitutum iter, a quo paululum, neque abs re omnino divertendum fuit, repetamus, longe ante quarti ſæculi initium Chriſti Fidem Beneventi ſuſceptam ſatis ex eo probatum jam credimus, quod quamplurimi ejus Urbis Cives, quos inter S. Januarium Epiſcopum fuiſſe jam liquet, Chriſtianam Religionem eo tempore profiterentur, imo tanta fidei conſtantia, cæteriſque Chriſtianis virtutibus imbuti eſſent, ut pro Fide eadem ſanguinem, atque vitam profundere non dubitarint.

At damnato jam Idolorum cultu, cum Principum auctoritate Chriſtianæ Religioni pax, honoſque haberi cœpiſſet, quam bene, & feliciter Chriſtianorum res Beneventi deinceps ſe habuerint, ſuperius non obſcure demonſtravimus; ſummam enim ſolicitudinem, quam propria virtute, ſuoque munere ſatis ferventem publica tum quoque fovebat auctoritas, eos Epiſcopos habuiſſe haud erit dubitandum, qui quarto ſæculo ſanctitatis laude etiam illuſtres Beneventanam rexere Eccleſiam, ut ingentem illorum civium numerum, quos avitæ Religioni deditos, Ethnicorumque, quos cum lacte imbibiſſent, erroribus adhuc detentos reperiſſent, ad Chriſti fidem ſectandam perducerent; Præclarum certe hujus rei teſtimonium vel invitus pro Beneventanis ille ipſe Symmachus tulit, a quo paulo ante Neapolitanos ob falſam Religionem celebratos audivimus: Præſtat Viri Cl. (qui ann. 384. Præfecti Urbi munere fungebantur) proferre verba, quæ ex ejus Epiſtolarum auctario epiſt. VI. ad Patrem ita ſe habent: *Primo Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneventum me recepi: ibi ſummo cultu omnium plauſuque ſuſceptus, tanto honore celebrabar, ut jam graverer officiis..... Et Urbs cum maxima ſit, ſinguli ejus optimates viſi ſunt mihi Urbe majores, amantes ſui, literarum, morumque mirabiles*: DEUM MAGNA PARS VENERATUR. *Privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant, nam poſtquam terra movit, nihil pene illis reliqui factum eſt, ſed fracta opes infractos animos repererunt: per ſe quiſque operam*

ciſſet; præſentemque ejus opem a Veſuvii incendiis probaſſet, unde & Apoſtolus ipſe dici meruerit: An etiam vivens Januarius vicinos Neapolitanos, gentem utique ſuperſtitionis (ut vidimus) tenaciſſimam prædicatione illuſtravit? Sed utrum malis, dum *Apoſtolus* tantùm a Neapolitis antiquis dicitur Januarius, non ibi natum, ſed eò miſſum ſemper judicaveris.

[*a*] Fr. Bernardinus Siculus, qui floruit an. 1496. in Carmine, quod de translatione Corporis S. Januarii e Monaſterio Montis Virginis Neapolim, vernacula lingua lucubravit. Paulus Regius Epiſcopus Vici Equenſis in vita S. Januarii edit. Neap. an. 1592. David. Romæus De Septem Divis Cuſtodibus Urbis Neapolis edit. Neapolit. 1571. Fr. Ægidius Scaglionus Regii coævus &c.

[*b*] Breviarium Romanum, Acta Baroniana, & Jo. Diaconus; quanquam de hoc divino admonitu Acta Mazochiana ſileant, nec niſi ex conjectura illud deducere conetur Mazochius, quod non inviti ei concedimus.

Digitized by Google

operam boni civis affectat, nox diei jungitur ad laborem: unde nobis ſumma cura fuit abire ocius, quam volebam, ne aut mihi diù dediti ab opere deſiderent, aut eos occupatio geminata diſtenderet: Pares certe gratias, ac fortaſſe majores pro officiis erga ſe impenſis hoc multiplici, præclariſſimoque encomio, quod poſteritati commendavit, Beneventanis reddidit Symmachus; nunc quod attinet, *magnam illorum partem Deum venerari* is affirmat; quibus verbis, (ſecus ac de Neapolitanis, quorum Urbem *Religioſam* alibi appellabat) nonniſi de Beneventanorum Chriſtiana fide loquutus cenſeri debet: ac primum ſi quis ea verba ad falſam Religionem detorquenda velit, haud ſane multum Beneventanis detrahet, quorum quum magna pars (ut ſoli fortaſſe Symmacho videbatur) Ethnicorum errores adhuc ſequeretur; qui reliqui erant, haud certe Athei tum fuiſſe cenſendi ſunt, ſed omnino Chriſtianæ Religioni addicti, quos pro ſuo veteri in eam odio ſatis habuit Symmachus ſilentio præteriſſe: Atque hæc quidem præmittere malui, ut quoquo modo oſtenderem haud fruſtra Symmachum mihi teſtem advocaſſe: Ceterùm non ita ſe res habet; aliterque ea verba accipienda ſunt, quibus non alia, quàm unius Dei, quem Chriſtiani colebant, Religio fuit indicata: Fateor, nullum Chriſti expreſſum certumque vocabulum ex Symmachi calamo eo loco excidiſſe, ſed tamen neque Deos commemorat, quos, ſi unquam Beneventani pro *magna parte* Idololatræ tum fuiſſent, Idololatriæ vindici, ac patrono promptum omnino jucundiſſimumque fuerit, familiari Ethnicorum vocabulo, multitudinis videlicet numero uſurpaſſe: Dei igitur ſingulari nomine, quem Beneventanorum *magna pars* venerabatur, ipſam Chriſtianam Religionem ſignificabat Symmachus, ſed non propalam omnino manifeſteque indicare volebat; ut exinde incertum ſit, an hominis ingenium miremur, quod adeo doctam calliditatem adhibuiſſet, vel animum potius indignemur ſuis erroribus adeo pertinaciter indulgentem: teſtanda utique inter cæteras Beneventanorum egregias dotes res iſthæc ipſi erat, ſed tamen, quod invite præſtabat, ſubobſcuro quodam, ancipitique ſermone exequi ſtuduit: cujus etiam mira brevitate uſus, in cæteris rebus alioqui erga Beneventanos effuſus a ſola Religione commendanda, quæ virtutum omnium, atque laudum caput eſſe debebat, uno, aut altero verbo, ne eam probare videretur, ſe expedivit.

Cum vero in alterutram partem Symmachi verba referri poſſint, jam ſi magna (inquis) Beneventanorum pars Chriſtianam fidem profiteretur, erant itaque pro minori licet parte qui ſub quarti ſæculi exitum adhuc Idololatriam ſectabantur; hoc enim eodem argumento ipſe uſus initio fui, ut, ſi cui ſuſpicari, aut etiam opinari libuiſſet, de falſo numine Symmachum eo loco loquutum, reliquam ſaltem Beneventanorum partem demonſtratam haberem, quæ Chriſtianorum eſſe debuiſſet; Ex alterutra parte, alterutrum quoque neceſſariò conſequi fateor; at dum mihi magnam illam Beneventanorum partem Symmacho memoratam, in veri Dei (quod & verisimilius, & glorioſius videri debet) veneratione conſtitiſſe concedatur, haud certe grave illud erit, quod ea ætate, quâ Idololatria vires ſuas nondum omnes amiſerat, neque ſolum in Italiæ Urbibus, ſed etiam in ipſa Roma manerent adhuc & Delubra Deorum, & ſacrorum Miniſtri, ipſeque Symmachus pro reſtituendo publico Deorum cultu adeo enixè laboraret, Beneventi etiam ſupereſſent, qui nondum ab ejuſmodi errore diſceſſerint.

Turbare magis nos debet, quod diutiùs, quam fortaſſe alibi, is error Beneventi retentus ſeptimo ſæculo ita gliſcere cœperit, ut magnam loco infamiam creaſſe viſus ſit: Ad aureum Viperæ ſimulacrum, loci veluti Tutelam, thus adoleri conſuebat; ingenſque arbos, in agro prope Urbem conſita, vetuſta Religione ſacra habebatur, cui, veluti numini, vota perſolvi, ſacrilegoſque exhiberi ludos ſolenne erat: Utramque tamen peſtiferam labem, ut modo dixi, S. Barbatus nondum Epiſcopus crebris ſermonibus, quos plurima a Deo ſigna confirmabant, delevit omnino, itaut ſuperſtitiones omnes, quæ veteris Idololatriæ germina ſupererant, tum demum Beneventi eſſe deſierint; At ſi veram ejus rei cauſſam animadvertamus, vix erit, quod Beneventanis jure queat exprobrari: Diſtinguenda enim omnino erit a Beneventanis indigenis pars illa novorum civium, Langobardorum nempe ſoboles, quæ paulo ante ſeptimum ipſum ſæculum, firmato ejus Gentis Ducatu, Beneventi conſederat: quid autem mali tum in aliis, tum in Religionis rebus in eam Urbem non invexiſſent Langobardi, qui patrio ſolo paulo ante egreſſi, nondum ingenium ad humanitatem, neque ad veram Religionem animum componere ſatis didicerant: Certe in vetuſtis S. Barbati Actis, quo ex fonte res tota ad poſterorum memoriam manavit, nihil eſt, quod Beneventanorum vitio vertatur, ſed Langobardorum dumtaxat, qui Beneventi manebant, fit mentio, quorum etiam Duci privata quædam aurei Viperæ ſimulacri veneratio tribui videtur, propterea quod non publico illam loco, aut Æde coli, ſed ab ipſis Ducibus in Larario ſervatam Acta ipſa non ſemel commemorant: Ac de ejuſmodi Viperæ Religione,

Digitized by Google

gione, ejuſque origine ſuperiùs, quum de Geniis differerem, dixiſſe me memini: Ad ſuperſtitioſam Arborem quod attinet, patriam Longobardorum Religionem in ejus cultu facile licebit agnoſcere: Conſtat enim natale Longobardis ſolum Germaniam ejuſmodi religione maxime inſignem fuiſſe: Hanc univerſis Germanis peculiarem attribuit Tacitus, cum de eorum moribus ſcribens: *Cæterum* (inquit) *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam Humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cæleſtium arbitrantur; Lucos, ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident*: Hanc quoque ejus Gentis Religionem tangit, contemnitque Claudiannus de Laud. Stilic. lib. I.

Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſylvæ
Venari tuto liceat, lucoſque vetuſta
Religione truces, & robora numinis inſtar
Barbarici, noſtræ feriant impune ſecures.

ubi quænam fuerint *robora numinis inſtar* docebit Celtarum exemplum, qui, ut Tyrius Maximus refert, *excelſam quercum colebant, & Jovis nomine ſolenniter appellabant (a)*: At quid moror? Patriis licet ſedibus longe abſceſſerint Longobardi, patriam tamen Religionem hæſiſſe diu eorum animis præclare liquet ex Luitprandi Langobardorum in Italia Regis lege, quam ad coercendam ſuæ gentis inſanam, quam adhuc ſervabant Religionem, in hæc verba tulit: *qui ad arborem, quam ruſtici Sanctivum vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii ſui in ſacro Palatio*: qua ex lege, quibuſque aliis illuſtrioribus ſequioris ætatis monumentis anteferendâ, quantum per Langobardica ſæcula error ille obtineret, exploratiſſimum omnino fit; ut proinde nonniſi per ſummam injuriam ea de re Beneventani inſimulandi videantur, quam ſolis Langobardis non Beneventi ſolum, ſed per univerſam Italiam manentibus familiarem fuiſſe probavimus; At ne de Langobardis ſuis diu Benevento querendum fuit, nam quos barbaris adhuc moribus imbutos, ſuperſtitionumque ſtudioſos acceperat, mox unius Sanctiſſimi Beneventani civis Barbati opera ad optimam frugem inſtitutos aſpexit, itaut, quæ Urbs ſub ejus Gentis Principatu (cujus inter virtutes alias Pietas deinceps, ac Religio perpetuæ comites, atque adminiſtræ fuerunt) ad ſummum gloriæ, dominationiſque faſtigium pervenit, Langobardis aliquando paruiſſe etiamnunc lætari poſſit.

[a] Arbores ſuperſtitioſo ritu vittis redimere adhuc ſub ſæculi IV. exitum, qui ſupererant Ethnici, pro more habuiſſe diſcimus ex leg. XII. Cod. Theod. de Pagan. lata an. 392. ubi inter alia Imppp. Theod. Arcad. & Honor. hæc habent; *Si quis vero mortali opere facta, & ævum paſſura ſimulacra impoſito thure venerabitur, ac ridiculo exemplo metuens, ſubitoque ipſe vel redimita vittis arbore, vel erecta effoſſis ara Cæſpitibus vanas imagines honorare tentaverit, is utpote violatæ Religionis Reus ea domo, ſeu poſſeſſione multabitur.*

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

De Veteribus Magiſtratibus Urbis Beneventanæ.

IN bene, ritèque conſtituta Republica, qualem omnino Coloniarum Romanarum fuiſſe conſtat, quæ (ut ait Gellius 16. 13.) Principis Reipublicæ quaſi effigies parvæ, ſimulacraque eſſe quædam videbantur, non ſolum leges, ſed legum etiam curatores fuiſſe oportebat: Atque, quum eæ partim ad Religionem, partim vero ad Politiam pertinerent, priorum cura Sacerdotibus, poſteriorum Magiſtratibus mandari conſuevit: Hinc poſt res Sacras Veterum Beneventanorum, de quibus ſuperioribus Diſſertationibus uberrimè egi, ut ad eorumdem Civiles Magiſtratus gradum faciam, & rerum ordo, & inſtituti ratio jam poſtulat: quanta autem in hac re olim fuerit Beneventanæ Urbis dignitas, atque ſplendor, vetuſta, quæ nobis ſunt reliqua, tum numero, tum pretio præclariſſima monumenta declarant: Sed adhuc res ipſa novum, ac planè ſingulare decus ſibi quæſiſſe viſa eſt, quum, C. Cæſare Auguſto ſub *Prætoris* nomine Magiſtratum aliquando Beneventi obeunte, ſummus Urbi, ejuſque Magiſtratibus honos acceſſerit. Id planè certum fide veteris nummi ſtatuiſſe jam licebit, cujus auctoritatem quibuſcunque aliis monumentis, aut Scriptorum teſtimoniis anteferendam diffitebitur nemo, neque alium etiam opportuniorem locum fuiſſe cenſebit, quàm ut heic pro re nata, de ejuſmodi Nummo ſermonem inſtituerem: Ad propoſitam enim materiam omnino pertinet; ad ejus etiam augendam dignitatem maximè intererit, ſi de Beneventanis Magiſtratibus verba facturus, ab eis, honoris ſpecie, capeſſendis Auguſtum non abhorruiſſe in ipſo exordio probaverim.

Nummus itaque æreus eſt in hanc omnino formam, quam ab optimis exemplaribus ab aliis hactenus editis exceptam, iterum, ut vides, ære exprimendam curavi:

Eum prior, quod ſciam, vulgavit P. Harduinus ex Theſauro Nummario D. Foucavlt; ſimillimus alter ſpectabatur olim in Theſauro Farneſiano, niſi ipſum eumdem (ut vir doctus me monuit) eſſe malis, qui ex Cimelio *Foucavlt* inter cæteras eruditi illius viri divitias induſtria multa, atque auro non minori comparatas Farneſiano acceſſit. Ejus Ectypon habetur in Theſauro Morelliano tom. 1. in familia Vipſania lit. B, ipſumque præterea exhibet Getſnerus in Imper. Roman. Tab. XXIX num 14. in Auguſto.

Ac quum in egregio ſingularique monumento verſemur, cujus (ut in aliis id genus magnum aliquid, ac inuſitatum præferentibus evenire ſolet) fides ab eruditis in ſuſpicionem vocari poſſit, ſintque fortaſſe momenta aliqua, quæ alioqui levia, ab intemperantioris tamen critices ingeniis pro graviſſimis habeantur, id mihi primum enitendum erit, ut ab eodem Nummo omnem falſitatis, ſuppoſitioniſque opinionem ſubmoveam, veram deinde illius explicationem producturus.

Non itaque de ſuppoſititio Nummo, ſive recentioris opera luſuque conflato, vel leviter ſuſpicari ſinit eorundem, quos modo memoravi, graviſſimorum Scriptorum auctoritas, ac perſpicacia, qui nummariæ rei, quam ex inſtituto egregiè pertractarunt, peritiſſimi, optimam illius fidem probè agnoſcentes, in ſuos Theſauros retulerunt: neque turbare debet generalis illa, quæ Vaillantii animo quodammodo inſedit, ejus paſſim ſcriptis confirmata ſententia, quod nempe Imperatorum Nummos in Italiæ Coloniis ſignatos vix, ac ne vix quidem reperiri con-

 tingat,

Digitized by Google

ingat, propterea quod nullum ejuſmodi Coloniis monetæ cudendæ jus fuerit: Falſum enim in hac ſtatuenda ſententia Vaillantium ex ipſomet Vaillantio facile demonſtrare poſſum, apud quem earundem Coloniarum Nummos haud ſemel reperies, quos, aut diſſimulavit, aut, ne ſuæ obeſſent ſententiæ, perperam explicavit; Placet tamen ex iis, quæ a doctiſſimo Spanhemio obſervata fuere in De Præſt. Numiſm. Diſſert. 6. pag. 554. rem hanc conficere: Et ſanè licet jus cudendæ monetæ inter Principatus præcipuè jura ab illius exordio vindicatum fuiſſet, conſtat tamen primum, nunquam eodem, quod antea obtinebat, jure Senatum ſpoliatum fuiſſe, cujus rei manifeſto argumento ſunt innumera illa ex ære Numiſmata, cum perpetuis, ac ſolennibus ſiglis illis S.C.; Quod autem Colonias Urbeſque alias Rom. Imperio ſubjectas ſpectat, jus idem iis ſervatum æquè probant *tot Nummi ejuſmodi, & Coloniarum adhuc ſuperſtites cum Cæſarum; quorum ætate percuſſi, effigie*: quibus addi poſſunt alii, Duumviros iiſdem Coloniis deducendis delectos exhibentes, quos in ipſis Coloniis cuſos fuiſſe omnino dicendum eſt: At quoniam in pleriſque Coloniarum Nummis Inſcriptionem illam legi ſolere notat Spanhemius, qua Auguſtorum indulgentiæ, ac permiſſui jus monetæ cudendæ acceptum referebatur, ut in Nummo Patrenſis Coloniæ: *Indulgentia Auguſti moneta impetrata*, & in alio Coloniæ Romulenſis: *Perm.D.Aug.Col.Rom.* & demum (ut ceteros præteream) in alio: *Munic.Ital.Perm.D.Aug.* i.e. *Munic. Ital.Permiſſu D.Aug.*, jam ex more hoc illud dumtaxat conſequetur, antiquum cudendæ monetæ jus penes Colonias, firmato jam Principatu, non fuiſſe ſemper integrum, ſed ex ipſorum Principum Indulgentia, ac Permiſſu eo utendi jure ad certum tempus, proque certa cauſa factam Coloniis poteſtatem: Quid igitur vetat, ſaltem certum illud ex noſtro Nummo opinari, hanc etiam, quam aliis paſſim Coloniis conceſſam conſtat, Indulgentiam Beneventanæ Coloniæ ab Auguſto factam, quam is adeo ſui ſtudioſam ingentibus aliis honoribus auxerat: Neque enim ex vindicata ejus Nummi fide eò rem deducere mihi mens eſt, ut paſſim, ac pro libito Nummos cudere Beneventanæ Coloniæ licuiſſet, quaſi communia, ac cum ipſis Principibus æqua majeſtatis jura affectare conſuerit, ſed nihil tam verum hodie nunc videri poteſt, quam facile olim eſſe debuit, ex Honorario Magiſtratu, quem in Beneventana Colonia geſſerat Auguſtus, curaſſe Beneventanos, ut quam rem inſcriptis lapidibus, aliiſque publicis monumentis deprædicare omnino poterant, eandem quoque percuſſis ex ipſius Auguſti Indulgentia Numiſmatibus adhuc celebrare fategerint, quò facilius apud præſentes, poſteroſque ejus rei, quam ſibi, ut par erat, ſingulari honori ducebant, perpetuum ſervare poſſent monumentum: Atque hæc quidem de optima Nummi fide.

Ad ejus modo interpretationem quod attinet, præſtabit jam aliorum ſententias antea recenſere; ſiquidem a duobus Viris Clariſſimis, Sigeberto ſcilicet Havercampo, ac Joanne Harduino Nummum explicatum inveni: ac quum prior nihil omnino de Benevento cogitaſſet, poſterioris perſpicaciæ debemus, ut veriſimiliori interpretatione Nummum ipſum Beneventanæ Coloniæ vindicatus haberetur; cujus certe ſententia eò magis verum attigiſſe probabitur, quo falſa planè, ac prorſus inepta alterius explicatio oſtendetur: Havercampus igitur tom. II. Theſauri Morelliani pag. 452. poſtquam ejus Nummi Epigraphas in hunc modum, explicaſſet: IMPerator Cæſar Benigno Præfecto: *Caput Cæſaris Auguſti nudum*: *Hibero Præfecto*: *Tropæum*; hæc ſtatim adjecit: *Nulla eſt, unde dignoſci queat, ubi locorum æreus hic Nummus cuſus ſit: Credo tamen in Hiſpania cuſum fuiſſe propter duas cauſas: quod inveniam Præfecti titulum in Nummis in Hiſpania cuſis, quodque Victoria, & Tropæum Auguſti de Cantabris, & Aſturibus debellatis in Nummo exprimi videantur*: At quovis pignore contenderem haud magis motum Havercampum, ut Nummum Hiſpanicum ſuſpicaretur, quòd in ejus Provinciæ Nummis Præfecti occurrere ſoleant, quam quod *Hiberi* nomen in poſtica illius parte inſcriptum legerit; nam ſi de Præfecti titulo agatur, non in Nummis tantum Hiſpanicis, ſed aliarum quoque Provinciarum, præſertim vero Græcarum Urbium, Coloniarumque paſſim, obvium illum fuiſſe recte noſſe debuit Havercampus: ex *Hiberi* autem nomine ſeu cognomine, quod, dempta aſpiratione, Iberiæ potius, quam alterius Regionis conjecturam ſuppeditare videtur, haud minus ineptum erit Nummum in Hiſpania cuſum opinari; nam ſi in illo: *Hibero Præfecto*, quod in poſtica Nummi parte eſt, non utique loci (quod eſſet abſurdius) expreſſa Præfectura, ſed perſonæ nomen, quæ eo munere fungeretur, indicatum dici debet, jam nulla erit, vel levis cauſſa, cur a privatorum nominibus, aut cognominibus, quæ poſtrema arbitraria plerunque erant, ad locorum ſtatuendas conjecturas argumentum trahi poſſit: Tam igitur ad Hiſpaniam Hiberus Præfectus, qui in noſtro Nummo memoratur pertinere debet, quam ridiculum videretur aliquam cum Hiſpania cauſſam, rationemque habuiſſe *Hiberum* illum, qui ſolo hoc nomine Romanus

Digitized by Google

manus Conſul cum Julio Sylano Siſenna ſignatur in Faſtis ad an. 113. (a) Sed levia iſthæc: Abſurdum omnino illud quod Havercampo excidit, ut in utraque Nummi parte duos Præfectos ſeorſim ſtatueret: Sat enim fuerat unum ſuo loco manifeſtum noviſſe, Hiberum ſcilicet, cui ſi alter unquam in eo munere adfuiſſet Collega, communem etiam inſcriptionis locum, ut munus, habuiſſet. Nullibi enim in Nummis quod ſciam ex una parte unum, ex altera item alterum Præfectum, inſcriptos extare oſtendi poteſt; quæ autem ratio fuerit, ut qui in antica Nummi parte *Benignus* Præfectus ſit, cum Imperatore Cæſare ita copuletur, ut nihil ab eo diverſum in Epigraphe intelligi ſinat: At undenam hujus *Benigni* nomen, quod in univerſa antiquitate vix unquam occurret, in Havercampi mentem veniſſe potuit; quis tandem probabit, ut in illo BEN-BENIGNUS contineri poſſit, contra omnis antiquitatis morem, cui nihil ſolenne magis, quam nomina propria, præſertim quibus nullum prænomen, aut cognomen adderetur, per ſua vocabula integrè expreſſa tum in lapidibus, tum in Nummis inſcribere. Sed jam tædet pluribus Viri docti hallucinationem demonſtrare cui libenter peperciſſem, niſi ex falſa atque inepta Havercampi interpretatione, congruentiorem, imo veriorem Harduini interpretatione probari poſſe animadverterem.

Hæc itaque ſunt Harduini (b): *Cuſum in Sicilia certe nullum quoque nummum reperies impreſſo Imperatoris alicujus nomine: Verum id ex alia cauſa factum eſſe non ignoras, quoniam Sicilia videlicet æque ac Italia non Provincia Auguſtorum eſſet, ſed Senatus Populique Romani. Itaque nullo unquam ævo nummis ſuis Italia, Siciliave Cæſarum vultum vel nomen inſculpſit, uno fortaſſis Auguſti excepto, qui æreus eſt mole mediocri è Cimelio D. Foucault, inſcribiturque* IMP. CAES. . . . . BEN. PRAE. *capite nudo, ut nunc quidem interpretor: Imp. Cæſar Auguſtus Coloniæ Beneventanæ Præſes, vel forte Prætor: in averſa pagina:* HIBERO PRAEF. *Hibero Præfecto.*

Nolim tamen, ut audito Harduini Interpretis nomine, præpoſterum de interpretatione ipſa ab eruditis aliquot feratur judicium. [c] idque fortaſſe Beneventanis officiat, quod ita eum nummum explicaverit Harduinus: ſed nullum veritati detrimentum præjudicatæ fortaſſe aliquorum opiniones afferre debent; Sano enim æquiſſimoque judicio [ut mihi modo conjectare licet] uſus eſt Harduinus, ut ſuam de eo nummo ſententiam ferret, quam, cum multa ſint, quæ maximopere probent, eruditorum omnium ſuffragio confirmandam haud dubito. Ac primum inſueta quidem res, ſed quæ non ſine exemplo, ut Principes viri, Auguſtique ipſi ſingularium Urbium Magiſtratus obiverint: Prompta enim, atque omnino indubia ejus rei habemus exempla, non ſolum ante, ſed multo magis poſt ipſius Auguſti ævum; Bini apud Vaillantium extant nummi, quorum alter Neronis, ac Druſi Cæſarum in Cæſarea Auguſta Colonia Duumviratum ſignatum exhibet hac quidem epigraphe: *Coloniæ Cæſareæ Auguſtæ Nero Cæſar Druſus Cæſar Duumviri*: alter vero eorundemmet Cæſarum in Carthagine nova Quinquennalitatem memorat in hæc verba: *Nero, & Druſus Cæſares Quinquennales Coloniæ victricis Juliæ novæ Carthaginis* (d) De Hadriano autem Auguſto vulgata ſatis res eſt tum ex Spartiano cap. 19. qui non ſolum eum *apud Neapolim Demarchum, in Patria ſua Quinquennalem, & item Hadriæ quaſi in alia Patria, & Athenis Archontem, verum etiam* per Latina Oppida Dictatorem, & Ædilem, & Duumvirum fuiſſe teſtatur, tum quoque ex antiquo lapide apud Gruter. p. 421. n. 1. ubi monumentum illud in L. Julii Aciliani honorem erectum ſignatur eo anno, quo in Conſaburenſi Colonia optimus Imp. Hadrianus Duumviratus honorem ſuſcepit: Atque hi quidem, ut eas Urbes Coloniaſve ſui obſervantiſſimas eo honoris genere amplius decorarent, Auguſti exem-

[a] Hiberi Romani Conſulis verum nomen ex veteri inſcriptione vindicavit Fabrettus cap. 7. pag. 506.: Ut (*inquit*) Ruperti, & Reineſii altercationibus de reformatione cognominis Hiberi in Vibium Varum ep. 34. pag. 224. & 35. pag. 267. intercederet.

[b] In ſpecimine primo Chronologiæ ex Nummis Antiquis reſtitutæ, quod habes inter opera ſelecta edit. Amſtelod. an. 1709. pag. 441.

[c] Acerrimas inter Harduinum, & Cardinalem Noriſium concertationes de interpretatione Conſ. 1. in Nummo Imp. Probi alibi jam memoravi; ſed de Harduino eodem hæc habet Petrus Zornius opuſc. ſacr. tom. 1. cap. v. *Familiam & Genealogiam Herodiadum, cujus cognitio ad plurima Evangeliſtarum loca ſumme intelligenda neceſſaria videtur, illuſtravit Jo. Harduinus, ſed cum præpoſterum eſſet hujus viri judicium in Nummis tractandis virgulam cenſoriam ſtrinxere Baſnagius lib. 1. cap. 2. & 3. de Hiſt. & Relig. Judæor. Deylingius par. 2. obſerv. 5. pag. 251 & Cellarius in Diſſertatione, qua Flavii Joſephi de Herodibus hiſtoria a vitiis ſuſpicione contra Joan. Harduinum juſtis vindiciis aſſeritur, & Nummis antiquis conciliatur.*

[d] Ad eos nummos referri etiam poteſt alius, quem affert ex Sereniſſimi Regis Neapolitani Gaza D. Marchio Venuti in Antiq. Hercul. edit. Rom. 1748. p. 71. *In una medaglia di Nerone del Muſeo del noſtro Re ſi vede un Tiberio Claudio con tal Magiſtrato in Corinto: Potrebbe eſſere dell' Imperiale famiglia. Vedeſi la Teſta radiata: Nero Cæſar Germ. Aug. e nel roveſcio* COR. TI. CLAVDIO IIVIR. Q. ADV. AVG. *Corinthus Tiberio Claudio Duumviro Quinquennali Adventus Auguſti.*

Digitized by Google

exemplum ſequuti videntur, quem in Beneventana Colonia Prætura functum jam noverant; Haud vero ejus rei primus auctor Auguſtus, cui recens, quod imitaretur exemplum ſuppeditabat Cn. Pompejus; *Hunc enim in Colonia nuper conſtituta* (Capua ſcilicet) *magiſtratum geſſiſſe* locuples teſtis eſt Cicero tum in Orat. poſt Red. in Sen. cap. XI. tum in Orat. pro Milon. c. XV. ubi ab eodem Pompejo de eo ab exilio revocando decretum, illius Magiſtratus jure, Capuæ factum commemorat (*a*): quid vero Coloniæ Beneventanæ non præſtitiſſet Auguſtus, cujus ipſe (evocatis Veteranis Triumvirali lege eò deductis ad debellandas M. Antonii vires, firmandumque ſibi Principatum) & fidem optime probaverat, & opem feliciter fuerat expertus? Statim igitur poſt Actiacam pugnam (ut juvenilis admodum ejus vultus in Nummo expreſſus demonſtrat) Rerum potitus, hoc, inter alios, honore Beneventanam Coloniam afficiendam duxit, ut Prætoris munere in ea fungeretur.

Ac Prætoris potius, quàm alio nomine (*b*) eum magiſtratum ſuſcepit, in quo amplior quædam Dignitas, atque auctoritas fulgere videbatur, ut ad arguendam Coloniæ Campanæ ſuperbiam notavit Cicero in Agrar. II. ubi Prætores vocari ait, qui in aliis Coloniis Duumvirorum nomine contenti eſſent; At non invidioſum profecto id nomen Octaviano, cui quum Reſp. ipſa ſe ſubmiſiſſet, debebatur certe, ut ejus dignitas honeſtiore, quàm in Coloniis ſuetus eſſet, magiſtratus titulo ornaretur; atque hinc plane intelligimus, quid ſibi in averſa Nummi facie velit Hiberus ille, qui Præfecti titulo inſignis eſt: Poſtea enim quàm Beneventanæ Coloniæ Præturam ſuſcepiſſet Auguſtus, haud certe Beneventi conſiſtere debuit, ut munus illud exerceret, quod nonniſi honoris ſpecie ejus Coloniæ potius, quam ſui accepiſſe dicendus eſt; At cum is ſemel Prætor eſſet, non alii certe eo anno creati, ut moris erat, Colonici Magiſtratus, tum ob ipſius Auguſti Prætoris reverentiam, tum quia per ejus Præturam Coloniæ regimini ſatis conſultum videretur: quid igitur? Debuit omnino eſſe qui abſentis Prætoris vices ſubſtineret, atque is quidem Præfectus Juridicundo, qualem in noſtro Nummo non inſueto titulo, neque more (*a*) Iberum fuiſſe conſtat; a quo tandem eam ſuſceptam curam recte putabimus, ut idem Nummus ad ſervandum non tam ſibi, Auguſtoque, quam Beneventanæ Coloniæ eximii honoris monumentum cuderetur. Atque hæc de eodem Nummo paucioribus fortaſſe, quam rei materia, atque dignitas poſtulabat, diſſeruiſſe libuit, ut eam, quam hic tractandam ſuſcepi Beneventanorum Magiſtratuum materiam ex Auguſti Prætura illuſtriorem efficerem.

Ad ordinarios igitur Beneventanæ Coloniæ Magiſtratus quod attinet, an Auguſti exemplo, qui deinceps ſupremum Magiſtratum in ea geſſerint, Prætores vocari cæperint, an etiam Conſules (quod ambitioſius fuiſſet) aliquando appellati fuerint, haud curioſius mihi inquirendum duxi: Non deeſſent plane utrique rei conjecturæ, ac poſteriorem quidem opportune ſatis probare poſſet lapis in Diſſert. I. c. I. relatus, & quem habes in noſtro Theſauro Cl. I. n. 8. ubi *C. Falcidius Conſul* occurrit, quem Romanis Faſtis ignotum, ac propterea Conſulem ſuffectum eo loco a me habitum, veroſimilius fortaſſe pro municipali Conſule accipiendum oſtendere poſſem, ſuaderetque id etiam præclarum ejuſmodi Magiſtratus nomen, quod ex prioribus ſæculis derivatum, ac perpetuò ſervatum, etiamnum Octoviri retinent, qui Reip. Beneventanæ curam gerunt: At ne nimium conjecturis indulgere, neve illa recoquere videar, quæ de hiſce municipalibus Conſulibus, aut admittendis, aut rejiciendis jamdiu obſervata fuere a Reines. Ep. 28. & 31.

[*a*] De ſummo Magiſtratu a Pompejo Capuæ geſto, ut de L. Piſonis Campano Conſulatu multa habet Mazochius in Amphit. cap. I. pag. 24. & ſeq.

[*b*] Miſſam libenter facio alteram Harduini interpretationem, qui illud PRÆ. in antica nummi parte etiam pro Præſes accipere videtur; Præſidis enim ut Magiſtratus titulus eſſet, Auguſtæo ævo, in quo verſamur, pene inauditum nomen, non item Prætorum, qui tum paſſim obvii, ut ex ſuperius dictis jam patet.

[*a*] Nunquàm Præfecturarum conditionem ſubivit Beneventum, in quas Præfectos quotannis Roma miſſos fuiſſe conſtat: Præſtat tamen audire Feſtum de Præfecturis juxta Briſſonii lectionem in de Verb. ſign. l. 14. ita ſcribentem: *Præfecturæ illæ appellabantur in Italia, in quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent, quarum genera fuerunt duo: Alterum in quas ſolebant ire Præfecti quatuor ſex virum pro Populi ſuffragio creati erant in hæc Oppida, Capuam, Cumas ..... Alterum in quas ibant, quos Prætor Urbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus, ut Jundos Formias &c.* Eodem igitur exemplo, quo Prætor Urbanus Præfectos in eas Urbes mittebat, potuit etiam Auguſtus jam Beneventi Prætor, cum ſibi per abſentiam illud munus exercere non liceret, Præfectum ei Urbi præficere, ſed longe diſpari jure, non enim deterrima, quæ erat Præfecturarum conditio tum Benevento invecta dici debet, cui potius ex eo Magiſtratu, ob Præturam ab ipſo Auguſto ſuſceptam, præ cæteris Coloniis dignitas atque honos acceſſerat. Cæterum, ut rem conficiam, qui in Municipalibus Cæſarum Magiſtratibus ſufficiebantur, Præfectos de more appellatos jam obſervavit Vaillantius in altero nummo Neronis, ac Druſi Cæſarum, & aperte docet Formianus lapis apud Grute pag. 491. num. 10. ubi Arrius Solanus: *Præf. Quinq. Ti. Cæſaris. Præf. Quinq. Neronis & Druſi Cæſarum*: inſcriptus habetur.

Digitized by Google

& 31. Card. Noris in Cenotaph. Differt. 1. p. 41. & a Fabretto Inſcript. cap. x. p. 723. Magiſtratus dumtaxat illos perſequi Conſilium fuit, quos certos noſtri lapides nobis exhibent.

Primum igitur locum Decuriones obtinebunt, quippe quorum cœtu ſuprema Civitatis Majeſtas atque auctoritas continebatur; Qui enim (loqui jam liceat ſequioris ævi auctore Juſtiniano in novell. Conſt. 38. de Decurionibus) olim nobis Remp. diſpoſuerunt, exiſtimaverunt oportere ſecundum Regiæ Urbis inſtar adunare in utraque Civitate nobiles viros, & unicuique Senatus dare Curiam, per quam debuiſſent agi, quæ publica ſunt; quare & minorem Senatum, & nervos, ac viſcera Civitatum Decuriones meritò appellabat Caſſiodorus Var. lib. 9. cap.... Hinc licet plures in quaque Civitate Civium Ordines eſſent, *Ordo* tamen ſine ulla adjectione alia pro ipſo Decurionum cœtu per excellentiam intelligebatur, cui etiam *Splendidiſſimi* epitheton ſequior ætas titulorum feraciſſima invenit, ut ex pluribus noſtris lapidibus, aliiſque poſteriùs patebit: De Decurionibus autem, quoniam omnia pervulgata ſunt, haud longum faciam, id tantum non ſatis ab aliis hactenus obſervatum explicaturus, quemnam ſcilicet Ordinem in Coloniarum Rep. ipſi conſtituerent, atque ex quo ordine ad Decurionatum adlegi ſolerent; ac de poſteriori re dubitandi occaſionem præbet locus Plinii lib. 1. ep. 19. ubi hæc ſunt: *Eſſe tibi centum millium cenſum ſatis judicat, quod apud nos Decurio es, igitur ut te non Decurione tantum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equeſtres facultates* ccc. *millia Nummum*. Si enim veterum Civium, in quos Civitas diſtribuebatur, ordines ſpectentur, jam poſtPatritios Equiteſque poſtremus locus Plebi dabatur, ex qua Decuriones adlectos indicare videtur Plinius, qui ejuſmodi munere jam fungenti eum cenſum ſupplet, qui ad Equeſtrem ordinem gradus eſſet: At vero Decurionum honoribus Plebejos fungi prohibitos diſerte docet Paulus in leg. 7. §. 2. D. De Decurionibus, quem tamen haud Plinio adverſari crediderim, dum ejus verba laudatæ legis initio attendantur; ait enim *honores, & munera non ordinationi, ſed potioribus quibuſque injungenda eſſe*, quibus verbis (*a*) ut in aliis honoribus, ita in Decurionatu capiendo non ordinum gradus (pro quibus, ut ego explicaverim, *ordinationis* vocabulum uſurpavit Paulus) ſed potiores, ideſt, qui magis opibus valerent ex ordine quolibet adlegi debere, ac proinde magis cenſum (*b*) quam conditionem ſpectari conſueſſe tradit Juriſconſultus; ex quo etiam id clarè intelligimus ex unoquoque Civium ordine, neque Plebeiis exceptis, quibus tamen centum millium cenſus fuiſſet, Decuriones creari potuiſſe, quorum cœtus diverſum quidem ab aliis ordinem conſtituebat, ita tamen, quod ad ceteros Civium ordines haud propriè referri videretur, quum in illis privata tantùm Civium jura, ac prærogativæ continerentur, hujus vero diverſa omnino ratio erat, quæ in jure publico erat poſita, cum ſcilicet apud ipſos Decuriones adminiſtrandæ Reipublicæ cura auctoritaſque reſideret.

Atque ex hac quidem auctoritate manabat, ut quidquid è Republ. eſſe videbatur, ordinario jure Decuriones providerent, itaut ea omnia, quæ Romæ Senatus, in Coloniis Decuriones ſtatuere æquè poſſent, ſola quoque nominum diverſitate ſervata, cum illa Senatus Conſulta, hæc vero Decurionum decreta appellarentur: ac quum in reliquis rebus, quibus tranquillitas, aut utilitas publica continebatur, decreta ſua ferrent Decuriones, haud etiam eam partem, quæ maximum Reipublicæ bonum reſpiciebat, negligendam putabant, ut Civibus nempe de Rep. bene-

[*a*] Mirum quam variè ea Jureconſulti verba legantur; Adnotationem doctiſſimi Gothofredi deſcribere placet: *Ordinationibus*. (Vulgata editio) *ordinatione*: *Haloander*. *Ordinariis omnibus*. *Hugo a Porta*. *Ad munera potiores nominantur, ideſt, locupletiores, & de Rep. benemeriti: non tam vices, quam vires ſpectantur: non gradus generis, ſed ſubſtantia, non proximior, ſed locupletior*.

[*b*] Cenſus auctorem Regem Servium Tullium tradit Livius l. 1. propterea quod is primum pro diverſo facultatum modo, diverſos Civium ordines conſtituit: Servii inſtitutum poſt extinctos Reges adhuc manſit: quin etiam ſtante Rep. pro quolibet ordine cenſus auctus, itaut quæ centum millium ſub Servio ſummæ Romanorum fuerant opes, quibus primus Civium Ordo ſtatutus fuit, vix ejuſmodi centus in Decurionibus, ſeu Colonico Senatu tolerabilis fuit; quod enim Romanos Senatores ſpectat, eorum cenſum Auguſtum ampliaſſe, ac pro octingentorum millium ſumma, duodecies HS. taxaſſe, ſupplevisſeque non habentibus teſtatur Svet. Aug. c. 41. Eò res proceſſit, ut ad Magiſtratum quemlibet, ipſumque Judicis munus nemini præfinito cenſu carenti aditus pateret: An vero in bene conſtituta Rep. ratio probari iſthæc unquam poſſit, qua Cives ad opes magis, quam virtutes comparandas incitarentur, ſatis erit unius Plinii judicium audiſſe, qui in Proem. lib. 14. H. N. de ejuſmodi inſtituto in maximam Reip., bonorumque morum, atque honeſtiſſimarum diſciplinarum perniciem invecto ita queritur: *Poſteris laxitas Mundi & Rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senatus cenſu legi ceptus, Judex fieri cenſu, Magiſtratum ducemque nihil magis exornare, quam cenſus, peſſum iere vitæ pretia, omneſque a maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere, ac ſervitute ſola profici cœptum*: Quod jure Romanis exprobabat Arnobius his verbis: *Quis ad exſtremum Deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum Numen eſſe veſtræ literæ indicant, donare annulos aureos, loca in ludis, ac in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem Magiſtratus?*

Digitized by Google

benemeritis, aut virtutibus, aut dignitate præclaris, publici honores decernerentur: ejus rei plures lapides adhuc teſtes ex noſtro Theſauro proferre poſſem; ſed non heic in iis legendis lectorem morandum duxi, qui facile eos in propria Claſſe percurrere poterit; memorandus tamen videtur lapis ille quem in Præloquio attuli C. Catio Balbo & Ɔ. Petreiiæ erectus, quos Beneventani Decuriones Funere publico de Foro & Tribunali efferendos, & certo loco humandos cenſuerunt: Cæterum nec privatis perſonis monumentum aliquod in privati alterius honorem dedicare, ſine Decurionum decreto fas erat, quod ſiglis illis L. D. D. D. paſſim in antiquorum lapidum extrema linea occurrentibus exprimi conſuebat, atque expreſſum ſane voluit in hoc lapide M. Flavius Marcellus Rutilius, quamquam is ampliori Duumviratus poteſtate jam polleret.

BENEVENTVM FELIX
M. FLAVIVS MARCELLVS
RVTILIVS
PRO HONORE IIVIRATVS
L. D. D. D.

Atque ex hoc lapide, qui elegantiſſima literarum forma inſignis etiam num affixus legitur in Atrio publicæ Ædis, miſſis jam Decurionibus ad Duumviros aditum mihi faciam: Summum hunc fuiſſe Coloniarum Magiſtratum, ſoloque hoc nomine ſine Duumvirùm adjectione per excellentiam vocatum ante alios jamdiu obſervavit, atque erudite probavit Ant. Auguſtinus in Libro ſingulari ad Modeſtinum (*a*) ubi etiam pro Duumviris στρατηγὸς, quos idem Modeſtinus, nec non Theophilus habet, rectius contra quam aliis viſum fuerat, explicandos contendit; certè ut Decurionum ordinem Principi Senatui reſpondere jam diximus, ita Duumviros, quos nonniſi ex eodem ordine creari oportebat (*b*) Romanorum Conſulum imaginem prætuliſſe conſtat (*c*). Non ſolum enim, quod Magiſtratus nomen apertè oſtendit, bini ad illorum exemplum conſtituebantur (*d*), ſed & annuus (*e*) utriſque præficiebatur Magiſtratus, & iiſdem fere ac Conſules inſignibus Duumviri præfulgebant; ac primò Togæ Prætextæ uſum habuiſſe teſtatur Valerius Tribunus Plebis, eo exemplo uſus, ut fœminis Romanis Purpuram gerendam facilius impetraret (*f*): *Purpura*, inquit, *viri utemur prætextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis, Liberi quoque noſtri prætextis purpura togis utentur, Magiſtratibus in Coloniis municipiiſque togæ prætextæ habendæ jus eſt; nec id vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam ut cum eo crementur mortui*, fœminis dumtaxat *purpuræ uſu interdicemus*: Præterea Conſulum inſtar Duumviris faſces, licet non eodem numero præferre licebat: Hinc Cicero poſtquam Campani Magiſtratus ſuperbiam ex Prætorum uſurpato nomine probare cœpiſſet, mox & illud adjecit (Agr. 2. cap. 34.) *Anteibant lictores non cum bacillis, ſed, ut hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus*: At, quod initio ſolius Campani Magiſtratus adſectatio videri poteſt, mox in aliis Municipalibus Magiſtratibus bacillos, de quorum legitimo uſu dubium nullum eſt, etiam in faſces mutatos indicare videntur Arcadius & Honorius

[*a*] Capite illo: *Magiſtratus Municipales tutela, & cura vacant*: pag. 295. edit. Venet. 1543.

[*b*] Paulus in d. l. 7. D. De Decur.

[*c*] Cujacius in Comment. lib. 1. Pauli ad edictum.

[*d*] Fuerunt tamen aliquando non Duumviri, qui ſummum Magiſtratum gererent, ſed IIIViri & IIIIViri, ut notat Sigon de Jur. Ital. lib. 2. cap. 4. Imò Seviros ſeu VIViros in Bononienſi municipio ad eum Magiſtratum delectos probare nititur *Malvaſia* Marm. Felſin. ſect. 4. cap. 9. Ita etiam alio, quam Duumviratus nomine ſummus idem Magiſtratus alicubi vocabatur, ut de Arpinate Municipio teſtatur Cicero lib. XIII. Epiſt. XI. ubi Ædilis tantum creabatur, qui univerſam rem Municipii publicam adminiſtrabat; ex quo Ciceronis loco lux affunditur Spartiano, qui, ut paulo ante meminimus, refert Hadrianum per latina Oppida Dictatorem & Ædilem, Duumvirum fuiſſe; non omnes ſcilicet eos honores in ſingulis oppidis] geſſiſſe, ſed ſummos Magiſtratus, qui variè pro Oppidorum more eo nomine vocarentur.

[*e*] Quinquemeſtrem, ac ſemeſtrem aliquando Duumviratum fuiſſe obſervavit poſt Pighium Annal. Rom. Card. Noriſ. in Cenot. Piſ. Diſſert. 1. cap. 3. ex Inſcriptione Capuana, quod tamen rarum, imo ſingulare dixeris, dum de annuo Duumvirorum Magiſtratu obvia plerumque ſunt antiquorum teſtimonia: ex quibus tamen libet Canonem LVI. Concilii Illiberitani in medium afferre: *Magiſtratum uno anno, quo agit Duumviratum, prohibendum placuit, niſi ab Eccleſia prohibeat*: ejus decreti cauſam ſi obiter quæras ſatis erit ex Natali Alexandro Hiſt. Eccl. ſæc. 3. Diſſert. 21. art. 2. didiciſſe: Sacrificiis enim Idolorum auctoritatem præſtare, ſumptus ad Idololatriam ſpectantes procurare, ſpectaculorum curam gerere ex ipſa ſui muneris ratione hujuſmodi Magiſtratus, Ethnicorum Imperatorum tempore tenebantur: Unde ipſos in proxima Idololatriæ occaſione poſitos, Eccleſiæ arcendos ingreſſu prudenter admodum ac pie judicarunt Illiberitani Patres.

[*f*] Liv. lib. 34. cap. 7.

Digitized by Google

rius Impp. in leg. 53. Cod. De Decurionibus, qua *Duumvirum impune non licere extollere potestatem fascium extra metas Territorii propriæ Civitatis* decernunt (*a*).

Quum igitur tam ingens fuerit ejus Magistratus honos, atque dignitas, qua item ipse potestate polleret, paucis observare jam licebit. Et sanè, quibus viribus Duumvirorum potestas fuerit prædita, non satis constat, neque inter veteres Jurisconsultos, recentioresque eruditos omnino convenit: Sigonius quidem lib. 2. cap. 4. non aliam, quàm in Juredicundo, Duumvirùm potestatem agnoscit, ejusque rei certum sibi argumentum adesse putat ex veteribus lapidibus, in quibus sæpissime II VIR I. D. ideſt *Duumvir Juridicundo* occurrit; & sanè præter lapides Sigonii sententiæ etiam J. C. Paulum suffragari animadverto: ait enim in leg. 1. D. ad Municip. *Ea, quæ magis Imperii sunt, quam Jurisdictionis, Magistratus Municipalis facere non potest*: At non sola Jurisdicundi potestate Duumvirùm munus contineri rectius alii existimarunt: Qua enim ratione maximus hic Magistratus ab inferioribus aliis differre debuit; si enim solo ordine, ac insignibus præcelluisset, inane hoc quidem; dum reliquos sibi potestate pares, imo potiores haberet; & certè Ædilibus (quos inter minores Magistratus ex Messallæ testimonio retulit Gell. lib. 13. cap. 14.) non Juris dicundi tantum in iis quæ ad eorum munus pertinerent, ut iidem antiqui lapides probant, ubi Ædiles I. D. ideſt *Ædiles Jurisdicundo* passim memorantur, verùm etiam coercitionis potestatem aperte tradit J. C. Calliſtratus lib. 6. Cognitionum, cujus hæc sunt in leg. 12. D. De Decurionibus: *Ne quidem arcentur honoribus, qui ab Ædilibus flagellis cæsi sunt, quamquam jure suo ita Ædiles officio isto fungantur*, imo & mulctæ dictionem Ædilibus fuisse memorat Liv. lib. x. cap. 31. qui etiam lib. 25. cap. 2. aliquot Matronas apud Populum probri accusatas, ac deinde damnatas, Ædiles Plebis in exilium egisse narrat; Latiùs igitur Duumvirùm potestas patuisse dicenda est, nam & Duumviro (ut recte observat *Cujacius* ad leg. 1. D. De V. S. tom. 8. pag. 478.) publicum Judicium est, & Tribunal, & Fasces: Uno verbo ad Imperium res reducenda est; & sane cum duplex fuerit Imperii ratio, seu species, *meri* scilicet, ac *mixti* (*b*), non utique Paulus ita loquutus videri debet, ut quodcunque

R

[*a*] Scio, Fasces ab Impp. ea lege memoratos haud propriè pro ipsis Magistratus insignibus, sed metaphoricè ad indicandam Duumvirùm Jurisdictionem usurpatos, nonullos accepisse, nec omnino inepte: favere videtur Virgilius Georg. 2. v. 495.

Illum non Populi Fasces, non Purpura Regum
Flexit .....

Ubi Servius Populi Fasces pro honoribus, qui a Populo præstabantur, Poetam significasse dicit, distinctos quidem a Purpura, quæ Regiam dignitatem præcipuè indicare solebat, ut re utraque proprietas sermonis servata videatur: Fasces etiam pro cujusque in quaque re, dignitate, auctoritate, ac præstantia dici consuetos satis ostendit vetus illud proverbium, quo dum alicui cedendum nobis esse fatemur, *ei fasces nos submittere* dicimus; quod usurpatum legimus a Cicerone in Brut. cap. 6. iis verbis: *Cum Tibi ætas nostra jam cederet, fasceſque submitteret*: Ortum autem habuisse facile constat ex celebri illo Valerii Poplicolæ facto, qui, ut refert Liv. l. 2. 7. Plutarch. in Poplicol. Quintilian. Inst. l. 3. primus in concionem ascendens, Populo Romano fasces submisit, ideſt non surrectos sed depressos, inclinatosque a lictoribus teneri jussit: *Quod gratum* (inquit Livius) *multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse Imperii signa, confessionemque factam Populi, quàm Consulis majestatem, vimque majorem esse*: At hæc, ut dixi, ad Imperatorum verba illustranda haud inepta, sed vix vera videri possunt: non enim unicum videri potest ejus legis exemplum, quo *Fasces* Duumviris vindicentur, ita ut ad metaphoricam locutionem fugiendum sit, ne novum quid atque singulare nunc demum ex abditis Antiquitatis locis in lucem prodeat, unius legis subsidio, quæ extremis pene Imperii temporibus lata fuit; sed alia jam præsto sunt, quæ summa fide, & antiquitate præstant ejusdem rei monumenta: Fasces enim Magistratui Municipali disertè attribuit Apulejus Metam. 1. pag. 33. & rursus Metam. x. pag. 335. Præstat autem audire Cujacium, qui in Comment. ad lib. 1. Pauli ad edictum expendens verba laudatæ Legis: *Et potestatem fascium*, inquit, *quia Duumviri, & jus virgarum in sævitia habebant leg. 12. Hoc tit. L. si privatus 17. D. qui, & a quibus manum &c. & fasces aut Bacilli eis præferebantur, M. Tull. Cic. 2. Agrar.* Addiderim ego, ex ejusdem legis verbis, ubi *extollere*, & *Territorii metæ* leguntur, proprios ac veros fasces omnino ibi esse intelligendos: nec quicquam quod ad Jurisdictionem pertineret fuisse ab Imperatoribus consideratum: alioquin non tam punitione dignos Duumviros, quam quicquid extra propriæ Jurisdictionis fines decernere ausi fuissent, irritum declarasset: *Sed non liceat*, inquiunt, *Duumviros impune extollere potestatem fascium extra metas Territorii propriæ Civitatis*, ideſt crimini eis vertebatur, si sui Magistratus insignia per alienum Territorium publicè deferrent, quod in alienæ Jurisdictionis turbationem, vel manifestam injuriam cedere videbatur; Proprietas igitur verborum in ea lege omnino retinenda erit, quam optime suadet tum nimia, quæ ea in re succreverat, Duumvirorum adrogantia, quæ ejusdem legis ferendæ occasionem præbuit, tum ipsa res omni ævo, omnique jure fieri vetita, ut pluribus exemplis probare promptum esset, si id modo agerem.

[*b*] Ulpian. in lib. 3. D. De Jurisdict. *Imperium aut merum aut mixtum est, merum est Imperium habere gladii potestatem ad animadvertendum facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est Imperium, cui etiam Jurisdictio inest, sive ut recte* explicat Gravin. de Legg. l. 3. cap. 4. *Vis civilis & legitima, si atrocioris pœnæ facultate polleat, Imperium merum; si vero levioris*

Digitized by Google

que Imperium Municipali Magiſtratui adimere voluerit: Non habuiſſe *merum* ſanè verum eſt, ac *mixto* quoque caruiſſe falſum omnino; quia Juriſdictionem habuit, quæ nunquam ſine mixto Imperio eſſe poteſt; unde & mixto Imperio nomen, quod perpetuò Juriſdictioni permixtum ſit, eamque perpetuò comitetur, eique perpetuo commiſceatur; alioqui ridicula eſſet Juriſdictio, ſi nullæ eſſent Imperii vires Juriſdictioni permixtæ. Conſtituamus igitur cum eodem doctiſſimo Cujacio in Comment. ad d. l. Pauli (quæ eſt in illius lib. 1. ad edictum) Magiſtratus Municipales Juriſdictionem non quidem nudam, quæ ſolum in judicando verſabatur juxta diſcrimen illud inter Jus dicentem, ac Judicem optimè a Gothofredo animadverſum in leg. 1. D. De Juriſdict., ſed mixto Imperio pollentem habuiſſe, quæ *Faſcium* poteſtate indicata, variis modis, pluribuſque in rebus legitimè explicabatur.

Quod certè niſi ſtatuamus, non ſolum inferioribus Magiſtratibus Duumviri concedere poteſtate viderentur, ut de Ædilibus paulo ante oſtenſum fuit, ſed etiam attributâ, ut par eſt, cuique Magiſtratui de rebus ad proprium munus pertinentibus Juriſdicundi poteſtate, parum admodum ſupererit, quod Duumvirùm Juriſdictioni, ſi aliorum inſtar Magiſtratuum illius vim metiamur, ſubjici continget: Præter enim Ædiles I. D. fuere quoque *Prætores Cereales*, & *Cenſores* ſeu *Quinquennales* in Colonia Beneventana, ut in cæteris Coloniis, qui ex proprii muneris ratione jus dicerent; ad hæc Decurionum auctoritatem in condendis Senatuſconſultis, ſeu Decretis ſatis valuiſſe jam vidimus; ac, quod reliquum jam vidèri poteſt in Juriſdictione exercenda, id certè viris illis, qui *Stlitibus judicandis* deligi conſuebant, poſtremò mandabatur. Horum in binis hiſce noſtris lapidibus ſuperſtes adhuc, ac præclara admodum extat memoria:

M. MARIO M. F.
STEL. TITIO RVFINO
COS. (a)
CVR. COL. CLAVD. AVG.
AGRIPPINENSIVM
PROCOS. PROV. SICILILIAE
CVR. AMERINOR. PRAET.
TR. PL. Q. PROV. MACEDON
SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM.
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIV. P. F.
IIIIVIRO STLITIB. IVDIC.
FIDES CVM HELLADE ET
TERTIO PARENTI B. M. FEC.

....VNDIS PRATORI (b)
CANDIDATO LEGAT
PROVINCIAE AFRIC. DIOE
CESEOS HIPPONENSIS
ADLECT. INTER PRAET
A DIVO COMMODO ET IN
TER PATRICIOS TRIB.
LATICL. LEG. V. MACED
XVIRO STLITIB. IVDIC.
OB SINGVLAREM ERGA PA
TRIAM CIVISQVE ADFEC
TIONEM P. D. D.

Ordinarium hunc fuiſſe Magiſtratum diſertè tradit Pomponius in leg. 2. §. 29. D. De Orig. Jur. ac Dio lib. 54. B, quem etiam Xvirorum numero conſtitutum, tum ipſi, tum noſter poſte-

ris coercitionis poteſtate finiatur mixtum appellatur, quorum hoc Juriſdictioni ſemper, & Magiſtratui, illud Principi & ſupremæ Poteſtati cohæret.

[a] M. Marius Rufinus cum Ap. Claudio Laterano Conſul proceſſit an. Chr. 197. ut ex Petavianis faſtis apparet. Diſcimus amplius ex noſtro lapide Tribum cui fuit adſcriptus, atque alterum Titii cognomen; ſed & non levem idem lapis conjecturam præſtat, ipſummet Beneventanum Civem fuiſſe: Congruit enim Stellatina Tribus, in qua perquam frequenter Beneventani cenſebantur: Præterea Rufinorum Gentem Beneventi inter primarias floruiſſe probant duo alii antiqui lapides, quos habes in noſtro Theſauro cl. VI. n. I. & 2. Etiamnum Beneventi Porta extat *Rufina* nomine, quod cum antiquiſſimum ſit, nec alia originis cauſa ſubeat, ab ea gente inditum videri poteſt: Quam tandem veroſimiliorem putabimus cauſam, cur ejus liberi Beneventi potius quam alibi eum lapidem dedicandum curarint, niſi quod ibi originem, domiciliumque habuerint? Eorumdem autem liberorum nomina corrupta in lapide omnino videntur, ac niſi Parentis vocabulum adeſſet, libertorum magis, quam liberorum eſſe nomina dixeris; ſed ea reſtituere tam difficile erit, quam aliis facile conjecturam meam de Rufini Conſulis Patria reſpuiſſe.

[b] Præclariſſimi hujus Beneventani Civis nomen corruptiſſimum in lapide exhiberi nemo non videt: Fortaſſe in lapide fuit. C. UMBRIO PRATORIO; Ita enim reſtituendum mihi viſum ex literarum affinitate, & ex *Umbria*

Digitized by Google

posterior lapis, cui reliqui omnes respondent, apertè testantur, ut mirum sit ab eo numero priorem nostrum lapidem, quem Gruterus affert, discrepasse, dum pro x̄ viro ⅀ virum Stlitibus judicandis M Marium Rufinum nobis exhibet; mendum igitur in eam numeralem notam irrepsisse facile arbitrabimur, nam labente secundo sæculo, ejusmodi x̄ viros ad ⅀ viros redactos conjectare omnino vetat posterior ipse noster lapis, qui post Commodianum ævum dedicatus, in idem fere tempus incidit, quo ipse Rufinus floruit. De Xvirorum Magistratu, quibusque Stlitibus judicandis præcipuè incumberent, agit Sigon. De Judic. lib. 1. cap. 8. & cap. 28. eosque ex Consilio Prætorio extitisse affirmat, ideòque Prætorem gravioribus curis distentum litium ad suum Tribunal pertinentium cognitionem judicationemque Xviris ad id institutis mandare consuesse; quod Pomponii verbis satis ostendi potest; nam cum is Prætores, Urbanum primùm, dein Peregrinum ad supplendas in Urbe Consulum partes, qui finitimis bellis advocabantur, creatos tradit, mox Prætoribus ipsis rerum multitudini haud sufficientibus: *Cum esset* (inquit) *necessarius Magistratus qui hastæ præesset, Decemviri in litibus judicandis sunt constituti*: Atque jam demum ex his omnibus, dum Principis Reip. formam ad minorum Rerump. demonstrandum statum trahere jam liceat, manifestum satis apparet, non vulgarem quandam nudamque Duumviris Jurisdictionem adhæsisse, quæ minorum Magistratuum propria erat, sed cum maximus is esset in Coloniis Magistratus, non imaginem solam, nomenque aliquando Consulum, sed etiam quæ Coloniæ juri par erat, auctoritatem, aut certè Prætorum potestatem (servata tamen Provinciarum Præsidibus, seu Proconsulibus tùm Imperii meri, tùm graviorum rerum Jurisdictione) cum ipsis etiam, ut modo notatum fuit, Consularibus, ac Prætoriis insignibus obtinuisse videri debet. Ac de Duumviris hactenus.

Quod minores spectat Magistratus, præcipuum Ædilibus locum dabimus cum Cicerone in de legib. l. 3. c. 3. *Suntoque Ædiles Curatores Urbis, Annonæ Ludorumque solennium, ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto*: Celebriora, ac frequentiora Ædilium officia attigisse satis fuit Ciceroni, non tamen omnia, quæ recensuit, & illustravit Lipsius de Magistrat. Rom. cap. 12. Gravin. de Orig. Jur. lib. 1. cap. 39. De Ædilibus, qui ad Romani ejusdem Magistratus exemplum, in Coloniis, & Municipiis creabantur, plenissimè egit V. C. Everardus Otto libro singulari: non aliud igitur reliquum mihi faciam, quam insigniores ex pluribus, qui ea de re extant, lapides afferre, ut non solum Ædiles in Beneventana Colonia extitisse, verum etiam, quæ Ciceroni præcipua ejus Magistratus visa sunt officia, exercuisse probentur, utque a postrema Tullianæ legis parte ordiar, Ædilitatem ad alios Magistratus, velut aditum fuisse in Beneventana Colonia ostendit lapis iste:

Umbria familia, quam ex pluribus lapidibus Beneventi olim floruisse constat. An vero CIVIS accusandi casu pro CIVES vere scriptum sit in lapide, parum refert, cum eam lectionem, quamquam nostri lapidis ævo importunam optime probare possint notata *a Card. Noris in Cenot. Pis. Diss.* IV. *in vocabulo Finis pro Fines*; notandum tamen in hoc lapide DIOECESEOS vocabulum ab extremo usque secundo sæculo in latium invectum, & quidem ad significandam ex Græco Διοίκησις plurium Provinciarum Præfecturam; Diœceses, enim, ut rectè explicat Brisson de V.S. appellabantur, administrationes multarum simul Provinciarum, quæ in unum coactæ per Præfectos Prætorio, eorumque Vicarios regebantur, quas apud eundem enumeratas invenies; fusius vero apud Jacob. Gotofredum ad l. 13. Cod. Theod. De Medicis, & in Topographia ejusdem Cod. part. 1. Cur vero in nostro lapide videatur potius Diœcesis in Provincia contineri, dum Diœcesis Hipponensis in Provincia Africæ statuitur modo accuratius inquirere hon vacat: Illud tantum addam, Diœceseos vocabulum in antiquioris ævi monumentis non ita obvium, quod vel ex Brissonio, atque Cangio apparet, quorum illa diligentiam effugerunt; nam quæ uterque in eo vocabulo scriptorum exempla congerit, posteriorem omnia ætatem ferunt: At non omnino ex eo vocabulo singulare erit nostro lapidi pretium: cui jamdiù præivit Cicero, qui (ep. fam. l. 3. 8. & 13. 67.) dum Provinciam regebat, *Diœceses* memorat suo muneri commissas: quid? quod idem Cicero Belli Civilis initio eum se à Pompejo delectum fuisse scribit (ad Att. 7. 11.) *quem tota Campana, & maritima ora haberet* ἐπίλεκτον. Hinc vides utrique vocabulo ab sui origine potestatis, jurisdictionisque vim inesse, quam cum iisdem omnino vocabulis in Ecclesiasticum Ordinem translatam jure suo non dubitabis: quamquam a priore significatione paululum deinde mutatum; nam quum Diœcesium nomine nonnisi Provinciæ illæ rectè appellari cœpissent, quibus Metropolitani, aut Archiepiscopi præerant, postmodum qui Episcopi suos districtus Parochiæ nomine appellare contenti erant, ampliori Diœcesis appellatione significandos curarunt.

Digitized by Google

L. LAETICIO L. F.
STEL. RVFO
TRIB. MIL. LEG. XII.
DON. HASTA PVRA
CORONA VALLARI
AEDILI. QVAES. IIVIRO
I. D. PRAEF. FABRVM
ATTEIA Q. F. PRISCA
VXOR. B. M. F.

Vides jam in hoc lapide munera omnia L. Læticii domi militiæque gesta enumerari, ac primùm quidem militaria, quibus cum egregiè, ac præclarè functus esset, militaribus donis, ideſt *Hasta pura*, & *corona vallari* fuit auctus; cum vero a sexta linea Civilia munera memorentur ab Ædilitate initium est, post quam Quæsturam assequutus Læticius, ad ⁊ viratus demum honorem ascendit: Gradus igitur honorum, ut Romæ, ita Beneventi servatos fuisse constat, ut exinde etiam legitimæ ad honores singulos capessendos ætatis rationem spectatam affirmare tuto possimus; nam utilem illam, & salutarem legem Annariam, quæ in Romanis Magistratibus constituta erat, in Municipiis etiam, & in Coloniis locum habuisse observat Lipsius l. l. cap. 6. apertèque testatur Plinius lib. x. epist. 83. ubi Bythinis legem fuisse memorat, ne quis caperet Magistratum, neve esset in Senatu minor annorum xxx., neque ante gestum Magistratum in Senatu esse posset.

At quod Ædilium officia spectat, eos primum *Curatores Urbis* statuit Cicero, qui istud idem (*a*) sibi ipsi Ædili jam designato, inter alia jactanter attribuit, *Sacrarum nempe ædium procurationem, totamque Urbem tuendam fuisse commissam*: Papinianus etiam in *l. un. D. De Via Publ.* Ædiles ipsos perpetuò ἀστυνόμους vocat, quod non aliud, Lipsio interprete, quàm Curatores Urbis: at eo nomine non omnia, sed quæ ad Urbis ornatum, aut ordinem pertinebant, contineri satis constat: Ædilium enim erat, Opera publica, & Deorum Templa suspicere, ac tueri, curareque, ut non tam illa, quàm etiam balnea, aquæ ductus, cloacæ, plateæ, popinæ mundæ, & sine sordibus essent, quæ proinde lota, Ædilem metuentia eleganter appellat *Senec. De Vit. Beat. cap. 7.* Viarum præterea publicarum curam habuisse Ædiles docuit jam Papinianus in libro singulari de officio Ædilium, cujus præcipua capita Tribonius retulit in d. l. un. D. *De Via Publica*; non enim solum illarum munditiem procurare Ædilitium munus, de qua re pulchrè Plautus (*b*), egregiumque exemplum apud Svetonium habemus (*c*), verum etiam illas sternere ac munire, quod ex nostro lapide probasse sufficiet:

C. ENNIVS M. F.
C. BERGONIVS Q. F.
AED.
VIAM STRAVERVNT
ET LACVVS FECERVNT.

In Arce Beneventanæ Urbis extat hic lapis, quem affert Gudius pag. 72. num. 5. ac de stratis ab hisce nostris Ædilibus Beneventanæ Urbis viis, quod ad illorum munus præcipuè

[*a*] Verr. v. cap. 14.

[*b*] In Sticho 2. 2. 29. ubi cum Servus imperasset: *Cape illas scopas, tu hoc converre &c.* Parasytus subjicit: *Sine suffragio Populi Ædilitatem hic quidem gerit.*

[*c*] In Vespas. cap. 5. *Mox cum Ædilem eum [Vespasianum] C. Cæsar succensens propter curam verrendis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt, qui interpretarentur, quandoque proculcatam, desertamque Remp. Civili aliqua perturbatione, in tutelam ejus, ac velut in gremium deventuram*: Ex quo loco etiam illud constat, curandarum viarum munus etiam ad Ædiles pertinuisse, postquam Augustus Curatores viarum, qui olim veluti Ædilium adjutores, nec nisi extraordinariè, & ad tempus, ut res exigebat, S.C. constituti fuerant, ad ordinarii Magistratus dignitatem evexit, delectis etiam ad id muneris nobilissimis Viris, quibus & suo exemplo præibat, ut seduliorem ejus rei curam gererent; teste Sveton. in Aug. cap. 30. & 37.

Digitized by Google

puè pertinebat, clara res eſt; illud tamen quod ſequitur, non ſatis obvium, quod nempe *& Lacuus feciſſe* dicantur; ac primò *Lacuus* litera v geminata pro *Lacus* in lapide ſcriptum eſſe facile affirmaverim aliorum lapidum nummorumque exemplo, in quibus aliquando *Feelix* pro *Felix*, *Honoreem* pro *Honorem*, *Vaarus* pro *Varus* uſurpatum obſervat *Manut. Ortogr.* v. *Felix*; at quoſnam *Lacus* a noſtris Ædilibus factos putabimus? Lapidem invenio apud Muratorium p. 611. n. 4. quem è ſchedis Ambroſianis exceptum extantem dicit *Beneventi* in Muro Clauſtri S. Modeſti in hæc verba:

P. CERRINIVS
L. CRASSICIVS
II VIR. I. D.
VIAM STRAVER
ET LACVS FECER
PRO LVDIS.

Ad quem Vir Cl. ſic breviter commentatur: *Lacus heic fortaſſe loca profunda, in quibus feræ ad ludos enutritæ ſtabulabantur*: De Muratorii Commentatione mox viderimus; meam interim conjecturam proferam, a vertice ſcilicet ad calcem mendoſum hunc lapidem in ſchedas Ambroſianas relatum fuiſſe. Quæ ſint ea menda inquis? Docebit utique lapis, quem ſuperius ante hunc, a me editum, non alium a Muratorii lapide accipiendum puto: Non enim alius Beneventi extat, ac pro nominum mutatione falſi crimen diſſimulabimus: Quid tamen cauſſæ fuerit, ut viarum ſternendarum cura ab Ædilibus, quorum multa paria Beneventi erant, ad Duumviros Juridicundo translata ſit? Illud tandem PRO LUDIS, quod in ſincero lapide deeſt, aut a poſteriore alicujus ſcioli manu in Ambroſianum exemplar irrepſit, aut PRO LUTIS legendum erit, ut mox obſervabimus, nunquam vero *pro ludis*, ut exinde lacus in lapide memoratos pro ferarum receptaculis accipiamus: Luſiſſe certe videtur Muratorius, in cujus fortaſſe mentem, dum hæc ſcriberet, venerit lacus ille leonum memoratus *Danielis cap. 6. & 14.* Sed indulgendum Sacro Interpreti tantum erit, ut Hebræum vocabulum ea verſione donarit, quæ congruentior loco illi eſſe videbatur, ubi a Rege Babylonio leones cuſtodiebantur; quamquam quum lacui ipſi oſtium fuiſſe Scriptura dicat, quod Regis, ac Optimatum anulis obſignatum fuit, non illud in ſuperna parte, ſive ejus lacus ſummitate, ſed in ima parte, exteriori areæ lacus reſpondente ſtatuendum erit; id, quod clarius Scriptura ipſa oſtendit, quæ non projectum Danielem, ac poſt eum accuſatores calumniæ damnatos, ſed *miſſos*, aut etiam *intromiſſos* in ipſum lacum refert; ex quibus fit, hujuſmodi locum haud fuiſſe in profunda terra excavatum, ſed in ædificii formam omnino aſſurgere debuiſſe, in qua vix lacus ſimilitudinem reperiſſe erit; ſed hæc obiter: Quod rem attinet, nullibi apud Latinos Scriptores id, de quo agimus vocabulum ea ſignificatione unquam uſurpatum conſtat, neque illam modo ex edendorum ludorum cura, quam Ædiles gererent, ut comminiſcamur noſter lapis efficiet: Eſt enim verius quidpiam aliud, quo Ædiles, quod lacus fecerint, ſuum munus ſummopere impleviſſe videntur: & ſane quamquam lacus propriè dici videantur de locis profundis, in quibus ſunt aquæ reſides, ſed perpetuæ, unde rivi oriantur & flumina, eſt tamen lacus pariter *Foſſa*, ut docet Voſſius Etymol. v. lacus a Græco λαχὶς, quod inter alia, Heſychio teſtè, notat σχὶσμα, hoc eſt *ſciſſuram* ſeu *fiſſuram*, ac ſpeciatim, ut idem Heſychius ait, ſignat χασμαγῆς *hiatum terræ*: quo modo propriè lacus videntur eſſe *Terra fiſſa recipiens aquam*, atque hinc ob ſimilitudinem transfertur ad cætera rerum liquidarum receptacula, ut pluribus, ex optimis Scriptoribus adductis exemplis, idem Voſſius confirmat: Cum igitur noſtri Ædiles vias ſtraviſſent, ut ejuſmodi operi perpetuò, atque omni ex parte tuendo proſpicerent, optimo conſilio lacus etiam ſecus vias ipſas fecerunt, ideſt hiatus, ſeu ſciſſuras poſt earundem viarum margines ſubjacentes, quò aquæ pluviæ reciperentur, ne in viis ipſis intermortuæ, eas aut lutulentas efficerent, aut certe corrumperent: At Tulliana lege duce, cætera Ædilium munera perſequamur: Annonæ enim Curatores quoque eos fuiſſe conſtat, atque hujuſmodi munus omnino ſpectare hic noſter lapis videtur.

M. TA-

Digitized by Google

M. TANONIVS
FIRMIANVS AED.
I. D. BASEM CVM
STATERA ET PON
DER. AENEIS
DE SVO FEC.

Non enim ſolum rerum venalium æſtimationem, & probitatem curabant Ædiles, de quibus Ædilitium Edictum (quod poſtmodum non mediocrem, neque contemnendam Juris Civilis partem conſtituit, & nomine Ædilitiarum Edictionum invenitur apud Plaut. in Capt. 4. 2.) proponebant, mulctas inferebant, improbaſque merces jactabant, ut ex eodem Plauto, & Papiniano jam patet (*a*); ſed etiam menſuris & ponderibus præerant, de quorum æquitate, ut continuò conſtaret, exempla è marmore, aut ex ære in loco publico conſtituebant, è quibus, ſi quid fraudis a vendentibus patratum eſſet, ſtatim noſci poterat: Qui ſanè laudabilis mos ad Colonias ex Principe Urbe manavit, ubi menſuræ publicæ in Capitolio cuſtodiebantur, & quidem Jovi, ut inviolabiles eſſent, ſacratæ, ut inde, quoties res exigeret, & de legitima menſura dubitaretur, veritas peti poſſet, unde Fannius: *Pes longo ſpatio, latoque notetur in anglo:*

Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex,
Quatuor e quadris medium cingatur inane;
Amphora ſit cubus, quam ne violare liceret
Sacravere Jovi Tarpejo in Monte Quirites.

Non leve igitur illud fuit, quod a noſtro olim Ædili M. Tanonio pro ſuo munere præſtitum fuit, dum *Baſem cum ſtatera, & ponderibus aneis de ſuo fecit*, cujus proinde diligentia cum liberalitate conjuncta digna profecto fuit, ut eo publico monumento commendaretur: Cæterum hac in re non ego plura, quæ ſi quis noſſe cupit, habebit in ſubjecta nota ex doctiſſimo Gorio, quem deſcribere ſatis habui (*b*).

Id potius mihi modo agendum erit, ut quis olim Ædilium numerus Beneventi creari ſoleret, in medium proferam: Dubium enim faciunt lapides modo allati, in quorum altero nonniſi unus Ædilis, nempe M. Tanonius, bini in altero, ſcilicet C. Ennius, & C. Bergonius prodire viſi ſunt, nec alii noſtri lapides deſunt in propriam noſtri Theſauri Claſſem conjecti, qui etiam modo unum, modo duos Ædiles nobis exhibent: at lapis quoque extat, qui ad quatuor uſque Ædilium numerum Beneventi fuiſſe aperte docet: lapis eleganter inſculptus, multiſque etiam ornamentis ex utroque latere inſignis, etiamnum affixus legitur in Porticu novi Conventus PP. Carmel. Excalceatorum in hæc verba:

L. AVI-

[*a*] Papin. in l. un. D. De Vi Publ. Plaut. in Ruden. 2. 3. 42.

. . . . . *Neptunus ita ſolet: quamvis faſtidioſus*
Ædilis eſt: ſi quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.

[*b*] Donius claſſ. v. n. 26. lapidem Tuſculanum affert in hæc verba:

C. CANINIVS AMIRO
ET P. AELIVS FELIX
AEDILES
MENSVRA ET PON
DERA INIQ....
IVSSERVNT

Ubi hæc Gorius pag. 167. *Menſuras & pondera iniqua tolli juſſerunt: Menſuras & pondera decernere ac probare in Municipiis & Coloniis Ædilium munus fuiſſe docet hæc Inſcriptio, ita menſuras & pondera iniqua amovere* (ſeu potius frangere, nam omnino diſperdenda erant) *ut fraudibus vendentium occurrerent. Ita in Colonia Oſtienſi P. Lucillus Ædilis pondera ad macella cum M. Turranio ſua pecunia fecit, ut habetur claſſ. 2. num. 4. apud Gruter. pag. 233. 1. memorantur Menſuræ poſitæ lege Civitatis. In alio item lapide a me edito claſſ. 2. num. 67. legimus a C. Cæſio Silveſtro proprio ſumptu factum ponderarium locum ſcilicet, in quo pondera probata legitima cuſtodiebantur; item Chariſtionem æreum, ſtateram, pondera, & Menſuras liquarias, quæ cæteris vendentibus uti regulæ eſſent certiſſimæ: Vid. Reines ad XV. claſſ. VII.* Ita Gorius; ſed in lapidis lacuna non *tolli*, ſed potius *frangi* ſupplendum malim, ut in hac re optime uſurpavit Ulpianus in lib. 13. §. 8. D. Locati conducti: *Si quis* [inquit] *menſuras conduxerit, eaſque Magiſtratus frangi juſſerit, ſiquidem iniquæ fuerunt &c.* Ita etiam Juvenalis ſat. X. 101.

Et de menſura vis dicere vaſa minora
Frangere pannoſos vacuis Ædilis ulubris

Neque aliter Perſius ſat. 1. 128.

Se ſe aliquem credens; Italo quod honore Supinus
Fregerit Æminas Areti Ædilis iniquas &c.

Digitized by Google

L. AVIDIO L. F. STE
IIIIVIRO AED
L. AVIDIO L. F. FATRI
CATIAE VIBI F
MATRI.

Quid igitur ſtatuendum erit ? Cenſebimuſne pro temporum diverſitate diverſum quoque (cum ſua lapidibus ſtare debet fides) Beneventi fuiſſe Ædilium numerum, itaut modo unum, modo plures, ut res ad ejuſmodi Magiſtratum pertinentes poſtulare videbantur, creari mos fuerit; non id quidem abſonum, ſed neque mihi omnino verum perſuaſerim: nam quod *unus* tantum Ædilis in lapidibus aliquot, vel etiam *duo* memorati videantur, non inde ſequitur, haud plures eo tunc eſſe Ædiles potuiſſe: Cum enim præclarum aliquid ab uno ex pluribus Ædilibus geſtum eſſet, illius tantum nomen ad poſteritatis memoriam commendari æquum erat, nullâ certè, quòd ſilentio præterirentur, Collegarum injuriâ, qui nihil, vel diligentiæ, vel liberalitatis in eam rem contuliſſent; neque, quod in proximo lapide factum fuit, per Duumviratus, vel Quatrumviratus adjectionem ſaltem Ædilium tum extantium numerum exprimi opus fuit, quum id tantum in Magiſtratibus iis, qui certo ac peculiari nomine carerent fieri conſueverit, haud verò in aliis, quorum proprium vigebat nomen, ita ut cum plures, ideſt duo eſſent Conſules, Prætores &c. ſi unus tantum memoratus inveniatur, non propterea unum tum fuiſſe Conſulem, aut Prætorem putandum erit: Ex proximo itaque lapide veriſimilius mihi fit, IIII viros initio fuiſſe Beneventi Ædiles, quem numerum perpetuò ſervatum, optime ſuadet Beneventanæ Coloniæ magnificentia & amplitudo, unde non illud ſolum fieri poterat, ut Principis Urbis majeſtatem æmularetur, ubi quatuor Ædiles, bini nempe Curules, totidemque Plebeii deligebantur, ſed omnino faciundum poſtulabant varia, graviſſimaque ejus Magiſtratus munera, quibus in florentiſſima Colonia rectè, opportunèque adminiſtrandis, vix unus & alter Ædilis ſufficere poterant: eòque magis, quò Magiſtratum ipſum ſuos etiam adminiſtros ad Juriſdictionem exercendam adhibuiſſe conſtat ex hoc noſtro lapide, ubi de ſcriba Ædilium mentio eſt:

M. GAVIVS
M. F. PALAT.
SABINVS
SCRIBA AED
I. D. PRAEF. FABR.
SIBI ET
NASENNIAE M. F
IVSTAE VXORI B. M.

Quid? ſi ſex deinceps Ædiles Beneventi conſtitutos affirmaverim? Binos ſcilicet alios præter quatuor illos, de quibus ſuperius fuſe diſſerui, quibus rei frumentariæ cura peculiariter mandabatur; ut jam illud optimè pateat Beneventanam Coloniam Magiſtratuum omnium, qui Romæ vigerent, formam atque ipſa fere nomina in ſe tranſtuliſſe.

Sequitur igitur poſt IIII viros Ædiles novus Magiſtratus ad Romanæ quidem Urbis exemplum Beneventi inſtitutus, cujus tamen exemplum extra Beneventanam Coloniam vix alibi inveniſſe erit: Romæ illum Cæſar primus inſtituit: *Deinde* (inquit Pomponius in lege 2. §. D. De Orig. Jur.) *C. Julius Cæſar duos Prætores, & duos Ædiles qui frumento præeſſent, & a Cerere Cereales conſtituit: ita duodecim Prætores, ſex Ædiles ſunt creati*: Novi ejuſmodi Magiſtratus inſtituendi cauſam refert Dio (a). At quod pro ſola Urbe, certaque de cauſſa fuit inſtitutum, perpetua

[a] Dio lib. 43. pag. 239. poſt Africam a Julio Cæſare captam hæc ſubdit: *Juſſit viginti Myriades Medimnorum Atticorum frumenti, ideſt* CC. *millia ad alendum Populum Romam advehi: & olei librarum Myriades* CCC *ideſt tricies centena millia, duoſque Curatores, & totidem Ædiles Cereales inſtituit, qui hoc frumentum Romam advehendi, & Populo tribuendi curam haberent.*

Digitized by Google

tua deinde manſit, atque ab ipſa Urbe ad Beneventanam Coloniam manavit. Rem hanc certa veterum lapidum fide manifeſtè probatam habemus, quos propterea heic omnes deſcripſiſſe præſtabit:

C. ADIECTIO
C. F. STEL
MACEDONI
PR. CER. IVRID
C. ADIECTIVS
NARCISVS ET
CEIA LVCILLA
NEPOTI L. D. D. D.

VERZOBIO
C. CAELIO
C. F. STE. BASSAEO
DONATO
PR. CER. I. D. QQ
ADLECT. IN ORD.
DEC. EQ. R.
C. CAELIVS DONA
TVS P. BASSAEA TANNARIA
MATER

Sed antequam horum lapidum explicationem aggrediar, juvabit primùm Clariſſimi Fabretti lapſum notare, ne ipſius in præcipuis notis illis PR. CER. interpretandis judicium eruditis lectoribus amplius imponat: Lapis eſt apud ipſum cap. 8. pag. 572. n. LVI. in hæc verba:

C. IVL. FLORENTIN
MIL. COH. VI. PR. CER
EVFROSINE CONI. B. M
Q. V. M. A. IX. M. III. D. XIII
IN. D. V.

Ad quem lapidem Fabrettus ita commentatur: *Notæ illi* CER., *quæ ſecundam lineam claudit, explicationem parare videtur Inſcriptio Patavina apud Gruter. pag. 561 num. 2. in qua Silvinus dicitur* CEROM. LEC. XI. *quaſi* CEROMatiſtes . . . . . *& quidem Ceromate ungi milites ad natatus, & pugilationis exercitia, in Caſtrenſi præſertim apud Urbem otio, atque ad indurandos artus, non inſolens, neque inutile fuiſſet*: At falſum profectò fuiſſe Fabrettum nunc demum noſtrorum lapidum fide edocemur: quid enim magis ineptum, quàm notam illam CER. in *Ceromatiſten* deducere, quam interpretationem Patavini lapidis exemplum, ubi CEROM. non CER. legitur, improbare adhuc videtur? quod vero de præcedenti nota PR. de qua Fabrettus haud ſollicitus fuit, judicium feremus? An fortaſſe ad Cohortem referatur, quæ fuerit Cohors VI. Prætoria? nullo pacto conceſſerim: nam cum ſequenti CER. conjuncta, ad hanc omnino pertinere dicenda eſt. Fuit itaque Patavinus iſte Miles, ut ſemel dicam, non *Ceromatiſtes*, ut commentabatur Fabrettus, ſed revera *Præfectus Cerealis*, quod munus (nec enim a militari C. Julii Florentini profeſſione diſceſſiſſe opus erit) ab eo utique in ipſis Caſtris geſtum optime ſuadet exactiſſima illa, quæ ſemper fuit frumenti comparandi, interque milites dividundi cura, quæ probatæ fidei, & ſolertiæ uni, aut pluribus militibus mandabatur, adeout qui ad ejuſmodi munus deligebatur ſatis congruè PRÆFECTI CEREALIS titulo appellaretur (*a*): At unde mihi, quæris, quod tam certo, fidenterque eas notas ſic explicandas docuerim? Non ex ipſis tantum, quos jam attuli, lapidibus didiciſſe datum fuit, ſed adhuc præclarius ex tertio noſtro lapide, qui eandem rem egregiè illuſtrat, manifeſtum id habui:

L. STAIO

[*a*] Præter pecuniam Frumentum etiam Romanis Militibus dimenſum in menſem diſtribui conſuetum diſertè tradit Polybius De Roman. Milit. Vide Lipſium lib. v. Dialog. XVI.

Digitized by Google

L. STAIO L. F.
STEL. SCRATEIO
MANILIANO PRIMO
CER. I. D. QQ
FILIO EQ. ROMANI
ARCHIATRI BENEV
HIC PRIMVS OB HONO
REM CEREAL. TESSERIS
SPARSIS IN QVIBVS AVRVM
ARGENTVM AES VESTEM
CAETERAQ. POPVL
DIVISIT
L. STAIVS RVTILIVS MANILIVS

Vides jam in hoc insigni nostro lapide CEREALIATUS honorem memorari, idest ipsam *Præfecti*, sive *Prætoris Cerealis* dignitatem, novum quidem, nec quod alibi occurret vocabulum, non absurdum tamen, quandoquidem a Consule est Consulatus, & *Ædilatus* (ut notat Festus) *dicitur Ædilis dignitas, sicut Pontificatus*; ut exinde jam certum sit, quid in eodem lapide illud CER. I. D. QQ., quid in binis aliis nostris lapidibus aut PR. CER. IVRID., aut demum PR. CER. I. D. QQ. significare omnino debeant; *Cereales* enim *Juridicundo quinquennales* iis omnibus lapidibus evidentissimè expressi habentur. Sed jam eximia quædam ex iisdem lapidibus paucis observasse liceat.

Ac primum illud sit, eundem Magistratum in Urbe ipsa *Ædilium Cerealium* nomine olim vocatum, neque alio deinceps nomine tum veteribus monumentis, tum recentioribus quibusdam passim cognitum, augustiori titulo apud Beneventanos insignitum fuisse: non enim Ædilium ipsi appellatione contenti, ad augendum ejusmodi muneri splendorem, *Præfectorum*, aut potius *Prætorum Cerealium* nomine decoratum voluere: quod tamen haud omnino ambitiosè factum censebimus, si Pomponii locum superius recitatum diligentius attendamus; ibi enim non Ædiles tantum duo, sed totidem simul Prætores (quos ex verborum contextu non ad aliam rem, diversumque munus referre unquam possumus) ad eundem *Cerealiatum* a Cæsare sunt instituti; nec secus Dio ipse, qui non binos dumtaxat *Ædiles*, sed totidem pariter *Curatores* ad id muneris delectos narrat, hoc solo discrimine, quod *Curatores* is appellat, quos Pomponius *Prætores*: Cum igitur novus hic Magistratus Beneventi institueretur, quid ni speciosiorem quidem, splendidioremque, qui non arbitratu suo, sed Principis Urbis exemplo invectus fuerat, ejusdem Magistratus titulum usurpare maluerint Beneventani? atque hoc amplius ex nostris lapidibus noviſse promptum est, non vacuam, nudamque ejusmodi Prætorum Cerealium dignitatem fuisse, sed ordinarii, qui in quinquennium perduraret, Magistratus auctoritatem obtinuisse peculiari Jurisdictione pollentem.

Duas autem potissimum causas putaverim, cur ejusmodi Magistratus singulari propemodum exemplo in Beneventana Colonia fuerit institutus, loci videlicet conditionem, & muneris amplitudinem. Ea enim semper fuit Beneventani Agri fertilitas, ut maxima ex eo frumenti copia colligeretur, is etiam Urbis situs, ut veluti Emporium a finitimis populis haberetur, quò frumentum, aliaque merces transvehentes, nundinas agere consuebant: Ædilibus certè pro veteri sui muneris ratione, universæ Annonæ cura incumbebat, sed dum aliarum æque gravissimarum rerum ad suum item munus pertinentium administratione eos fungi opus esset, vix erat, ut huic rei, nisi cæteras neglexissent, probe, ac indesinenter prospicere valerent: Maxime igitur è Republica visum fuit, Romanæ Urbis exemplo novum hunc Magistratum instituere, qui rei frumentariæ præesset, atque hanc præcipuam Annonæ partem collatâ etiam peculiari Jurisdictione curaret. Cur vero, etiamsi ejusmodi novi Magistratus institutio haud omnino necessaria fuisset, non illum tamen in suam Urbem transtulissent Beneventani, ut recens ex eo Urbi decus, summusque Civibus ad id muneris delectis honos gigneretur?

Digitized by Google

Et quidem, eximii honoris loco habitum quondam apud veteres, tum annonæ, tum præcipuè rei frumentariæ curandæ munus, satis constat: Ii etiam, qui ad frumentum in frumentariis Provinciis emundum, & ad Urbem mittendum Senatus Consulto extra ordinem creabantur, viri erant summi in Rep. loci, quales Brutum, & Cassium fuisse patet, quorum alterum in Asiam, alterum vero in Siciliam ad eam rem a Senatu legatos scribit Cic. ad Att. lib. 15. ep. 9. (a); qualem itaque putabimus ordinarii Magistratus fuisse dignitatem? Ex doctissimo Spanhemio, ut alios præteream, discimus haud semel ea de re cusos Nummos, qualis ille est Gentis Livinejæ, in quo modius frumento plenus cum duabus hinc inde spicis assurgentibus exhibetur, alter quoque Gentis Fanniæ, qui Cereris caput habet spicis redimitum; quos ego Nummos, quod a viro perspicacissimo non satis animadversum fuit, non ad designandum indistincte *Ædilium* munus, sed ad indicandum *Prætorum, seu Ædilium Cerealium* peculiarem Magistratum, ac omnino in eorum honorem, qui tum eo munere fungebantur, percussos fuisse censeo: At quid opus aliis exemplis rem hanc combrobasse, quam ubertimè confirmat, ac mirum in modum tertius noster lapis illustrat, in quo L. STAIVS ad *Cerealiatus honorem* evectus, non intra vulgarem illam liberalitatem se continuit, qua privatos homines Magistratum quempiam in Patria assecutos aut Epulum dare, aut Denarios viritim distribuere pro more habuisse antiqui lapides passim nos docent, sed [quod Regiæ dumtaxat (b) munificentiæ exemplum videri potest] Tesseris (c) sparsis, in quibus *Aurum, Argentum, Æs, Vestes*, aliaque id genus continerentur, eximiam muneris dignitatem singulari splendidissimæ largitionis exemplo comprobavit.

At hæc quidem de majoribus, seu præclarioribus Beneventanæ Coloniæ Magistratibus mihi fuerunt observanda; nunc de Censoribus, seu Quinquennalibus, de Quæstoribus, de Curatoribus Kalendarii, cæterisque inferioribus Magistratibus agendum esset; at, cum vulgata satis eorum nomina, atque munera sint, omnia etiam, aut certè illustriora, quæ eos spectant, jamdudum ab aliis abunde pertractata habeantur, non hùc aliorum scripta convasare, remque eandem recoquere mihi duxi; nam ut alios, de quibus jam disserui, ita hos reliquos Magistratus Beneventi creari solitos, non est, cur dubitet quisque, aut cur ego heic probare pergam, quandoquidem ex nostro Thesauro præclarè res ipsa erit manifesta: Age vero, num eorundem Magistratuum, quotquot florentibus sub Romano Imperio Beneventanorum rebus, ex antiquis monumentis constitisse compertum hactenus fuit, perpetua manserit forma, an etiam potestas, eadem nomina demum ipsa steterint, observasse præstabit: Et sanè, si in ipsum Imperium novas tum sub Augusto, tum sub Hadriano, tum demum sub Constantino, ut mox a me dicetur, regiminis formas invectas fuisse constat, itaut novis Magistratibus institutis, veterum jura, atque nomina in Orbe Romano, ipsaque præcipuè in Italia aut abolita, aut immutata sequior ætas aspexerit, quid ni inferioribus civitatibus id quoque factum arbitrabimur? Jam si Honorianam

[a] *A Balbo redditæ mihi literæ, fore nonis Senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia, frumentum emendum, & ad Urbem mittendum curarent: O rem miseram!* &c. Sed quare *miseram* exclamat Cicero, qui etiam Ep. seq. *Frumentum imponere..... quod munus in Rep. sordidius?* Spectabat certè non ipsum munus, sed Bruti, Cassiique dignitatem, qui cum Provincias sortiri debuissent, M. Antonii opera factum fuit, ut ejus muneris prætextu Urbe abessent, ac velut in exilium ejicerentur: quare non facile Ill. Spanhemio Diss. VI. pag. 546. concesserim, Numum, quem exhibet, ubi duo extant Togati sedentes, quorum lateribus duæ spicæ assurgunt cum Inscr. AD. PR. EM. EX. S. C., iisdem Bruto, atque Cassio esse tribuendum: Vix enim verisimile fit, in summa Reip. perturbatione, de ea re, quæ per Antonii impotentiam magno Bruti, Cassiique dedecori quoque erat, numos percutiendos Senatum voluisse.

[b] Ab Augusto, qui primus Principatus fundamenta jecit, aut potius stabilivit, res cœpta; nam non solum frumentum in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensum est, verum etiam, ut subdit Sveton. cap. 41. *tesseras nummarias duplicavit*: Eundem morem sequentes Principes tenuere passim; nam de Nerone testatur id. Sveton. cap. XI. *Sparsa Populo missilia omnium rerum per omnes dies, ... Tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissimè naves, insulæ, Agri*: De Domitiano autem hæc habet cap. 4. *Omne genus rerum missilia sparsit, & quia pars major intra populares deciderat, quinquagenas tesseras in singulos Cuneos Equestris, & Senatorii ordinis pronuntiavit*: Hadrianum tandem (ut alios præteream) *Dona per Tesserulas separatim viris, separatim mulieribus in Theatro, & in circo dedisse*, refert Dio Cassius.

[c] Quid fuerint hæ Tesseræ [varias enim ad varios usus Tesseras apud veteres in more fuisse constat] audire præstat ex Dione, qui tum de Nerone agens l. LXI. tum præclarius l. LXVI. de Titi munificentia ita loquitur: *Pavos globos ligneos de superiore loco jecit in Theatrum, qui simbolum continebant alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorum, jumentorum, mancipiorum, quæ oportebat eos, qui rapuissent, ferre ad Curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inscriptam.* Vel igitur globulis hisce ligneis symbola quædam impressa erant accipiendæ rei speciem significantia, vel certe pertusi erant, inscriptamque rei notulam in foramine continebant, quam qui deinde exhiberet, statim rem illam, quæ inscripta erat, assequebatur.

Digitized by Google

rianam legem excipias, de qua ſuperiùs fusè egi, ubi quinti ſæculi initio (data enim legitur Honor. VIIII. & Theod. V. Coſ. ideſt anno 412.) adhùc Duumvirùm municipalium occurrit mentio, dum univerſos antiquorum lapidum excurras Theſauros, aut ejuſdem ætatis ſcriptores evolvas, deſiderabis certè ejuſdem Magiſtratus, aut etiam aliorum legiſſe nomina, quæ prior ætas ad faſtidium uſque tibi undique commemorare ſolebat: Audies jam *Correctores*, *Juridicos*, *Denſenſores*, *Curatores*, & cæteros ejuſmodi Magiſtratuum titulos, quæ propria declinantis Imperii, collabentiumque jam in Italia Romanarum rerum fuere vocabula: De ſingulis hiſce ſequioris ævi Magiſtratibus differere haud eſt otium, neque ad inſtitutum meum pertinere putavi, unum, vel alterum attigiſſe contentus, quibus opportunè illuſtrandis Patriæ Antiquitates operam meam jure videntur poſtulare.

A poſtremo igitur eorum, quæ commemoraſſe ſatis habui, munerum nomine incipiam, atque ad *Curatores* rem pene omnem deducam, quorum munus poſterioribus ſæculis ad extremam uſque Romanorum ætatem, Beneventi uſu receptum, ejus quoque Urbis præcipuum extitiſſe, luculentiſſime teſtantur hi noſtri lapides:

SATRIVS CRESCENS
V. C. CVR. R. P. BN. EX
LOCIS ABDITIS
VSVI ADQVE SPLEN
DORI THERMARVM
DEDIT.

FL. CLAVDIO
IVLIANO NOB
AC BEATISSIMO
CAESARI
CVRANTE TOCIO
MAXIMO V. C. CVR. REI
BENEVENTI

CVRAT.....
NVMISIO.....
CVRATORE V....
BENEVEN.....

Ut autem de Curatoris munere recte conſtet, rem paulo altius repetere opus erit. Curatorum nomen latiſſimè patet, diverſaque eorum pro diverſis rebus, ſeu perſonis, ad quarum curam deligebantur, fuiſſe genera, tum ex Juris libris, tum ex aliis antiquitatis monumentis paſſim liquet; at eorum, quos heic quærimus, Curatorum ſub eodem vulgari nomine, non vulgaris ratio fuit, quippe qui Curatores cæteros quotquot unquam eo muneris titulo quàm frequenter agnovit, & appellavit antiquitas, dignitate antecedebant; hinc quum alii peculiaris muneris, cujus curam gerebant, adjectum nomen præferrent, ut puta *Kalendarii*, *Vicorum*, *Viarum*, *Operum publicorum* &c. hi tamen ſine alia adjectione per excellentiam *Curatores* dicebantur: atque de his quidem plurima nobis Veteres reliquere monumenta, ut mirer, nihil hactenus ab eruditis pro muneris dignitate fuiſſe obſervatum, imo, quod intolerandum erit, ejuſmodi Curatores non alios ab iis, qui *Kalendarii*, aut *Vicorum*, aut denique *Viarum*, & *Ædificiorum* curam gererent, fuiſſe perſæpe putatos (a). Curatores itaque primùm ab Alexandro Severo in Urbe inſtitutos refert Lampridius cap. 33. eo quidem conſilio, ut Præfectum Urbi in juredicundo adju-

[a] Jac. Cujacius obſerv. lib. 22. cap. 31. quæ fuerit inter ἀστυνόμους & ἀγορανόμους differentia, explicare aggreſſus, illos viarum, & ædificiorum publicorum, privatorumque Curatores fuiſſe, ad hos vero curam rerum venalium proprie pertinuiſſe ait: quod eò tendit, ut quod olim erat unius Ædilis munus jam in duo munera diſcerptum dici debeat: Fieri hoc aliquando potuiſſe Viro doctiſſimo haud egrè conceſſerim; at non id mihi perſuaſerit *Aſtynomos* illos, de quibus Papinianus ſingularem librum conſcripſit, ad id ſolum operam ſuam adhibuiſſe, ut vias, ædificiaque curarent, eoſque eo munere contentos, magnifica, ac ſpecioſa nomina illa ſibi adoptaſſe, quibus & *Curatores Reip.* & *Patres Civitatum*, *aut Patres ſimpliciter ſæpe dicuntur in Juris libris*: Majus aliquid ſplendidiſſimi hi tituli oſtendebant, quamquod anguſtam illam viarum, ædificiorumque curandorum poteſtatem continerent. Plura certè *Aſtynomis*, quos Curatores Reip. appellat, tribuiſſe videtur Papinianus, cujus quum opus illud cum cæteris aliis deſideremus, quæ tamen in Digeſtorum libros Tribonianus ſparſim retulit, auguſtioris Magiſtratus ſpeciem nobis exhibere videntur; nam præter mulctæ dictionem, quam olim habebant, [ademit vero Gordianus in lib. 3. Cod. De modo mulctarum] Adſeſſeſſores Curatoribus Reip. in juredicundo adſtitiſſe diſertè docet Papinianus idem *in l. ult. D. De Officio Adſeſſorum*.

Digitized by Google

varent, quod ei ob negotiorum multitudinem haud expeditum esset. *Fecit* (inquit) *Romæ Curatores Urbis quatuordecim, sed ex Consularibus Viris, quos audire negotia Urbana cum Præfecto Urbis jussit*. At Lampridii fide impunè spreta, antiquiorem ejusmodi Curatorum originem ad Augustum referendam monet locupletior testis Sveton. qui cap. 33. diserte ait Augustum *Spatium Urbis in regiones, vicosque divisisse, instituisseque, ut illas annui Magistratus sortitò tuerentur*; ac ne ejusmodi Magistratus pro singulis regionibus institutos Curatorum nomine etiamtum appellatos dubitemus, eosdemque eodem quoque numero agnoscamus, quos Lampridius ab Alexandro institutos voluit, en optimum & ipsum testem Dionem, qui lib. LV. pag. 554. inter Augusti res gestas, id præclare commemorat, quod nempe *Urbs tota in regiones divisa fuit quatuordecim, quibus sorte divisis Curatores præssent*; quibus præterea addit, veste, quam Magistratus gerebant, ac lictoribus binis uti, certis diebus ab Augusto concessum. Mansit autem post Augustum ejusmodi Curatorum Magistratus, cujus insigne præter alia monumentum sub Consulatu L. Cejonii Commodi, & Sex. Vetuleni sc. an. 136. exhibet Gruterus pag. CCL.: Inscriptæ enim marmore Urbis Regiones, vicique omnes, qui iis continebantur, *Curatorum* singulorum propria nomina inscripta habent. At ante quoque id tempus Curatorum Urbis mentio occurrit, qui an pro ipsis Regionum Curatoribus accipi debeant, certum affirmare non auserim; extitisse tamen disertè probat locus Plinii H. N. lib. 14. cap. 24. qui sub Tiberio Principe L. Pisonem Urbis Romæ Curatorem memorat: *Eaque* (inquit) *commendatione* (ebrietatis scilicet) *credidere L. Pisonem Urbis Romæ Curatorem ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuassset apud ipsum jam Principem* (a): *Luscum* etiam quendam *Curatorem Urbis* sub Gallo Imp. memorat Ammianus lib. 14.: Atque hic quidem recens sub Principibus in Urbe Magistratus, cui non insignia tantum vestium, lictoresque binos fuisse constat, verum etiam Jurisdicundi potestatem.

Ex Urbe autem in Colonias, (ut fere in ejusmodi re evenire consuebat) Magistratus ipse permeavit; at quum extra Urbem semel constitisse cœpit, eas sensim vires accepit, ut progressu temporis Magistratus reliquos, qui Municipalium Rerump. administrationem ex veteri instituto obtinebant, non splendore tantùm suo obrueret, sed etiam eorum vim, munera, potestatemque pene omnem sibi vindicaret: Rei causam novo M. Antonini consilio, quo Italiæ regimini pro sui temporis ratione prospectum voluit, facile tribuendam putaverim: Non enim is dumtaxat: *Datis Juridicis Italiæ consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præcepit*, sed singularium quoque locorum utilitatem haud negligendam ratus, *Curatores* (ut Capitolinus pariter refert) *multis Civitatibus, quò latius Senatorias tenderet dignitates, a Senatu dedit*: Ex quo quidem Capitolini loco duo sunt nobis præcipue observanda; ac primùm illud est, ut facile conjectemus, sicut in Consularibus ab Hadriano institutis, ita in omnibus fere Italicis Municipalibus Magistratibus collapsam auctoritatem, aut etiam improbitatem aliquam Antonino fuisse exploratam; neque enim ex levibus caussis prudentissimus Princeps antiquis abolitis, novos Magistratus, quorum etiam delectum sibi servavit, instituendos curasset: Alterum, quod Civitatum Curatores nonnisi Senatorii ordinis viros constituerit, quo latius, inquit Capitolinus, Senatorias tenderet dignitates, id est Romanis Senatoribus id munus tribueret, quo extra Urbem propriam dignitatem proferrent, ac re præclarè gesta laudem sibi compararent; ex quo etiam, (ut mox animadvertebam) illud manavit, ut muneri ipsi ingens accesserit decus, multaque etiam amplificandæ ejus auctoritati, tribuerentur, quæ ad alios Municipales Magistratus quondam pertinebant: quamdiù autem Antonini institutum manserit Curatorum Civitatibus a Senatu dandorum, omnino incertum: Nobiles tamen viros ad ejusmodi munus deligi solitos sive ex Civitate eadem, sive aliunde, satis constat ex Spartiano, qui cum de Pescennio Nigro agere instituat, ejus generis nobilitatem ex eo probatam quibusdam fuisse refert, quod illius Avus *Curator Aquini* fuisset: Simmarii Felicis Flaminis perpetui *Curatoris Coloniæ Cirthensis* Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Cos. nempe an. 303. meminit S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 29. & paulo post sub Constantino (eod. lib. cap. 70.) Saturninum profert

[a] Scio, hanc vulgatam Plinii lectionem a plerisque mendosam habitam: Lipsius sane ad Tacit. an. VI. num. 42. non Urbis Romæ Curatorem Pisonem, sed Urbis Romæ Curæ delectum legit, ut non alius, quàm Præfectus Urbi is fuerit iis verbis a Plinio demonstratus, nam de Præfectura Urbana Pisonis clare ex eodem Tacito, qui ejus muneris originem, & progressum ea occasione describit: Brissonius etiam in De V. S. v. Custos: ubi Plinius Pisonem Urbis Curatorem vulgo habet, *Custodem* scribendum credit, ut ad eandem Urbis Præfecturam multis ex Horatio, Juvenale, Albinovano collatis locis, ipsum Custodis vocabulum deducat: *Lectionem tamen* (inquit) *vulgatam ferri posse non ignoro*: Quid Harduinus sentiat, nondum consulere licuit, nec magni refert.

Digitized by Google

profert Abtugnitanorum *Excuratorem*, & Calibium ejuſdem Civitatis *Curatorem*; unde etiam diſcimus temporarium fuiſſe munus, quo quum quis functus eſſet, *Excurator* aliorum inſignium Magiſtratuum exemplo, appellari gauderet. Sed non aliis exemplis opus erit, dum locupletiſſimos ejus rei teſtes jam habemus noſtros lapides, ubi tum *Satrius Creſcens*, tum *Tocius Maximus*, qui ambo *Curatores Reip. Beneventanæ* dicuntur, ambo etiam ſiglis illis V.C. hoc eſt Virorum Clariſſimorum titulo decorantur: quis autem neſciat *Clariſſimi* titulum Senatorii ordinis olim proprium fuiſſe; atque quum ſequiori ætate, *Clariſſimatus dignitas* (ut ejuſdem ætatis vocabulo utar) aliis quoque ex Principum indulgentia patere cœperit, nonniſi tamen ſummis Magiſtratibus, ut Conſulibus, Præſidibus Provinciarum &c. vel iis, qui præcipua munera in Imperiali Aula exercerent, concedi ſolebat; ut exinde jam pateat in Curatoribus Reip. (quamquam Antonini inſtitutum de Romanis Senatoribus ad ejuſmodi munus deligendis haud diù conſtitiſſe videri poſſit) Senatoriæ tamen dignitatis imaginem quamdam in eo Clariſſimi titulo fuiſſe ſervatam.

Nec profecto impar ejuſmodi titulo munus: Etenim ad Curatores Reip. (qui etiam Curatores Civitatis dicebantur, aut Curatores Urbis, ut tertii noſtri lapidis tertiam lineam, in qua eſt CVRATORE V..... ſupplendam arbitror) non ſolum, quod minimum erat, viarum, operumque publicorum cura pertinebat, verum etiam rebus venalibus ipſi pretia imponebant, Curialibus præerant, vectigalibus, ac tributis perſolvendis invigilabant, publica prædia, & vectigalia locabant, pecuniam adminiſtrabant, Judices demum, Cenſoreſque erant rerum omnium ad Civitatem pertinentium, ac Reip. nomine cauſſas apud Principem, Præſidemve pro ſuo munere agebant: quod poſtremum munus ſi excipias, alioqui præſtantiſſimum, in cæteris aliis in plures Magiſtratus olim diviſis, ac dein in unum Reip. Curatorem collectis (*a*) non ſolum ipſi Juriſdictionem, ſed & in juredicendo, majorum Magiſtratuum exemplo, Adſeſſores fuiſſe, paulo ante ex Papiniano didicimus.

Ac cum civilia munera pene univerſa Curatori Reip. adhærere jam cœpiſſent, ipſeque rerum omnium ad Civitatem pertinentium curam, adminiſtrationemque ſuſcepiſſet, novum ea de cauſa ſibi nomen peperit, maximi quidem pretii, ac ſpecioſiſſimum ipſum, ut *Pater Civitatis* appellaretur: *Patris Coloniæ* Beneventanæ inſigne monumentum hactenus ignoratum nuper vulgavit V. C. Muratorius in hoc Beneventano lapide, quem profert pag. 1172. n. 7.

HIC SIT . . . . . .
. . . MV. . . . . .
PRIMA INVENTA FVIT . . . . . .
DVM VARIAS CVPIT SPEC. . . . . .
. . . . . MVSEO FIGERE IN ALTO
DECIDIT ET HERMAS HOC NVNC EST PONDERE CLAVSVS
AETERNASQVE LACRIMAS RELIQVIT CARPO PARENTI
QVI VIXIT ANNIS XXI. M. VIIII.
DIEBVS XX. CARPVS COLONIAE
PATER INFELICISSIMVS FECIT.

ad quem lapidem Vir ſummus hæc breviter notavit: *Coloniæ Pater illuſtre munus*: ſatis ampla ea quidem, quibus id præclarum, & prope ſingulare ex patriis antiquitatibus in lucem prodeat, ut Patres Coloniæ (qui non alii, quàm Patres Civitatum fuiſſe videntur) olim quoque dici conſueſſe, Beneventanæ Coloniæ exemplo, quod non alibi fortaſſe occurret, ejuſque lapidis fide nunc demum diſcamus: utinam vero, id omne Eruditis probetur; ac duo ſimul illa Viro Clariſſimo Beneventani accepta referre poſſimus, & quod novo lapide noſtrum Theſaurum, & quod ſingulari eo titulo veterem noſtram Coloniam ditaverit: at vereor, ne aliter in lapide legendum ſit, quam quod Muratorius vidit. Vix enim crediderim illud: *Coloniæ*: quæ poſtrema penultimæ lineæ dictio eſt, ad primam ultimæ lineæ dictio nem i. e. *Pater* referri, cum

[*a*] Videſis leg. 9. D. De oper. publ. leg. 37. D. De Pactis leg. 3. §. 1. & §. penult. D. De adminiſtr. rer. ad Civit. pertin. leg. 2. Cod. De Sent. quæ ſine cert. quant. leg. 30. cod. De Decurion. & alibi paſſim in iiſdem Juris libris.

Digitized by Google

cum eaque conjungi posse, ut demum *Carpus Coloniæ Pater* evadat. Potius enim enim in illa dictione *Coloniæ*, (quam, quum sola stare haud posset in lapide, ad sequentem dictionem *Pater* pertinere putavit Muratorius) mendum subesse putandum est, ut fortasse illud *Carpi* cognomen fuerit, vel, quod verosimilius videri potest, post illam dictionem Coloniæ Magistratus aliquis in eadem linea sequebatur, quo tum Carpus fungeretur, evanuitque postea eâdem temporis injuria, quâ aliæ ejus lapidis insigniores partes detritæ aspiciuntur: rem ita se habere monet illud: *infeliciſſimus*: quod *Pater* statim habet sibi adjectum, ut proinde Carpus incongruè satis *Coloniæ Pater infeliciſſimus* dici videatur, aptè vero Pater infeliciſſimus Adolescentis illius, qui (ut lapidis fragmenta indicant) dum Tabulas, aut signa aliqua in Musei pariete figere, aut suspendere satagebat, præceps extinctus fuit.

Ut ut igitur de Patre Coloniæ Beneventanæ Eruditorum judicium fuerit, quod Patres Civitatum spectat, diversam tum a Curatoribus, tum ab aliis muneribus ejusmodi dignitatem distinguit Græca Constitutio relata *in leg.* 1. *Cod. lib.* X. *Quibus muneribus excuſentur &c.* ubi inspectio operum publicorum, Ratiocinium, Defensio Civitatis, Patris Civitatis munus, Curatio Reip., & Curatio Annonæ discriminatim recensentur; at Patris Civitatis munus, seu titulum ad Curatores Civitatis, vel Reip. præcipuè pertinuisse nedum colligere possumus ex Collat. 5. Synodi Mopsuestanæ in quinta Synodo Constantinopolitana an. 547. sive an. 550. ubi occurrit: *Comitas Agens in Rebus, & Pater Civitatis*; sed certum addiscimus ex Novell. 160. Justiniani, ubi Imperator Aristocratem pro auro Aphrodisiensibus legato apud se agentem, (quod Curatoris fuisse munus jam constat) semel ac iterum Aphrodisiensis Reip Patrem appellat: Patrem quoque Civitatis Justinianus idem memorat in Novell 128., eumque esse Curatorem Reip. recte ibi notat Gothofredus; ut omnino Accursium errasse liqueat, qui ad titulum Codicis *De Ratiociniis operum publicorum, & de Patribus Civitatum* hos cum Defensoribus Civitatum eosdem arbitratur: Patrum enim Reip. vel Civitatum commune Curatoribus fuisse titulum, seu dignitatem pluribus ostensum fuit, at Curatores ipsos cum Civitatum Defensoribus confundi posse omnino vetat tum diversus utriusque muneris gradus, quem manifestè distinguit Justinianus in Novell. 85. de Armis, ac in l. ult. Cod. De Infant. expos. ubi legis a se latæ observantiam committit *tam viris clariſſimis Præsidibus Provinciarum, quam viris Religioſiſſimis Epiſcopis, nec non officiis Præsidalibus, & Patribus, & Defenſoribus Civitatum*, tum quoque diversa a Defensoribus Curatorum Civitatis officia, quorum munerum diversas omnino formulas nobis exhibet Cassiodorus *Var.* l. 7. cap. XI. & XII.

Habes jam, quod mihi propositum fuit, de Curatorum munere, qui sequioris ævi Magistratus esse cœpit, præclara multa, aliis haud hactenus observata, ex quibus eò sensim res processit, ut jam simul ad extremam usque Imperii ætatem illud reliquis Civilibus muneribus tum dignitate, & auctoritate, tum quoque diuturnitate præstitisse probatum sit: Adhùc tamen ex nostro Thesauro lapidem proferam, quo res ipsa magis comprobari videatur: Ante quinque annos, dum Palatii Principis Morræ fundamenta effoderentur, Inscriptio hæc sepulcralis eruta in lucem fuit non cippo (ut assolet) quadrato, sed Tabulæ e Pario Marmore insculpta his verbis:

+ HIC REQVIESCIT MAMER
CIVS MARCELLINVS VI^{S} CVRA
TOR QVI^{S} VIXIT^{S} ANN $\overline{PM}$ XXX
DEPOSITVS SD^{S} J^{III} NONAS NOVEMBR^{S}
FLAVIIS S^{V}MMACHO ET BOETIO $\overline{VV}$
CONSS

De hoc insigni lapide aliàs pluribus, quum de veterum Christianorum monumentis agendum erit; nunc, quod attinet, munus Mamercii Marcellini quod per illud: VI^{S} CVRATOR in lapide legitur, observasse satis fuerit; Fuerunt, qui notam illam VI^{S} pro *Viarum* explicandam censerent, nec defuit, qui VIcorum interpretaretur, itaut alterutrius rei cura a Marcellino gesta eo loco significari videretur; sed multa mihi, nec sane levia tum præsto erant, ut neutram probarem sententiam: Frustra enim (ajebam) sexti sæculi initio (quam certam temporis notam præfert lapis ex Consulatu Symmachi, & Boetii, qui anno 522. signatur in Fastis) Viarum cura in Urbe Benevento, adde etiam, in ipsa Roma, & universa Italia mansisse, atque

Digitized by Google

atque adeò viguiſſe putanda eſt, ut ex Majorum inſtituto Magiſtratus ad eam rem creari adhùc mos eſſet: Scimus enim omnes, quam fœda per eam ætatem Italiæ fuerit facies, non tam perpetuâ Principum abſentiâ, quàm aſſiduis Barbarorum incurſionibus: Non corrupti tantùm mores, labefactataque Magiſtratuum auctoritas, ſed ædificia ipſa temporum infelicitatem experta: Cladem, quàm operibus publicis Barbarorum furor inchoavit, Indigenarum negligentia pene complevit, qui privatis confecti ærumnis tot Romanæ magnificentiæ monumenta ante ſuos oculos in dies ruentia jam ferre didicerant; tantùm abeſt, ut Viarum curandarum eos ſtudium teneret, aut creandi ea de re Magiſtratus morem ullum ſervarent. Ineptum autem & illud videbatur *Vici*, aut *Vicorum* Curatorem Mamercium ſtatuiſſe, cum non extra Romana mœnia munus quæri debeat, intra quæ ſola ob miram Urbis amplitudinem, Regiones etiam in Vicos diviſæ, quibus qui præeſſent non utique Curatores, ſed Magiſtros appellatos veteres lapides paſſim docent. Atque hæc quidem quum ita eſſe videantur, ad Curatorum munus, de quo hactenus egi, anceps olim, ſed poſteaquam rem penitus perluſtraſſem, tutò Marcellini Magiſtratum in lapide memoratum deducendum putavi: Stare enim rectè poteſt, ut nota illa VI. pro numerali potius, quam ad vocem aliquam ſignificandam uſurpata in lapide videri poſſit; dum lineam illam convexam (quam pro ſtigmate, ſeu puncto poſt pleraſque dictiones marmorarius in lapide adhibuit, juxta ſequioris ætatis morem, quo in ejuſmodi punctis efformandis marmorarios variè luſiſſe jam notavi in Præfatione Operis) nunquam poſt literas VI. quæ vocabulum continerent, adhibitam inveniemus, quamſæpiſſime autem, imo ſemper poſt Senarium numerum iiſdem notis expreſſum adeſſe demonſtrant ſexcenta antiquorum lapidum exempla. Itaque, cum VI. VIR. quod in antiquis lapidibus paſſim occurrit, non aliud ſit, quam Sexvir; ſeu Sevir, idem plane de noſtra formula VI^{s} CVRATOR cenſendum erit, ut *Sex Curator* in eo expreſſus intelligi debeat, novo quidem, ac ſingulari exemplo, quod tamen mirum videri nequeat; licet enim notas illas dictio *Vir* haud ſubſequatur contra univerſæ antiquitatis morem, quæ Magiſtratibus ſua certa nomina obtinentibus, poſt numerales notas eam vocem adhibere ſolebat, ut IIVIR AEDILIS, rudi tamen, luteæque illi ætati facile dandum erit, ut in noſtro lapide poſt notas VI. ea vox omiſſa, & neglecta intelligatur, dum id quoque factum extrema ejuſdem lapidis parte aſpiciamus, ubi illud geminatum $\overline{VV}$ poſt Conſulum nomina adjectum, quum non aliter, quàm *Viris* explicandum ſit, ridiculum ne illud putabimus, Conſulum ſexum demonſtrare tantùm nobis marmorarium voluiſſe? non ita: ſed duplex CC ſequi debebat, ut *Viris Clariſſimis* in marmore eſſet, quorum tamen quum nullum omnino veſtigium appareat, pronum eſt, ut illas a marmorario prætermiſſas dicamus, atque oſcitantiùs quidem, quam quod in VI^{s} CVRATOR factum antea fuerat, ubi haud interjecta dictione VIR, ſatis de eorùm numero judicium ferri poterat, qui Curatorum munere fungebantur, ut nempe *Seviri Curatores* tùm eſſent, è quòrum numero Marcellinus fuit, haud perinde ineptâ, neque obſcurâ loquendi formulâ *Sex Curator* appellatus: quod ſi, quum de ipſo munere omnino jam conſtat, haud fortaſſe quis probet, ut unius noſtri lapidis fide *Seviros Curatores* comminiſcamur, tamque amplo numero eum Magiſtratum fuiſſe conſtitutum, qui Beneventanæ Urbi ſequiori ætate præeſſet. jam in illo VI^{s} marmorarii erratum agnoſcere opus erit, qui VI. loco VR. in marmore ſculpſit, ſicque demum VRbis Curatorem, de quo munere tantopere diſſeruiſſe libuit, Marcellinum noſtrum fuiſſe non erit amplius dubitandum.

Atque hic quidem, dum Romanum ſtaret Imperium ad ejus uſque extremum in Italia fatum Langobardis rerum potitis, Beneventanorum Magiſtratuum ſtatus, ſeries, ſplendor, ut jam in iis non florentiſſimæ ſolum, atque optimè inſtitutæ Reip., verum etiam liberæ Civitatis imaginem præclare expreſſam intueri quiſque poſſit: At Beneventum Romanorum fuiſſe Coloniam jam meminiſſe debemus, ut propterea Beneventanis meliori, quam quod Præfecturarum erat, jure gaudentibus, dum ſuos ſibi proprio ex corpore legere Magiſtratus liceret, ſuprema tamen Principis Urbis, ac Dominantis Romanæ Reip. majeſtas, atque Imperium ita agnoſcendum fuit, ut non ſolum pro obnoxia illa, ac minus libera Coloniarum conditione jura inſtitutaque omnia Populi Romani non ſui arbitrii haberent, verum etiam certis quibuſdam pro varia loci, ac temporis ratione ſtatutis Romanorum Magiſtratibus parere tenerentur; Hos vero Romanos Magiſtratus non alios heic intellectos volo, niſi qui per univerſam Italiam certis Regionibus, ſeu Diœceſibus diviſam, earum ſingulis a Populo Rom., aut à Principe ea poteſtate præficiebantur, ut locorum omnium, qui intra earundem fines continerentur, quum certa plerumque ſede ipſi conſiſterent, ſupremam Populi, aut Principis nomine,

Digitized by Google

mine, seu vice, jurisdictionem haberent: itaut cum de levioribus rebus, ac criminibus Colonici Magistratus cognoscerent, graviora tamen ad illorum Prætorium ex quaque Urbe judicanda deferrentur. Intererit itaque id, quod heic res omnino postulat, noviſſe, in quam nempe Italiæ regionem Beneventum conjecta olim fuerit, quaque potestate, atque titulo Magistratus ille Romanus, qui eidem regioni præesset, in Beneventanos suam jurisdictionem, seu Imperium explicuerit.

Ac, quod stantis Reip. tempora spectat, cum certum illud sit, intra Samnii fines, uti ab suâ origine, ita deinceps Beneventum mansisse, dum tamen Romanorum Colonia An. Urbis 486. jam demum evaserit, incertum sane erit, quisnam Magistratus esse cœperit, qui Populi Romani nomine supremam illam, quam modo quærimus, Jurisdictionem exercuisse videatur: Appianus quidem, Belli Marsici temporibus Italiam ita a Romanis administratam scribit, ut plures essent Proconsules, qui partes ejus cum Imperio obtinerent; At scio, Sigonium Appiano, *quamquam* (ait) *auctori bono* non assentiri, siquidem Prætoribus, aut Proconsulibus, nisi gravioris alicujus belli causa, *Italiam nuquam esse decretam non inveniſſe affirmat* De Jur. Ital. lib. 1. cap. 21.; atque ita Magistratus, quos ordinarios Appianus statuebat, nonnisi extra ordinem delectos jam putet Sigonius: Ut ut autem de hac re videri possit, difficiliùs profecto erit in ipso Samnio per eam ætatem Magistratum aliquem Romanum præesse potuisse, propterea quod in universa ea Provincia, si Beneventum, ac paucas alias Urbes exceperis per longa temporum, locorumque intervalla in Romanorum ditionem redactas, reliqui Samnites omnes usque ad labentis Reip. tempora inter acerbiores, atque hereditaria, avitaque bellandi pertinacia insignes Romanorum hostes recensebantur, donec L. Sulla captas Samnitum Urbes diruit, gentemque pene universam ad internecionem usque delevit.

Ad Principatus igitur tempora progrediendum, aut potius transiliendum erit: ac primum illud non abs re fuerit notasse, nulli unquam Imperatorum, aut Principum ab initio Italiam paruisse: quod ideò contigit, quod nemo unquam Imperatorum, ac nequidem Triumviri ipsi de Italia, quæ domina erat omnium Provinciarum, sed pro Italia certare se ostendebant, ideoque in divisione Imperii inter Lepidum, Antonium, & Octavium nulli eorum Italia fuit attributa, sed in Senatus potestate remansit; neque ad eos pervenit, qui tantùm pacandarum Provinciarum causſa, quibus Italia præerat, militare Imperium retinebant: Ratum id habuit etiam postquam rerum potitus est Augustus, qui non solum nullam sibi in Italia auctoritatem vindicavit, sed, quò magis illius honori, ac dignitati consultum iret, indicto per Romanum Orbem censu, quum Provincias, alias tributo in caput, alias tributo in solum oneraſſet, Italiam tamen utriusque census immunem reliquit, idque deinceps Jus Italiæ, seu Jus Italicum appellatum, quo plures Colonias extra Italiam ab quibusdam Augustis donatas recenset Ulpianus in leg. 1. D. De Censibus: satagebat certe Augustus, ut omnem a se invidiam, affectatæque Tyrrannidis suspicionem amoliretur, salvam omnino, atque integram veteris libertatis imaginem in Italia ipsa præsentem conspici, qua Civium oculi ita detinerentur, ut quæ reliqui Imperii esset conditio haud recte cernerent, vel parùm curarent: adde, quod nec ipsius Imperii universam sibi curam attribuit, sed Provinciarum omnium Populi Romani; quæ pacatæ erant, & imbelles, neque militaribus præsidiis indigebant, Senatui, Populoque permisit, qui veteri more Rectores suos, ideſt Proconsules, Prætoresque in eas mittebat, quæ vero militaribus copiis instructæ essent, propterea quod adhùc tumultuantes, nec omnino domitæ, sibi retinuit, earumque administrationem vel per se, vel per Legatos, Procuratoresque suos suscepit: In hac autem Provinciarum divisione, quâ XIIII. Provinciæ Augusto ipsi, XII. vero Senatui P. Q. R. cesserunt (a) nulla Italiæ mentio facta fuit, ut proinde nihil de veteri ejus statu immutatum fuerit, quo cuncta, ut olim, pro Senatus P.Q.R. arbitrio intra ejusdem fines administrabantur.

At hæc fide haud integra gesta esse constat, nec nisi specie tenus vera fuisse rerum exitus probavit. Nihil enim Augustus sibi deesse passus fuit, quo non plenam in Italia ipsa auctoritatem exerceret. Ac primùm novam ejus divisionem excogitavit, statuitque, ut in undecim deinceps regiones distingueretur, teste Plin. lib. 3. cap. 5. Eam præterea non frequentare solum consuevit, ut tradit Sveton. cap. 46., verum etiam in Colonias ab se deductas, inter quas Beneventum adnumerabatur, ea contulit beneficia, ut & illarum opulentiam, & dignitatem simul, quibus Urbi Romæ quodammodo adæquarentur, augendas curaret: quid tandem non

[a] Harum Provinciarum nomina juxta novam distinctionem ab eodem Augusto factam exhibet Panvinius de Imperio Rom. pag. 805. edit. Venet. 1558.

Digitized by Google

non in Italia potuiſſet Auguſtus, qui in Urbe ipſa eorum Magiſtratuum jure, quos in ſe unum collegit, ſacras, civileſque res omnes adminiſtrabat: Reliquos autem Magiſtratus, quos ſuæ vel fovendæ auctoritati, vel decorandæ dignitati impares novit, ita aliis adminiſtrandos reliquit, ut nulli, niſi quos ipſe probaſſet, deligerentur; quin etiam veteribus aliquot ſublatis novos ipſe in Urbe Magiſtratus inſtituit; qui verò ad rem noſtram propiùs accedere videtur, Præfectus Urbi fuit, ab eodem Auguſto ex Mæcenatis conſilio inſtitutus juxta Dion. l. 52. pag. 478. & Sveton. Aug. cap. 37. reſtitutus verò, ut placet Tacito *Annal. 6. 11.* (*a*): In hoc enim Magiſtratu jam obſervare incipiemus, quo pacto Italia, cujus Urbes, Coloniæque ſuis quæque Magiſtratibus regerentur, Romanorum adhùc Magiſtratuum Juriſdictioni pareret: *Omnia omnino crimina* (inquit Ulpianus lib. ſingulari De officio Præfecti Urbi relatus in leg. 1. D. eod. tit.) *Præfectura Urbis ſibi vindicavit: nec tantum ea, quæ intra Urbem admittuntur, verum ea quoque, quæ extra Urbem intra Italiam, Epiſtola Divi Severi ad Fabium Cilonem Præfectum Urbi miſſa declaratur*. Quæ quum de atrocioribus criminibus intelligenda ſint, ſervato Municipalibus Magiſtratibus leviora crimina coercendi jure, ut de minoribus Urbis Magiſtratibus apertè conſtat ex leg. ult. *D. De officio Præfecti Vigilum*; ita de civilibus Judiciis, quæ ſubinde eidem Præfecto Urbi Ulpianus attribuit, non intra Urbem dumtaxat illius cognitionem fuiſſe cenſendum eſt, ſed per ipſam quoque univerſam Italiam, ex cujus item Urbibus, Coloniiſque ad ipſius Præfecti Tribunal deferebantur, itaut gravioribus iis exceptis, reliqua Magiſtratus ipſi minores, municipaleſque exequerentur. An igitur Præfecto Urbi Beneventum ſuberat? non omnino certum pronunciaverim: quamvis enim ipſius Italiæ terminis Præfecturæ Urbanæ imperium definire videatur Ulpianus, neque ab Auguſti ævo Italiam, quæ priùs Rubicone terminabatur, ad Alpes uſque perductam dubitari poſſit, veriùs tamen conſtat, non ultra centeſimum ab Urbe lapidem Præfectum Urbi ſuum Imperium protuliſſe; atque hos quidem terminos ab ipſo Auguſto Præfecto Urbi conſtitutos indicat Dio ipſe lib. 1., eoſdemque paulo poſt agnoſcit Ulpianus ipſe, quem etiam audire libet: *Quicquid igitur intra Urbem admittitur, ad Præfectum Urbi videtur pertinere, ſed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad Præfectum Urbi pertinet; ſi ultra ipſum lapidem* (ideſt centeſimum), *egreſſum eſt Præfecti Urbi notionem*. Neque aliter ſequiori ævo res ſe habuiſſe diſerte docet Caſſiodorus in formula Præfecti Urbi lib. 5. cap. 4. ubi hæc ſunt. *Ditioni tuæ non ſolum Roma commiſſa eſt, (quamvis in illa contineantur univerſa) verum etiam intra centeſimum milliarium poteſtatem te protendere antiqua jura voluerunt*.

Atquæ hæc loci ſpatia Magiſtratus hic non arbitrario quodam Inſtitutorum beneficio, qui ejus dignitatem pro finium laxitate promovere voluiſſent, ſed ſuo veluti jure ſibi vindicabat, nam ſimul ac Præfectus Urbi quis foret, in eam omnem, quò Urbis continentia ædificia extendebantur, amplitudinem, imperium obtinere oportebat; Urbem autem Romam non muro tenus exiſtimandam eſſe jam docuit Marcellus in l. 87. D. De V.S., quamquam vero inter Urbem, & Romam diſcrimen fuiſſe appareat ex verbis Paulli (*b*), ut illa muris, ac pomœrio,

T hæc,

[*a*] Videſis Briſon. de V.S. lib. 14. ubi hæc res egregiè illuſtratur.

[*b*] Pauli verba relata in l. 2. D. eod. tit. hæc ſunt: *Urbis appellatio muris; Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet*: Quod ſane diſcrimen ex Urbis etymologia probare conatur V.C. Heineccius ad legem Jul. & Pap. lib. 2. cap. 8. §. 1., id nihilominus ad verborum potiùs proprietatem, ſignificationemque pertinere videbatur, quam quod ex conſuetudine quotidiana ſervaretur; quis enim credat, cum Præfectus non Romæ, ſed Urbi appellatus omni ævo fuerit, illius Imperium Urbis muro circumſeptum: neque etiam ea placent, quæ Heineccius idem ex Dionyſio Halicarnaſſeo, & Ariſtide obſervat, quod nempe ea fuerit Romæ magnitudo, ut nemo facile dignoſceret, quouſque ſit hæc Urbs progreſſa, aut ubi Urbs eſſe deſinat, cum Urbanis enim ædificiis ipſa ſuburbia nexu quodam perpetuo cohærebant, eaque ſpectantibus Urbis in infinitam longitudinem porrectæ ſpeciem præbebant; Deſcendebat uſque ad mare, ubi commune Emporium, communiſque omnium, quæ e terra proveniunt, diſpenſatio, ac demum quacumque in parte Urbis conſtitiſſet, quis in medio ſemper eſſe videbatur: Rhetoris enim hæc danda ſunt ſtylo, qui in amplificandis rebus plus quandoque ſibi tribuit, quàm quod res ipſæ videantur poſtulare: Fruſtra autem his utendum fuerit, ut res vera, atque certa probaretur. Itaque, ſi ea unquam Urbis Romæ amplitudo fuiſſet, incertum omnino erit quouſque Urbs Roma protenderetur, atque adeo qui vere hi fuerint, quibus cum Romæ tres liberi eſſent, [de hoc enim in eo legis Papiæ Poppeæ capite agitur] munerum perſonalium immunitate gaudebant, ut ab iis qui in Italia eſſent ſecernerentur; quod, ſi Urbem ipſam Romam pro vero continentium ædificiorum ſpatio dimetiamur, ampliſſimam quidem ejus fuiſſe amplitudinem, ſed paucis tandem milliariis definitam inveniemus, ut anguſta nimis eorum, qui tres liberos haberent, privilegia fuiſſe videantur: Res igitur aliò deducenda erat, deduxitque jam Heineccius idem, qui cum ſpatium Urbis ad centum milliaria protenſum jam dicat, ejus tamen rei rationem non explicavit, originem vero ad poſtrema tempora falsò retulit, ut jam a me oſtenſum eſt.

Digitized by Google

hæc, quòusque continentia ædificia progrederentur, significata fuerit, verius tamen est, utrumque vocabulum non ad ædificia sola sive Urbana, sive Suburbana omnino pertinuisse, sed quid amplius plerumque significasse: ut enim Coloniis, Municipiisque sua erant Territoria certis limitibus definita, in quos municipalis Magistratus Jurisdictio protendi poterat, qua ipsius Coloniæ, municipiique nomina continebantur, ita etiam sua Urbi Romæ spatia, postquam ejus ædificia esse desierint, adjacere debebant, tanto equidem ampliora, quantò angustior cæteris una omnium Princeps, atque Domina Urbs ipsa erat; Hinc prior, ut ex Dione observatum fuit, Augustus, institutâ Urbanâ Præfecturâ, eos Urbi terminos constituit, qui centesimo milliario complerentur, nec solam Romæ Diœcesim efficerent, verum etiam Urbis Romæ quendam veluti continentem progressum, appellationemque demonstrarent. Quod deinceps post Augustum mansisse satis patet, nam ad Prætorianos milites, quos Severus exauctoravit, apud Herodianum lib.2. (*a*) ita Imperator ipse loquitur: *Edico, juroque, ac denuncio capite pœnas daturum, si quis vestrum posthac intra centesimum ab Urbe lapidem conspicietur*: itaut quum illos facessere juberet ultra centesimum lapidem, non aliud, quàm ne eos terminos, quibus Urbs continebatur, claudebaturque, ingredi auderent, edixit: haud secus Imp. Constantinus petendæ in integrum restitutionis beneficium post expletum XXV. annum iis, qui in *Urbe Roma, & intra centesimum Urbis Romæ milliarium* essent, ad quinquennium prorogavit in l. 2. Cod. Theod. *De in integr. restit.*; Atque hæc quidem Urbis spatia, quum Augustum habere auctorem videantur, eaque mox sequutis Principibus servata fuerint, veteris sane instituti atque Urbis Romæ appellatione olim contenta fuisse jam constat: novum tamen iis dumtaxat nomen postrema tempora indiderunt, nam *Regiones Suburbicarias* toties memoratas Imperatoribus, & Scriptoribus medii ævi de hoc ipso spatio intra centesimum circa Urbem lapidem concluso, jamdiù viri doctissimi observarunt, & præclarè exposuerunt (*b*).

Quum igitur tam laxi fuerint Urbis termini, rectè sequitur, ut tam latè etiam Præfecti Jurisdictio patere debuerit, cui Urbs curanda mandabatur; itaut quicquid minorum Urbium, Coloniarumque intra illud spatium contineretur, ita Magistratibus suis parebat, ut tamen in rebus gravioribus Præfecti Urbi Jurisdictioni subderetur: quod tamen de Beneventana Urbe affirmare haud licebit, quippe quæ extra statutos Urbis terminos locata esset, atque, si Antonini Itinerarium attendatur, ad centesimum quinquagesimum septimum ab Urbe lapidem remota consisteret. Quærendus itaque nobis erit Magistratus alius, qui post eos Urbis terminos, in universa Italia ad instar Præfecti Urbi summum Imperium exerceret; ita enim Urbi Romæ ad centesimum lapidem progredienti Italia opponebatur, ut Italia ipsa a Provinciis secernebatur, quod ex d. l. Constantini apertè constat, aliisque pluribus a Gothofredo collectis. Sed, quod caput erat, cum jam id ex prædictis omnino probatum sit, in ipsa Urbe Roma, ejusque Diœcesi ad centesimum lapidem producta, satis auctoritatis sibi Augustum vindicasse, quam per Præfectum ab se institutum exercere videbatur, nonne ipsum idem ab eo factum putabimus de reliqua Italia, quàm per alios Magistratus ita administrandam curaret, ut suæ auctoritati obnoxiam retineret; certè dum civilia bella arderent, *Clinium Mæcenatem equestris ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam præpositum* ab ipso Augusto testis est Tacit. *An.6.11.*; novam autem regiminis formam, cum jam rerum potitus esset, instituens, an de sola Urbe, ejusque Præfectura cogitare, reliquam verò Italiam neglexisse voluit? Haud sane: nam certè falluntur ii, qui Hadrianum primum Italici Magistratus auctorem faciunt ex Spartiani verbis, qui *quatuor Eum Consulares per omnem Italiam Judices constituisse* refert; nomen enim Magistratus, non ipsum Magistratum, aut certè viros, qui illud obirent deinceps, tum excogitavit Hadrianus, ut nempe, qui alio nomine haud satis noto antea vocarentur, *Consulares* in posterum appellationem obtinerent, unde *Consularitas* ipsa deinde dignitas dicta fuit, diversa quidem ab ea quæ Consulis erat, sed quæ illam prope attingeret, ut patet, ex formula, quàm exhibet Cassiodor. Var. lib. 6. 20.: quamquam & Consulares viros, qui nempe Consulatu perfuncti jam essent, ad id muneris (quod fortasse antea ab inferioris ordinis, aut dignitatis personis administrari solebat) delegisse Hadrianus videri possit, ut majorem ejusmodi Magistratui splendorem compararet; non, inquam, de novo instituit, quod Antonini, ejus in Imperio successoris, exemplo etiam patet, qui, ut refert Capitolin. cap. 11. *Datis Juridicis Italiæ consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præcepe-rat*:

[*a*] Inter scriptores Hist. Aug. edit. Basileæ Frobenii ann. 1533. pag. 416.

[*b*] Jac. Gothofredus Dissert. De Suburbicariis regionibus cap. 4. & v. Salmasius ad Trebell. Poll. De xxx. Tyran. cap. 24.

Digitized by Google

rat: Ut enim, qui Hadriani inſtituto *Conſulares* dicebantur, *Juridicos* Antoninus appellari maluit, ita eoſdem Conſulares, veteri Magiſtratus abjecto nomine, Hadrianus ipſe nuncupavit: Atque jam, quum ab Auguſto in ſucceſſores omnes (neglecta quidem diviſione illa Provinciarum initio facta cum S. P. Q. R.) Urbis, atque Italiæ adminiſtratio ita manarit, ut dati citra ullum Senatus, Populique ſuffragium Magiſtratus Principis nomine, ac jure præeſſent, accedamus demum ad certam illam Romani Magiſtratus formam, qua prioribus ſæculis tum Italia cuncta in partes, ſeu Regiones diviſa, tum Beneventana Urbs, quæ ad illarum alterutram pertinere debebat, regerentur.

Intererit autem, non ſolum Regionum omnium, in quas Italia diviſa olim fuerit, numerum, verum etiam Magiſtratuum, qui illis præficerentur, noviſſe nomina: ac, quod hùc attinet, non ſoli *Conſulares*, *Juridicique*, quos jam audivimus, ſed *Correctores* quoque fuere: Horum non tam antiqua origo (quod alii corruptis vetuſti lapidis Ariminenſis verbis decepti falsò putarunt (*a*)) ſtatuenda erit, atque ad Auguſti ævum referenda, neque tam ſera, ut ad Conſtantini tempora producatur, ut ex J. C. Hermogeniano (*b*) alii opinantur, qui eorum meminit *in l.* 10. *D. De officio Præſidis*, ſed ſecundo ſæculo Correctorum nomen, & munus jamdiù vigere cœpiſſe docet Papinianus noſter (*c*), qui eos ita memorat *in l. penult. D. eod. tit.* ut veterem Magiſtratum eo jam uſu recepto nomine ſatis notum oſtendat: *Correctores* autem per ſolam fere Italiam inſtitutos fuiſſe conſtat, ut certis Regionibus, ſeu Provinciis præeſſent ad earum differentiam, quibus *Conſulares*, aut *Juridici* præficiebantur; ac, licet his honore pares fuiſſe haud certum affirmari queat, eandem tamen, quam illi, in regionibus ſibi creditis poteſtatem obtinuiſſe, imo ſublatis *Juridicis*, in horum demum locum ſuffectos vetuſta probant monumenta: *De Conſularibus*, *Juridicis*, & *Correctoribus* noſtros, qui extant, lapides heìc ſimul collectos exhibere libet, ut eorum ſubſidio univerſæ, de qua agimus, rei capita præclariùs illuſtrentur: ac primo loco Conſularium lapides hi ſunt:

T. ANONIO MARCELLINO
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO DIGNISSIMO OB IN
SIGNIA BENEFICIA QVI
BVS LONGA POPVLI TAE
DIA SEDAVIT VNIVER
SA PLEBS BENEVENTA
NA CENSVIT PONENDAM

CLAVDIO IVLIO (*d*)
PACATO V. C. CONS
CAMP. OB AEQVITA
TEM IVDICIS ET
PATROCINIA IAM
PRIVATI ORDO
BENEVENTANVS
PATRONO POST
FASCES DEPOSI
TOS CENSVIT CON
LOCANDAM.

[*a*] Pitiſcus in Lex. v. *Correctores*.

[*b*] Sub Conſtantino claruiſſe fertur Hermogenianus, de quo Menagius quærit in Amænit. Jur. cap 11. Gravin. de Orig. Jur. l. 1. c. 103.

[*c*] Sub Severo, atque ideo ſub ſecundi ſæculi exitum floruiſſe Papinianum norunt omnes.

[*d*] Bis inſcriptio iſthæc exhibetur a Cl. Muratorio ac primùm pag. 376. num. 1. in hæc verba: *C. Claudio Julio Pacato* V. C. COS. *Camp. ob Æquitatem Judicii, & Patrocinia jam* [*fort. Juris*] *Privati Ordo Beneventanus Patrono poſt Faſces depoſitos cenſuit conlocandam*: Eandem, vel jam antea edidiſſe oblitus, vel ab edita diverſam ratus, rurſus profert pag. 1032. n. 6. e ſchedis Cyriaci, atque apud Gruterum *mendis deformatam* eſſe notat, nihilo tamen minus, ut antea, mendoſam ipſe utroque loco exhibet: Ac primùm *Caii* prænomen, & COS. pro CONS. non habentur in lapide; & ſanè, res utraque ejus ætatis non erat, qua lapis dicatus fuit, quarta vero linea ſcribit *Judicii* pro *Judicis*, ex quo mendo factum fuit, ut quinta linea illud *Jam* in *Juris* ver-

tendum exiſtimaverit, quaſi *Æquitati Judicii* reſpondere debuerint *Patrocinia Juris Privati*; at importune omnino: nam Pacatus ab ordine Beneventano celebratur tum *ob equitatem Judicis, tum ob Patrocinia jam Privati*, ideſt, quod quum publico Judicis munere olim fungeretur, æquitatis ſtudioſus fuerit, quum vero Magiſtratum obierit, ac privatam jam perſonam repetiſſet, Patrocinia ſua Beneventanis Civibus impendere non deſtiterit; Hinc poſt *Faſces depoſitos*, ideſt expleto Magiſtratus tempore, quum Privatus Patronum Beneventanis ſeſe adhùc exhiberet, utriuſque rei, ſtatus, atque temporis laudem eo monumento eſt aſſecutus: quod tandem ad hunc lapidem conjecit Muratorius, quod nempe Pacatus iſte Conſul ſuffectus fuerit an. 336. quo Faſti habent *Nepotianum*, & *Facundum*. *Lex vero* 16. *Cod. De Don. ant. nupt.* data dicitur a Conſtantino *Nepotiano*, & *Pacato Conſulibus*, non omnino, inquam, hanc conjecturam contemnendam putaverim, at quum nulla ſit Conſulatus mentio in Inſcriptione noſtra, eam propterea ante Conſulatum a *Pacato* geſtum dedicatam fuiſſe, ſtatuendum erit.

Digitized by Google

DIVO VALENTI PARENTI REIP (a)
PIO FELICI VICTORI
SEMPER AVG.
NAERATIVS SCOPI V. C.
CONS. CAMP.
NVMINI EIVS MAIESTATIQ. DEVOT.

AMANTI OMNIVM ET AMATO OMNIBVS
NOBILI PARITER AC IVSTO VALERIO PVBLI
COLAE V. C. CONS. CAMPANIAE AB ATAVIS
PATRONO SPL. ORDO BENEVENTANVS
ET HONESTISS. POPVLVS STATVENDAM (b)
DECREVIT.

Atque hos quidem, qui Conſularium meminere, habemus lapides, quibus alii bini addendi eſſent, ubi Anicius Auchenius Baſſus, non Conſularis, ſed Proconſul Campaniæ dicitur; ſed, cum de iſtis opportuniore loco agere propoſitum mihi ſit, ad Juridicos modo accedam.

L. RAGONIO L. F. PAP. VINATIO (c)
LARTIO QVINCTIANO COS
SODALI HADRIANAL. LEG. LEG. XIIII GEM
DONIS MILITAR. DONATO AB IMP. COMMODO
ANTONINO AVG
PROCOS. PROV. SARDINIAE IVRIDICO
PER APVLIAM PRAET. AED. PL. Q. PR. PR.
PROV. AFRIC. SEVIR
M. ACCIVS ENNIVS SERGIANVS
AMICO

Apud

[a] Gudius pag. 95. n. 3. VALENTI, mendosè ſcribit VALERIO contra fidem non ſolius lapidis, ſed etiam univerſæ Antiquitatis, quæ neminem *Valerii* nomine Auguſtum nobis exhibet: at tu cum legis: *Divo Valenti*, ne putes ex eo prænomine Valentem jam tum defunctum, cui, ut manifeſtè apparet, viventi lapis dedicatus fuit. Jamdiù adulatio morem illum corruperat, quo Principes nonniſi mortui, ac rite conſecrati, Divi appellarentur: Audi Tacit. Ann. XV. 74. *Reperi in commentariis Senatus, Cerialem Anicium Conſulem deſignatum, pro ſententia dixiſſe, ut Templum Divo Neroni quàm maturrimè publica pecunia poneretur; quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito; quod ad omina olim ſui exitus verteretur; nam Deùm honor Principi non ante habetur, quam agere inter mortales deſierit*: Tertullianus Apolog. cap. XXXIV. ubi plurima lectu digna in hanc rem, pulchrè, & appoſitè hæc ſubdit: *Si non de mendacio erubeſcit ejuſmodi adulatio, hominem Deum appellando, timeat ſaltem de infauſto: maledictum eſt ante Apotheoſin Deum Cæſarem nuncupare*: At quid, inquies, *Divi* appellatio cum Valente Principe Chriſtiano: Sed noſti ſimul Catholicæ Fidei hoſtem, multiſque inſignem criminibus, quem facile de ea ſacrilega appellatione alios ſibi blandientes non erubeſcebat.

[b] Muratorius pro *ſtatuendam* habet *ſtatuendum*, atque hæc notat: Pro *ſtatuendum* ſcriptum reor *ſtatuam*, aut *ſtatuam ponendam*, at neutrum horum; neque *ſtatuendum*, ut ipſe edidit, ſed *ſtatuendam* exhibet lapis, cui verbo ſubintelligendam *ſtatuam* ſatis patet exemplo aliorum lapidum, quos ſuperius ob oculos habes, ubi eſt: *Cenſuit ponendam*: *Cenſuit conlocandam*: id eſt *ſtatuam*, quæ eidem Baſi, ubi Inſcriptio inſculpa erat, ſuperpoſita, reipſa expreſſa, manifeſtèque ſignificata habebatur.

[c] Pro VINATIO legendum eſt VRINATIO fide tum alterius noſtri lapidis, tum Faſtorum, in quibus L. Ragonius Urinatius Quintianus Conſul ſignatur an. 235.: L. Ragonius Quintianus alter occurrit in iiſdem Faſtis Conſul an. 289. Sed priori, qui hujus fortaſſe Pater fuit, lapides dedicatos fuiſſe conſtat ex eo, quod is ab Imp. Commodo donis militaribus donatus dicitur; & quidem a Commodi ævo non longe ſe habet, ut abeſt alter, qui integro fere ſæculo Commodo poſterior fuit.

Digitized by Google

Apud Panvin. in Faſt. ad a. v. 988. & Gruter. pag. 45. num. 9. a quibus locus reticetur, ſed Gudius ex iiſd. nominibus, ut in proxima, Beneventi extare cenſet.

HERCVLI CONSERVATORI
PRO SALVTE
L. RAGONI L. F. PAP. VRINATI
LARTI QVINCTIANI VIR. COS
SODAL. HADRIANAL LEG. LEG.
XIIII GEM DONIS MILIT. DONAT
AB IMP. COMMODO ANTONINO
AVG. PRO. COS. PROV. SARDINIAE
IVRIDIC. PER APVLIAM PRAEF.
I. D. PRAET. AED. PL. Q. PR. AFRIC
VI. VIR AVG. EX TESTAMENTO
M. ANTIVS ENNIVS SERGIANVS
AMICO V. CVR.

In Ædibus DD. de Cardone, & apud Sponium ſect. IV. pag 124. Fleetwood pag. 162. n. 1. & Murator. pag. 1033. n. 2.

M. CAECILIO (a)
NOVATILIANO
C. V. ORATORI ET PO
ETAE ILLVSTRI AL
LECTO INTER CON
SVLARES PRAESIDI
PROV. MAES. SVP
IVRID. APVL. ET CA
LAB. PRAET. TRIB. PLEB.
Q. PROV. AFRIC.
SPLENDIDISSIMVS ORDO
BENEVENTANORVM
PRIVATIM ET PVBLIC
PATROCINIO EIVS
SAEPE DEFENSI P. DD.

Reliqui ſunt *Correctores*, de quibus etiam præſto ſunt hi noſtri lapides.

ADELFI CLODIO CELSINO
INSIGNI ET C. V. PRAESTANTI BENIVOLEN
TIA AVCTORITATE IVSTITIA
CORR. REGIONVM DVARVM (b)
MEMORABILI ET PRAETERITORVM
IVDICVM EXEMPLA VIRTVTIBVS
OMNIBVS SVPERGRESSO ORDO SPLEN
DIDISSIMVS BENEVENTANAE CIVITATIS
PATRONO DIGNISSIMO

MARCELLINVS

FL. CORNELIO MARCELLINO
V. C. CORR. APVL. ET CALA
BRIAE . . . . . CATO
RI CVR B. V
P. PL ILAE . . . . . .
FORO COMMVNI . . . . .
COMMO . . . . . .
RVM QVI . . . . . .
OB INSIGNIA . . . . . .
ET AMOREM . . . . . PA
TRIA NE . . . . . .
VR. . . . BENEV. . . . . .

Habes jam ex noſtris lapidibus *Conſulares*, *Juridicos*, & *Correctores* Italicis regionibus, ſeù Diœceſibus præpoſitos, quibus & *Præſides* adjungendi videntur, qui eo titulo aliquam Italicam regionem

[a] Pudet hunc inſignem lapidem adeo deformatum, & mutilum a Sponio fuiſſe editum, ut præter alia *Juri dici* munus in eo deſideretur: Sic enim habet: *M. Cæcilio Novatiliano cur. Poetæ & Oratori inluſtri V. C. allecto inter Conſulares Præſidi Prov. Moeſ. Quæſtori Africæ Præfecto Juriſd. Hiſpan. cit. & Calabriæ ſplendidiſſimus Ordo Beneventanorum privatim, & publice patrocinio ejus ſæpe defenſi P. DD.* Ex Sponio excepit Fleetwood, qui & hæc in fine obſervat: not. *Juriſdicund. Hiſpaniæ Citerioris*: at de Hiſpania citeriore ne jota quidem in lapide: Novatiliani munera ſic lego ex lapidis fide; *Præſidi* PROV*inciæ* MAES*iæ* SVP*erioris* IVRIDI*co* APVL*iæ*, & CALAB*riæ* PRAET*ori* TRIB*uno* PLEBI*s Quæſtori* PROV*inciæ* AFRIC*æ*.

[b] Duas haſce regiones, quarum nomen in lapide reticetur, Apuliam, & Calabriam fuiſſe obſervat Muratorius, cujus de hac re judicium inferius expendemus.

Digitized by Google

gionem aliquando administrasse ostenduntur tum in nova illa Imperii divisione ab Hadriano facta, tum etiam in novissima divisione altera quam Constantinus instituit: Utramque exhibet Panvinius (*a*), ex quo Italicarum regionum numerum, nomina, earumque proprios Magistratus audire poteris: Illud tamen mihi observandum erit, *Juridicos* ab Antonino institutos, sive potius ejus Magistratus nomen haud diù stetisse, sed post ejus obitum pro *Juridicis* iterum *Correctores* fuisse suffectos: quod ex nostris lapidibus invicem collatis omnino patet; nam L. Ragonius per Apuliam, M. Cæcilius Novatillianus Apuliæ simul, & Calabriæ *Juridici* fuere, quarum deinceps regionum Clodius Celsinus, & Fl. Cornelius Marcellinus *Correctores* dicuntur: In recensu etiam Italicarum regionum, quem Panvinius exhibet nullimode *Juridici* memorantur, quorum proinde nomen in Italia statim defecisse apparet.

At, quod rem nostram attinet, quum jamdiù illud quæramus, intra quos nempe Italicæ regionis fines Beneventana Urbs contineretur, ac cui propterea Magistratui subderetur, ex nostris lapidibus, quos jam retulimus, id certo statuisse haud promptum erit: Scio, D. de Bruzen la Martiniere *in Lexic. Geogr.* v. *Benevent.* (quum in Camilli Peregrini sententiam concesserit, qui, ut Campaniæ suæ & fines, & decora pro viribus ampliaret; Beneventum eidem regioni aliquando adjudicatam contendit) hoc amplius sibi probatum affirmare ex pluribus Inscriptionibus, Statuisque, quas Beneventani Consularibus Campaniæ dedicare consueverunt: At nihil ea re incertius videri debet; nam non Consularibus tantum Campaniæ, sed finitimarum quoque aliarum regionum Magistratibus, nempe *Juridicis*, mox *Correctoribus* Apuliæ, & Calabriæ eadem honoris monumenta pari modo a Beneventanis dedicata, lapides modo a me relati manifestè docent, adeout, si docti viri conjectura valeret, jam ignorabimus, utri Magistratui Beneventani subderentur, qui inter Campaniam, Apuliamque positi utrumque Magistratum, nempe Consulares Campaniæ, & Apuliæ Juridicos æquis honoribus prosequi studuerunt; At, ne longum faciam, frustra ex lapidibus ipsis Jurisdictionis conjectura deduci potest, ex quibus manifesta habetur caussa, cur a Beneventanis dedicati fuerint: Fuit igitur caussa, quod ipsorum Consularium aliqui fuerint, quos Beneventani sibi *Patronos* adoptarint, itaut non Magistratus jure, atque caussa, sed sola *Patronatus* ratione, ut Inscriptiones præclarè ostendunt, Statuæ ipsæ fuerint dedicatæ; Patronos autem eos, qui in Rep. summi essent loci, a Coloniis, & Civitatibus adoptari vetus mos fuit, dabaturque ab iis assiduè opera, ut quos in sua clientela accepissent omni re juvarent, quod quum egregiè præstiterint T. Anonius Marcellinus, Claudius Julius Pacatus, & Valerius Publicola Consulares Campaniæ, *Patronis* proinde optime de se meritis insignia ejus honoris monumenta Beneventani dicarunt.

Age nunc, quæ sint *Peregrini* momenta videamus: multus certè is fuit, omnemque conatum adhibuit, ut quod semel sibi statuit, amplificatos pene in immensum Campaniæ fines aliis

[*a*] Panvinius de Imperio Romano p.884. & p.892. edit. Ven. 1558. hæc habet:

Provinciæ, vel Diœceses in Italia, & tribus ejus Insulis XVII. ab Hadriano institutæ.		Provinciæ Italicæ juxta Constantini Aug. Institutionem.	
I. Venetia & Histria.	Hæ octo Diœceses habebant Consulares.	Venetia & Histria.	*Consulares* sub Vicario Italiæ.
II. Æmilia.		Æmilia.	
III. Liguria.		Liguria.	
IV. Flaminia, & Picenum.		Flaminia, & Picenum annonarium.	
V. Tuscia, & Umbria.		Tuscia, & Umbria.	*Consulares* sub Vicario Urbis Romæ.
VI. Picenum Suburbicarium.		Picenum suburbicarium.	
VII. Campania.		Campania.	
VIII. Sicilia Insula.		Sicilia.	
I. Apulia, & Calabria.	Hæ duæ habebant Correctores.	Apulia, & Calabria.	*Correctoriales* sub Vic. Urbis Romæ.
II. Samnium, & Brutii.		Lucania, & Bruttii.	
I. Alpes Cottiæ.	Hæ septem habebant Præsides.	Alpes Cottiæ.	*Præsidiales* sub Vic. Italiæ.
II. Rhetia prima.		Rhetia prima.	
I. Rhetia secunda.		Rhetia secunda.	
IIII. Samnium.		Samnium.	*Præsidiales* sub Vic. Urbis.
V. Valeria.		Valeria.	
VI. Insula Sardinia.		Sardinia.	
VII. Insula Corsica.		Corsica.	

Digitized by Google

aliis perſuaderet (*a*). Ac primùm ſatis firmum ſuæ opinionis fundamentum inveniſſe putavit in nova illa regendæ Italiæ forma, quàm Hadrianus inſtituit, ut ſcilicet Italia quatuor Conſularibus adminiſtranda committeretur: Perpetuam eam formam poſt Hadrianum ratus, Appiani Alexandrini de ea re præſagium deridet, falſumque eum vatem fuiſſe pronunciat, quod l. 1. De Bell. Civil. Hadriani inſtitutum *non diù duraturum poſt ejus obitum* edixiſſet; quaſi non Appiano, qui poſt Hadrianum ſcribebat, jam ea res comperta fuerit, labefactatamque Hadriani formam plane oſtendat plurium ſane, quàm quatuor Magiſtratuum numerus, ac diverſum nomen; quod modo ex Panvinio probatum fuit: Ex hac igitur quatuor Conſularium adminiſtratione per univerſam Italiam inſtituta id manaſſe putat Peregrinus, ut Italia ipſa novam regionum diviſionem acciperet, quæ quidem numero pauciores, finibus tamen ampliores Conſularium numero reſponderent: Adeout, quæ undecim olim ex Auguſti inſtituto numerabantur Regiones, inter quatuor illas recenter ab Hadriano inſtitutas conjectæ, in earum fines, & nomen translatæ fuerint: Hoc Peregrini commentum promtum mihi refellere eſſet ex aliis Italiæ Regionibus, quæ poſt Hadrianum ſuos peculiares Magiſtratus accipere ſolebant, de qua re ſufficere poſſet diviſio illa, quam veteri formâ paucis immutata, peregit Conſtantinus; ſed cum ille rem totam ad Campaniam deducat, quid certi afferat, audiamus: Præter utrumque Latium, Picentinos, partemque Samnii, quam Campaniæ ab Auguſto adjunctam afferit, Hirpinos etiam, majoremque conjuncti Samnii partem Campaniæ ab Hadriano addita fuiſſe arbitratur, ſicque Campaniam ipſam *ad equum Tuticum* & fines, & nomen protuliſſe, atque Apuliæ conterminam evaſiſſe. Plura ſparſim, & nullo ordine ad conciliandam ſuæ ſententiæ fidem adducit, quæ ad duo potiſſimum referri queunt. Primùm ex veterum ſcribendi more argumentum deſumit, quo illi Apuliæ Campaniam adjungere ſolebant; ſic Taciti locum notat Ann. l. 3. ubi Germanici cineres ex Aſia Brunduſium tranſvectos, cum inde Romam afferrentur, *Magiſtratus Calabriæ, Apuliæve, & Campani* ſupremis muneribus fuere proſecuti: *Quo in itinere* (inquit) *poſt Apidos non aliorum Tacitus facit mentionem, quam Campanorum, cum tamen inter utroſque medii eſſent Hirpini, quorum ſatis nobilis erat Urbs Beneventum, quam non debuiſſe eum tacere, ratio poſtulare videtur*: Sed quam infirmum hoc ſit argumentum, Peregrinus ipſe agnovit, qui ultrò ejuſmodi Scriptores Hadriani ævo longe antiquiores rectè vidit, ut perinde haud de Campania illa loqui potuerint, quæ ſuis antiquis finibus deinceps egreſſa, Hirpinos, Samniique partem ſibi adjungens ad Apuliæ fines tranſtilivit: neque etiam, (liceat mihi dicere) ſi qui eſſent Scriptores Hadriano poſteriores, qui Apuliam Campaniæ conjungerent, Peregrino favere poſſent; quis enim ſibi ſuadeat exactiſſimas locorum omnium deſcriptiones ab iis Scriptoribus ſemper ſervatas, qui non Geographiam ex inſtituto pertractarent, ſed rerum geſtarum narrationes elucubrarint: quàm otioſum illud, quod Lectorem ſummo tædio afficeret, quàm ineptum, atque ab optimi Hiſtoriographi more abhorrens, ut dum iter aliquod narrandum ſibi ſit, ſingula loca, regioneſque omnes interjacentes ſigillatim enumerare laboret? Cæterum ſi de ſcriptoribus Hadriano anterioribus agendum eſſet, Taciti loco, quo Peregrinus abuti volebat, promptum erat Ciceronem opponere, qui in Epiſtola ad Pompejum hæc habet (*b*): *Cumque nec mihi, nec fratri meo dubium eſſet, quin Brunduſium contenderemus, a multis qui, e Samnio, Apuliaque veniebant, admoniti ſumus, ut caveremus &c.* ubi jam vides, (nam itineris faciendi ratio id quoque poſtulabat) exactiſſimè Regionum ſpatia inter ſe cohærere, Samniumque Apuliæ conjungi.

Ex utroque igitur Itinerario, ſcilicet Antonini, & Hieroſolymitano rem confici putat Peregrinus: Hieroſolymitanum non moror, quippe quod ſequioris ævi opus tum in omnibus dubiæ fidei, tum in conjungendis Campaniæ, Apuliæque finibus ambigue loquitnr: Ad Antonini Itinerarium quod attinet, bina ex eo loca proferuntur, unus eſt, quo demonſtrarur *iter, quod a Mediolano per Picenum, & Campaniam ad Columnam, ideſt trajectum Siciliæ ducit*: quid ſibi velit Peregrinus ex hoc loco, prorſus non video; an fortaſſe quod hujuſce itineris *Mediolanum* initium, *Columna* terminus ſtatuatur, iterque ipſum per Picenum, & Campaniam excurrere dicatur, Picenum, & Campania tractum omnem implere debebant, qui a Mediolano ad Columnam interjacebat? Sed nec in loco altero intelligendo felicior fuit Peregrinus: verba Itinerarii hæc ſunt (*c*)

Item

[*a*] De Campania Felice Diſſert. 1. c. 8. edit. latinæ ex verſione Dukeri tom. 1x. p. 2. Theſaur. Antiq. & Hiſtor. Ital. Burmanni. Lugduno Batav. 1723.

[*b*] Poſt ep. x1. lib. v111. ad Attic.

[*c*] Ex Florentina edit. ann. 1526. quam curarunt Heredes Junctæ poſt Pomp. Melam, & Jul. Solinum pag. 135.

Digitized by Google

Item a Capua Equo
Tutico M. P. LIIII. ſic
Ubi Campania limitem habet
Caudis M. P. XXI:
Benevento M. P. XI.
Equo Tutico M. P. XXI.

ad quem locum Peregrinus: *Si igitur in loco, qui appellabatur ad equum Tuticum* (quod juxta Cluverium, ipſumque Peregrinum nunc eſt Arianum) *tum limes erat Campaniæ, qui a Caudio, Urbe ſecundæ Regionis Auguſti, in qua Hirpinorum fines continebantur, diſtabat triginta millibus paſſuum, & amplius, ecce jam extenſionem ſitus, & nominis ejus, quam ab Hadriano profectam dicebamus*: At hominem alioqui perſpicaciſſimum heic dormitaſſe, aut potius opinionis ſuæ tuendæ ſtudio abreptum cœcutiſſe quis non videt? Statuit enim Equum Tuticum eſſe Campaniæ limitem contra fidem ipſiuſmet Itinerarii, ex cujus verbis limes ipſe Campaniæ non Equo Tutico, ſed Caudis diſertè deſignatur: illud enim: *Ubi Campania limitem habet*: non conjungitur Equo Tutico, ſed ad Caudium, quod proximè ſequitur pertinere omnino videtur; quod, ut clarius pateat, Itinerarii locus membratim explicandus erit: Primùm igitur demonſtrare vult integrum iter, quo Capua Equum Tuticum pervenitur, ejuſque diſtantiam M. P. LIIII. eſſe docet; deinde iter ipſum per plures manſiones dividit, quas cum enumerare incipiat, addit particulam *ſic*: ac poſtea ſequitur: *Ubi Campania limitem habet: Caudis M. P.* XXI. ideſt a Capua uſque ad limites Campaniæ, ſcilicet ad Caudium M. P. XXI. At clara ſatis res eſt; neque aliter intelligendum eſſe hunc Itinerarii locum, Itinerarium ipſum alibi docet, nam (pag. 170.) cum rurſus iter ab Urbe Roma Beneventum tum viâ Præneſtina, tum Lavicana demonſtrare inſtituat, per Theanum, Allifas, Teleſiam, Samniticas Urbes, Beneventum uſque deducit, itaut in ipſo Samnio jam conquieſcat (a).

An vero Itinerarium ipſum ab ea Regionum diviſione, ſituque diſcrepaſſe potuit, quæ poſt Hadriani ævum viguiſſe conſtat? Certe Ptolemæus, qui paulo poſt Hadrianum, & Antoninum floruit, non ſolum Campanos, Samnites, Hirpinoſque ſuis finibus diſtinctos nobis exhibet, ſed uniuſcujuſque regionis Urbes, quæ ſuo ævo fuerint, adhuc enumerat. Præſtat, eundem inſignem Geographum iterum audire ex l 3. c. 1. ubi de Italiæ ſitu agit.

Samnitum civitates, qui ſub Pelignis, & Caracenis ſunt.
Bivannum (lege Bovianum)
Eſernia
Sepinum
Allifa
Tuctium
Teleſia
Beneventum

Cluſium

[a] Ac de Antonini Itinerario abſoluta mihi res erat, quum poſtea fors fuit, ut in cap. v. Diſſert. 2. Peregrini inciderem, ubi is de Campaniæ limitibus orientem verſus & Septentrionem agere inſtituit; ac cum ad eam rem ſtatuendam Antonini Itinerario ſibi utendum denuò eſſet, lætari ſimul mihi ſubiit, eam, quam ipſi Itinerario dedi explicationem, a Petro Bertio probatam inveniſſe, ſed mirari adhuc ejuſdem Peregrini pertinax obſtinatumque in ſententia ſemel prolata ingenium: *Videamus jam* [inquit] *anne credendum ſit Antoninum in Itinerario ſuo deſcribentem iter a Capua ad Equum Tuticum, & ipſum quoque limitem Campaniæ Felicis poſuiſſe ad Caudium; meque in Diſſertatione præcedenti minus recte verba ejus accepiſſe: atque hæc debuiſſe diſtingui ita, ut diſtinxit illa Petrus Bertius in editione hujus Itinerarii una cum aliis Itinerariis antiquis, & Ptolemæi Geographia ad hunc modum*:

Iter a Capua Equum Tuticum M. P. LIII. ſic.
Ubi Campania limitem habet Caudium M. P. XXI.
Beneventum M. P. XI.
Equum Tuticum M. P. XXI.

& certe Bertium non alia fuiſſe opinione de mente Antonini oportet: verum ego huic opinioni ſubſcribere non poſſum: At videamus quid illud fuerit, quare Peregrinus a ſua ſententia, quam in Diſſert. 1. pronunciavit, diſcedere nefas ſibi duxerit: Plena pagina id in ſumma contendit, in eo Itinerarii loco variantes lectiones adeſſe, eaque verba: *ubi Campania limitem habet*: a poſteriore manu eſſe, ac poſtmodum in Itinerarii textum irrepſiſſe ſibi videri; propterea quod inſuetum fuerit, neque neceſſarium ejuſmodi Itinerario Regionis Campaniæ limites ex ea itineris parte recenſere, quod neque in aliis ejuſdem Campaniæ finibus, neque in aliis Italiæ regionibus præſtitit. Quanti habendæ ſint hæ Peregrini rationes, facile liquet: Id dumtaxat animadvertam, hiſce rationibus non Bertii opinionem, ſeu potius veriſſimam Itinerarii locutionem, ſed ſuam imò ſententiam, quæ in Diſſert. 1. ejus Itinerarii fide præcipuè innixa fuit, ipſummet Peregrinum, nolentem licet, manifeſtè reprobaſſe.

Digitized by Google

Cluſium (*lego Claudium, nam non eſt aliud Cluſium niſi Hetruriæ, quæ ad Samnites nullo modo pertinet*)
Campanorum mediterraneæ Civitates
Venafrum
Theanum
Sveſſa
Cales
Caſilinum
Trebula
Forum Populi
Capua
Abella
Atella
Hirpinorum Civitates
Aquilonia
Abellinum
Æculanum
Fratuolum &c.

Atque hùc quidem pertinere omnino videtur antiquus Lapis ille, quem Diſſertationi 1. hujus Voluminis præfixum multis obſervationibus illuſtravi ; eum lapidem Beneventana Colonia Juliæ Auguſtæ Imp. Cæſaris Septimii Severi dedicavit *In Territorio ſuo quod cingit etiam Caudinorum Civitatem muro tenus* : Cum itaque limites *Beneventani* Territorii Septimii Severi ævo, qui haud ita longe ab Hadriano imperavit, Caudinorum uſque Civitatem extenderentur, vix dubitari poteſt, quin illuc uſque Samnii ſimul Regio ſuos fines proferret, quos ſtatim Campania excipiebat, quæ Caudinis Furcis terminabatur : Non enim *Agri*, ſed Territorii vocabulum lapis adhibuit, ut exinde intelligeretur utriuſque vocis diſcrimen, de quo l. l. diſſerui ; ac propterea quùm non ibi Agrorum, qui ad privatos Cives Beneventanos pertinerent, ſed *Territorii*, in quo Magiſtratus Beneventanus juriſdictionis exercendæ poteſtatem haberet, limites indicati fuerint, diverſa omnino a Campaniæ regione ea locorum ſpatia, quæ cis Caudium jacebant, fuiſſe oſtenduntur, ac profectò ad Beneventanam Coloniam ita pertinere videbantur, ut veterem Samnii regionem, cujus ipſa Metropolis erat, antiquis ſuis finibus adhuc continerent ; Antiquos autem eoſdem fines appellavi, quos Natura ipſa, ut Italiæ a Galliis diſterminandæ, ita Samnio a Campania ſejungendæ conſtituiſſe veluti videtur, montes nempe eos, quos *Samnitibus* attribuens *Circum Campaniam jacere* ait Strabo lib. v., quorum etiam unum eodem, quo hodiedum vocatur nomine *Taburnum Samnitum Oliviferum* commemorat Vibius Sequeſter ; quos intra montes illæ locorum anguſtiæ ſunt, Furcæ Veteribus nuncupatæ, intercepti olim, atque ab Samnitibus Romani Exercitus ſub jugum miſſi memoriâ celebres, ibique Caudium, quod hodie *Arpajam* vocant, ſtetiſſe ſatis conſtat ; Eos autem fines poſt Hadrianum integros Samnio ſtetiſſe Ptolemæi cum Itinerario Antonini conſenſus, qui viciſſim illuſtrantur, manifeſtè probat, ut proinde Beneventana Colonia, quæ in lapide Juliæ Auguſtæ dedicato ad Caudium uſque ſui Territorii fines pertingere declaravit, haud alios certe, quàm qui Samniticæ Regionis fines eſſent, expreſſiſſe videtur.

Atque hæc ſatis eſſe videntur, ut Peregrini argumenta, quibus is ad Equum Tuticum, ſeu Apuliam Campaniæ limites poſt Hadriani ævum prolatos contendebat, inania eſſe, ac erronea demonſtrarem ; ſed pergit adhuc Peregrinus, ac novo ad eandem rem probandam argumento uſus, Beneventanam Urbem aggreditur ; Eam a Samnio divulſam, ac finitimæ Campaniæ aliquando adjudicatam affirmans prolatos exinde ipſius Campaniæ, quæ Beneventum complecteretur, fines liquere jam credit. Plura ſunt quæ ad id peculiare argumentum confirmandum proferre ſategit Peregrinus : A levioribus ordiar : nam *Campanam* Beneventum ab Auſonio appellatam refert in carmine, quod de iis, qui ſexum mutaverunt, conſcripſit : ſic enim Auſonius.

Nec ſatis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus Epheborum virgo repente fuit.

Eandem etiam fuiſſe cauſſam addit, cur Stephanus Byzantinus duplex Beneventum ſtatuiſſe, alteram Samnii ab Diomede conditam, alteram Campaniæ, deceptus, inquit, quod ſequiori ævo Beneventum in Campania extitiſſe legerit, quam ex vetuſtioribus Scriptoribus in Samnio locatam deprehenderat, itaut duas eas Urbes fuiſſe putaverit : Ad Stephanum quod attinet, vix eſt, ut ea fuiſſe cauſſa putetur, ut ob mutatos cohærentium Regionum limites ex una duas Urbes tam oſcitan-

Digitized by Google

ter effecerit; Ausonio verò quæ fides? eo epitheto uti is potuit pro Poetæ more, satisque Beneventó accomodari posse credidit, quæ juxta Campaniam posita erat.

Graviora illa erunt, quæ de binis Januariis Beneventi Episcopis ad rem suam argumentatur Peregrinus: De Priore hæc habet: *Ita enim Beneventanus ille Episcopus, & Martyr S. Januarius, una cum aliis Sanctis Martyribus antiquioris Campaniæ, imperante Constantio ad mortem fuerunt damnati ab uno, eodemque Judice, seu Præside Timotheo: atque istud non intelligens Caracciolus multum negotii habuit, ut investigaret aliam hujus rei caussam*: Caussam igitur satis certam inveniisse putat Peregrinus, quod Beneventana Urbs tum ad Campaniam pertineret, atque inde factum fuit, ut cum de atrocioribus criminibus [quæ tum Christianæ fidei professio putabatur] quæstio habenda esset, Beneventani ad Campaniæ Præsidem deferebantur: At si solis conjecturis res transigenda esset, facile Peregrinus rem ipsam divinasset; sed conjecturis jam nullus erit locus, ubi certa adsunt monumenta, Peregrino nunquam perspecta, ex quibus ejusce rei caussam manifestam omnino habemus: quæ autem ea fuerit, ut Beneventanus Episcopus ad Campani Præsidis Tribunal duceretur, diserte docent tum Bedæ Martyrologium, tum Acta sincera S. Januarii, quæ nuper exhibuit V. C. Mazochius ad finem tom. 1. Comment. in Marmoreum Kalend. Neapol.: non enim Timotheus, aut potiùs Dracontius (ut præfata monumenta habent) Campaniæ Judex Apparitores suos Beneventum misit, ut ex ea Urbe Sanctum Episcopum vinctum ad se traherent, aut certe Episcopus ipse a Beneventano Magistratu fuit traditus Campano Judici, ut in eum animadverteret, sed fors fuit, ut Episcopus ipse tum in Campania versaretur, quò contenderat, ut S. Sosium Misenatem Diaconum familiaritate sibi junctum, atque in carcerem jam detrusum ad martyrium constanter subeundum adhortaretur: Bedæ hæc sunt: *Et post non multos dies idem Diaconus* (Sosius) *tentus, & in carcerem missus est; ad quem visitandum cum venisset Episcopus* (Januarius) *cum Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio, & ipse cum eo simul tentus, ac pariter omnes cum aliis tribus occisi sunt*: Acta verò mirificè cum Beda concordant in hunc modum: *Detruso itaque Sosio in ardua custodia carceris à militibus custodiebatur; quod cum B. Januarius reperisset, quia B. Sosius Diaconus carceri fuerat mancipatus, statim ad carcerem cum Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio, ut eum consolaretur, perrexit; & ingressus ubi tenebatur in vinculis, dicebat: quare sine caussa tenetur homo Dei in carcere? statim milites, qui custodiebant Carcerem, nunciaverunt Judici..... mox ut hoc audivit Judex jussit eos teneri &c.* Utriusque monumenti verba ipsa recitare necesse fuit, ut dum veram rei caussam compertam haberemus, falsa, quam nobis is obtrudebat, Peregrini conjectura ostenderetur: non igitur mirum, si Campanus Judex hominem jurisdictioni suæ haud origine subditum, sed tamen intra Campanæ regionis fines in eo, quod putabant, gravissimo facinore deprehensum, propterea que ratione (ut ajunt) delicti mox subditum effectum, ac præterea ad interrogationes sibi factas Christianum, atque Episcopum se constanter profitentem suppliciis affecerit, ac capite demum damnarit.

Ad posteriorem Januarium quod attinet, qui Sanctitate celebris Beneventanam Ecclesiam sub quarti sæculi medium rexit, cum is Concilio Sardicensi anni 347. ubi interfuit, in hanc formam subscripserit: *Januarius a Campania de Benevento*: exinde probari etiam credit Peregrinus Beneventum ad Campaniam eo tempore pertinuisse, quam Januarius uti Regionem, seu Provinciam, in qua sua Episcopalis Urbs continebatur, in ea subscriptione expressam voluit. Verùm non genuina incorruptaque Concilii Sardicensis Acta inspexisse debuit, aut certè dissimulavit Peregrinus, qui eam subscriptionem in mendosis ejusdem Concilii exemplaribus, sivè potiùs fragmentis fortasse nactus, satis habuit ex ea qualecumque suæ sententiæ præsidium comparasse. At ne Peregrinus nobis, ut Ughello, aliisque hactenus, sivè potiùs fragmenta eadem, ut ipsi olim Peregrino, ita aliis imponant, quid de illis sentiendum sit, jamdiù Viri docti judicarunt: Exhibet post Acta ejusdem Concilii Sardicensis, quæ illius circumferebantur fragmenta V. C. Labbeus ex veteri MSS. Justelliano, quibus etiam ex aliis S. Hilarii fragmentis adjecit nomina, subscriptionesque Episcoporum, qui eidem Concilio interfuere, in quibus tot ferè menda, quot verba numerare est (a); adeò ut nonnisi infimi Ævi fœtus appareat, quem sciolus quispiam ex lutulentis fontibus hauriens, lutulentiorem adhuc barbarie sua effecerit, multaque in eo, quæ Episcopales Urbes, earumque Provincias spectant, ex proprio ingenio interpolaverit: Apage igitur nugas hasce: dum integra ipsius Concilii Actorum constat fides, ex quibus nihil tale legere

[a] Harum subscriptionum Auctorem plura sunt, quæ falsitatis manifestè redarguant; nam missis mendis, quibus nomina ferè omnia deturpavit, plurimos exhibet Episcopos, qui vel solius Episcopalis Urbis, vel solius Provinciæ adjecto nomine designantur: Sic Calepodius Episcopus Neapolitanus prætermissa Episcopali Urbe solius Campanæ Provinciæ nomine notatur, ita. *Calepodius a Campania.*

Digitized by Google

legere eſt, quod ex fragmentis illis nobis obtrudebat Peregrinus: Ac primùm S. Januarium II. Beneventi Epiſcopum Sardicenſi Concilio interfuiſſe ſatis liquet tum ex ejus genuina ſubſcriptione, de qua mox agemus, tum ex cap. XVIII. (non verò VIII., ut Ughellus, aliique perperam habent) ipſius Concilii, ubi illius Sanctionis promulgandæ auctor fuit, qua Epiſcopis omnibus, alterius Civitatis, Eccleſiæve Clericos ordinare interdictum fuit: An verò is Julii Romani Pontificis in eo Concilio Legationem obiverit, dubitarunt plerique (*a*): Quibus autem conceptis verbis inter alios Epiſcopos ſubſcripſerit, eadem Concilii Acta nos tandem docent, in quorum fine inter aliorum Epiſcoporum ſubſcriptiones quinto loco ſic legitur: *Januarius Epiſcopus Beneventanus*: ubi nihil de Campania, quam, ne Amanuenſium oſcitantiâ prætermiſſam ſuſpiceris, deſiderabis etiam in ſubſcriptionibus Vincentii Epiſcopi Capuani, ac Calepodii Epiſcopi Neapolitani, ut proindè jam conſtet nullum eorundem Epiſcoporum de addenda Provincia fuiſſe ſollicitum; quamquam verò poſteriores hoſce ad Campanam Provinciam pertinuiſſe aliunde exploratа res ſit, ſatis tamen nobis erit nullam Campaniæ mentionem ſubſcriptioni ſuæ Januarium Beneventanum Epiſcopum adjeciſſe, ut exinde Peregrinum nullo pacto audiamus, qui amplius ex ejus Epiſcopi Beneventani ſubſcriptione Beneventum intra Campaniæ fines aliquando concluſam falsò conjiciebat.

Tantùm verò abeſt, ut circa ea tempora Epiſcopatus Beneventanus cum ſua Urbe ad Campaniam pertineret, ut vel ipſe Peregrinus, quod certè mireris, Beneventum ipſum Metropolim fateatur, *cui etiam an Campana Eccleſia ſubjecta tum fuerit, ignorare ſe dicit* (*b*): Poſtquam enim S. Paulini Nolani Epiſcopi epithalamium expendiſſet, quo is nuptias filiæ Æmilii Beneventani Epiſcopi cum Juliano filio Memorii Epiſcopi Eclanenſis ſeu Fricentini celebrare inſtituens, Æmilium patrem, & fratrem Memorii, Memorium vero filium, & fratrem Æmilii viciſſim appellat, hæc ſubdit: *Memorius ibi appellatur Frater, & Filius Æmilii, quibus verborum figuris denotatur Epiſcopalis ejus dignitas inferior Æmilii dignitate, qui ejus erat Metropolita, prout hodieque Beneventana Eccleſia Metropolitana eſt Fricentina: Verum eandem Campanæ quoque Eccleſiæ fuiſſe unquam Metropolitanam, illud equidem ignoramus*: Hactenus Peregrinus (*c*), quem nollem ita ſtatim ſuimet oblitum, ut ſuis ipſe verbis Beneventanis conjecturam tribuat, quâ aliquando Metropolis jura in Campaniam ſibi ſubditam habuiſſe contendant: At non ego tam facile de ea re Beneventanis blandiendum velim, quibus ſatis erit eo Peregrini argumento hoc ſibi certum ſtatuiſſe, ſui ſcilicet Samnii Metropolim Beneventum tum fuiſſe; ex quo profecto manifeſtum illud conſequitur, nullo pacto ad Campanam Provinciam pertinuiſſe Beneventum, quæ ſuæ Gentis, univerſi ſcilicet Samnii Metropolis haberetur.

Metropolim autem Eccleſiaſticam Samnii (nam de Civili mox quoque) Beneventum per eam ætatem fuiſſe, præter conjecturam, quàm S. Paulini locus, ipſo Peregrino interprete, modo ſuppeditavit, plura ſunt, quæ adhùc probant: Ac primùm illud cum Petro de Marca (*d*) obſervabimus,

[*a*] Præter Hoſium Epiſcopum Cordubenſem, ac præterea Archidamum, & Philoxenum Rom. Eccleſiæ Presbyteros, ejuſdemque Eccleſiæ Diaconum Leonem, alios Legatos ad eam Synodum Sardicenſem a Pontifice miſſos negavit P. Lupus in Diſſert. de Syn. Sardic. cap. 2. quam poſt illius Synodi Acta adjecit tom. I. p. 315. edit. Venet.: Hinc non ſolum Hincmarum Epiſcopum Remenſem, qui Vincentium Capuanum, & Calepodium Epiſcopum Neapolitanum Legatos ejus Synodi, ſed etiam Gratianum, qui Januarium Beneventanum eodem munere tùm functum recenſuit, non audiendos putat: Doctiſſimi Viri judicium non heic expendere locus, neque otium: Gratiani verba recitaſſe ſatis erit, quæ in Decret. diſtinct. 26. Can. ſexta Synodus ſic ſe habent: *Quarta Synodus Sardicenſis, in qua Patret* LX. *ſtatuerunt Canones* XXI. *quorum Auctor maximè Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Vincentius Capuanus, & Januarius Beneventanus, & Calepodius Neapolitanus S. Rom. Eccleſiæ Legati extiterunt*. Sed non unius Gratiani teſtimonio res conſtat, quam probant etiam eorundem Epiſcoporum ſubſcriptiones, quas in ms. Codice antiquo ejuſdem Synodi reperiri obſervat P. Labbeus in hunc modum: *Vincentius de Capua Legatus S. Eccleſiæ Romanæ: Januarius de Benevento Legatus Eccleſiæ SS.: Calepodius Neapolitanus Legatus Eccleſiæ SS.*: In quibus ſubſcriptionibus id etiam notare ſubit, nullam quoque Campaniæ mentionem fuiſſe adhibitam.

[*b*] De origine Metropolis Eccleſiæ Beneventanæ videſis V. C. Dominici Georgii Diſſertationem Epiſtolarem, editam Romæ 1725. ubi illud præclarè probat, Beneventanos Præſules a prioribus ſæculis revera poteſtate Metropolitana functos eſſe, & Metropolitani non quidem nomine, ſed juribus uſos; quod ſane nomen a Joanne XIII. tandem aſſecuti, primi [quod fruſtra Capuana Eccleſia ſibi proprium jactabat] in ſuburbicariis regionibus Metropolitani titulum, atque inſignia obtinuerunt.

[*c*] Ex eo S. Paulini loco, aliiſque præterea ejus ævi monumentis jamdiù morem invaluiſſe rectè notat Peregrinus, ut Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi *Patres* ſuorum ſuffraganeorum appellarentur, atque hi viciſſim illorum *Filii*: ut mihi de doctiſſimo Mabillonio mirari jam ſubeat, quod in Præfat. ſæcul. v. Benedict. num. 22. ideſt Chriſtiano ſæculo x. Fulconem Remenſem fuiſſe ſtatuat primùm, aut certè inter primos, qui ſuæ Metropolis ſuffraganeos Filios appellavit.

[*d*] De Concord. Sacerd. & Imp. lib. I. c. 7. §. 4.

Digitized by Google

vabimus, Urbîcariam Diœceſim, quæ Regiones quamplures, ſeu Provincias intra ſuos fines continebat, Romano Pontifici immediatè quidem paruiſſe, ſuos tamen Metropolitanos habuiſſe Epiſcopos, qui reliquis uniuſcujuſque Regionis, Provinciæve Epiſcopis præeſſent. Jure ipſo id profectò mandante fieri oportebat, quod ſpeciatim promanabat tum ex can. v. & vi. Nicenæ Synodi, tum ex Innocentii, & Leonis decretis, qui omnes ſingulis quibuſque Provinciis Metropolitanum præficiendum ſanxerunt: Re autem ipſa ita factum fuiſſe demonſtrare pergit Vir doctus, atque ejuſdem Urbicariæ Diœceſeos Provincias enumerare inſtituens, *Campaniam* ſcilicet, *quæ a Conſulari, Samnium, quod a Præſide regebatur, Apuliam cum adjuncta Calabria, quæ Correctori ſuberat, & Brutiam cum Lucania, quæ alteri Correctori parebat*, quæ in hiſce Provinciis omnibus Metropolitanæ Epiſcopales Urbes fuerint veterum monumentorum fide, Scriptorumque teſtimonio demonſtrat, ac quod Samnium attinet, *Beneventum ejuſdem Regionis primariam Urbem* Metropoleos jure inſignem fuiſſe decernit: quam quidem ſententiam præclaro adhùc argumento confirmare nunc ſuppetit: Neque enim, quod in aliis univerſi Imperii Provinciis omnibus ſervatum novimus, ut Eccleſiaſticæ Metropoles antiquis, quos cuique olim Provinciæ Principes ſtatuiſſent, terminis definirentur, id in Urbicaria Diœceſi immutatum fuit, itaut plures ipſas, quas modo recenſuimus Provincias, propterea quod uni Rom. Pontifici immediatè ſubderentur, in unam coaluiſſe Provinciam ſuſpicari liceat; nam eandem ipſam Urbicariam Diœceſim in veteres Civiles Provincias diſtinctam nobis omnino exhibet S. Leo PP. in Epiſt. 80., quæ ſcripta legitur *Univerſis Epiſcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutis*: Ex quo illuſtri monumento habes jam in Urbicaria Diœceſi manifeſtum Provinciarum diſcrimen, diſtinctos fines, diverſa jura, itaut qui ſingulis iis inter ſe diſcretis Provinciis continerentur Epiſcopi, cum ſine ſuo peculiari Primate eſſe nequirent, ut alii alium, ita Samnites Epiſcopi Beneventanum Epiſcopum Metropolitanum agnoviſſe debebant.

At cum de Eccleſiaſtica Samnii Metropoli (quod non ita obvium fuerat) ſatis conſtare videatur, ad Civilem modo redeo; atque ſi Samnium poſteriori ætate ſtetiſſe, imò ipſum ſuo nomine, ſuoque jure Samnium inter reliquas Italicas Regiones ſuum quoque Civilem Magiſtratum obtinuiſſe probavero, confecta res erit, ut neque illius, quaqua olim proferebantur fines unquam fuerint imminuti, neque ab ea Regione Beneventum divulſa unquam extiterit: Quamvis autem ex utraque tum Hadriani, tum Conſtantini diviſione, Regionumque Italicarum forma ab ipſis inſtituta manifeſta res videri poſſit, adhùc tamen præclara alia præſto ſunt, quæ Samnium inter reliquas Italiæ Regiones ita referunt, ut integros, incolumeſque ejus fines perpetuò ſervatos oſtendant: Poſt Hadrianum itaque, ante verò Conſtantinum de *Correctore Samnii* cum aliis ſimul Provinciis locupletem habemus teſtem Trebellium Pollionem in xxx. Tyrannis, nam Tetricum, quem inter xxx. vigeſimum ſecundum numerat, Correctorem totius Italiæ ab Aureliano factum refert, ideſt (inquit) *Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, atque Umbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omniſque annonariæ Regionis*: At poſt Conſtantinum ſtetit quoque Samnii Provincia, ut ex Caſſiodoro diſcimus, cujus, dum Præfecti Prætorio munere fungeretur, binæ extant Epiſtolæ (*a*), altera ad Anatolium *Cancellarium Provinciæ Samnii*, altera ad Lucinum *Cancellarium Campaniæ*, ut jam demum liqueat, nihil inter utramque Provinciam commune tum fuiſſe, quarum altera ab altera ſuis antiquis diſtincta finibus, propriis etiam Magiſtratibus ſeorſim regebatur.

Licebit tandem Procopium audire, cujus teſtimonio non ſua tantum ætate, ſed quæ a primis uſque temporibus Italicarum Regionum ſitus, numeruſque fuerit, præcipuè illuſtratur: Is itaque, cum Italiæ Regiones deſcribere inſtituat, ſic orditur: *Intra Jonicum Sinum imprimis Hydruns oppidum eſt: huic verò a dextra Calabri, Apuli, Samniteſque ſunt, & his quidem finitimi ſequuntur Picentes ..... ad lævam deinde in partem & Calabri, Brutiique præterea, Lucanique habitant, poſt hos Campani Terracinam uſque pertingunt, quos ſtatim Romanorum termini ſubeunt* (*b*). Habes primo loco inter Ciſtiberinæ Italiæ Regiones Samnium recenſeri, quæ Regio Apulis adnectitur, quorum fines pertingebat: atque heic non abs re obſervabimus, eandem omninò Procopii ætate Samnii Regionem nobis repræſentari, quæ intra ſuos primævos, nativoſque fines continebatur, ut nempe inter Apuliam, Campaniam, Picenumque concluderetur: Fuit enim haud ſemel, ut Samnites ſuæ Regionis, dominationiſque terminos latius proferrent; cujus tamen rei tria tempora erunt diſtinguenda, quorum ſi media tantum demas a Procopio ſpectata, prima, atque extrema Samnium ipſum latiſſimè ultra ſuos conſuetos fines effuſum nobis exhibent; Priora intelligemus tempora, quæ & ipſius Romanæ Reipublicæ exordia fuere, extrema verò, quæ Rom. Imperii occa-

[*a*] Variar. lib. xi. cap. 36. & 37. [*b*] De Bello Gothic. lib. i. pag. 273. edit. Baſilee 1576.

Digitized by Google

occaſum ſpectant; quod igitur priora illa attinet, veteres Samnites vicinam Campaniam armis aggreſſos, eandem ſibi ſubjeciſſe diſertè tradunt Strabo (*a*) atque Livius (*b*), itaut præcipuæ Campanæ Urbes quum victoribus omninò ceſſiſſent, in iiſque Samnites ſedem, domiciliumque collocaſſent, jam *Samniticæ* dicerentur, Samnioque dominanti adjectæ fuerint; In his ipſa Campaniæ Urbium caput Capua Samnites accepit dominos, a quibus capta, diù etiam in poteſtate detenta fuit, donec Romanorum ope a Campanis impetrata, conflatoque Samnitico, quod ad quinquaginta ferè annos continuò exarſit, cum Romanis bello, ſatius Samnitibus fuit antiquos Regionis ſuæ fines repetiiſſe, intra quos non ſolum adverſus hoſtium conatus tutiores eſſe poſſent, verùm etiam in ipſa Imperii ſede collectas ſimul vires paratiores haberent, ac felicius explicarent: atque hæc quidem priori ætate Samnitici Imperii, Regioniſque amplitudo: ſed rurſus extrema, quam diximus, ætate, ſuis egreſſa finibus Samnitica Gens univerſas penè Ciſtiberinæ Italiæ Regiones in ſuam ditionem redegit: Longobardico enim Ducatu inſtituto, mox Beneventana Urbs, quæ illius nobiliſſima ſedes delecta fuit, *Caput* quoque (ut rectè a Paulo Diacono appellatur) & Metropolis Provinciarum circumjacentium evaſit: Rem de quâ diſſerere neque hujus temporis eſt, neque loci, leviter heic attigiſſe opus fuit, ut qui fuerit diverſis temporibus Samnii ſtatus, ob oculos haberi poſſet: Reliqua modo eſt, de quâ tamdiù quærimus, illa ætas, quæ inter Samniticum cum Romanis bellum, ac Longobardorum in Italiam adventum media fuit, in quâ Samnites ſuos intra fines, quos ſibi initio ſtatuiſſent, ſeſe continuiſſe ſemper, non inviti fatemur, at ſuæ Regionis parte aliqua mulctatos aliquando, omnino negamus: Quid enim? Cum Procopius Samnii Regionem inter Apulos, Campanos, Picentinoſque ſitam nobis exhibeat, qui ſanè proprii nativique Samnii fines extitere, an, ſi unquam Samnium ante Procopii ætatem aliqua parte imminutum fuerit, novam comminiſcemur recentioris deſcriptionis formam, quâ demum, dum Procopius ſcribebat, redintegrati Samnio fines invenirentur? At fruſtra novam eam quærimus formam, dum ex prioribus Hadriani, & Conſtantini deſcriptionibus nihil immutatum habeamus tum de Samnii, tum de aliarum Italicarum Regionum ſtatu, quæ cum ipſo Samnio in utriuſque Auguſti formâ ſigillatim recenſentur; nam quod Hadrianus quatuor Conſulares univerſæ Italiæ adminiſtrandæ delegerit, non rectè ſequitur, univerſam quoque Italiam in quatuor Regiones diviſam, ſed ſingulas, quotquot antea numerarentur, in ſuo priſtino ſtatu ſervatas, inter quatuor eos Magiſtratus fuiſſe diviſas; itaut non Regionum numerus, atquè ſtatus, ſed Magiſtratuum dumtaxat forma brevi eo temporis intervallo variari contigerit.

Quod ſi integri ſemper, incolumeſque Samnii fines fuiſſe jam conſtat, nulla profectò erit cauſſa, ut Beneventum Samniticarum Urbium nobiliſſimam ab ſuo Samnio aliquando divulſam vel leviter ſuſpicemur: Atque hoc ſanè argumento explorata demum res, atque omnino manifeſta erit, quam multis etiam ſuperius illuſtrare ſategeram: utque omnia uno demum verbo concludam, quæ in Samnio erat, dum primùm Colonia ab Romanis deducta fuit, ſequutis ſæculis intra ejuſdem Samnii fines tum Strabo, tum Ptolemæus, tum denique ipſum Antonini Itinerarium concludit; quibus (ne ſequioris ætatis teſtis deeſſe videatur) addendus nunc erit idem Procopius, qui (*c*) hoſtiles Totilæ per Ciſtiberinam Italiam excurſiones narrans hæc habet: *Amne Tiberino tranſmiſſo, non tamen Urbis ingreſſus confinia, ad Campanos, & Samnites divertit; Beneventum inde munitiſſimum oppidum nullo in poteſtatem labore redegit, ejuſque muros ad ſolum mox diruit, ne forte exercitus aliquis ex Byzantio eò ſe conferens, ut è loco munito, in Gothos impetu facto, negotium*

[*a*] Strabonis verba ex Geogr. lib. v. hæc ſunt: *Præterea Sueſſula, Abella, Nuceria, Atella aliaque bis etiam minora oppida, quorum nonnulla Samnitibus attribuunt: Prioribus ſanè annis Samnites in Latium, & Ardeam excurſionem facientes, cum deinde ipſam egiſſent, tuliſſentque Campaniam, latè Imperium obtinebant, quippe Campani alioqui Domin.is parere aſſueti, facile imperata faciebant.*

[*b*] Non uno loco id tradit Livius, ac primùm lib. 4. C. Sempronio, ac Q. Fabio Coſs. ideſt an. v. 331. *Peregrina* [inquit] *res, ſed memoratu digna traditur eo anno facta; Volturnum Etruſcorum Urbem, quæ nunc Capua eſt, a Samnitibus captam*; Captam autem Samnites adhuc retinebant in Conſulatu M. Papirii, & C. Nautii nempe an. v. 343. quo anno hæc narrat Livius: *Superbè a Samnitibus, qui Capuam habebant Cumaſque Legati prohibiti Commercio ſunt*: Hæc, aliaque in Livio vidit Peregrinus, qui in Camp. fel. Diſſert. 4. cap. XI. multum in eo laborat, ut Livium nobis mendacem oſtendat; ſed quàm feliciter ſibi res proceſſerit, audire præſtabit ex Cl. Dukero ejus interprete (tom. 9. part. 2. Theſaur. Burmann.) *Miror* (inquit) *ſane noſtrum, qui heic, & alibi quoque nonnunquam illud egiſſe videtur, ut Livium nobis contemptum, & negligentiæ, ſivè ſtupiditatis ſuſpectum redderet, neque ipſe animadvertit, quàm parum ſæpe procedant ipſius Conjecturæ, notæque Cenſoriæ*: & paulo poſt: *Non neceſſe habebat Peregrinus hujuſmodi jejunis cavillationibus inſectari Livium &c.*

[*c*] De Bell. Goth. lib. 3.

Digitized by Google

tium his exhiberet: Beneventum itaque non Campanis, quos primo loco memoravit, ſed Samnitibus attribuit Procopius, poſtquam enim ad Campaniam primùm, deinde in Samnium diverterit Totilas, munitiſſimam ejuſdem Samnii Urbem Beneventum in ſuam redigere poteſtatem curavit.

Sed de his hactenus diſſeruiſſe ſufficiat; in quibus neque fuſiùs, quàm res poſtulabat, me egiſſe, neque operam perdidiſſe æquus Lector fortaſſe judicabit: Quum enim de politicis Veterum Beneventanorum Magiſtratibus agere propoſitum mihi fuiſſet, haud Municipales dumtaxat exequi debebam, ſed ad plenam, perfectamque rei tractationem eos etiam adjicere conſentaneum viſum fuit, qui Principis beneficio, ſeu *Vice Sacra* (ut ſequior ætas loquebatur) Juriſdictionem, ſeu Imperium in noſtris Regionibus exercere conſuerunt: Præterea quum Samnio (quam Provinciam ſemper viguiſſe, ſuiſque antiquis finibus nunquam defeciſſe oſtendendum fuit) ex utraque Hadriani, ac Conſtantini forma, aliiſque monumentis peculiarem Magiſtratum præfuiſſe probaverim, illud quoque neceſſarium conſequi videbatur, ut ab ejuſdem Samnii finibus nunquam (quod ab aliis perperam traditum inveneram) Beneventum abſceſſiſſe, ſed in ea Regione perpetuò manſiſſe demonſtrarem; atque ita tandem ſciremus non Campaniæ Conſularibus, ſed ipſius Samnii Correctoribus, aut Præſidibus Beneventum paruiſſe.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

De Veteribus Collegiis Beneventanorum.

CRESPINI
C. VIBIO CRISPINO AB AVO ET MAIORIBVS COLLECIVM CIVITATIS PATRONO COLLEGIVM MARTENSE VERZOBIANVM.

QUUM juris publici partem aliquam attigisse Collegia videantur, quippe quæ Privatorum licet cœtibus constarent, legitimè tamen instituta, quasdam veluti particulares, parvasque Respublicas in ipsa principe Republica repræsentarunt, æquum erit, post exactam Beneventanorum Magistratuum materiam, de ipsis Collegiis, quæ Beneventi, pro ejus Urbis dignitate, frequentissima olim fuere, sermonem instituere. Præstat autem pleraque generatim de Collegiis observasse, quæ tum opportunè explicandis, tum etiam luculentiùs illustrandis vetustis Beneventanorum Collegiorum monumentis viam sternere, ac quodammodo lucem præferre videantur.

Jus, nomenque Collegii in omni personarum statu, omnique de re, quâ Resp. privatim, publiceque componebatur, olim obtinuit: Nam in Sacrorum, cæterorumque, quæ ad Religionem pertinerent, ministerio erant Collegia Fratrum Arvalium (*a*), Pontificum, & Augurum (*b*): Item qui publico aliquo munere pariter fungerentur; si plures essent, Collegii jure, atque nomine aliquando decorabantur, ut Collegia Senatorum (*c*) Decurionum (*d*) Quæstorum (*e*) Tribunorum Plebis (*f*) Viatorum (*g*): celeberrima autem omnium, ac frequentissima Professionum, & Artium fuere Collegia, de quibus modo differere mihi propositum erit; Eorum enim ingenti numero, & varietate factum est, ut non alia fortasse crebrior, quàm hujusce rei memoria tum ex Antiquitate universa, tum ex nostris lapidibus ad nos promanarit.

Professorum igitur, Artificumque Collegiis initio Romani caruere, quos ipsius Romanæ Gentis, Reipublicæque conditor Romulus, ne a militari disciplina, quæ præcipua tum cura fuit, averterentur, una excepta agricultura, quæ paucis pro ipsius rei necessitate committebatur, non artibus aliis, professionibusque operam dare passus fuit (*h*): Sed vel id tum fuerit Principis ingenium, quod maxime ad militiæ studium ferebatur, quo etiam solo Imperium sibi firmari, proferrique posse jam novit, vel ea fuerit temporum, civiumque conditio, vix sub Romulo susceptа,

[*a*] Plin. l. 18. c. 1. A. Gellius l. 6. c. 7.

[*b*] Cic. Orat. de Haruſp. Resp. c. item l. 2. de Natur. Deor. & Famil. 3. Epist. 9. Liv. l. 5. 29. 31. 38. Val. Max. l. 1. c. 1. Macrob. Saturn. l. 1. c. 16. atque hùc referri potest noster lapis, in hæc verba:

L. CESENNI
SOSPITIANI
EX ORDINE
HARVSPIC. LX
VIXIT ANN. XXV
PARENTES FILIO
OPTIMO.

ubi vocabulum: *Ordo*: videtur planè pro *Collegio* fuisse usurpatum; quod quidem Collegium sexaginta Viris componebatur, qui publicè Haruspicinam Beneventi facerent.

[*c*] L. 92. Cod. Thod. De Decur.

[*d*] L. 6. §. ult. D. De Decur.

[*e*] Sveton. in Claud. cap. 23.

[*f*] Val. Max. l. 6. c. 5. Liv. l. 42.

[*g*] A. Gellius l. 12. c. 3.

[*h*] Dionysius Halicarn. l. 2. p. 98.

Digitized by Google

ſcepta, cum ipſo ſimul evanuere Rom. Reip. inſtituta: Etenim Numa, Regni ſucceſſor, cum rem Romanam ſatis auctam, Populumque numerioſiorem accepiſſet, ut erat Pacis, ac Religionis ſtudioſiſſimus, omnia fere Profeſſionum, Artiumque genera a Romanis Civibus exerceri non modo permiſit, ſed quo magis ea excolerentur, in propria Corpora, ſeu Collegia ita diſtribuit, ut ſuas quibuſque Coitiones, ſuas quoque peculiares Religiones haberi voluerit (*a*). Hanc autem Numæ Inſtitutionem Reip. maxime utilem retinuere poſtmodum reliqui Romanorum Reges, inter quos Servius novam melioremque formam invexit: Ab ipſo enim [ut narrat Florus (*b*)] Populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, Decuriis, atque Collegiis diſtributus: ſummâ denique ipſius Regis ſolertiâ ita ordinata eſt Reſp., ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatum, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur: Liberâ tandem Rep. nihil de ea re mutatum, quin de aliis Collegiis addendis cogitari cœpit; nam A.U.CCLIX. Claudio, Servilioque Coſ. Collegium Mercatorum primùm Romæ inſtitutum fuit, quod ab æde Mercurii, in quâ ſacra facere ſolerent, ut innuere videtur Livius (*c*) vel potius ab eodem Numine, in cujus peculiari tutela Mercatores eſſent, ut canit Ovidius (*d*), Mercurialium nomen accepit: Acceſſere tandem, leges XII. Tabularum, ex Solonis lege, quam is de Collegiis olim tulerat, ad Romanos manantes (*e*), quibus ejuſmodi Collegia ita probata fuerunt, ut quicquid hactenus privati juris pactionumque inter cujuſque Collegii Sodales ſtatutum eſſet, publica ipſius legis auctoritate ratum firmumque deinceps haberetur; atque exinde factum fuit, ut non in Urbe ſolum, verum etiam in locis omnibus, ubi Romanorum mores, inſtitutaque ſervarentur, in ingentem numerum excreverint Collegia, dum ne viliſſima ars, aut profeſſio fuerit, quæ ex artificibus profeſſoribuſque ſuis ſuum ſibi non inſtituerit Collegium.

Multiplicandis autem ubique Collegiis cauſſam præbuerunt plurima illa commoda, honoreſque, quibus cujuſque Collegii Sodales afficiebantur; quæ poſt traditam Collegiorum originem paucis percurremus: ac primùm, ut rei dignitas poſtulat, a Religione ordiar, quam ex Numæ inſtituto, ut modo dictum fuit, ſingula Collegia peculiari Ritu, certiſque Sacris ſibi præſcriptis profitebantur; quæ res non in Urbe ſolum, ſed in aliis utique locis, ubi Collegia Romanorum more inſtituta erant, & pari exemplo, & per ætates omnes jam viguit ad Conſtantini uſque tempora; nam inter hujus, quos publicè accepit honores illum quoque relatu dignum putavit Eumenius, aut quicumque is ſit præfati Imperatoris Panegyriſta cap. 8. ſic illum alloquens: *Omnium ſigna Collegiorum, omnium Deorum noſtrorum ſimulacra ſæpius Tibi occurſura protulimus*: quæ quidem Collegiorum ſigna, non alia accipienda ſunt, quàm quæ Numen aliquod repræſentarent,

[*a*] Plutarc. in Numa.

[*b*] L. 1. c. 7. vide etiam Livium l. 1.

[*c*] Liv. l. 2. c. 27. *Certamen Conſulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem: Senatus a ſe rem ad Populum rejecit: Utri eorum dedicatio juſſu Populi data eſſet, eum præeſſe annonæ, Mercatorum Collegium inſtituere &c.*

[*d*] Ovid. Faſt. v. v. 672. Mercurium alloquens hæc ſubdit:

Te quicunque ſuas profitentur vendere Merces
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant.

[*e*] Audire præſtat Cajum in lib. IV. ad ll. XII. Tab. relatum in leg. 4. D. de Collegiis: *Sodales ſunt* (inquit) *qui ejuſdem Collegii ſunt: quam Græci θιασιαν vocant: His autem poteſtatem facit lex pactionem, quam velint ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant: Sed hæc lex videtur ex lege Salonis translata eſſe, nam illuc ita eſt: Si Plebs, vel fratres, vel ſacrorum Sacramentales, vel Nautæ, vel Confrumentales, vel qui in eodem ſepulchro ſepeliuntur, vel Sodales, qui & multum ſimul habitantes ſunt, enimvero ad negotiationem, aud quid aliud; quicquid hi diſponent ad invicem firmum ſit, niſi hoc publicæ leges prohibuerint.* Gothofredi [quod Solonis legem a Cajo relatam ſpectat] interpretationem ſum ſequutus, haud tamen ignarus, aliter eam legem Cujacium, aliter Heraldum, aliter Petitum, aliter demum Salmaſium legiſſe, quod notavit Vinc. Gravina De Jur. Nat. Gent. & XII. Tab. c. 45. qui & Salmaſium reprehendit, θιασιαν in ναυκληριαν vertentem, & *Prædonum* Collegio, quod profeſſionis genus inviſum eſſet, *Circumforanecorum Propolarum* Collegium ſubſtituentem: De hac re nihil ego quæram: Id tamen Gravinæ aſſentiri non poſſum, quod facile Gothofredum ſequatur, qui *Decemvirorum ætate, ſub quibus lex de ſodalibus prodiit, non alios fuiſſe ſententia legis comprehenſos arbitratur, & ſodalitii Jus habuiſſe, quàm Fratres Arvales*: Quid enim? rem totam ad ſolum ejuſmodi Fratrum Arvalium Collegium deducere omnino vetat tum lex ipſa Solonis in leges XII. Tabularum, Cajo teſte, translata, quæ plura Sodalium genera commemorat, tum vero ipſa Romanæ Reip. forma, in qua plura certe, tum cum a Decemviris latæ leges XII. Tab., Collegia vigebant, non ſolum ſub Regibus, ſed etiam libera Rep. inſtituta, ut ſuperius probatum a me fuit: quibus ad artes omnes, Mercaturamque pertinentibus non ſolum Fratres Arvales, verum etiam, ſi placet, Sodales Titii, qui eandem Arvalium antiquitatem referebant, addi poſſunt: Hi enim a T. Tatio retinendis Sabinorum Sacris inſtituti, ejuſdem defuncti memoriæ ſacrandæ a Romulo fuerunt confirmati, & Titii quidem, non Tatii Sodales appellandi, ut ex lapid. & libris monet Lipſ. in Tac. ann. I. num. 194., ac Titii demum, ut ego crediderim, a Titi potius prænomine, quo Tatius vocabatur, quòd illud proprium ejuſdem nomen eſſet, quàm a Titiis avibus, quas ipſi juxta Varr. l. l. IV. 15. in auguriis certis obſervare ſolebant.

Digitized by Google

tarent, in cujus tutela unumquodque Collegium esset, cui propterea certis quibusdam Ritibus, Sacris, Ceremoniis cultum, Religionemque exibebant, nisi ea fortasse fuerint Vexilla quædam, aut Labara (ut modo piis Christianorum Sodalitatibus mos est), quæ certam cujusque Collegii Sacrorum quorumdam professionem, institutorumque suorum, quæ ad propriam Religionem pertinebant, notam præseferrent: Cæterum justa equè, ac præcipua Religionis caussa erat, ut Sodales coire possent, ut discimus ex Marciano J. C. cujus verba (a) hæc sunt: *Religionis caussa coire sodales non prohibentur, dummodo per hoc non fiat contra Senatus Consultum, quo illicita Collegia arcentur*: in quibus coitionibus ea de caussa factis non solum ludos a Magistris Collegiorum fieri consuesse constat exCicerone(b), sed etiam sacra de more a sodalibus celebrari solita verisimile est, quibus curandis suos quoque peculiares Ministros Collegia habuisse facile conjectabimus.

Magna etiam post Religionem, in condendarum legum, quæ servandæ essent a Sodalibus, auctoritate Collegiorum dignitas effulgebat: Privatum hoc Legislationis jus, quod Solonis lege continebatur, a lege quoque XII. Tabularum Collegiis permissum testatur Cajus, cujus locum in adnotationibus jam superius attuli: Legis autem caput ita recitat Gravina: *Sodales legem, quam volent, dum nequid ex publica lege corrumpant, sibi ferant*. Si igitur Collegiorum leges publico juri non adversarentur, quod ab iis derogari nefas fuisset, ad ipsius publici Juris instar eam obligationem inducebant, ut Sodalibus illas violasse pro piaculo haberetur; Quid vero hisce Collegiorum privatis legibus cautum esset, non satis constat: Præter statos Sacrorum dies, Ludorumque solennium celebrationes, pleraque etiam, quæ ad instituta, moresque Sodalium, professionis quoque, vel artis, cujus aderat constitutum Collegium, exercitationem pertinentia, iis legibus contineri haud dubium est: In his autem certam illam fuisse legem, qua Sodales stipem menstruam conferre deberent, manifestum habemus ex verbis J. C. Marciani relatis in leg. 1. D. De Collegiis: atque hæc quidem pecunia in ludos postea, cænas, sacra, aliaque, quæ ipsius Collegii utilitas, aut necessitas postulabat, impendenda servabatur: Hinc privatum ejusdem Collegii Ærarium, aut potius Arca, ejusque Curator, non secus ac in ipsa Rep. habebatur; unde Cajus *Quibus*, ait, *permissum est, corpus habere Collegii, Societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum Reip habere res communes, Arcam communem, & Actorem, sive Syndicum per quem, tanquam in Rep. quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat*: De Curatore Arcæ Collegii Fabrum & Centonariorum meminit quoque insignis lapis Mediolanensis apud Fabrett. c. 2. p. 73. n. 72. ubi *Magius Germanus Statorius* dicitur:

CVRATOR ARK. TITIANAE COLL. SS.
ANNI CLI. COLON. C. A. F. MED. (c)

Non solum vero ex menstrua stipe a sodalibus collata, sed aliunde etiam Collegiorum Arcæ locupletes fiebant; nam Collegiis directè legari poterat, eaque de re Senatus Consultum factum refert Paulus in l. 2. D. De rebus dubiis: Legati vero exemplum affert Scævola in l. 93 §. 4. D. De legat. 3. *Collegio* (inquit) *Fabrorum fundum cum Sylvis, quæ ei cedere solent, uti optimus, maximusque esset, legavit*: atque hùc etiam referri potest antiquus lapis apud Gruter. pag. 237. 5. ubi: *Ti. Claudius ob memoriam Patris sui Dec.* VII. *Collegii Fabr. M. R.* H-S. ∞. N. (idest: Decuriæ Septimæ Collegii Fabrum Militiæ Ravennatis sextertia mille numero) *liberalitate donavit sub hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant, & epulentur dumtaxat in* V. *Id. Julias. Quod si neglexerint tunc ad* VIII. (idest ad octavam Decuriam) *ejusdem Collegii pertinere debebit conditione supradicta*.

Cum igitur Collegia quandam Reip. formam, dignitatemque obtinerent, jam ipsis suos quoque Magistratus esse oportebat, & sane Magistrorum titulo ornabantur, qui, ut Sodalibus præessent, juraque Collegii servanda curarent, deligebantur: Septenarium horum numerum, quinquennale vero munus fuisse ostendit lapis in Manutii Orthogr. *V.* Carus n. 43.

[a] L. 1. §. 1. D. De Collegiis, ubi notanda sunt postrema verba, quibus ea sententia inest, ut neque ea de caussa coire liceat, si Senatus Consulto, aut Principum mandato Collegium non fuerit institutum: Apertè Ulpianus in l. 1. D. De extraord. Crimin. *Sub prætextu Religionis, vel sub specie solvendi voti, cœtus illicitos nec a Veteranis tentare oportet*.

[b] Orat. in Pison. c. 4. ubi plura ad rem Asconius commentatur.

[c] Quos versus [ut alias ejusdem lapidis quas Fabrettus aggressus fuit interpretationes suppleam] ita explicandos censeo. Curator Arcæ Titianæ Collegi suprascripti Anni CLI. Coloniæ Claudiæ Augustæ Felicis Mediolani.

Digitized by Google

SABINÆ AUGUST
MAGISTRI QUINQUENNALES
COLLEGII FABRUM TIGNAR. LUSTR. XXIII.
Q. NUMITIUS MARITIMUS
Q. VALERIUS FELIX
A. LARCIUS CARUS
T. FLAVIUS ONESIMUS
L. NÆVIUS L. F. PAL. PHILIPPUS
Q. HORTENSIUS TYRANNUS
Q. LOLLIUS HERMA
IN MAGISTERIO DEFUNCTUS

Ita etiam apud Gruterum pag. CDXI. num. 2. T. Flavius Hllarion dicitur: *Luſtro* XVI. *Mag. Quinq. Coll. Fabrum*: Ejuſdem autem vocabuli, quod ad Collegiorum Magiſtros attinet, ſignificationem ita Feſtus explicat: *Magiſtrari, moderari: Inde Magiſtri non ſolum Doctores artium, ſed etiam Pagorum, Societatum, Vicorum, Collegiorum, Equitum dicuntur, quia omnes hi magis cæteris poſſunt, unde & Magiſtratus, qui per Imperium potentiores ſunt, quàm privati.*

Fuit tandem [ut minora alia prætream] inſigne Collegiorum decus, ut in omnibus monumentis, quæ ad ſuam Remp. pertinerent, particularem Epocham ab ſua quoque inſtitutione conſtitutam haberent; ex qua deinde aut annus, aut luſtrum, quod in monumento aliquo ſignabatur, numerari ſolebat; De anno ab Collegio inſtituto meminit Mediolanenſis lapis, quem ſuperius ex Fabretto retuli; in eo enim legitur: *Curator Arcæ Titianæ Collegii anni* CLI. *Colon. C. A. F. Med.*: quem annorum numerum ad ipſius Collegii inſtitutionem refert Fabrettus, quamquam ipſius potius Coloniæ Mediolanenſis deductionis annum, ſeu natalem indicare poſſit: Frequentius autem, ac certius illud invenio, ut per luſtra numeratio fieri conſueverit; ſic præter lapides paullo ante relatos, in quorum altero ſignatur luſtrum XXIII. in altero vero luſtrum XVI.: Magiſtri Quinquennales Collegi Fabrum Tignariorum numerant luſtrum XIII. apud Gruter. pag. 252. 6. & pag. 261. n. 4., ſimile Collegium luſtri XXVII. antiquitatem oſtentat. Rarum autem hocce Collegiorum decus jure cenſebimus, nam ſi Vicorum Urbis Magiſtros excipias, quos ab ſua inſtitutione (quam anno v. c. 747. contigiſſe refert Dio l. LV.) annos numerare conſueſſe ex binis Inſcriptionibus obſervavit Fabrettus (*a*), vix alibi ejuſdem privatæ Æræ uſum obtinuiſſe inveniemus, quàm in quibuſdam Græcis Civitatibus, quæ Autonomiæ jure donatæ, ab accepti ejuſmodi beneficii tempore (quod maxime ſibi honorificum, memorandumque eſſet) novam, prioribus abolitis, ſibi Æram ſtatuerunt (*b*).

Hactenus de Collegiorum origine, Religione, Magiſtratibus, Legibus, atque Honoribus: at quum non idem ſemper manſerit earum rerum ſtatus, quæ fuerint pro temporum varietate diverſa etiam Collegiorum fata, paucis nunc percurriſſe libet. Primum igitur id certo ſtatuendum erit, nullum hominum cœtum jus, nomenque Collegii ſine publica auctoritate obtinere unquam potuiſſe: Novimus planè ipſius Numæ, a quo Collegiorum originem ſuperius repetivimus, etiam iiſdem Collegiis regiam acceſſiſſe auctoritatem: neque certè Decemviris, ubi in lege XII. Tab. de Sodalibus legem tulerunt, alia Collegia probata fuerunt, niſi quæ legitimè fuiſſent inſtituta; quod & Cæſarum ævo maxime ſervabatur: *In ſumma* [ait Marcianus in l. 3. §. 1. D. De Collegiis] *niſi ex S.C. auctoritate, vel Cæſaris, Collegium, vel quodcumque tale Corpus coierit, contra S.C. & mandata, & Conſtitutiones Collegium celebrat*: itaut niſi publica auctoritate permiſſum eſſet, ex nulla vel cauſſæ juſtitia, vel perſonarum dignitate Collegium impunè celebrari poſſe diſertè declaravit Ulpianus (*c*). Hinc manavit formula illa, quam Collegia in publicis monumentis exprimendam curabant, ut ſcilicet ejuſmodi eſſent, *quibus ex S. C. coire liceret* (*d*): hincque tandem univerſa ratio pendebat, ut quæ licita eſſent Collegia, quæve illicita

[*a*] Cap. 11. p. 103. ubi earum Inſcriptionum annum patefieri poſſe recte dicit, ſi certum utriuſque Collegii initium, inſtitutioque haberetur; ſed in horum, aliorumque Collegiorum natalibus perſcrutandis ne otioſiſſimus quiſpiam oleum, operamque amittere vellet.

[*b*] De hujuſmodi Æris Græcarum Urbium ab earum Autonomia petitis egregiè fuſèque diſſeruit Noriſius in Epoc. Syr. Maced. Diſſert. 3. c. 3. & ſeqq. ac poſt illum Spanhem. in Orbe Rom. c. XI.

[*c*] In l. 2. D. De extraord. Crimin. *Cujus verba ſuperius recitavimus.*

[*d*] Sic in Ortogr. p. 469. *Collegia Dendrophororum Romanorum, quibus ex S. C. coire licet*: Item: *Menſoribus, & Machinariis, quibus ex S. C. coire licet*: & alia, quæ obſervavit Cujacius obſerv. l. 7. c. 30. cui non id facile aſſentior, quod Dendrophororum Collegia ad Religionem potiùs, quam ad Artem quampiam, ſeu prophanum munus pertinere putaverit ex leg. 20. Cod. Theod. De Pa-

cita omnino dignoſceretur, contra quàm falsò putaverit Gravina l.l., qui dumtaxat licita ea eſſe cenſuit, quæ fraude, maliſve artibus carerent: non quærimus enim quæ ex delicto illicita fieri potuerint Collegia, ſed quæ ex inſtitutione licita, vel ne cenſeri conſueſſent.

Neceſſe vero omnino fuit, ut in inſtituendis Collegiis publica adhiberetur auctoritas, atque ea ſolum permitterentur, quorum nec ingens numerus, nec ſodalium, profeſſioniſque conditio detrimenti aliquid Reip. eſſent allatura: quid enim? Ubi ſemel in Rep. artium, profeſſionumque Collegia inſtitui cœperunt, nullus deinceps novis in dies inſtituendis Collegiis modus adhibebatur, ut ea jam numerari vix poſſent: Non quæpiam Ars, aut profeſſio ſuo Collegio contenta, ſed quotquot ſub una arte, profeſſioneque diverſa artificum, profeſſorumque genera continebantur, hi omnes peculiaribus Collegiis diſtingui ſatagebant; non omnia mihi perſequi otium eſt; ſed rei Annonariæ exemplo aliqua facile conjectabimus; mitto Suarios, Suſceptores vini, alioſque Corporatos, ſeu Collegiatos, de quibus in Juſtiniani Codice ſunt Tituli; Piſtorum certè plura erant Collegia, nam præter eos, qui panem civilem conficiebant, erant Piſtores Dulciarii, Lactarii, Siliginarii, quorum propria, interque ſe diſtincta fuiſſe Collegia ſatis oſtendit lapis Romanus apud Gruter. p.81. n 10. in hæc verba: *Annonæ Sanctæ Ælius Vitalio Menſor perpetuus Corpori Piſtorum Siliginariorum*: Quod ſi ſoli Piſtores tot Collegia habuere, quot reliquæ Annonæ, quot innumerarum artium, profeſſionumque fuiſſe putabimus? Intererat autem Reip. quàm maximè, ne Collegiorum numerus augeretur, ex quorum frequentia duplex malum in Remp. ipſam promanabat.

Prioris cauſſam ab ſolennibus Epulis, Conviviiſque, quæ ab cujuſque Collegii Sodalibus quàm ſæpiſſimè agitari ſolebant, repetere promptum erit: Deſiderabatur enim in ejuſmodi Collegiorum frequentibus Epulis temperantia illa, ac frugalitas, cujus formam, exemplarque conſtituerat olim M. Cato in iis Sodalitatibus, quas ipſe Quæſtor inſtituit (*a*). Hinc præter labem illam, funeſtamque facem, quæ honeſtis moribus inferebatur, quum nulla eſſent flagitia, in quæ homines ejuſmodi voluptatibus plus nimio indulgentes ſenſim, ac paulatim non ruere ſolerent, nonnihil detrimenti in re Annonaria Reſp. capiebat; ita enim a Collegiis Annona abſumebatur, ut eorum *innumerabilibus cœnis illam incendi* dixerit Varro de R. R. l.3.

Sed & gravior altera cauſſa erat: Quum enim Collegia ex plebeiis fere omnibus conſtarent, qui interſordidas, ſellulariaſque artes, cæteraſque honeſtiorum virorum indignas profeſſiones paremanimum alebant, novarum rerum ſemper cupidum, & levi aliqua majorum commodorum ſpe ad excitandas in Rep. turbas ſatis pronum, facile factioſo cuipiam ſeſe adjungebant, qui & facile eoſdem, quippe qui coire jure Collegii conſueſcebant, ſibi adjunctos habere poterat: Atque hoc quidem conſilio novum hominum Collegium inſtituit Sulla, qui ad x. millia numerabantur, Civitate ab eo donati, Corneliaque ab inſtitutore deinde appellati, ut

 refert

De Pagan. & Templis: verba legis recitare placet: *Omnia loca* (ajunt Impp. Honorius, & Theodoſius) *quæ Frediani, & Dendrophori, quæ ſingula quæque nomina, & profeſſiones gentilitiæ tenuerunt, epulis, vel ſumptibus deputata, fas eſt hoc errore ſubmoto compendia noſtræ domus ſublevare; Chiliarcas inſuper, & Centonarios, vel qui ſibi Plebis diſtributionem uſurpare dicuntur cenſuimus removendos*: Non video certe, cur ex hac lege Dendrophororum munus ad Religionem præcipuè deduci poſſit, quandoquidem inter profeſſiones arteſque potius lex eadem eos accenſeat; quid enim Centonariis eadem lege memoratis cum Religione? Centonariorum Collegium paſſim occurrit, eorumque munus vulgatiſſimum, qui ſcilicet Centones, ſeu veſtes verſicolores, quibus præcipuè milites utebantur, conſuebant; pari modo Dendrophoros, ut qui artifices eſſent, cum Centonariis conjungit Imp. Conſtantinus in l. 1. Cod. Theod. De Centonar. & Dendroph. ubi ſtatuit: *ut in quibuſcumque oppidis Dendrophori fuerint, Centonariorum atque Fabrorum corporibus adnectantur*. Dendrophori autem eo nomine appellati ii erant, qui arbores cædebant, ferebant, torrebant, ut nomen, munuſque explicat Alciatus de V.S. pag. 155. 6. vel qui materias ad bellicas machinas conſtruendas advehebant, ut voluit Turnebus Adverſ. 29. 16.: Non autem mirum, quod in ea lege aliqua de Religione mentio ſit; Habebant enim ſingula Collegia certas Ædes, ubi coire ſolebant tùm aliis de cauſſis, tùm Religionis cauſſa ad ſacra celebranda, quæ plerumque ludis, epuliſque agebantur: Nihil autem uſitatius, quàm ut Principes Ethnici e Fiſco ſuo ad eam rem impendia conſtituta haberent: Diù poſt Conſtantinum res obtinuit, quod ſubmovendum ea lege Theodoſius decrevit; non ut tantùm Fiſci, ſed & Religionis Chriſtianæ utilitati conſuleret.

[*a*] Apud Cic De Senect. cap. 13. ubi Cato audiri meretur: Primum habui ſemper Sodales: Sodalitates autem me quæſtore inſtitutæ ſunt ſacris Idæis magnæ matris acceptis: Epulabar igitur cum Sodalibus omnino modicè, Sed erat quidem fervor ætatis, qua progrediente omnia fient in dies mitiora; neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar: bene enim majores noſtri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, *convivium* nominarunt meliùs, quàm Græci, qui hoc idem tum *compotationem*, tum *concœnationem* vocant, ut quod in eo genere minimum eſt, id maxime probare videantur.

Digitized by Google

refert Appianus (*a*) & meminit Cicero (*b*) cujus locum ſic illuſtrat Aſconius : *Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant ; propter quod poſtea Collegia Senatus Conſultis , & pluribus legibus ſublata ſunt præter pauca , atque certa , quæ utilitas Civitatis deſideraſſet , ut Fabrorum , Lictorumque* (*c*) : Reſtituta autem Collegia a P. Clodio *non ea ſolum , quæ Senatus ſuſtulerat , ſed innumerabilia quædam nova ex omni fere Urbis , ac ſervitio concitata* quærebatur Cicero in Piſon. c. 5. : atque his quidem Collegiis promptum fuit Clodio turbas illas movere , quibus & Cicero Urbe pulſus , & Reſpublica plurimum detrimenti cepit ; itaut ne gravioribus incommodis Civitas afficeretur , atque in optimorum Civium fortunas & ſanguinem nefariorum hominum inſania graſſari pergeret, eadem nova Collegia pluribus Senatus Conſultis factis fuerunt diſſoluta (*d*) .

Sollicitiores verò , quum unius Imperio Reſp. adminiſtrari cœpit , de abolendis omnino Collegiis fuere Principes : Noverant enim hi , quantum ſuæ poteſtati recèns quæſitæ diſcriminis imminere facile poſſet , ſi Collegiorum coitiones permitterentur , quibus (ut longo antea experimento probatum fuit) ſicuti olim in Optimatum , ita deinceps in Majeſtatis perniciem turbas excitari promptum eſſet : hinc qui prior Romani Principatus fundamenta jecerat Cæſar , Urbem Civibus , quos ad octoginta millia in ſolas tranſmarinas Colonias diſtribuit , exhauſiſſe non contentus , *cuncta etiam Collegia , præter antiqua , & legitima diſſolvit* ; ut refert Svetonius (*e*) : quod & ſubinde ab Auguſto factum idem Svetonius memorat (*f*) , dum poſt Cæſaris cædem nova bellorum civilium occaſione plurimæ factiones titulo Collegii novi ad nullius non facinoris ſocietatem coire rurſus cœpiſſent : at inter ſequentium Auguſtorum exempla , quæ paſſim occurrunt, memoratu digna eſt inſuperabilis Trajani difficultas , qui nullum , etſi Reip. utilitas , aut etiam neceſſitas poſtulaſſet , novum Collegium inſtitui permiſit : Cum enim Plinius poſt Nicomedienſis Urbis incendium novum Fabrorum CL. Collegium , qui , ſi qua deinceps fortuito ſuborirentur incendia , mox extinguere parati eſſent , a Trajano petiiſſet . præter autem ejus rei neceſſitatem , facile etiam ſibi eſſe addidiſſet cuſtodire tam paucos , ſpopondiſſetque adhuc diligentiam ſuam , ne quis , niſi Faber in illud Collegium reciperetur , neve jure conceſſo in aliud uteretur , nihil tamen horum Trajanum è ſua ſententia movit , qui inter alia hæc Plinio reſpondit : *Quodcumque*

[*a*] De Bell. Civil. lib. 1.

[*b*] In Orat. pro C. Cornelio Majeſtatis reo : & rurſus in Orat. in Piſon.

[*c*] An fuerit Lictorum Collegium valde dubito : Tibicinum , Fidicinumque fuiſſe docet lapis apud Gruter. pag. 175. 10. : Sed vide annon pro *Lictorum* Aſconius ſcripſerit *Fictorum* : non enim Lictores eo numero , neque tanti eorum profeſſio (dum populo terrori eſſent , ac pene infames haberentur , itaut poſt Bellum Punicum Bruttiis , qui ad Annibalem defecerant , ignominiæ cauſſa id munus mandari ſoleret), ut Collegio digni eſſent : *Utiles* autem , ut Aſconius innuit , Civitati Fictores, qui & ipſi Figuli , quorum antiquiſſimum Collegium ipſum Regem Numam , teſte Plutarcho , auctorem habuit : & quidem *Fabris* affines *Fictores* , ſeu Figulos eſſe conſtat , ut utroſque conjunxiſſe Aſconius videatur : Scio V. C. Mazochium in *Comment De Aſcia* pag. 282 *Fictores* [quos in Vegetii l. 2. pro *Pictores* , aut *Piſtores* , ut editiones habent , reſtituere conatur] non alios ſignificatos velle , quàm *qui clavis aliquid figere penſi habent* : Cum enim Vegetius Fabros , quibus Legio uti ſoleret , eo loco enumerare inſtituat , nihil de Pictoribus , aut Piſtoribus loquutus videri debet , ſed potius de Fictoribus , nam *ea ligna* [inquit Mazochius] *quæ materiarii ad modulum deradebant , parabantque , Fictores ſubinde clavis compingebant* : at num in infigendis clavis peculiare Fabrorum munus unquam fuerit , quod a materiariis ipſis ſatis commode hodie præſtari videmus , non quæro ; illud Viro ſummo excidiſſe nolim , ut a *Figo* , quod *Fixum* habet , Fictores deducat , qui tantum a *Fingo* ſunt : cui tamen libentiſſimè illa largimur , ut ſibi canat :

Dum plura nitent in Carmine , non ego paucis
Offendar maculis , quas vel incuria fudit
Vel humana parum cavit natura . . .

Præſtat igitur audire potius V. C. Reineſium , qui de *Fictoris* vocabulo plura vere , atque erudite habet in Epiſt. 33. edit. Jenæ 1670. Propriè Fictores ſunt πλάσται, qui è cerâ , creta , argilla &c. formant ſimulacra , & ſigilla , aliàs *Significes* , Julio Firmico *Plaſticatores* . Fingere eſt τυπῶν facere , creare, condere a vetuſto *figere* prima brevi , unde *figura* , *figulus* &c. Cic. 1. De Nat. Deor. *Fictor cera utitur* . Ibidem : *Divina Providentia fictrix , & moderatrix materiæ* . In lapidibus nominantur Fictores Pontificum : Fictores Virginum Veſtalium: Docti exponunt de iis, qui de pane , vel cera ſimulatas hoſtias faciebant pro tenuioribus : Sequar potius Varronem l. 6. de l. l. & miniſteria Sacrorum interpretabor, id eſt , qui liba fingerent : Metaphoricè *fingere* eſt ſimulare , mentiri , dicere vel exhibere , quod cum re minus conveniat : *Fictor* igitur fuerit falſi rumoris auctor , rei non verè compertæ effutitor πλασολόγος , criminis concinnator , ſuccentor fabularum συκοφάντης .

[*d*] Duo Senatus Conſulta ea de re prodiere , quorum alterum memorat Aſconius in d. Orat. Piſoniana : dum inquit : *L. Cæcilio , Q. Marcio Coſ. , quos & ipſe Cicero memoravit , Senatus Conſulto Collegia ſublata ſunt , quæ adverſus Remp. videbantur eſſe ; poſt novem deinde annos , quàm ſublata erant , P. Clodius Trib. Pl. lege lata reſtituit Collegia* . Alterum extat apud eundem Ciceronem l. 2. epiſt. 2. ad Q. Fratrem , quod hiſce verbis conceptum fuit : *Eodem die S. C. factum eſt , ut Sodalitates , Decuriatique diſcederent , lexque de iis ferretur , ut qui non diſceſſiſſent , ea pœna , quæ eſt de vi , tenerentur* .

[*e*] In Jul. cap. 42. [*f*] In Octav. cap. 32.

Digitized by Google

cumque nomen ex quacumque cauſſa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, Hetaeriæ quamvis breves ſient: ſatius itaque eſt comparari ea, quæ ad coercendos ignes auxilio eſſe poſſunt; atque ex his quidem optime intelligemus Tertulliani locum in lib. De Jejun. c. 13., qui poſtquam ad Montani caſtra defecit, Catholicos, quos ibi Pſychicos impiè appellat, injuriâ agere contra Montaniſtas contendens, dum, quod ipſi agerent, iis exprobarent, *Niſi forte* (inquit) *adverſus Senatus Conſulta, & Principum mandata coitionibus oppoſita delinquimus*: Ut enim Ethnicorum Collegia etiam ſub prætextu Religionis (ut ex Ulpiano ſuperius audivimus) niſi Principis acceſſiſſet auctoritas, illicita putabantur, haud certe melioris conditionis ſub Ethnicis Principibus Chriſtianorum Collegia eſſe poterant, quæ tamen, ſi una illa publicæ auctoritatis ſolennitas exciperetur, nihil reliquum erat, quo minus licita cenſeri deberent.

At vero, Principibus nequicquam obnitentibus, plura non in Urbe ſolum, ſed in omnibus Coloniis, aliiſque Urbibus Romana inſtituta ſectantibus numerabantur Collegia; ejus rei manifeſto argumento ſunt veteres Inſcriptiones, in quibus celebris paſſim eſt Collegiorum memoria: non levis autem illa (nam alias præteream) ſervandorum Collegiorum cauſſa, quod ea fere omnia Viros Clariſſimos, qui ſummo loco in Rep. eſſent, ſibi Patronos deligere ſolerent; atqui hi certe quum plurimum auctoritate valerent, atque a Collegiis ad promerendam gratiam publicis honoribus afficerentur, incolumem eorum ſtatum, integraque jura omnia ſervanda curabant: Neque ſuos quæque Patronos peculiares Collegia habebant, ſed erat quandoque, qui ab univerſis ejuſdem loci Collegiis horum omnium Patronus deligeretur. Præclarum ejus rei monumentum habemus ex noſtro lapide, qui hujus Diſſertationis initium, titulumque fecit, ubi C. Vibius Criſpinus dicitur: *Ab Avo & majoribus Collegiùm Civitatis Patronus*: Dictio namque illa *Collegium*, ut lapidis loquutio rectè contet, nonniſi generandi caſu, qui multitudinis eſt, accipienda erit, quod & quadratarius ſignis illis in litera V ſuperpoſitis monere voluit: An vero probe is ſe geſſerit in ea dictione corripienda ad inſtar *Fabrum*, qui pro *Fabrorum* in hujuſcemodi Collegiorum inſcriptionibus uſurpari ſolebat, vel potius ob lineæ anguſtiam eam dictionem adhibuit, non diù heic quæram; nam eodem noſtro lapide duce, qui generatim Collegia Civitatis Beneventi commemorat, quæ tandem ea fuerint, ſingulatim diſtinctèque obſervaſſe jam licebit.

A mercatoribus, ſeu *Mercurialibus* ordiar, quorum Collegium, ut Romæ antiquiſſimum, quippe quod A. U. CCLIX. inſtitutum jam ſuperius probavi, ita quoque inter Beneventanæ Civitatis Collegia & antiquitate, & dignitate præſtitiſſe videri poteſt: Ejuſmodi Collegii Beneventi olim extantis locupletes teſtes adſunt bini noſtri lapides.

1

L. HELVIO L. L. HILARO
NVMMVLARIO
MERCVRIALI
MESSIAE Q. L. DIODORAE
L. HELVIO L. L. PAETO
NVMMVLARIO

2

CN. RVSTIVS CN. L.
FESTIVOS MERCVRIA
ET MERCATOR SIBI ET
RVSTIAE CN. L. MA. CONLIB
FECIT H. M. H. N. S.

Dubium autem in poſteriori hoc lapide illud videri poſſet, [cætera enim, quæ hùc non pertinent alibi, quum de eodem lapide ſermo erit, in Theſauro explicabimus] an dictio *Mercuria*, qua ſecunda linea completur, *Mercurialem* deſignet hunc Ruſtium, qui & Mercator tertia linea mox dicitur: at pro certo id habeas; nam inter Mercuriales, Mercatoreſque diſcrimen aliquod noſcere licet, ut qui mercaturam exercerent, non continuò Merculiarium nomen, qui pecu-

Digitized by Google

peculiari Collegio adſcripti erant, accenſebantur, quod ex ſubjecta nota uberius patebit, & ex hoc noſtro lapide in *Turri S. Sophiæ* manifeſtè probatur.

Q. CAESELLIVS Q. L. SVRVS
MERCATOR
DOMATIA ↄ L. FAVSTA
C. DOMATIVS ↄ L. PHYLAX
MERCATOR, &c.

Pauca ex hoc lapide, quæ ad rem faciunt, proferre heic ſatis habui, integrum, ſuiſque illuſtrandum obſervationibus ſuo loco daturus: Nunc quod *Mercuriales* attinet, inter eos C. RVSTIVM, de cujus lapide ſermo erat, accenſendum nullimode dubitandum erit; *Mercuriâ* vero, quod pro Mercuriali Quadratarius ob lineæ anguſtiam ſculpſit, ne te decipiat, ut pro proprio Fœminæ nomine accipiendum ſuſpiceris, nam, ſi ita eſſet, mercator, qui mox ſequitur, pro tertio Viro ſumendus eſſet; quod non ſolum abſurdum eſt, ſed omnino vetat lapis, qui, quum deſinat in *Fecit*, non tres perſonas, ſed unum Ruſtium, qui Mercurialis, & Mercator erat, monumentum illud faciundum curaſſe manifeſtè declarat: At cum ex hiſce noſtris lapidibus quotquot Mercuriales prodiere, libertinæ conditionis homines ſeſe produnt, nolim de Mercurialium Collegio minus æquum illud ferri judicium, ut omnes ex fæce Plebis, quique ſervi aliquando fuiſſent, in illud cooptari ſolerent: Mercatura enim inter honeſtas, maximèque Reip. utiles profeſſiones primum obtinere locum ſemper debuit; neque aliquando Romanis Civibus, qui Equeſtri dignitate gaudebant, teſtè Cicerone (*a*) indigna viſa fuit.

Poſt Mercatores, Mercurialeſque, nunc Medicos collocabimus, quorum Collegium Beneventi fuiſſe

[*a*] Non uno loco Cicero hanc rem confirmat, ac primum de Mercatura hoc is judicium generatim tulit in De Off. l. 1. c. 42. *Quibus* (inquit) *artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ: Mercatura autem ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt, ſin magna, & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda, atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſiones que contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari*: atque hæc quidem generatim pro Mercatura: quid, ſi Equitem Romanum in Mercurialium numero fuiſſe ex eodem Cicerone habeamus? Ita certe conſtat ex lib. 2. ep. 5 ad Q. Fratrem. *Non prætermittam* (inquit) *ne illud quidem, M. Furium Flaccum Equitem Romanum hominem nequam, Capitolini, & Mercuriales de Collegio ejecerunt præſentem, & ad pedes uniuſcujuſque jacentem.* Scio, Manutium in hoc Ciceronis loco in eam concedere ſententiam, ut Collegium illud, ex quo Flaccus Romanus Eques fuit ejectus, non ad Mercaturam, ſed ad res Sacras in Mercurii, Capitolinique Jovis ædibus peragendas pertinuerit, cum *Equeſter* (inquit) *ordo, quo ex ordine Flaccus erat, mechanicas artes non exerceret*: At minus rectè Manutium de Mercurialium Collegio ſentiiſſe plane conſtat; mitto enim, quod de Sacris rebus illud præcipuè conſtitutum putaverit, quas tamen nonniſi aliorum Collegiorum more celebrare conſueverit, neque exinde ipſa Collegia Religioſa cenſebantur; Decepit certè Manutium Mercurialium nomen, quod a Mercurio deductum non eoſdem ejus Numinis Religioni, Sacriſque Conſecratos, ſed plane in illius tutelam, qui Mercatoribus præerat, adſcitos efficiebat; confundere ſane haud debebat Manutius Mercatorum Collegium cum aliis, quæ ad ſedentarias, ſordidas, mechanicaſque artes pertinebant, quas Romano Equite indignas nemo ignorat; quod tamen de Mercatura haud rectè affirmabitur; Licet enim iis, qui *nobiliores natalibus, & honorum luce conſpicui, & patrimonio ditiores eſſent, mercimonium exercere probibuerint Impp* Honorius, & Theodoſius in l. 3. Cod. de Commerciis, & Mercatoribus, id tamen, [ut ex Harmenopulo obſervat Gothofredus] vel ſublatum, aut certè deſuetum videtur, dum omnibus Commercia exercendi poteſtas fuit; At ſi priora Reip. tempora ſpectentur, nihil Equeſtris ordini familiarius quidem fuit, quàm Mercaturam, negotiationemque exercere tum in Urbe, tum in Provinciis, ut fusè oſtendit Sigonius, qui ex inſtituto rem hanc agit De antiq. Jur. Civ. l. 2. c. 10. & ſeqq., imo etiam publica P. R. vectigalia ubique conducere Equites ſolebant, itaut Publicanos nullos ferè alios, quàm Equites Romanos fuiſſe conſtat, tum ex aliis, tum præſertim ex eod. Cic. cujus tum de Petit. Conſ. c. 1. tum Orat. pro Planc. c. 9. hæc ſunt. *Adjungam etiam, ſi vis id, quod tu etiam huic obeſſe putas, Patrem Publicanum, qui ordo quanto adjumento ſit in bonore quis neſcit? Flos enim Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reip. Publicanorum ordine continetur*: Nec turbare debet, quod plura eſſent iis, qui Mercaturam, negotiationemque exercereut, obeunda ſordidiſſima munera non Equite tantum, ſed Plebejo cive indigniſſima, nam nihil horum per ſeipſos Mercatores, negotiatoreſque præſtabant, qui ejuſmodi exequendis muneribus *Inſitores*, aut *Exercitores*, ex Servorum, aut Libertorum numero præficere conſuebant: Hinc de Inſtitoria, ac exercitoria actione plurima ſunt in Juris libris, peculiaribus titulis cauta: Inſtitorum etiam, Exercitorumque nomina non ſemel in veteribus lapidibus occurrunt, ut latè de ea re diſſerens obſervavit eruditus Heineccius Antiq. Rom. Juriſprud. l. 4. tit. 7.

Digitized by Google

fuiſſe vetus lapis jam docet; Medicinam inter honeſtas Artes, quæ prudentia majori, atque utilitate non mediocri commendarentur, primo loco a Cicerone numeratam in antecedenti nota audivimus, ut ideo non mirum ſit in florenti Urbe aliqua, qualem Beneventum fuiſſe conſtat, Medicorum Collegium fuiſſe inſtitutum; ſed ecce lapidem.

M. NASELLIVS M. F. PAL. SABINVS
PRAEF. COH. I. DALMATAR. ET NASELLIVS VITALIS
PATER. AVG. II QVINQ. PAGANIS COMMVNIB. PAGI LVCVL.
PORTICVM CVM APPARATORIO ET COMPITVM A SOLO PECV
NIA SVA FECERVNT ET IN PERPETVVM VI. ID. IVN. DIE NATALI
SABINI EPVLANTIBVS HIC PAGANIS ANNVOS ⅄ CXXV. DARI
IVSSERVNT EA CONDITIONE VT NON. IVN. PAGVM LVSTRENT
ET SEQVENTIBVS DIEBVS EX CONSVETVDINE SVA CAENENT
ITEM VI. IVN. DIE NATALI SABINI EPVLENTVR. QVOD SI
FACTVM NON ERIT TVM HIC LOCVS VT SVPRA SCRIPTVM EST
CVM ANNVIS ⅄ CXXV IN PERPETVVM AD COLLEGIVM MEDICOR
ET AD LIBERTOS N PERTINEAT VT II VI. ID. IVN. DIE NATALE
SABINI HIC EPVLENTVR.

De hoc noſtro lapide pauca mihi obſervanda reliquerunt VV. CC. Fabrettus, & Mazochius, quorum alter jamdiù e ſchedis Barbarinis illud edidit Inſcript. cap. 3. pag. 232., ac de recta ſignificatione vocis *Apparatorium* litem, more ſuo, Reineſio intendit: Alter vero ex ipſo Fabretto retulit in egregium opus Camp. Amphit. cap. 8. pag. 154., ubi de ſolenni Pagorum luſtratione plura erudite diſſerit: Uterque tamen in poſtrema tertiæ lineæ dictione mendosè habet IVOVL. quod certe mendum animadvertens auferre conatus eſt Mazochius, qui IOVI, aut IOVEI reſtituit, *ut idem fuerit, ac Pagus Campanus Jovus, aut ei certè cognominis*. At verum *Luculli* nomen Beneventano huic Pago extitiſſe, falſamque Mazochii divinationem fuiſſe noſter lapis diligentiori cura deſcriptus ſatis docet. Obſervandum ſupereſt in hoc lapide rarum illud de alicujus die natali celebrando exemplum, de quo plura in ſubjectam notam (*a*) rejeciſſe

[*a*] De emortuali die quotannis, aut epulo, aut aliis ritibus celebrando frequenter teſtatores cavebant; Celeberrima ſunt in hanc rem Cenotaphia, ſeu Senatus Conſulta Piſanæ Coloniæ de Lucii, ac Caii Cæſarum obitu; Sic Ti. Claudius Decuriæ VII. Collegii Fabrum HS. M donavit, ut quotannis roſas ad monumentum deferrent, ibique epularentur, ut ex lapide, quem ſuperius dedimus ex Gruter. pag. 237. aliaque apud eumdem Gruterum exempla paſſim invenies, ut p. 460. 3. p. 715. 10. & p. 713. 4.: Natalis vero diei, poſteaquam quis obiiſſet, celebrationem perpetuò inſtitutam, rariſſima ſunt antiquitatis monumenta, quæ præferant: Simile quid noſtro lapidi apud Ciceronem inveni in De Finib. l. 2. c. 31. ubi Epicurum de animorum immortalitate minus probe ſentientem redarguens: *Quæro* [inquit] *quid ſit, quod cum diſſolutione, ideſt morte omnis ſenſus extinguatur, & cum reliqui nihil ſit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate, tamque diligenter caveat, & ſanciat: Ut Amynomachus, & Timocrates hæredes ſui de Hemarchi ſententia dent, quod ſatis ſit, ad diem agendum natalem ſuum, quotannis menſe Gamalione, itemque omnibus menſibus viceſima die lunæ dent ad eorum epulas, qui una ſecum philoſophati ſunt, ut & ſui, & Metrodori memoria colatur*. Ritum autem ejus cultus ex parte notavit Plinius l. 35. c. 2. ita ſcribens: *& vultus Epicuri per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum: Natali ejus viceſima luna ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant ii maxime, qui ſe ne viventes quidem noſci volunt*. At redeo ad Ciceronem, qui Epicuri natalem diem ſuum celebrari caventis, & ſancientis mentem haud aſſecutus videtur: Intereſt enim, qualis dies celebrari mandetur, emortualiſne, an natalis; de emortuali enim quum cura ſit, probe argumentum procedit, non omnia ſecum interire putare cum, qui poſt ſui obitum aliquid ſibi præſtandum caveat: Dum vero natalis diei celebratio inſtituatur, ne is quidem, quid poſt obitum reliquum ſit, excogitare videtur, ſed quod in hanc mortalem vitam editus ſemel fuerit, in eaque verſatus, poſterorum memoriæ commendat; neque enim apud ethnicos idem *Natalis* vox ſignificare unquam potuit, quod apud nos, qui Chriſtiana Fide edocti tunc vere eos naſci dicimus, qui corpore ſoluti ex hac mortali vita migrantes in æternam jam demum transferuntur: atque hæc [ni meâ me fallit opinio] cauſſa fuiſſe videtur, cur Natalium poſt obitum celebrandorum adeo rara apud Ethnicos ſint monumenta, crebra verò de emortualibus diebus occurrant; dum his quidem immortalitatis animorum manifeſtior continebatur ſententia, quæ Ethnicorum pene omnium mentibus certiſſima inſederat.

Digitized by Google

jeciſſe ſatis fuit, ut etiam nihil heic de Medicis ; nam horum cauſſam opportuniori loco, quum de antiquis Viris Literatis Beneventanæ Civitatis ſermo erit, commodiùs agam.

Sequitur modo omnium, quæ Beneventi quondam fuere, celeberrimum Collegium, quod *Martenſium* fuit appellatum : Plures de eo lapides habemus ſuperſtites, quos heic ſubjicio, ex quibus etiam in plura eoſdem Martenſes Collegia diſtinctos, diſtributoſque fuiſſe patet. Primum lapidem pro hujus Diſſertationis titulo protuli, paullòque etiam ante indicavi, quum de Patronis Collegiorum meminerim ; in eo enim occurrit *Collegium Martenſium Verzobianum* : ſed & alios jam proferam.

In Ædibus meis.

VESEDIO RVFINO
V. P. ADVOCATO FISCI
SVMMAE REI IVDICIO
SACRO PROMOTO PATRO
NO SPLEND. CIVITATIS
BENEVENTI ET PVTE
OLANORUM PATRO
NO STVDIORVM IIII
MARTENSIVM VERZO
BIANVM ET MARTEN
SIVM PALLADIANVM
ET . . . . . .
. . . . . .

Prope Ædes DD De Aquila

C. VMBRIO VIBIO
NVMISIO DRVSO
PATRONO REIP.
GLOSSIMO CIR
CA OMNES CIVES
ET LIBERALISSI
MO SEMPER CIR
CA SE COLLEGIVM
MARTENSE
VERZOBIANVM. (a)

Prope

[a] Præter ſecundum hunc lapidem, reliqui inediti hactenus fuere ; ſed eundem lapidem mendis undique refertum exhibuere Donius pag. 531. num. 34. & Gudius pag. 207. num. 4. : Nam in prima linea pro *Umbrio* legunt *Umbio*, in ſecunda pro *Numiſio* habent *Primuſio*, in tertia omittunt *Reip.* in quarta pro *Gloſſimo* ideſt Glorioſiſſimo habent *Religioſiſſimo* : Poſtrema tandem linea pro *Verzobianum* legunt *Bobianum*, quam mendoſam dictionem nuper Murator. pag. 525. num. 1. ex proprio ingenio mutavit in *Bojanum*, ut importunè illud notaret : *Bojanum in Samnio Romanorum Colonia non procul a Benevento*.

Digitized by Google

Prope Ædes Principis Morræ
VERZOBI
C. VMBRIO EVDRASTO C. F.
STEL. PATRONO COLONIAE
BENEVENTANORVM LAR
GISSIMO ADQVE HONORIFI
CENTISSIMO VIRO
QVOD IS A SOLO CANOPVM
PROPRIIS SVMPTIBVS PERFE
CERIT COLLEGIVM MARTEN
SIVM INFRAFORANVM MEMOR
LIBERALITATIS ET HONORIFICENT

Qui fuerint Martenſes, quibus adeo Beneventum abundavit, ut plura eorum Collegia inſtitui oportuerit, primùm omnium inſpicere operæ erit pretium: Prior quod ſciam, qui fuerint Martenſes explicare aggreſſus eſt Cl. Muratorius, qui eos obvios habuit in noſtro lapide C. Umbrii, quem exhibuit pag. 525. num. 1.: ejus verba referre libet: *Quid ſit Collegium Martenſium decernere neſcio, niſi quod infra videbimus Convibium Veteranorum, ſive Martenſium, itaut Martenſes Veteranorum Collegium fuiſſe ſuſpicer*: mox n. 2. hunc lapidem ſubjicit:

C. SVRIINVS T. F.
ANI. SENECA ARIMINI
MIL. COH. VII. VOLVNT
MIL. A. XIV. VIX. ANN. XXXII
HIC RELIQVIT SODALIBVS
MARTENSIBVS IN OSSA SVA
TVENDA H-S ∞ ∞ COLLE
GIVM IVMENTARIORVM
HVIC CIPPO LOCVM DEDIT (a)

Miles iſte Ariminenſis (ita pergit Muratorius) *HS duomilia reliquit ſodalibus Martenſibus: Ergo Martenſes milites fuerint, & quidem veterani, ut in præcedenti innui: Fortaſſis autem Martenſes vocabulo appellati, quod Martis numen peculiari quadam Religione, & Ceremoniis in Sodalicio, aut Collegio colerent*: Hactenus de Martenſibus Muratorius, cujus judicium valde mihi probatur, niſi quod nolim Martenſes omnes Veteranorum ordine, ſeu claſſe contineri, ſed potius aut Milites ipſos, qui actu ſtipendia facerent, aut qui in Tirocinio eſſent Martenſium nomine fuiſſe appellatos crediderim: nam unde Muratorio in mentem venerit, ut Martenſes ad ſolos Veteranos deduceret, non ſatis video: Nulla certe in utroque lapide de Veteranis mentio; quos etiam ipſemet C. Suriinus excludit, qui (niſi eques fuerit, qualem in lapide ſe fuiſſe negat) nondum in pedeſtri militia vicena ſtipendia emeruiſſe apparet, ſed ad XIV. tantùm pervenìſſe: Contra vero, ut Martenſes ipſi Milites fuerint, aut veriùs qui militiæ tunc primum nomen dederint, plurium Collegiorum diſtinctio (quod de Veteranis eſſe non poterat, quorum omnium æqua erat conditio), peculiaria quoquè eorumdem Collegiorum cognomina oſtendere videntur; ut nempe ea in Beneventana Urbe fuerint Martenſium Collegia, quæ alibi Militares Scholæ dicebantur, de quibus Vegetius l. 2. c. 21. *Quaſi in Orbem* [inquit] *quemdam per diverſas cohortes, & diverſas*

[a] Affert quoque hunc lapidem eruditus Eq. Oliverius in Marm. Piſaur. in not. ad num. 44., ubi nihil de Martenſibus: De dictione vero SVRIINVS plura habet, quæ alibi in noſtri Theſauri Commentariis, ubi ſimile quidpiam occurit, expendemus.

Digitized by Google

ſcholas milites promovebantur (a) : Scholæ autem ipſæ quum jure, ac nomine Collegii decorarentur, Martemque patronum peculiaribus quibuſdam ritibus colerent, non Martenſium tantùm nomen adeptæ, verum etiam Collegia vocari gaudebant : idque certe ſuadet lapis *Veſedii Rufini* paullo ante allatus, ubi is dicitur *Patronus ſtudiorum IIII. Martenſium Verzobianum, & Martenſium Palladianum, et* ...., ubi jam vides eadem Martenſium Collegia, Studiorum nomine appellari, quæ Scholis recte reſpondere videntur.

Sed jam quis fuerit ejuſmodi Collegiorum numerus, quæ Beneventi inſtituta eſſent, prædictus lapis manifeſte videtur docere : Quatuor enim in eo numerantur Martenſium Studia, ſeu Collegia, ac ni lapis ipſe extremis lineis detritus fuiſſet, omnium etiam diſtincta cognomina haberemus, binis tantummodo ſuperſtitibus, quorum alterum, Collegium *Martenſium Verzobianum*, alterum *Palladianum* appellantur ; de quo utriuſque cognomine alii etiam noſtri lapides meminere : De ejuſmodi autem cognominum origine nihil certum afferre auſerim : eſt verò quòd de Verzobiano ſuſpicer, ut a præclaro Viro aliquo, cui Verzobii nomen, ejuſmodi appellatio Martenſium Collegio facta videatur, ſive is fuerit Collegii Inſtitutor, ſive Patronus, ſive tandem eximium aliquod beneficium in ipſum contulerit : Ad Palladianum quod attinet, num ab aliquo quoque Viro inſigni, cui Palladii nomen, ita fuerit cognominatum ? Veriſimile id quidem ; ſed neque illud prætereamus a Pallade potius ita appellatum videri poſſe : nec certe veteribus Beneventanis deerat peculiaris ratio rei hujus : Nam ſi Procopio fides (*b*), jactabant hi, non Apri dumtaxat Calydonii dentes ab Diomede Rege Urbis conditore apud ſe relictos, verum etiam Palladium Trojanum, ſeu Palladis ſimulacrum Trojanæ olim Urbis tutelam, quod is ſimul cum Ulyſſe Trojanis ſurripuerat, in ea Urbe ab ſe conditâ fuiſſe ſervatum, donec ejus Deæ monitu Æneæ tradidiſſet : at, ne fabulis indulgere videamur, quas tamen ex certarum rerum initiis, appellationibuſque originem habuiſſe ſatis conſtat, non alienum profecto a Martenſibus, ut a Pallade Collegio ſuo cognomen facerent ; Marti enim hanc Deam rite conjungebant, quæ ſicut Minervæ nomine artibus iis, diſciplinisque, quæ pace exercerentur, præeſſe credebatur, ita, cum Bellipotens videri vellet, Palladis nomine (*c*) vocari gaudebat.

At tertii quoque Martenſium Collegii cognomen noſtræ memoriæ ſervatum affirmare non ineptè poterimus ex inſigni eo lapide ſuperius allato, quem *Collegium Martenſium Infraſoranum* C. Umbrio Eudraſto dicavit : Illa enim *Infraſorani* adjectio, quam ejuſmodi Collegium ſibi adſumit, nonniſi cognominis loco ſtare videtur, quo ipſum a ceteris Martenſium Collegiis, Verzobiano ſcilicet, ac Palladiano manifeſtè diſtinguebatur : atque, uti hæc a præclaris Viris, ſeu Numine, ut dictum eſt, cognomen ſibi fecerant, ita *Infraſoranum* hoc a loco, quod ſcilicet *infra forum* ſitum eſſet, ejuſmodi cognomen accepiſſe videtur : An verò pro *Infraſorano* rectiùs *Infraſoraneum* dici debuiſſet in lapide, exemplo vocis *Circumſoraneus*, quâ tantùm Latium uti ſolet, non tanti eſt, ut morandum heic Lectorem putem (*d*) : Significationem potius ejuſdem vocis, quam attuli, confirmare ſatius erit ex Subbaſilicanorum vocabulo, quo uſus eſt Plautus ex ore Ædilis Captiv. 4. 2. 35. his verbis loquentis : *Tum Piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos, quorum odos Subbaſilicanos omnes abigit in Forum*. Non enim Subbaſilicanos hoſce Plauto memoratos, qui ſub Baſilicis obambulare, verſarique ſolebant, ut vulgo creditur, accipi velim, ſed eos potius, qui juxta Baſilicas in poſteriore earum parte habitabant : Nam cur non eandem Subbaſilicanis ſignificationem dabimus, quæ Suburbanis, Suburranis, aliiſque ſimilibus omnino tribuitur ; neque alios ſanè Plautus intellexiſſe videtur, dum ſi venalium piſcium locus

[*a*] Et paulo poſt Id. Veget. : *Primipili Centurio poſtquam in Orbem omnes cohortes per diverſas adminiſtraverit ſcholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam* : De hujuſmodi Militarium Scholarum numero præclarum monumentum reliquit Imp. Juſtinianus in l. ult. Cod. De Locato, ubi hæc ait : *Milites nos appellamus eos, tam qui ſub excelſis Magiſtris militum tolerare noſcuntur militiam, quàm qui in undecim devotiſſimis Scholis taxatiſunt* : At de Scholis alibi fuſiùs, cum de ludis literariis, quæ Beneventi fuere, a me agetur.

[*b*] De Bell. Goth. l. 1. Hic (Beneventi inquit) præterea ferunt, Diomedem Æneam venientem ex Ilio convenisse, dediſſeque illi ex reſponſo Minervæ ſimulacrum, quod ipſe quondam Ulyſſe juvante a Troja ſuſtulerat.

[*c*] *Minerva Pallas dicta eſt* (inquit Servius Æneid. 1. 43.) ἀπὸ τῦ πάλλειν τὸ δόρυ : *ideſt ab haſtæ concuſſione, vel quod Pallantem Gigantα occiderit* : Feſtus : *vel aſaltatione in armis, nam ſeſe aliud a terra attollere, vel manibus aliquid offerre, dicimus* πάλλειν *ideſt vibrare, agitareque.*

[*d*] Placet mihi, quod omnibus placere, deberet Senecæ monitum ad Lucilium ep. 72. ubi literarios Philoſophos eos vocat, qui in apicibus literarum, ſyllabiſque aucupandis operam inſumebant : *Erige te* (ait) *Lucili virorum optime, & relinque iſtum ludum literariorum Philoſophorum, qui rem magnificentiſſimam ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo, demittunt, & conterunt.*

Digitized by Google

locus Forum fuit [deque eorum nomine Piſcarium Romæ appellatum ſcimus], potius ex Foro in Baſilicas [quæ ſemper Foris adjunctæ ædificabantur] quàm ex Baſilicis in Forum gravis piſcium odos præſentes abigere debuiſſet: at quomodo, inquies, fieri poterat, ut e Foro ipſo ad Subbaſilicanos uſque fœtor effunderetur? Non id ſanè mirum; nam cum fœtidi piſces eſſent, nec publice in foro, quod *inter loca Ædilem metuentia* recenſetur a Seneca, exponi venales poſſent, facile erat venditoribus in poſteriori Baſilicarum parte clam venales ſervare, ſicque Subbaſilicani eorum odorem vix ferre valentes in Forum ſeſe recipiebant: Itaque cum Subbaſilicani Plauto ii ſint, qui poſt Baſilicas habitarent, jam Infraforanum Collegium nobis erit, quod infra Forum propriâ Æde ad conventus agendos conſtructa conſtitutum erat.

At quænam fuerit Infraforani hujus Martenſium Collegii Ædes? Collegiis omnibus proprias fuiſſe Ædes, ubi ſacra, ubi convivia, aliaque quæ, cum coirent, agi ſolebant, ſatis patet; Hanc Infraforanis Martenſibus peculiari *Canopi* nomine appellatam Beneventi extitiſſe præclare docet idem lapis C. Umbrio Eudraſto dedicatus; ejus enim largitas a Collegio Martenſium Infraforano perpetuo eo monumento commendatur, *quod is a ſolo Canopum propriis ſumptibus perfecerit*: Ædificium fuiſſe, quod C. Umbrius perfecit, verba lapidis manifeſtè indicant; At quæ ejus nominis ratio fuerit, non ſatis liquet: Scio, inter alias hujuſce vocabuli (*a*) ſignificationes; Urbem quoque fuiſſe in Ægypto, cui nomen *Canopus*, ubi Nili oſtium ſtatuunt Strab. l. ult. & Plin: l. 5. c. 10. de qua canit Juven. Sat. IV. *Barbara famoſa non cedit turba Canopo*: At quid privato ædificio cum Urbe? Lucem aliquam noſtro *Canopo* afferre videtur Spartiani locus, qui de Imperatore Hadriano inter alia hæc narrat: *Tiburtinam Villam mirifice exædificavit, itaut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcriberet, velut Lyceum, Academiam, Pryſaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret*: Addendus heic etiam Seneca, qui Epiſt. 51. Canopi pariter meminit his verbis: *De ſeceſſu cogitans nunquam Canopum eliget, quamvis neminem Canopus eſſe frugi vetat*: Ubi non ipſam omnino Canopum Urbem intellexit Seneca, ſed quempiam locum alium, qui, quanquam non eodem nomine, re tamen ipſa cum Urbe Canopo comparari poſſet: Eam enim Strabo, & Ammianus ferunt fuiſſe in Ægypto Canopum, quam ſumma loci amœnitate, agrique ubertate inſignem Viri, mulieresque Religionis quidem ſpecie, ſed ad impudentiſſimos conventus agendos frequentare ſolebant; hinc in ejuſmodi loca, quæ Canopo ſimillima eſſent, nemo, inquit Seneca, ſecedet, qui tranquillam, honeſtamque vitam procul Urbe ducere cupiat: Nolim tamen, ut ejuſmodi ſit Canopus ille, quem C. Umbrius Beneventi exædificavit; quæ enim laus homini fuiſſet, aut cur illius liberalitas, ac honorificentia perpetuo monumento conſignaretur, ſi opportunum obſcænis capiendis voluptatibus locum paraſſet? Non itaque turpitudinis, ſed ſolius amœnitatis Ædes fuiſſe hicce C. Umbrii Canopus cenſeri debet, quo Collegium Martenſium pro ſacris, cœnis, ludis, aliiſque, quæ celebrari fas eſſet, coire poſſet; quod & de Hadriani Canopo, quem is, ut ex Spartiano didicimus, in Tiburtina Villa conſtruxit, facile judicandum erit, ut nempe in amœniori Villæ loco Ædes poſita ſuo quoque nomine Ægypti Canopum demonſtraret: Hactenus de Martenſium Collegiis.

Nunc de Fabrûm Collegio agendi locus eſſet, quod Beneventi extitiſſe optimam conjecturam ſuppeditat lapis in pariete occid. Ædis majoris, & apud Panvin. de Civ. Rom. c. 47. ubi: M. Gavius dicitur: PRAEF. FABR.: At de Fabris, eorumque Collegiis plura jam a doctis Viris obſervata ſunt, inſpexiſſeque ſufficiat Briſſonium in De Verb. Signifi, cui meritò adjungendus V. C. Mazochius in De Aſcia pag. 276., qui plures paginas ſubinde implens rem univerſam fusè, eruditèque confecit.

Illud tamen quærendum mihi ſupereſt, an Præfectura Fabrûm, quæ in prædicto noſtro lapide occurrit, ad eos Fabros, qui militiam ſequerentur, vel qui Civium commodo, atque uſui Fabriles artes domi exercerent, pertinere debeat; & ſanè utrobique tam Fabri, quàm Fabrûm Collegia aderant: Sed quum Urbanis Collegiis, qui præerant, Magiſtri appellari conſueſſent, jam non invitus conceſſerim Præfectos Fabrum ad Caſtrenſes Fabros deduci poſſe; ex quo tamen non illud fit, ut nullum Beneventi conſederit Urbanorum Fabrûm Collegium, nam qui militares Fabri eſſent, non omnes caſtra ſequebantur, ſed erant omnino alii, qui publicis

[*a*] Nam Canopus etiam Sidus dicitur ingens, & clariſſimum, de quo plura habet Plin. l. 6. c. 22.: Præterea Canopus fuit Ægyptiorum Deus, qui cum eſſet Sacerdos divinitate donatus traditur, propterea quod ignem, qui omnium ſe Deorum maximum jactabat, illorum ſimulacra comburendo, callide vicerit; Fabuloſam narrationem habes apud Suidam v. Canopus edit. Baſilææ.

Digitized by Google

Fabricis addicti intra Urbem perpetuo consistebant: Publicas autem Fabricas Beneventi aliquando constitisse præclare docet noster lapis.

TVLLIDIO ARGOLICO
. . . . . .
. . . . . DICIO
SAC. . . . . SIMO ET
COMITI FABRICARVM
TOTIVS CIVITATIS
BEN. VRBIS OB INSIG
NIA MERITA EIVSDEM
PATRONO VNIVERSI
LEONTIANI STATVAM
PONENDAM ÉSSE
DVXERVNT

Longe inferioris ævi hunc esse lapidem, itaut extrema prope Imperii tempora attingat, non leves conjecturæ ostendunt: ac primum Viri nomen, cui lapis inscriptus, eorum pariter, qui dedicarunt, non obscurè demonstrant: *Argolicum* Præfectum Urbi initio sexti sæculi extitisse sub Theodorico Rege ostendunt plures ad eundem ipsius Theodorici Epistolæ apud Cassiodorum Var. l 3. 29. & 33. & l.4. 22. & 25.; an vero is ipse fuerit, qui nostro lapide memoratur, suspicari tantùm licet, nam secundâ, ac tertiâ lineâ temporis injuriâ detritis, quæ nostri Tullidii Argolici munera tum fuerint, prorsus ignoramus, nisi quod illud . . . . . DICIO tertiæ lineæ superstes, cui quartæ lineæ initio SAC. . . . . succedit (quæ IVDICIO SACRO supplevi commode possunt) vix ad Præfecturam Urbis referri possit, sed potius ad inferiorem quempiam Magistratum, exemplo alterius nostri lapidis, ubi Vesedius Rufinus Advocatus Fisci dicitur *Summæ rei Judicio sacro promotus*; itaut nondum Præfecturam Urbis obtinuerat Argolicus, qui in Beneventana Urbe præter alia Comitis Fabricarum munere fungebatur. Qui vero fuerint *Leontiani*, nondum mihi compertum fuit; quod si divinationi locus, quum plures in lapide Fabricæ dicantur, eorum, qui unicuique Fabricæ adscripti erant, ut alii ab aliis internoscerentur, distincta fortasse, exemplo Martensium, erant cognomina, itaut Leontiani essent, qui in certam Fabricam ex pluribus Beneventi extantibus, operas suas præstarent, ita certe appellati a Leontio aliquo Viro summo, qui vel eam Fabricam instituendam curaverit, vel insignibus beneficiis ornaverit: Plures sanè Leontios a Constantiniano ævo ad Theodosianum fuisse plane constat ex sola Chronologia Codicis Theodosiani, ubi ad decem usque numerantur Præfecturâ Prætorii, Consulatu, aliisque publicis muneribus præclari: An ex tot Leontiorum aliquo ad nostros Leontianos cognomen [quod sequioris ætatis fœtus esse noscitur] derivatum fuerit, dum meliora suppetant, verisimile interim dixerim.

Sed & ipse muneris titulus ad seram admodum Imperii ætatem lapidem ablegandum monet. Verum sanè est *Comitis* vocabulum a Principatus pene exordio in Aula receptum, sed non alia plane muneris conditio, quàm quæ nativa vocabuli significatione contineretur; extraordinarium enim, atque honorarium olim *Comitum* munus, qui ex illustribus Viris delecti Imperatorem in Provincias proficiscentem comitarentur: Sic Tiberium in Germaniam iturum Comites sibi legisse memorat Tac. ann. 1. 47. Vespasianus quoque Achaica peregrinatione Neronis *Comes* refertur a Sveton. c. 4. Paulatim vero, etiam cum Princeps in Aula esset, perpetuos ejus lateri *Comites* adhæsisse, ipsorumque consilium in judiciis adhibitum colligimus ex Spartiano in Hadrian. cap. 18. At Constantinus demum, cui perpetuum fuit novæ statuendæ Reip. formæ studium, tum novis institutis Magistratibus, tum etiam novis eorum titulis adinventis, adeo de Comitis vocabulo sibi complacuit, ut nihil non esset Magistratuum, in quo Comitis nomen non audiri vellet, itaut omnes ferè tum Civiles, tum Militares, tum Palatinæ administrationes eo titulo ornari jam cœpissent; quumque varii essent Magistratuum gradus, factum inde fuit, ut pro cujusque dignitate *Comitivæ* primi, secundi, ac tertii ordinis instituerentur

Digitized by Google

rentur (*a*), cumque ipsis Comitivis, *Comitatensium* vocabulum in Latium invectum fuerit. Jam vero munerum certorum catalogum, quibus Comitis titulus affixus erat, ex Juris libris, aliisque monumentis exhibent tum Brissonius in De Verbor. Signif V. *Comes*, tum Cangius in *Glossar. med. latinit.* apud quos tamen non invenire est *Comitem Fabricarum*, quem frustra etiam alibi obvium habere laboravi, nisi quod apud Marcellinum l. 14. Tribunos Fabricarum memoratos reperi hisce verbis: *Quum Quæstor non hos, sed Tribunos Fabricarum infimul esset, promittentes arma, si nova res agitari cœpissent*: Itaque pretium jam nostro lapidi accedet, propterea quod vel ipse unus sit, ex cujus optima fide, inter alios diversorum munerum *Comites* incompertum adhùc *Fabricarum Comitem* fuisse sciamus.

Quum autem nihil privati juris in eo titulo considerari possit, sequitur, ut neque ipsæ Fabricæ, quarum in nostro lapide mentio est, privatæ, sed omnino publicæ censeri debeant: publicas autem intelligo Fabricas, probo quidem, atque antiquitus recepto vocabulo (*b*), sed serâ institutione, Principumque auctoritate in certis Romani Imperii sedibus locatas, ut in iis arma, ceteraque bellica instrumenta, quæ privatis vendi, inque privatos usus converti vetabantur, tantùm militibus ministranda fabricabantur; unde & Sacræ Fabricæ, & qui earum operis adscripti erant *Fabricenses* dicebantur, quorum frequens in utroque Codice, & alibi occurrit mentio; de his autem duo omnium observare licet; alterum, quod quum Fabricæ primùm adscribi vellent, stigmatis brachio inustis notabantur, ut eâ notâ, si quando aufugissent, detecti facile, ad opus statim revocarentur, ut patet e *l. 4. Cod. Theod. de Fabricensibus*. Alterum vero, quod eorum sive *Consortium* erat, ut *ex l. 6. ejusd. tit.* sive *Corpus*, ut appellatur *in Novell. unic. de bonis Fabricensium*, ad Collegæ sine liberis, vel legitimo hærede decedentis hæreditariam successionem vocabatur, ut in ead. Novell. Impp. Theod. & Valentin. sanxerunt, unde in hisce Fabricensibus perfectissimam Collegii formam agnoscere licet, inter quos perpetua vitæ, artificii, fortunarumque communio, atque societas colebatur.

At quid, inquies, Benevento cum publicis, seu *Sacris Fabricis*? Scio plurimas in utroque tum Orientis, tum Occidentis Imperio fuisse Fabricas Principum auctoritate institutas, longoque eas mansisse ævo, ad quindecim in Orientali, ad novendecim vero in Occidentali Imperio, atque harum sex in certis Italiæ Urbibus locatas enumerat Pancirolus, & Bergierius (*c*); neque tamen in hisce Italicis Fabricis Beneventanæ Urbis mentio occurrit: Rectè quidem: sed quum de nostri lapidis fide nemo jure dubitare possit, in quo Tullidius Argolicus dicitur *Comes Fabricarum totius Civitatis Ben. Urbis* (*d*), non una profecto ratio in promptu est, ut rem ita fuisse judicemus: plura namque sunt, quæ prius certò definita videbantur, novis tamen erutis antiquitatis monumentis, novum quoque sibi postulant judicium: Quum igitur Italicarum Urbium, ubi Fabricæ olim fuere, numerus nulla certa lege, aliove monumento statutus appareat, quidni, fatente adhùc nostro lapide, fuerit etiam hoc Beneventanæ Urbis decus, ut ad reliquas sex Italicas Urbes, quæ publicas haberent Fabricas, septima accenseretur? Accedit etiam, quod quum ipsæ Fabricæ in iis oppidis locari consueverint, quæ non longe a limitibus Imperii, ac militaribus stationibus abessent, verisimile illud erit, aliquam in Ciltiberina Italia, quæ maritimis incursionibus undique patebat, Ostiumque Romanæ Urbi satis proximum præbebat, fuisse locatam; locum autem ejusmodi rei satis opportunum præstabat Beneventana Urbs, quæ tum florentis, tum collabentis Imperii in Ciltiberina Italia arx, atque propugnaculum habebatur, itaut munitissimum oppidum a Procopio appelletur, quod primum

[*a*] Cujacius, & alii observant Comitum gradus in Palatio primùm distinxisse Constantinum, quòd ex Eusebio in vita ejusd. Imp. l. 3. c. 1. colligunt, quod antea Constantinum nulla Comitum ejusmodi mentio occurrat.

[*b*] Fabricæ vocem tum Varro usurpavit lib. VIII. de ling. lat. quo loco Analogiæ voluntariæ exemplum proponit, tum Plautus in Cistell. 2. 2. 15. & alibi sæpe; ut propterea mirum sit, quare præceptores Quintiliani de ea voce adhibenda adeo dubitarint; Sic enim ipse de verbis novis agens l. 8. c. 2.: *Piraticam quoque ut Musicam, & Fabricam dici adhuc dubitabant Præceptores mei*. Non solum autem eo vocabulo publicæ armorum officinæ dicebantur, sed etiam inferioris ævi ea vox usurpari cœpit (quod hodiedum apud nos Italos manet) ut publica opera, ædificiaque significaret, ut præter l. 13. Cod. Theod. de Prætor. & l. 14. & 30. D. De oper. publ. manifestè patet ex Cassiodor. Var. l. 1. 21. l. 2. 34. l. 7. 5.

[*c*] Pancirol. not. Imp. Orient. c. 67. & 71. & Imp. Occident. c. 30. 31. 32. Bergier de viis militar. IV. sect. 21. §. 2. & 9.

[*d*] Mirabimur certe in hoc lapide singularem hanc loquendi formulam, qua *Civitas Beneventanæ Urbis* expressa fuit: vulgatum discrimen est inter Civitatem, & Urbem, quo Latini utebantur feliciùs, quàm nos Itali, qui ad alterutram rem significandam diversitate vocabuli caremus: an vero ad ejusmodi discrimen attenderit nostri lapidis Auctor, vix puto, neque etiam adhibendi hujusmodi discriminis ulla in lapide adesse videbatur necessitas.

Digitized by Google

primum omnium Rex Totila, quum Ciſtiberinam Italiam ſubigere ſibi vellet, expugnare ſategerit, ut alibi a me fuit obſervatum : Cæterum an initio ut in aliis Italicis Urbibus, Beneventi pariter publicæ Fabricæ fuerint inſtitutæ, vel ſera admodum ætate, quam ipſe lapis præfert, id evenerit, aliorum judicio libens permiſerim, dummodo ſtet ſua lapidi fides, publicas Fabricas Beneventi aliquando fuiſſe.

Atque hæc habui, quæ breviter de Beneventanæ Urbis antiquis Collegiis certa differerem : plura autem apud veteres Beneventanos fuiſſe Collegia, quàm quæ modo ſuperſtitum lapidum auctoritate tradidimus, manifeſtum videri poteſt : Omnes enim artes, profeſſioneſque, quæ in florentiſſimis Urbibus coli ſolent, non defuiſſe Beneventi, etiamnum probant noſtri lapides, ubi *Tectores*, *Meſores Ædificiorum*, *Tibicines*, *Artifices Organorum*, *Ærarii*, *Veſtiarii*, ceterique id genus Artifices occurrunt, de quibus in noſtro Theſauro propriâ Claſſe agendum erit : Collegiorum autem Civitatis non ſolum ſummatim univerſimque meminit Lapis huic Diſſertationi præfixus, quod ſanè ingentis eorum numeri clariſſimum argumentum videri poteſt ; verum etiam lapis alter, quem prioribus lineis detritum non levi conjectura Narſeti tribuendum alibi cenſui (*a*), ubi is inter præclara alia, quæ Beneventanæ Urbi poſt Gothorum invaſionem munificentiſſimè præſtitit, eo quoque laudis titulo commendatur, quod fuerit *Collegiorum* RESTITUTOR.

DISSER-

[*a*] Vide heic Diſſert. x. cap. III.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

De Via Trajana.



Nter Beneventanas Antiquitates Via illa jure referri debet, quam Imp. Trajanum *Benevento Brundusium pecunia sua feciſſe*, tres apud nos milliariæ Columnæ, quamplures item ſimiles, teſte Manutio (*a*) per Apuliæ locos extantes manifeſtè declarant: Certè ad Beneventanæ Urbis decus ipſum Opus accedet, cujus initium in Urbe eadem agnoviſſe licet; cui etiam fortaſſe debemus, ut de magnificentiſſimo Arcu eidem Trajano extructo, veterum monumentorum omnium, quæ ubique Terrarum ſpectanda ſuperſunt, facilè Principe, etiamnum nobis ſit gloriandum: Arcus enim a S. P. Q. R. plerumque iis Imperatoribus decernebantur, a quibus Viæ publicæ factæ, refectæque fuerunt, vel etiam Pontes, aut Portus conſtructi: Res ab Auguſto cæpta, cui quod, Flaminiam Viam Ariminum uſque muniendam curaſſet (*b*) Arcum alterum in Ponte Tiberino, ubi ejus viæ initium, Arimini alterum, quò deſinebat, extructos tum Dio (*c*) memorat, tum etiam ejuſdem Auguſti nummus a Spanhemio, aliiſque indicatus, in cujus averſa parte duo viſuntur quadrati Arcus cum Inſcriptione: *quod viæ munitæ ſunt*: De Trajani Arcu, qui Romæ olim in Regione Portæ Capenæ videbatur, eadem fuit Bergierii, ac Modii ſententia (*d*), proptereaquod Trajanus Viam Appiam, cujus ex eadem Porta erat exitus, magnificentiùs reſtituerit; de hac vero re, quandoquidem cum ipſo Arcu etiam Titulus deſideretur, non licet tutò affirmare, quemadmodum de Anconitano Arcu certum illud hodie ex ejuſdem titulo conſtat, ideo Trajano extructum: *Quod acceſſum Italiæ hoc etiam addito de pecunia ſua Portu tutiorem navigantibus reddiderit*: At de noſtro Arcu, cujus Ichnographiam ſua quoque Diſſertatione generatim illuſtratam in hoc volumine ſpectaſſe ſufficiet, peculiari volumine altero, pro materiæ ubertate, atque dignitate agendum mihi erit; nunc de Via Trajana, quæ extruendi Arcus inter alias plures veriſimilis cauſſa videri poteſt, quæque ſuo ſatis præclaro Opere plura nobis obſervatione digniſſima ſuppeditat, diſſerere conſilium eſt.

Nihil itaque hac Via celebrius fuiſſe conſtat, quam præter inſcriptos milliarios lapides etiamnum ſuperſtites, & vetus Inſcriptio Auximas, & antiqua numiſmata ſatis præclare commendant;

[*a*] Ortog. v. Brundiſium.

[*b*] Sveton. in Aug. c. 30.: *Quo autem facilius Urbs adiretur, deſumta ſibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus Viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit.* [*c*] *Dio lib. 53. p. 511. D.*

[*d*] Bergierius de viis milit. lib. 1. ſect. 25. §. 3. 4. & 5. Modius de triumph. lib. 1. cap. 34.

ACAD. SCIENT. LITT ET AM. LAUS

Digitized by Google

mendant; At quum lapides ipſi milliarii ignorarentur, nihil eâdem Viâ, quo loco fuerit, incertius apud Antiquitatis ſtudioſos aliquando fuit, nam & Pancirolus, & Aringhius, aliique, quos de more Pitiſcus compilat (*a*), ubinam illam ſtraviſſet Trajanus, adhuc ſibi incompertum fatentur: Panvinius (*b*) vero poſtquam ex Auximate Inſcriptione ad tres uſque Trajanas vias fuiſſe ſtatuiſſet, præter illam, quam in Pontinis paludibus Trajanum ſtraviſſe ex Dione didicerat, de reliquis duabus nihil certi, quod afferat, habere concludit: At Auximatem lapidem, quem apud Gruter. habes pag. 446. num. 4., ut Panvinius ipſe exhibet pag. 72. heic afferre præſtabit.

C. OPPIO C. F. VEL
SABINO IVLIO NEPOTI
M. VIBIO SOLEMNI SEVERO
COS (*c*)
ADLECTO A SACRATISSIMO IMP
HADRIANO AVG
INTER. TRIBVNICIOS. PR. PEREGR
CANDIDATO AVG
LEG. PROV. BAETICAE CVR. VIAR
CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE
CIMINAE. TRIVM. TRAIANARVM
ET AMERINAE LEG. LEG. XI
CL. P. F. LEG. AVG. PR. PR.
PROVINC. LVSITANIAE
PRO COS. PROV. BAETICAE
PATRONO COL
LEONAS. LIB. (*d*)
ADCENSVS PATRONI
ET IN DEDIC. STATVAE
COLONIS CENAM DEDIT

Panvinii ſententiam de tribus viis Trajanis, quas is ex hoc lapide ſibi conſtare credit, tueri mihi facile, ſi ad illam, quam in Pontinis paludibus Trajanus primùm munivit, atque alteram, quam Benevento Brundiſium deinde fecit, tertiam quoque addi libuiſſet, quam poſtremò Trajanus ad Pontum Euxinum longiſſimo itinere, quo facilius extremæ Orientis Regiones adirentur, ſtraviſſe traditur: At de hac via non ſatis explorata res eſt, quam etiam inter Trajanas vias hoc lapide memoratas referre ineptum omnino erit: Quid enim? Deberet ne C. Oppius, cui Viæ aliæ prope Urbem curandæ mandabantur, ad Euxinum uſque ſe contuliſſe,

[*a*] Pitiſc. in Lex. antiq. V. Via Trajana.

[*b*] Panvin. de Urb. Rom. p. 102. edit. Venet. 1558.

[*c*] Tam numeroſa nomina eodem caſu poſita tres priores hujus lapidis lineas implentia, quibus illud Coſ. quarta linea ſolitarium ſuccedit, mendoſa deſcriptoris vitio cenſet Reineſius, qui ex ſecunda, & tertia linea format Julium Gervianum, & C. Vibium Jubentium Varum Conſules an. Chr. 134. ſub Hadriano: At ſecundæ lineæ nomina commodius erit pro C. Oppii cognominibus poſt Velinam Tribum adjectis accipere: In tertia autem linea promptius erit Catilium corruptè in Faſtis, at ex hoc lapide Vibium Severum agnoſcere, qui ann. Chr. CXX. ac Imp. Hadriani IV. Conſul proceſſit; quem iſtum Severum puto, qui in hoc lapide memoratur; unde ſic ejuſdem lapidis initium commode explicari poſſe crediderim, ſi tertiæ lineæ nomina auferendi caſu poſita, pro eodem Conſule accipiantur, ut exinde pateret, quo anno C. Oppius inter Tribunicios ab Hadriano fuit adlectus.

[*d*] Notandus eſt *Leonas* recto caſu poſitus, qui in *Leonidis* inflectendus videtur: Ac illud quidem Liberti nomen, qui C. Oppio Patrono ſuo ſtatuam dedicaverit, ejuſdemque Patroni ſui *Adcenſus* fuit, hoc eſt in publicis muneribus, quæ ille obiverat aſſiduus miniſter, qui ad Imperium nutumque præſto erat: Libertis autem hoc munus dari mos erat: ut præter alios Cic. in præclara epiſt. ad Quint. Fratrem in Provinciam proficiſcentem l. 1. ep. 1. c. 4.: *Accenſus ſit eo numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt; qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris, ac muneris, non temere, niſi Libertis deferebatur; quibus illi quidem non multo ſecus, ac ſervis imperabant.*

Digitized by Google

liſſe, ut Viam illam curaret? nullimode igitur Panvinii de tribus Viis Trajanis, quam ex hujus lapidis verbis deducebat ſententiam probari poſſe video: neque enim, ſi eadem verba accuratiùs expendántur, tres iſtas Trajanas Vias in eodem lapide inveniſſe erit; ſed nihil magis promptum, nihil etiam magis verum, quàm illud TRIVM, quod in lapide legitur, pro TRIVMphali interpretari, ut ſcilicet *Viam Triumphalem* (cujus Curatores aliis diverſis temporibus antiqui lapides paſſim nobis exhibent) tunc etiam C. Oppius cum reliquis viis in lapide memoratis curandam ſuſceperit: Illud tandem TRAIANARVM, quod ſubſequitur, aut mendoſum eſt, cum fortaſſe in lapide ſit TRAIANAE, aut ſi plurali numero ea dictio ſcripta ſit, nonniſi binas illas Vias, quarum alteram in Pontinis Paludibus, alteram Benevento Brundiſium Trajanus munivit, tantummodo continebit: atque utraque quidem Via, præter monumenta alia, peculiarem ſibi vendicat nummum ea de cauſſa percuſſum; cum enim bini adhuc extent nummi, in quorum altero jacere mulier, rotamque manu ſuſtinere cernitur, cum inſcriptione: *Via Trajana*: in altero vero mulier quoque jacens, quæ tamen ſiniſtra ramum frondoſum, dextra vero rotam ſupra genu gerit, cui ſubtus inſcriptum eſt: *Via Trajana*: ſupra vero, *Optimo Principi*: jam ex ejuſmodi nummorum diverſitate, quum de binis Viis diverſo tempore, locoque factis aliunde conſtet, ſuum cuique nummum attribui oportebit.

At quum diverſas eas Vias dixerim ab eodem Trajano factas, nolim tamen id ita accipi, ut ambæ inter ſe illæ Viæ diſtinctæ omnino disjunctæque cenſeri debeant: Altera enim alteram excipiebat, eodemque protenſa ductu, in terminum eundem recto itinere deſinebat: Jam de Appia me loqui intelligis Lector, cujus celeberrimæ Viæ quum multa ad rem meam, plura etiam ſibi propria erunt, quæ modo mihi obſervaſſe oportebit.

De Appio Claudio, ejus Viæ auctore ſatis conſtat, qui primùm illam Capuam, uſquequo Romanorum fines tunc pertingebant, munivit; qui vero, & quando Beneventum, atque ex ea tandem Urbe Brundiſium perduxerit, cur etiam, novis ſicet auctoribus, quà longè producta ad ſui uſque terminum, Appia tota diceretur, non ſatis convenit: Panvinii, Lipſii, aliorumque errorem, qui vel Gracchum, vel Cæſarem, vel Auguſtum, aut eorum quemque pro ſuo ævo, ac munere Appii opus proſequutos ſtatuebant, jam alii notarunt; & certè prolatis iamdudum ad Jonium uſque Reip. finibus, quin etiam ab anno v. 543. Romanis, Lævino Coſ. *mare ipſum ingreſſis, & tota Græciæ litora*, (ut inquit Florus) *triumphali claſſe peragrantibus haud tamdiù expectandum fuiſſet*, ut Via ipſa, quæ Capuâ Beneventum, Benevento Brundiſium duceret, poſtremis tandem Reip. temporibus tam ſero opere muniretur: Illo igitur centum prope annorum intervallo, qui ab Appio Cenſore ad Lævinum Conſulem effluxere, tum Appii exemplo, tum quod ita Populi Romani majeſtas, utilitaſque poſtulabat, quò facilius militibus, frequentiſſimiſque viatoribus iter pateret, Via ipſa paulatim ſterni debuit, quam poſtea Gracchus, ac deinde Cæſar, Auguſtuſque, quo loco corruptam reperiſſent, muniendam curarunt: Illud vero temporis ſpatium inter anguſtiores terminos contrahi quoque poſſe crediderim, ſi Viam ipſam, cui olim Capua terminus, cum ipſo ſimul Romanorum dominio ulterius progredi faciemus: nihil enim veriſimile magis, quàm deductâ jam Beneventum Coloniâ (quod in Conſulatu Ap. Claudii, ac Sempronii Sophi an. V. 486. eveniſſe conſtat) mox Capuâ Beneventum uſque Via ipſa producta fuerit: Ac quum demum in Conſulatu Manlii Torquati, Semproniique Blæſi A.V. 510., Vellejo teſte, Brundiſium, (qua quidem Urbe paucis ante annis in ditionem redactâ Italia omnis, quæ cis Tiberim patet, Romanorum Imperio ceſſit) Colonia quoque deducta fuerit, per ea profecto tempora Via eadem Benevento egreſſa longiùs ſeſe effundere cœpit, ac Brundiſium uſque munienda fuit, ac proinde, quod ſub medium quintum Romæ ſæculum cœptum, eodem exeunte, aut vix lapſo, abſolutum Opus cenſeri debet.

Illud tamen obſcurius, quod quum nihil ad Appium, ſi Capuâ diſceſſeris, de reliqua via, hæc nihilominus quàquà longiore, quàm olim tractu Brundiſium protendebatur, uno, eodemque ipſo Appiæ nomine appellaretur. *Cenſeo* (ita ſcribebat Pompejus Ciceroni (a) *Via Appia iter facias, & celeriter Brunduſium venias*: ubi vides non aliam, quàm unam Appiam rectà Brundiſium duxiſſe: Sic Horatius (b) Tacitus (c) Strabo (d) Appiæ terminum Brundiſium agnoſcunt: Rei cauſſam excogitavit nuper Franciſcus Pratillus de Via Appia l. 1. c. 3., ideo Appiam audiſſe integram viam ratus, quod eamdem poſteriores Appii, quorum alter cognomine *Craſſus* A.V. 485., alter cognomine *Caudex* A.V. 489. Conſulatum iniere, producendam fortaſſe curaverint; quibus & Ap. Pulcrum, qui A.V. 504. fuit item Conſul addendum putavit. Viri conjecturam, quam ſolertiſſimis Neapolitani Regni literatis probatam deprædicat, ac de

[a] Ad Attic. l. 8. epiſt. 9. [b] Ep. l. 1. epiſt. 18. [c] Ann. 11. [d] Lib. v.

Digitized by Google

qua tantopere is ſtibi blanditur, levem admodum dixerim. Id enim divinare facile fuerat ex pluribus Appiis, qui paullo poſt priorem Appium Cenſorem Remp. adminiſtrarunt; ſed ne divinatio ipſa veriſimilitudinem aliquam obtinere poſſit, adhuc in poſterioribus hiſce Appiis Magiſtratus ille deſideratur, cui pro ſuo munere ſternendarum viarum incumberet cura: non enim ad rem *Conſulatus* facit, ſed *Cenſura*: ſic prior Appius duobus Conſulatibus, Dictaturâ, aliiſque ſummis muneribus inſignis, nonniſi demum quum Cenſura fungeretur, M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure Coſ. [ut inquit Frontinus (*a*)] Aquam induxit, & Viam ſtravit; adeout in publicis operibus, quæ a Cenſoribus curarentur, horum tantum apud Poſteros manebat & nomen, & laus, Conſules vero pro ſola certi temporis nota adhiberentur; miſſis igitur Appiis, veriſimilius illud exiſtimaverim, reliquam viam a ſequentibus Cenſoribus fuiſſe munitam; dum vero opus ipſum paulatim, ut ipſa Romanorum Ditio, progrederetur, atque ideo ſexaginta circiter annorum ſpatio plures, ac diverſi Cenſores eidem adlaboraverint, tum quod breviora viæ muniendæ ſpatia cuique contingerent, abſurdumque videretur eandem viam recto itinere pergredientem in plura, ac diverſa nomina diſpertiri, tum etiam, quod novum opus veteris Appiæ magnificentiam nullo modo æquaret, haud certe viæ illius ſpatium, quod quiſque ſtraviſſet, ut de ſuo nomine appellaretur, Cenſores ſolliciti fuerunt, aut ſi unquam inditum fuerit nomen, mox intercidiſſe debuit, ſolumque Appiæ nomen in univerſam Viæ ipſius acceſſionem ob ſui excellentiam ſe ſe effudit: Et ſane adeo vetuſtate ſua, majeſtateque valuit ejuſmodi nomen, ut neque Cæſaris, quem magnam Viæ Appiæ pecuniam prodegiſſe teſtatur Plutarchus, neque Auguſti, cui maximum viis muniendis fuit ſtudium, æqua ambitio, parque in utrumque Romanorum adulatio illud obliterare potuerit: Id quod Flaminiæ Viæ eveniſſe quoque conſtat, quam licet Auguſtus, Svetonio teſte, Arimino tenus muniendam curaverit, imo verò Arimino ipſo Aquilejam uſque productam deinceps fuiſſe liqueat, perpetuo tamen Flaminiæ nomine veteres appellarunt: At ubi Trajanus, ut ſuperiorum Principum Virtutes *Optimi* titulo ſupergreſſus, Operum quoque publicorum molitionibus magnificentiam ſuperaret, vias pene omnes in Orbe Romano univerſo muniendas ſuſcepit, tum in aliis pluribus, quas generatim Galenus (*b*) commemorat, tum præſertim in Appia egregiam illam navavit operam, qua demum factum fuit, ut vetere nomine abjecto, Trajana omnium ſermone, publiciſque monumentis nuncupari cœpiſſet. Nummos ea de re cuſos ſuperius obſervavimus, quibus *Via Trajana* inſcriptum eſt; atque ex illorum diverſitate quid in veteri Appia tum Româ Beneventum, tum etiam Benevento Brundiſium diverſo tempore Trajanus præclare præſtiterit, leviter attigimus, quod modo accuratius perſequi, ſpeciatimque noſſe opportunum erit.

Primum igitur Trajanus Viam Appiam, quà longe in Paludibus Pontinis Terracinam tendebat, munire aggreſſus eſt. Difficillimum hunc viæ tractum loci natura reddebat, qui paluſtribus aquis perpetuò redundans non lutulentum modo, ſed incommodum, ac planè periculoſum iter præbebat; Hinc Appiæ curam difficilibus etiam Reip. temporibus nunquam neglectam, vel ex pulcherrimo Ciceronis loco, quo Philippicæ VII. exordium fecit (*c*) abunde diſcimus: Dum vero Principatus obtinuit, frequentior validiorque ad viæ improbitatem tollendam conatus; at quam eidem muniendæ ſuperiores Principes non ſemel adhibuerant, curam omnem loci conditio eluſiſſe viſa fuit. Brevi illo, quo Nerva imperavit ſpatio manum operi & ipſum admoviſſe conſtat, ſi tamen fides binis illis columnis milliariis, quarum alteram ad Forum Appii ex *Corradini Vet. Latio* excepit Pratillus [pag. 23.] alteram iiſdem verbis, ſed diverſo numero inſcriptam hic ipſe exhibet [pag. 100.]: In iis autem præter leviora alia,

[*a*] De Aquæ duct. l. 2. *Appia aqua inducta eſt ab Appio Claudio Cenſore, cui poſtea Cæco cognomen fuit, M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure Coſs. anno* XX. *poſt initium Belli Samnitici, qui & viam Appiam e Porta Capena uſque ad Urbem Capuam muniendam curavit.*

[*b*] Galenus in lib. Method. med. 9. 8. de Trajano, cujus ævo floruit, hæc habet: *Vias refecit, quæ quidem earum humidæ, aut lutoſæ partes erant, lapidibus ſternens, aut editis ageſtionibus exaltans, quæ ſenticoſæ, & aſperæ erant, eas expurgans, ac fluminia, quæ tranſiri non poſſent, pontibus jungens: ubi longior quam opus erat via videbatur, aliam breviorem exſcindens, ſicubi vero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens: Jam ſi conſeſſa feris, aut deſerta ora, ab illa transferens, ac per habitata ducens.*

[*c*] Philippicam VII. ſic exorditur Cicero: *Parvis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur, Patres conſcripti; De Appia via, & de moneta Conſul; de Lupercis Tribunus Plebis refert; quarum rerum etſi facilis explicatio videtur, tamen animus aberat a ſententia ſuſpenſus curis majoribus*: quæ tamen verba veluti indignabundus Cicero protuliſſe videtur, hanc factionis Antonianæ calliditatem ratus, ut ejuſmodi rebus intentus Senatus, de ſummo diſcrimine, in quo tum Reſp. verſabatur, remiſſiùs ageret.

Digitized by Google

alia, insigne mendum legere est in Tribunitiæ Potestatis annis, qui quum numero x. signentur, haudquaquam Nervæ attribui possunt, qui in Imperio (cujus anni Tribunitiæ Potestati respondere consueverunt) haud integrum biennium numeravit (a): At quod hactenus neque pro Auctorum dignitate, neque pro rei necessitate tentatum, perficiendum denique opus Trajano servari videbatur: Etenim *per Pontinas Paludes* [ut inquit Diodorus Siculus] *viam saxo stravit, extruxitque juxta vias ædificia, pontesque magnificentissimos fecit*; neque secus apud Dionem Cassium habetur, *qui viam in Pontinis Paludibus a Trajano saxo constructam* refert, *secundum quam domus ædificatæ sunt, Pontes præterea magnificè structi*: qua in re non modo quid opus esset ad perpetuum viæ munimen, Trajanus curavit, verum etiam illud mirari subit, quod ædificiorum, Pontiumque magnificentissimè structorum frequentia summum Operi splendorem adjiciendum voluerit: Ejus viæ Columnam milliariam numero x. signatam Terracinæ etiamnum extantem exhibet Gruter. pag. 1019. quam a doctissimo Sirmondo emendatam iterum vulgavit, eruditisque observationibus illustravit Fabrett. in Col. Trajan. c. 9. p. 291.

X
IMP. CAES
DIVI NERVAE FIL
NERVA TRAIANVS
AVG. GERMANICVS
DACICVS
TRIB. POT. XIII
IMP. VI. COS. V. P. P
XVIIII. SILICE
SVA PECVNIA
STRAVIT

In qua tamen inscriptione post Sirmondi, ac Fabretti diligentiam adhuc emendationem desiderari quis non videt? quid enim numeralis illa nota XVIIII. initio octavæ lineæ sibi velit, frustra Fabrettus divinavit; nam nihil, ibi nisi VIAM (ex cujus literarum, quæ fortasse detritæ sint; vestigiis illud XVIIII. efformari facile fuit) legendum crediderim, quam quidem dictionem tum ob literarum affinitatem, tum ob rectam, quæ sponte se prodit, inscriptionis intelligentiam, in ea lapidis linea fuisse omnino arbitror.

Sed quum præclarum Trajani Opus insignioribus aliis monumentis, nummo scilicet ea

[a] Nec minus suspectæ fidei eadem de causa censeri debent binæ aliæ Columnæ ad *Turrem Trium Pontium* prope Forum Appi relatæ a P. Vulpio in Latio tom. 4. pag. 63. in quibus Tribunitia Potestas III. cum quarto Nervæ Consulatu conjungitur sic.

IMP. CAESAR
NERVA AVG. GERM
PONT. MAX. TRIBVN
POT. III. COS. IIII. P. P
SVA PECVNIA CONST

& mox in iisdem Columnis hæc sequuntur

IMP. CAESAR
NERVA DIVI NERVAE F
TRAIANVS AVG
GERM. PONT. MAX
TRIB. POT. III. COS. III
P. P. CONSTR. CVRAVIT.

In quibus illud etiam: *Nerva Divi Nervæ F.* atque etiam illud *Const.* & *Constr.* pro *construxit*, & *construendum curavit* omnino insueta, ac præterea subjecta statim in eadem Columna Nervæ Inscriptioni altera Trajani Inscriptio contra ejus ævi morem, nulla etiam novi cujuspiam operis, quod Trajanus curasset, facta mentione, commentitias has columnas fortasse declarant: mihi certe nunquam persuaserim præclarum aliquid, aut in Appia, aut alibi Nervam moliri potuisse: Pratillum non audio [pag. 23.], cujus in mentem nescio cur, aut unde venerit, ut Appiæ per Pontinas Paludes munitæ laudem Nervæ præcipuam vindicare conetur, quem inquit non modo opus inchoasse, verum etiam congestas opes perficiendo paratas habuisse, quas demum, quum brevi desiisset, simul cum perficiendi cura Trajano successori reliquerit: At scimus quam turbulentum intestinis factionibus breve illud Imperantis Nervæ spatium fuerit, quod de Operibus publicis cogitare haud sinebat; curandis autem, si mens fuisset, opes certe deerant, quas omnes meliori consilio in civibus subsentandis absumens eò inopiæ, ut refert Dio Cassius, pervenit, ut *vestes primum, vasa aurea, atque argentea, pretiosam præterea suppellectilem, sive sua propria, sive publica, & regia foret, auctioni subjecerit*.

Digitized by Google

de re percuſſo, ac veterum Scriptorum teſtimoniis celebratum jam noverimus, hoc tamen ſingulare ex laudata Columnæ inſcriptione nobis præſto eſt, ut quo prorſus anno viam prædictam Trajanus ſtraverit, certo ſciremus: De anno prædicto ex Dionis loco conjectari tantum licebat, nam poſt ſecundum Dacicum Bellum, quo, extincto Decebalo Rege, Dacia demum omnis Romano Imperio adjecta eſt, quum iterum Trajanus Romam regreſſus, magnificis ſpectaculis per CXX. dies editis, triumphum egiſſet, *per eadem tempora* (ſubdit Dio) *in Pontinis Paludibus via ſaxo conſtrata eſt &c.* Hunc inſignem de Dacis triumphum, quem Romæ peregit Trajanus in Conſulatu Ti: Julii Candidi, & A. Julii Quadrati refert Caſſiodorus in Faſtis, quumque hos Conſules in an. Ch. 105. incidiſſe conſtet, ſequentem annum, aut etiam biennium ex Dionis verbis viæ huic tribuendum videbatur; at ſeriùs opus fuiſſe extructum ex Columnæ inſcriptione nunc liquet: Tres temporis notas ibi habemus, nempe Coſ. v. Imp. VI. Trib. Pot. XIII. at quum ex duabus prioribus nihil omnino certum ſtatui poſſit, propterea quod Conſulatus quintus, quem an. 103. Trajanus geſſerat, non annum ipſum, ſed munus olim geſtum ibi deſignat; Imperatoriarum vero acclamationum numerus obſcuriorem temporis rationem contineat, quam aliunde expetere oporteat, jam ex Tribunitiæ Poteſtatis annis, quos æquo numero cum Imperii exordio profectos apud omnes convenit, annum quem quærimus, ſtatuiſſe promptum erit, ac magis tutum. Itaque ſi ab initio anni XCVIII. vulgaris æræ Trajani annos numerare incipias (nam die 21. aut ſerius 27. Januarii Nervam obiiſſe ſtatuit Tillemontius) in annum CX. ejuſdem æræ Tribunitiam Poteſtatem XIII. incidiſſe reperies; quamquam (quod Trajanum attinet) ejus Tribunitiam Poteſtatem, quam vivente adhuc Nerva ſimul cum adoptione adeptus fuit, uno anno Imperii annos antevertere veriſimilius mihi ſit: de qua re alibi, quum Arcus Triumphalis titulum illuſtrabitur, uberrime differendum mihi erit.

At quum de anno (ſive CX, ſive CXI. is ſit) quo Trajanus Viam per Paludes Pontinas ſtravit, jam conſtet, jam ex eadem omnino temporis nota, quæ noſtræ item Columnæ inſcripta legitur, idem quoque annus Viæ alteri, quam Trajanus Benevento Brundiſium fecit, erit profecto tribuendus: at uno, inquis, anno utrumque opus perfeciſſe potuit Trajanus? Nihil certe mirum, ſi ad conſuetam celeritatem illam attendas, qua opera publica ſtatim exurgere Cæſarum ætate, ac potentia videbantur, animumque Trajani ſimul conferas, qui majora in conſtruendo Iſtri Ponte (a) molitus pene hominum vires, atque fidem ſuperaverit: adde etiam, quod opus celeriter abſolvendum poſtularet tum utriuſque viæ difficultas, tum ipſius Trajani providentia, qui poſt Dacicum Bellum, quum novas expeditiones in Orientem pararet, militares copias illuc deducendas difficilioris itineris incommodo ſublevandas cenſuit: Quum igitur Viam per Pontinas Paludes ſtraviſſet, mox alteram, qua recto itinere Brunduſium iretur, muniendam curavit: at priuſquam per Viam hanc, quam demum attigimus, iter noſtrum inſtituamus, quo verè loco vetus Appia Beneventum immitteretur, qua etiam Urbis parte ulterius progredi inciperet, obſervare nunc libet.

Ac quod primum attinet in re fortaſſe levi haud morandum heic Lectorem duxiſſem, niſi quum js, Pratillo duce, Beneventum Appiâ ingredi vellet, errare omnino permitteretur: Itaque Pratillus Appiam per ſingulos pene lapides, quibus Capuâ Beneventum ducebat, deſcribere pergens poſt Lapilloſæ Pagum vulgo, *Appelloſſa* nunc vocatum, quem in XXIII. lapides ſtatuit, hæc ſtatim ſubdit: *Preſſo al* XXV. *milliario trovanſi in poca diſtanza tra loro due piccioli villaggi appellati Chianche e Chianchetelle preſſo l'Appia, così chiamati, come altrove ſi è detto dalla dizione latina* Plancæ, *che ſono* [*ſecondo Feſto Grammatico*] *Tabulæ planæ, & quadrati lapides, quali erano le ſelci dell'Appia*: Id quod antea in Topographica Tabula initio lib. II. poſita ſpectandum quoque dederat, ubi poſt Lapilloſam Appia per præfata oppidula recto itinere excurrens mox Beneventum deſinere inſpicitur; at hominem, qui Beneventanarum Antiquitatum, quas etiam propriis oculis luſtraſſe inquit, ſcientiſſimum ſe fatetur, quique hanc ſaltem rem, quam pro ſuo inſtituto agebat, optime callere, vel melioribus teſtibus addiſcere debuiſſet, mirabimur certe, tam longe ab Appia divertiſſe, ut Lapillosâ diſcedens, quum poſt quartum lapidem, ſi ipſam Appiam tenuiſſet, brevi facilique itinere Beneventum pervenire potuerit, jam per medios aſperrimos montes ſex ad minus confectis milliariis *Plancam*, *Planculamque* petere maluerit, indeque quatuor aliis milliariis exhauſtis, tam longo, difficillimoque circuitu Beneventum tandem ſe receperit. Quid, quod per imas, atque anguſtiſſimas duorum præruptiſſimorum collium fauces, in quorum altero oppidula iſthæc ſunt poſita, nullum unquam viæ ſpa-

[a] Hunc admirabilem Pontem fuſe deſcribit Dio Caſſius; ac de illa plura habebis apud Lipſium de magnit. Rom. l. 3. c. 13.

Digitized by Google

ſpatium interfluentis Sabati alveus relinquat? Quid etiam oppidulis iſtis Hirpinorum Regionem Abellinum verſus ſpectantibus, cum Appia, quæ per mediam Campaniam Caudinos Samnites, eorumque oppida Caudium (quod modo *Arpaja*) Montem Sarculum, ſeu Herculem, Lapilloſamque attingens rectâ Beneventum ducebat: Ex his autem oppidulis ſi Beneventum iter ſit, fruſtra obvius quæratur Pons *Leproſus* (*a*), qui ex oppoſita occidentali parte Appiam Lapillosâ dilapſam, atque Urbi proximum Collem cui *Sancti Felicis* nomen circuentem excipiens, mox in Urbem ipſam ducebat: noverat profecto Pratillus ex noſtro Falcone, quæ Plancellæ illæ eſſent, quas Appia pertingere debuiſſet, quo nomine nuſquam Pagus, ut ipſe contendit, ſed Beneventani agri pars illa etiamnum vulgo *Ciancelle* appellatur, quæ à dicto colle S. Felicis non longe abeſt; ſed quum ſemel aberrans in bina oppidula illa Appiam rejeciſſet, has Plancellas alteras eò ſibi memorandas duxit, ut ex quadratis lapidibus, quibus Appia ſternebatur, inditum fortaſſe nomen comprobaret. At non tanti res iſthæc videtur, ut pluribus de ea agi oporteat, quam etiam quiſque de Plebis fæce indigena adeo ſibi notam habet, ut externis indigitare ſtatim valeat.

Quum igitur aberranti Pratillo, iiſque qui eum ducem ſectari vellent, quâ vetus Appia per Beneventanum agrum olim excurreret, jam demonſtravimus, Urbem ipſam, quam cito per Pontem *Leproſum* ingredimur, heic tantum ſalutare licebit; Illud enim propoſitum nobis fuit, ut qua illius parte rurſus Appia protendi inciperet, modo obſervaremus: id quod nullo labore aſſequemur, ſi ad Arcum Trajanum, quæ *Porta Aurea* nunc dicitur, conſiſtere libeat: heic enim novum Appiæ Brundiſium attingentis initium ſtatuiſſe promptum erit; nam & per eam Portam iter etiamnum ad Apuliæ Regiones patet; ipſeque Arcus, cujus conſtruendo [ut antea dixi] Via a Trajano munita occaſionem præbuit, nonniſi in ejuſdem Viæ capite dedicari debebat.

Sed

[*a*] Supra Sabati fluvium, ubi is extremam Occidentalem Urbis partem alluit, Pons *Leproſus* exurgit, magnifice quidem extructus, tum pro Viæ, quam ſibi jungebat, tum præſertim pro ipſius Urbis dignitate, in cujus ſuburbio inter magnifica ædificia alia ibi olim extantia eminere videbatur; per hunc igitur Pontem Appia Beneventum ſe immittebat, quæ ut ſuperius dixi, Lapilloſam relinquens per agrum Beneventanum rectâ excurrens poſt Serretellæ fluvium, quem marmoreo antiquiſſimo Ponte, qui Pons *Corvi* nunc dicitur, præteribat, ſiniſtra paululum deflectens collem S. Felicis circuens in Pontem Leproſum ſe colligebat: e regione hujus collis pars illa agri jacebat, cui hodie *Cancellæ* nomen, de qua Falco noſter ad an. 1138. *& inde amoto exercitu Rogerius Rex caſtrametatus eſt prope Beneventum in loco ubi dicitur Plancellæ*: Quod certe nomen Pratillo impoſuit, ut has Plancellas, pro Plancæ, ac Planculæ oppidis oſcitanter acciperet. Sed quem nos verum ſtatuimus Appiæ curſum hodie invenire non erit, etenim poſt Pontem *Corvi* vetus Appia, quæ circum S. Felicis collem ſiniſtra deflectebat, omnino periit, atque ejus loco via altera teri cœpit, quæ etiamnum *viæ novæ* nomen obtinet, commodior quidem, quippe quæ eundem collem dextera tenens nullo itineris flexu breviori intervallo per Portam *Ruſinam* in Urbem ducit: quo tempore *via nova* iſthæc ſtrata fuerit, in obſcuro eſt: ſtetiſſe Appiam per Pontem Leproſum ſæculo XI. omnino conſtat ex privilegio Landolfi Beneventani Principis [quod exhibet Chronicon S. Sophiæ in Bibliotheca Vaticana ſervatum, atque ab Ughello vulgatum tom. 8. pag. 745. edit. Rom.] ubi anno 1007. conceditur Dacomario, *Ut licentiam, firmamque poteſtatem habeatis, quantum eſſe voluerit, in Ponte marmoreo, quod dicitur de Leproſis tam ſubtus eodem Ponte, quam deſuper eundem Pontem rumpere ..... & omnem ædificium, ac laborem ..... facere ..... verumtamen ut pro eadem ruptura, atque ædificio ipſe Pons non decidat, & ædificium, ut ſit contrarius ad carros vueratos ..... quæ inde tranſitura ſunt: ac concedimus vobis habendum quodcumque ad partem noſtræ Reip. evenire debet de omni negotio per eumdem Pontem tranſituro &c.*: Quibus poſtremis verbis nonniſi vectigalia publica intelligenda ſunt, quæ a Mercatoribus, aliiſque viatoribus per eum Pontem tranſeuntibus pendi ſolebant; ac perinde manebat tunc Appia, qua Beneventum adibatur; nam ſi via altera, quæ modo viget, tunc temporis adfuiſſet, nullus profecto viator, qui Beneventum peteret, Pontem Leproſum attingere, neque etiam, ut modo evenit, longe adſpicere potuiſſet: Sed ut ad ipſum Pontem redeam, quum magnifice extructum dixerim, magnificentius deinde a Septimio Imp. reſtitutum fuiſſe conſtat ex noſtro lapide apud Gruter. pag. 1020. n. 2.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS
PERTINAX PONT. MAXIMVS TRIB. POT. VI
IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS
AVG. IMP. SEVERI AVG. FIL. TRIB. POT
PROCOS. PONTEM VETVSTATE DILAPSVM
A SOLO SVA PECVNIA RESTITVERVNT

Ex ſolido autem marmore (quod fortaſſe non antea factum, propterea quod vetuſtate dilapſus dicatur) a Severo reſtitutum privilegium Landolfi ſatis indicat, oſtenditque etiamnum antiqui operis pars ſuperſtes prope ædiculam SS. Coſmi & Damiani; nam modo Pontem ipſum alluvionibus fatiſcentem, lateritio opere recenter reſtitutum habemus. De *Leproſi* cognomine certum habeo nihil, quod dicam: ita ab initio appellatum non videtur; ſæculo tamen XI. eo cognomine vocari ſolitum docet privilegium Landolfi: quod inde fortaſſe ortum, quod Leproſorum valetudinarium juxta eſſet, aut potius, quod marmora illa, quibus conſtructum fuit, ſatis ſcabra & aſpera, ut videre eſt, pellem veluti lepra obductam referre videantur:

Digitized by Google

Sed jam per viam Trajanam fas erit incedere, cujus a Porta Aurea certum licet initium teneamus, cavendum tamen nobis erit, ne in diversum iter nolentes dilabamur. Jamdiu enim ante Trajani ævum binas fuisse vias satis constat, quibus Benevento Brundisium adiretur: Has a Brunduſio exorsus ita describit Strabo l.VI. *E Græcia navigantibus, atque Asia longe rectior Brunduſium est navigatio: Itaque omnibus, quibus propositum est iter Romam, huc applicant: duæ autem Brunduſio Romam viæ sunt: una quidem mulis vectabilis per Pecuetios, qui Pedicli vocantur, & Daunios, & Samnites usque Beneventum: In hac via Urbes sunt Egnatia, Celia, Nesium, Canusia, Hordionia. Altera per Tarentum pauliſper ad lævam; etsi quanta est diei unius circuitionem feceris, Via Appia offertur plaustris commodior: In ea sunt Uriæ, & Venusium; illa inter Tarentum, & Brunduſium media, hæc vero in Samnitum, & Lucanorum confinibus: Coeuntque ambæ ad Beneventum, atque Campaniam:* Has quidem vias Pompejus indicabat in laudata Epistola [ad Att. l. 8. 9.] nam nisi binæ illæ essent, non monuisset Ciceronem, ut Appiâ iter faceret, & celeriter Brundisium veniret: At quænam via altera? Horatius docere videtur, cujus l.I. ep.17. illud est

Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi.

quanquam, *Numici*, vel *Minuci* legendum sit, ac præterea quonam loco *Minucia*, seu *Numicia* via constiterit, nondum inter interpretes, ac viros alios eruditos conveniat (*a*). Hinc quum nihil certi ex Numicia nobis suppetere queat, tutius profecto erit eundem Poetam fidissimum habere ducem ejus viæ, quam is ipse Româ Brundisium aliquando iturus (*Sermon. I. v.*) distincte eleganterque describit: Ac missо itinere, quod Româ Beneventum usque peregerat, heic pauliſper consistere lubebit ..... *ubi sedulus Hospes*

Pene macros arsit, dum turdos versat in igne,
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum;
Convivas avidos cenam, servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.

Sed jam Benevento, ubi ridiculam rem, quæ Horatio contigit, mirè depictam potius quàm narratam etiamnum spectasse quodammodo perjucundum fuit, altera die Horatii comites *vicina Trivici Villa* nos recipiet; Hinc post *quatuor & viginti millia* passuum *oppidulo quod versu dicere non est*, ideſt *Equitutici* manebimus: quo postera die discedentes *Canusium* perveniemus; inde *Rubos* petemus, post quem *Barium piscosum* nobis occurret; ad *Gnatiam* deinde iter erit, ut exinde tandem Brundisii consistamus: Iter istud, quod cum Horatio confecimus, si cum alterutra earum viarum conferamus, quas nobis Strabo indicavit, per Peucetios profecto, in quorum finibus priorem viam is statuit, incessisse nos, atque Hadriatici oras tenuisse comperiemus; desiderandum tamen fuisset, ut post Canusium, quod utrique memoratur, non Hordionia,

[*a*] Qui *Minuci* pro *Numici* Horatio restituendum censent, ex Ciceronis loco ad Att. l. 9. 6. id confirmant; narratur enim ibi, *Cohortes sex, quæ Albæ fuissent, ad Curium via Minucia transisse*: facile etiam sibi persuadent ejus viæ auctorem inveniſse, Minucium nempe Augurinum Livio l.4. & Plinio l. 18. 3. satis celebratum, quippe qui Sp. Melium affectati Regni detulisset, farrisque pretium ad assem redigens statuam, stipe collata habere promeruisset: At nugari omnino videntur, dum putant longe ante quàm Appia sterneretur, eam viam, quæ Brunduſium duceret, a Romanis, qui posteriori Appii ævo vix Capuam attingebant, muniri potuisse; Hinc cum temporis ratio id affirmare omnino vetat, neque etiam aliis concesserim, qui ad T. Minucium Augurinum Cos. a. v. 449. confugiendum putant, ut Minuciam Appiæ posteriorem efficiant: Fateor enim Minucios plures in Rep. floruiſse, verum illorum aliquem viæ auctorem conjectasse tum demum fas erit, cum de Minuciæ lectione tuto liqueret: quid? quod in Cicerone pro *Minucia Numicia* potius ex Horatio legendum censent Manutius, Faernus, & Malaspina: (vid. notas Var. in Cic. l.l.) nec fortasse falsos eos dixerim: Siquidem est, cur ita Numicia appelletur a *Numico* Agri Laurentis flumine, quod *Fibius Sequester* diserte inter flumina commemorat; id quod obſervavit Glareanus in eundem Horatii locum: In eo igitur Agro via isthæc esse potuit, cui propinquum flumen ex suo nomine Numiciæ appellationem fortasse fecit: Proximam autem Urbi Romæ ejusmodi viam tum Cicero, tum Horatius videntur innuere; Nam si Albam, quæ priori in sua Epistola memoratur, pro veteri Latii Urbe accipiamus ad alterius Albæ differentiam, quæ in Marsis erat, quarum discrimen habes apud Varr. de l. l.VII. ut ab illa Albani, ab hac vero Albenses dicerentur, jam non longe Roma, Laurentique Agro abesse continget, qua cohortes illæ Alba discedentes ad Curium Numicia transirent; Horatio vero, cui quæstiones, contentioneſque *de lana Caprina* reprobare eo loco propositum fuit, duo exempla afferre libuit, quibus illæ uti inanes, ridiculæque vitarentur:

Ambigitur quid enim? Castor sciat, an Docilis plus;
Brunduſium Numici melius via ducat an Appi.

Quod si supervacuum ea de re contendere Horatio videbatur, jam illud verisimile fit, utramque viam ob oculos versari debuisse, neque quemque de Minucia tantopere sollicitum esse debere, quæ mox in Appiam incidebat: nihil autem refert, quod viciniore Capua, aut Benevento, Brunduſium, qui postremus utriusque viæ terminus erat, memoraverit Horatius.

Digitized by Google

dionia, quæ apud Strabonem occurrit (ſi tamen ea ſit, quam hodie *Ortam* vocant), quippe quæ dexterorſum divertens longiori, quidem, difficiliorique ambitu Beneventum ducere videbatur, ſed Equum tuticum potius, Trivicique villa, quâ rectior expeditiorque Beneventum iter Horatio fuit, reſpondiſſent: at ſua tamen ſtabit Straboni fides, ſi illud nobis certum omnino perſuaſerimus, in veteribus viis ſtatuendis incerta nobis omnia plerumque fieri ex frequentiſſimis illarum mutationibus, eaque in re neque nos cujuſque Scriptoris, aut veterum, quæ circumferuntur, Itinerariorum teſtimonia, quæ pro ſuo quæque ævo Viarum ductus deſcribere debebant, tutos efficere poſſe; quod quidem, ſi recentioribus quibuſdam Scriptoribus, qui veteres vias demonſtrare ſibi inſtituerunt, fuiſſet animadverſum, immani ſed otioſo alioqui labore non deſudaſſent, ut incertâ plerumque ſemitâ errantes, alios quoque in ſuum errorem abducere conarentur: At, quod attinet, relicto Brunduſii Horatio, dum rurſus ea ex Urbe viâ alterâ Beneventum remeare placeat, jam ſolo Strabone duce oppoſitas Jonii oras tenere opus erit, ubi prius *Urias*, (quæ *Oria* nunc dicitur) *Tarento* proximas, dein *Venuſiam* inviſere dabitur, quam quidem viam, num Appia ea fuerit, ex ipſo Strabone non ſatis liquet, qui eandem deſcribere inſtituens, *ſi unius* (inquit) *diei circuitionem feceris*, mox in Appiam incidere docet, quaſi ad binas illas tertia eſſet addenda Appia, quæ ſeparatim Brunduſium duceret: Atque ipſe quidem Strabo jam antea (lib. v.) dum maritimas Urbes, quas Appia attingeret, enumerare cœpit, præter *Terracinam*, *Formias*, *Minturnes*, *Sinueſſam*, *ad extremum Tarentum*, *& Brunduſium* fuiſſe ſtatuit, quum tamen ſecundæ viæ, quam modo terimus, non Tarentum, ſed *Urias* Mediterraneam Urbem attribuat; Sed non ita facile, levibus hiſce conjecturis indulſerim, ut plures quam duas Brunduſio Beneventum vias fuiſſe contendam, ſed in alterutra potius Appiam ipſam agnoſcendam eſſe, imo, utra earum tandem ſit, quam Trajanus ſternendam curavit, quærendum modo erit.

Poſteriorem viam, quæ Straboni illa eſt, quæ *Urias*, ſive *Tarentum*, ac ſubinde *Venuſiam* protendebatur, Appiam fuiſſe, eamque propterea muniendam Trajanum curaſſe, plura mihi perſuadere videbantur; Frequentiſſimam enim Romanorum Primoribus, nec non militaribus copiis, quibus Brunduſio Romam, aut viciſſim in Græciam, atque Aſiam, tranſmittendum erat, ejuſmodi viam fuiſſe, non obſcure indicat Cicero, qui in Provinciam profectus, in Epiſtolis, quas ad Atticum ex itinere dedit, hanc viam tenuiſſe plane teſtatur, nam lib. v. ep. 5. *Scito* (inquit) *Id. Maj nos Venuſia mane proficiſcentes has dediſſe*: & mox: *nos Tarenti, quos cum Pompejo διαλόγους de Rep. habuerimus, ad te perſcribemus*: deinde ep. 6. ſic incipit: *Tarentum veni a. d.* XV. *Kal. Juniis*: Denique ep. 7. ſe a. d. XIII. Kal. Junias Brunduſium profectum ſcribit: neque diverſum fuiſſe Ciceronis iter orto jam civili Bello, ut Brunduſii Pompejo ſe conjungeret, ſatis indicare videntur illa ad Att. l. 16. 5. *dubito an Venuſiam tendam, & ibi expectem de legionibus*: Legiones autem Brunduſii adeſſe rumor increbuerat, cujus rei certum nuncium expectabat Cicero, qui eas omnino vitare volebat, quemadmodum ex multis locis colligitur, ut ex hoc, qui paulo ante eſt: *Iter illud Brunduſium, de quo dubitabam, ſublatum videtur, legiones enim adventare dicuntur*: Et ſane via iſthæc altera, quæ ad Jonium patebat, longe commodior erat, quippe quæ Plauſtrorum uſum admitteret, contra vero illam *mulis tantum vectabilem* fuiſſe Strabo teſtatur; Adde tandem (quod maximum itineris emolumentum) longiorem illam, breviori hanc ductu, eundem terminum attigiſſe. Quid ni igitur Trajanus hanc, quæ Appia videri poteſt, ſternendam maluerit? qui profecto utiliorem Reip. munificentiam ſuam probaſſe debuit, quæ nonniſi commodiorem viam muniendam poſtulabat.

Sed, quum ex hoc Trajani conſilio, qui commodiorem viam ſtraviſſe debuit, in ipſa Appia Trajanam viam agnoſcere veriſimilius ſit, a priore ſententia diſcedendum omnino fuit; atque in altera potius via Appiam tum ex Trajani opere ſubſecuto, tum ex melioribus anterioris ævi monumentis ſtatuendam eſſe cenſui: Cur enim Horatius Brunduſium iturus poſteriorem viam non elegiſſet, ubi non modo ex faciliori itinere maximum levamen, verum etiam ex Venuſiæ Patriæ ſuæ, quam inviſiſſet, ſuorumque aſpectu ſummam ſibi voluptatem feciſſe poterat? niſi quod via altera ejuſmodi omnino eſſet, quæ Brunduſium adeuntibus magis probaretur: falſum autem Strabonem in eo fuiſſe video, quod hanc viam tantum *mulis vectabilem* dixerit, nam ipſe idem qui ante Strabonem peragraverat Horatius, Rhedas ſe eo itinere adhibuiſſe fatetur hoc carmine

Quatuor hinc rapimur viginti & millia rhedis.

quid, quod non privatis tantum hominibus, qualem hactenus Horatium novimus, ſed publicos etiam Legatos eandem viam tenuiſſe ſolitos ex ipſo Poeta jam diſcimus, cui ejuſdem itineris comites Canuſium uſque ſe adjunxere ... Me-

Digitized by Google

. . . . . *Mœcenas optimus, atque*
Coccejus miſſi magnis de rebus uterque
Legati, averſos ſoliti componere amicos.

unde illa, quæ paullo poſt habet, facilè intelligimus

Proxima Campano Ponti, quæ villula lectum
Præbuit, & Parochi quæ debent, ligna, ſalemque.

Tectum namque, ſalem, atque ligna publicis Legatis, & Magiſtratibus iter facientibus oppida ſingula ex lege Julia præſtare tenebantur (*a*), quæ per ſuos Parochos, ideſt Præbitores ad id muneris a Magiſtratibus municipalibus delectos exhibebantur: quis igitur ſibi perſuaſerit, Mæcenatem, alioſque ab Auguſto legatos ad Antonium *magnis de rebus* miſſos longioris, difficilioriſque viæ laborem non ſine ſui muneris, quàmceleriter exequendi detrimento, tolerare voluiſſe? Imo potius hanc omnino viam a publicis Legatis, atque a Magiſtratibus peragrari ſolitam exemplo ſuo ſatis oſtendunt: Id quod antea Pompejus itinere ſuo præſtiterat, quod, conflato civili Bello, Brunduſium verſus inſtituit; ipſe enim [ut optimus teſtis, qui hoſtis ſui res omnes diligentius ſcrutabatur Cæſar narrat (*b*)] *cognitis quæ erant ad Corfinium geſta, Luceria proficiſcitur, atque inde Brunduſium.*

At quid opus conjecturis? manifeſtam rem nobis faciet Pompejus ipſe, qui datis per id tempus ad Ciceronem literis, *Cenſeo* (inquit) *via Appia iter facias, & celeriter Brunduſium venias* (*c*): Quid vero ad hæc Cicero? non audiendus certe Pratillus, qui duplici modo peccaſſe videtur, nam neglectâ per ſummam oſcitantiam Epiſtolarum chronologiâ, cum poſteriore hoc Ciceronis itinere alterum confundit, quod is triennio ante in Provinciam proficiſcens confecerat; ex quo priore itinere illud ſibi uſurpans Pratillus (*d*): *Scito nos Venuſia mane proficiſcentes has dediſſe*: ſic concludit: *Paſsò egli finalmente da Venoſa a Taranto, e di là a Brindiſi, onde ſi vede aver ſeguito il conſiglio di Pompeo: Cenſeo, ut via Appia iter facias, & celeriter Brunduſium venias*; quod turpius alterum peccatum eſt, nam eo poſteriore itinere nunquam Ciceronem Brunduſium veniſſe conſtat. Audiamus igitur potius Ciceronem ipſum, quid ad Pompejum Appiæ iter ſuadentem reſcripſerit (*e*): *Accepimus tuas literas Canuſio a. d. x Kal. Mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brunduſium veniamus*: Iter autem, cui jam ſe commiſerat Cicero, in eadem epiſtola ſic explicat: *Confeſtim cum Quinto Fratre, & liberis noſtris iter ad te in Apuliam facere cœpi*: & mox: *Quum res in ſumma expectatione eſſet, utrumque ſimul audimus, & quæ Corfinii acta eſſent, & te Brunduſium iter facere cœpiſſe: Quumque mihi, nec fratri meo dubium eſſet, quin Brunduſium contenderemus, a multis, qui e Samnio, Apuliaque veniebant, admoniti ſumus, ut caveremus, ne exciperemur a Cæſare.* Si igitur Pompejus Ciceronem monet, ut iter viâ Appiâ faciat, Cicero autem iter ipſum ad Pompejum Brunduſii morantem per Samnium, & Apuliam facere jam inſtituit, profecto jam liquet, Appiam omnino in Apulia fuiſſe, ibique nunc eſſe quærendam.

Quod fanè quum aliis pluribus vetuſtis monumentis comprobare poſſem (*f*), ſatis tamen erit ex Trajana Via confirmaſſe: Ipſum enim Trajani Opus manifeſto indicio eſt, non aliam, quàm Appiam ab eo fuiſſe munitam; quippe qui ſupervacaneum duxiſſet alterius viæ curam ſuſcipere, quæ ut plurimum per Apennini radices ita ſubſternebatur, ut per ardua, ſaltuoſaque loca difficillimum præbens iter, jam pene neglecta haberetur: Stravit itaque Trajanus iter illud

. . . . . : *quà limine noto*
Appia longarum teritur Regina viarum,

quæ quidem non ſuo ſe tantum nomine commendabat, verum etiam per patentes Apuliæ campos excurrens, ac magna ex parte per Hadriatici oras ſeſe effundens, longioris itineris moram tum ſui facilitate, tum locorum amœnitate, nullo tædio, ſed potius voluptate afficiebat: neque tamen eam viæ fuiſse longitudinem putandum erit, ut, ſi cum alterâ viâ comparaveris, deterrere nos debeat; nam ſi Appiam ex Horatii itinerario, ut par eſt, metiamur, vix diei unius itinere

[*a*] Cicero quum in Provinciam iret, hac in re abſtinentiam ſuam deprædicat ad Att. v. 16. *Levantur* [inquit] *Civitates, quod nullus ſit ſumptus in nos, neque in Quæſtorem, neque in quemquam: Scito non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari ſolet, non accipere, ſed ne ligna quidem.*

[*b*] De Bell. civ. l. 1. cap. 12.

[*c*] Ad Att. VIII. 11. [*d*] Pag. 436.

[*e*] l. l. poſt exemplum Epiſtolæ Pompeii.

[*f*] Cellarius Geogr. l. 2. c. 9. p. 934. *Præcipuè Urbes in Appia erant poſt Capuam, Caudium, Beneventum, Equotuticum, Hordionia, Canuſium, Barium, Egnatia, Brunduſium*: Confer etiam S. Greg. M. ep. 44. lib. XI. cum Itinerario Hieroſolymitano.

Digitized by Google

itinere altera longiorem inveniemus: Immo si ad Trajani opus, atque ætatem rem deducamus, non levis mihi ex Galeni verbis superiùs recitatis conjectura est, in breviora spatia tum fuisse contractam; dum enim Trajanus *ubi longior, quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem excidit, scubi vero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflexit*, idque nonnisi de via ipsa, quam Benevento Brundusium fecit, ac præterea de ejusdem viæ spatio, quod ad Trivici, atque Equitutici loca pertinebat, verum videri potest, jam quæ viam alteram facilitate præstabat, Trajani demum operâ factum est, ut neque illi via hæc brevitate concederet.

Viam autem Trajanam per has ipsas Apuliæ Regiones fuisse stratam satis constat; nihil enim ea re certius esse potest, quam hodiedum demonstrat ingens ad hanc ipsam viam pertinentium milliariarum Columnarum numerus, iisdem omnino verbis inscriptarum (*a*), quæ suis signatæ numeris, iis in locis, aut eos prope, qui Horatii itinerario, seu veteris Appiæ tractu celebrantur, superstites adhùc extant; ita ut milliarii hi lapides passim Benevento Brundusium usque occurrentes non ipsi modo locupletes viæ Trajanæ testes, imo etiam, dum veteri Trajanâ viâ ire lubeat, fidissimi, ne ab ea aberremus, duces quoque nobis esse queunt.

Atque optandum quidem fuisset, ut tantum Trajani opus, cui non ex sola magnificentia decus, sed communis Reip. utilitas pretium statuebat, haud Posteritas interire siviſſet: Fateor quidem non iisdem, quibus Appia, lapidibus viam hanc fuisse stratam, illo nempe magnificentissimo, ac, si dicere fas sit, æterno opere, quo etiamnum veterem Appiam terentes miramur; nihil enim simile in Via Trajana, quam pro locorum necessitate, & opportunitate partim glareâ, partim saxis, quæ vicinæ regiones suppeditassent, a Trajano munitam censebimus; at ubi opus egregiè semel perfectum fuerat, quod neglectum vestigiis etiam suis evanuit, mediocris diligentia Posterorum commoditati servare incolume valuisset. Ac post Trajani quidem obitum ejus viæ curam viguisse constat ex lapide apud Gruter. p. 1091, 8. ubi inter alias vias NOVAE TRAIANAE mentio est, quas simul L. Aurelius Gallus curabat, ac præterea ex C. Oppii lapide, quem initio hujus Dissertationis recitatum illustravimus, ubi is plurium viarum, inter quas *Trajana* recensetur, Curator fuisse legitur: quod tamen nonnisi Hadriani erga decessorem suum Trajanum studio tribuendum videtur: Hadriani enim ætatem fert lapis, dum ab Eo Augusto C. Oppius inter Tribunicios adlectus memoratur; atque Hadriani quidem intererat (ut destructi super Istrum Pontis invidiam a se amoveret), recens saltem Trajanæ Viæ opus, quod ob Romanorum oculos versabatur, eorumque assiduis Brundusium itineribus necessarium erat, curandum mandasse: ex quo etiam verisimile illud mihi fit, hùc referri posse Viam illam, quam in Beneventi finibus Hadrianum ipsum feciſſe etiamnum superstes testatur milliaria Columna, ubi hæc inscripta adhùc legimus.

VIII
IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI
PARTHICI F. DIVI
NERVAE NEPOS
. . . . . .
MILLIA PASSV
VM XVI. LONGA
VETVSTATE AMISSAM
ADIECTIS C
. . . . . OSSESSORES
AGRORVM CONTVLE
RVNT FECIT

[*a*] Manutius in Orthogr. v. *Brundusium* plures in Apulia ejusmodi milliarias columnas extare affirmat nulla particularis loci mentione adjecta. Pratillus vero de via Appia l. 4. c. 10. quum Viam Traianam, seu, ut vocat, Egnatiam, quam omnino ab Appia distinguit, describere instituit, hasce columnas passim exhibet, ac primum Asculi, quæ Trivico proxima est, binas occurrere affirmat p. 509. deinde aliam Canusii spectari pag. 525. mox aliam Trani pag. seq., in Rubi finibus ad undecim usque extantes enumerat p. 529. postremam denique Barii adhuc superstitem tradit p. 538. At alias debemus Gruter. p. 151. num. 2. nec non Gudio, qui p. 71. n. 2. sex ejusmodi columnas Trani extantes refert; Donius etiam Clas. 2. n. 96, similem exhibet *Bitolli*,

Digitized by Google

Quamquam verò hoc Hadriani opus non ad Appiam, quæ Capuâ Beneventum, neque etiam ad Trajanam, quæ Benevento Brundusium ducebat, pertinuisse videtur ex eo, quod utraque mox post Trajani obitum nequaquam *longa vetustate amissa* dici, aut putari possit, alterutrius tamen lateri adhæsisse debuit, qua fortasse in regionem aliquam Beneventano Agro proximam commodiùs diverti posset: Sed de hoc lapide alias: Cæterum illud nobis jam satis fuerit, Viam Trajanam, cui felix quondam faustumque initium Benevento fuit, non modo selectis, eruditisque, quoad potuimus observationibus illustrasse, verum etiam quibus certis locis ad suum terminum duceret, compertum effecisse: Hinc, ut olim Horatio, erit denique nobis.

Brundusium longæ finis chartæque, Viaque.

DISSER-

selli, prò quo Bitetum legendum erit, quæ Urbs Apuliæ est, octo milliaribus Bario remota: Mirum tamen quot sphalmata apud singulos irrepserint; neque enim præpositionem A Benevento præcedere sinunt Grammatices regulæ, quas servat lapis, ubi dicta præpositio omnino deest. Mendosissimum autem habet Gudius, qui pro *Dacicus* legit *Dacius*, pro *Trib. Pot.* habet PRET pro Cos. v. CONSu, ac demum post *Brundusium* reliqua omittit: neque illud melius, quod statim notat: *Extant ibi eodem modo, iisdemque literis Columnæ reliquæ Benevento per viam, quæ ducit Telesam*: quid enim Telesia cum Apulia, ad quam solam Via Trajana spectabat?

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

De Auguſtis Viris, qui Beneventanam Urbem frequentarunt, eorumque Elogiis a Beneventanis dedicatis.

BONOEVENTO
PROFECTIONIS ORIENTALIS ET
REDITVS AVGVSTORVM L. SEPTIMI
ET M. AVR. ANTONINI COL. IVLIA
AVG. CONCORDIA FELIX BENEVEN
TVM DEVOTA MAIESTATI AVGG

SUperiori Diſſertatione, qua de Trajani Via copioſè actum fuit, viam quodammodo ſequenti huic Diſſertationi ſtraviſſe viſi ſumus; Quum enim illa utrumque fere iter, quod Româ Beneventum, hinc vero Brunduſium erat, complecteretur, non mediocre exinde decus Beneventanæ Urbi comparatum probavimus, quod ejus itineris cauſsâ pleriſque Auguſtis inviſendam, aut etiam incolendam ſe præbuerit: Rem autem altiùs etiam repetere æquum erit; nam longe ante Trajani ævum (qui veterem Appiam tum per Pontinas Paludes, tum demum Benevento Brunduſium uſque muniendam curavit) Auguſtos ipſos, alioſque Viros ſummo Reip. loco natos frequenter excepiſſe, eorumque familiaritatem coram promeruiſſe jamdiu Beneventani lætabantur.

Utque ab extremis Reip: temporibus ordiar, M. Ciceronem Beneventi fuiſſe conſtat tum cum Proconſul Ciliciam adminiſtraturus in eam Provinciam a. v. 703. cum Imperio profectus eſt; Quum enim ex eo itinere quotidianas ad Atticum Epiſtolas daret, a. d. v. id. Maj in Trebulanum perveniens, *Beneventum* [inquit] *cogitabam hodie: noſtra continentia, & diligentia eſſe ſatis faciemus* (a): mirum autem quantum poſtrema hæc verba eruditorum ingenia torſerint, quod heic notare abſtinuiſſem, niſi illa ad ipſum Beneventum referenda animadverterem: Omnes quidem verba ipſa variè, ut cuique libuit, vel emendata, vel diſtincta [in quibus etiam non defuit, qui Græcum Ἐξήτασις a manu Ciceronis agnoſcebat, ab imperitis librariis in *eſſe ſatis* mutatum] pari tamen ſententia ad continentiam, frugalitatemque illam deducunt, quâ ſe in Provincia uſurum, Ciceroni propoſitum fuerat: at non in Provincia dumtaxat; fuiſſet enim tam loco, quam verbis nimis præproperè dictum; etiam in itinere, ejuſmodi ſe præbere Cicero conſtituerat, ac de præſenti re in hac Epiſtola locutus mihi videtur: Quum enim eo itinere, quod Româ diſcedens ad Trebulanum uſque confecerat, in amicorum Villas divertens apud illos exceptus manſiſſet, ut ex ſuperioribus Epiſtolis recte liquet, jam demum ex Trebulano Beneventum petiturus, jure publici Hoſpitii, cæteriſque rebus, quæ a Coloniis Romanorum Lege Julia debebantur, pro ſui Magiſtratus dignitate mox ſibi primùm utendum eſſe animadvertebat: Hinc quum Beneventum progredi jam cogitaret, ibi eâ continentiâ, ac frugalitate eſſe, ſeu manere affirmat, ut nemo quicquam ab eo jure poſſet deſiderare. Eodem igitur die, quo mane è Trebulano laudatam Epiſtolam dederat, veſperi Beneventum veniſſe Epiſtola ſequenti ſcribit; ubi biduum ſaltem manſiſſe veriſimile mihi fit, tum ex Urbis celebritate, Civiumque liberalitate, tum ex mora ipſa, quam is, ut ſequentibus epiſtolis indicat, Pontinium præſtolaturus, ſuo itineri interjiciebat, tum denique ex ſequenti epiſtola, quam poſt quintum diem, quo Benevento ſcripſerat, ſcilicet Idibus Maji Venuſiâ dedit.

Sed & C. Julium Cæſarem Beneventi manſiſſe diſcimus ex epiſtola Matii, & Trebatii ad

[a] Ad Att. v. IV. ubi vide notas variorum edit. Venet. opp. Cic. 1731.

Digitized by Google

Ciceronem (*a*) ubi hæc habentur: *Epiſtola conſcripta nunciatum eſt nobis, Cæſarem a. d.* VIII. *Kalend. April. Beneventi manſurum*: Is fuit annus 705. ab V. C., quum C. Claudio Marcello, & L. Cornelio Lentulo Coſ. inter eundem Cæſarem, & Cn. Pompejum conflatum jam fuerat civile Bellum, in quo victoriæ præmium ipſa Reſp. Romana erat, quæ in alterutrius victoris poteſtatem funditus erat redigenda: Cæſar itaque Corfinio capta Pelignorum Urbe, ubi Romanorum plurimi ſibi, Reiq. publicæ propugnaculum conſtituerant, jam demum a. d. VIII. Kal. April. Beneventum venit. Brevem, aut certe ſolius diei ibi moram ab eo factam ex eo conjici poteſt, quod ad Urbem quàm ocius properare conſilium eſſet: Liberaliter autem a Beneventanis tum exceptum pro certo habeo, nam ſi ejuſmodi ſeſe paullo ante Beneventani probaverant erga Pompejum, qui fugientis ſpecie, deſperatis in Italia rebus, Brunduſium, in Græciam cum Conſulibus tranſmiſſurus, contendebat, amplius erga Cæſarem officioſiſſimi videri ſtudebant, qui rerum jam potitus videbatur, animoſque omnium ſibi allicere cœperat, dimiſſis iis omnibus, quos Corfinii captivos receperat, quam *Clementiam Corfinienſem* amarè Cicero appellabat (*b*). Adde, quod Cæſar nuper Beneventum Coloniam deduxerat, unde & ipſa Juliæ cognomine appellari gloriabatur, ut Differt. II. fusè a me probatum fuit; quo certè nomine nonniſi pergratum Auctoris ſui adventum habere debuit, cujus etiam partes ſequi, non tam neceſſarium, quam omnino utile ſibi ducebat: Id quod eidem profecto haud vitio verti poterat, quæ, ut olim res Romanæ ſtarent, ſuam fidem poſteriore Bello Punico, conſtanter probarat; dum autem extremum Reip. fatum vitari haud demum poſſet, tempori ſerviendum, ſuæque incolumitati proſpiciendum eſſe, rectè noverat.

Orto igitur Principatu, Principes dein recenſendi nobis ſunt, qui ſua præſentia Beneventanam Urbem decorarunt: Horum prior Octavianus nondum Auguſtus perquam frequenter Beneventum acceſſit; Ac primo quidem quum ante Triumviratum M. Antonio res novas adverſus Remp. molienti ſeſe opponere, aut potiùs ſuæ, quam mente foveret, ambitioni vires parare ſtudens (*c*), *veteranos ſimul in ſuum, ac Reip. auxilium quanta potuit largitione contraxit*: Ex iis autem, tum qui Caſilini, & Calatiæ erant, tum in reliquis Coloniis, exercitum ſibi comparaſſe ſcribit Cicero (*d*). *Literæ* (inquit) *mihi ab Octaviano: magna molitur. Veteranos, quiqui Caſilini, & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam; nec mirum; quingenos denarios dat: cogitat reliquas Colonias obire: plane hoc ſpectat, ut bellum, ſe duce, geratur cum Antonio*: Et ſanè Beneventanam Coloniam propè politam tum Octavianus obiiſſe debuit, ex qua recèns a Cæſare deducta, non exiguam Veteranorum manum ſibi contrahendam videbat: Manente autem Triumviratu, poſt Phillippenſe Bellum iterum Octavianus Beneventum venit; Quum enim victoribus militibus promiſſa ſervari placuiſſet, ut octodecim Italicarum Urbium (*e*) tam opibus, quam agri fertilitate, & ædificiorum magnificentia præcellentium, urbana, ruſticaque prædia non ſecus, ac bello capta dividerentur, inque earum Urbium numero Beneventum præcipuè recenſita fuerit, hinc Octaviano Beneventum adeundi occaſio fuit, proptereaquod partitis poſt victoriam inter Triumviros officiis (*f*) ipſe Veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepit. Ex hac Coloniæ deductione Triumvirali lege ab Octaviano Beneventum facta, mox ut, in ſui unius poteſtatem redactâ Rep., Auguſti nomen ille ſibi arripuit, Auguſtæ pariter nomen ſine nova deductione eam ſibi adjunxiſſe, ſuperiùs a me probatum fuit Differt. II.; exinde vero, quum inter duodetriginta Colonias illas, quas in univerſa Italia Auguſtus deduxit, numeranda ſit, ſæpius ad illam Auguſtum conveniſſe conſtat, qui (ut inquit Svetonius (*g*)) Italiam duodetriginta Coloniarum numero deductarum ab ſe frequentavit, operibuſque, ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit, etiam jure, ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit: Inter has vero Auguſtas Colonias, Beneventum præcipuè Auguſtus exornaſſe videtur, nam ad cætera, quæ modo dicta ſunt, beneficia omnibus communia, id etiam ſingulare Beneventanæ Coloniæ præſtitit, ut *Prætoris* nomine municipalem ejus Magiſtratum gerere voluerit; Rem ex antiquo nummo etiamnum extante manifeſtam alibi probavi, quum Differt. IV. de Beneventanis Magiſtratibus agerem; nunc vero illud mihi affirmare ſatis erit, haud quidem perpetuam, (cum ejuſmodi munus per ſuum Præfectum adminiſtraſſet Auguſtus, ut ex eodem nummo colligere eſt), at certe moram aliquam in ea Colonia traxiſſe, quam tantopere beneficiis, atque honoribus ampliſicandam ſtudebat: De poſtremo autem ejus Beneventum adventu ſub ipſum vitæ exitum, locupletes

[*a*] Ad Attic. lib. IX. ep. 15.
[*b*] Ad Att. lib. IX. ep. 16.
[*c*] Sveton. cap. 10. [*d*] Ad Att. l. 16. ep 8.
[*e*] Appian. de Bell. civ. l. 4.
[*f*] Sveton. c. 13. [*g*] Cap. 46.

Digitized by Google

cupletes teſtes habemus Vellejum (*a*), ac Svetonium (*b*), nam quum Tiberium in Illyricum eſſet dimiſſurus, eundem Beneventum uſque proſequi ſtatuit, quò tandem, peragratis prius, ut valetudine ſe reficere poſſet, Campaniæ oris, utpote ad *deſtinatum locum cum ipſo Tiberio contendit*; Inter hunc poſtremum Auguſti adventum, ejuſdemque obitum paucos numerare dies licebit ex Velleii verbis: nam proſecutus [inquit] *filium* [Tiberium], *digreſſuſque ab eo Beneventi, ipſe Nolam petiit, & ingraveſcente in dies valetudine*, revocato ab itinère Tiberio, paulò poſt in illius amplexibus defunctus eſt; quamquam *non ſatis compertum* tradit Tacitus (*c*), ſpirantem adhùc Auguſtum apud Urbem Nolam, an exanimum Tiberius repererit; Illud tamen certum conſtat eundem diem XIX. Auguſti, qui, ut ſubdit Tacitus, *accepti quondam Imperii princeps, etiam vitæ ſupremum fuiſſe*: Hinc nonniſi in ejuſdem menſis initium poſtremus ejuſdem Auguſti Beneventum adventus conſignandus videtur: annum vero ſtatuiſſe ex Tillemontio promptum erit, æræ nempe vulgaris XIV. ipſiuſque Auguſti ab Actiaca victoria XLIV.

Nunc de Tiberii [de quo ex ſuperiùs in Auguſto obſervatis jam conſtat] ſequentiumque Principum Beneventum adventu continua ſerie agendum mihi eſſet; at facile ab iis deinceps ſuperſedendum mihi duxi, quorum nihil, præter ipſum adventum, obſervatione dignum ſuppetere viſum fuit, ad eoſque tantùm Principes rem deducere malui, in quorum adventu præclarum aliquid, quod ipſam Beneventanam Urbem ſpectat, contineri animadverterem; Ab Auguſto itaque ad Neronem gradum faciam, qui (ut refert Tacit. ann. XV.) *petiturus maris Hadria trajectus apud Beneventum iterum conſedit, ubi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur*: Neroni domicilium, Vatinio natalem diem præbuiſſe haud ſibi decori Beneventum duxerit, niſi quod quæ turpitudine inſignia videntur, non loco parare invidiam, ſed famam augeſcere ſolent: quòd igitur Vatinium ſpectat, ejus conditionem, mores, fortunam idem Tacitus nobis deſcribit, nam Sutrinæ primùm Alumnum fuiſſe narrat, poſtea inter fœdiſſima Neronianæ Aulæ oſtenta, corpore detorto, facetiis ſcurrilibus primò in contumelias aſſumptum, deinde optimi cujuſque criminatione eò uſque valuiſſe, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malis præmineret: At humano generi nullum tempus, nulluſque ſine monſtris locus, quæ etiam occulta quadam ſimilitudinis vi inter ſe conſociata facile neceſſitudinem ineunt: Nullus igitur Neroni carior, quam Vatinius (*d*), qui nihil Neroni gratius, ut Beneventum acciret, quàm cruentas illas voluptates offerre novit: atque utinam gladiatorio ſanguine contentus Nero, crudelius tunc ſpectaculum Beneventanorum oculis haud exhibuiſſet; Vatinii enim munus (ſubdit Tacitus) frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſabatur: Iiſdem quippe illis diebus Torquatus Silanus, qui ſupra Juniæ familiæ claritudinem Auguſtum atavum ferebat, affectati Imperii falsò expoſtulatus, cum damnationem ſibi inſtare comperiſſet, brachiorum venas interſcindens conſuetæ Neronis orationi locum reliquit: *quamvis ſontem, & defenſioni merito diffiſum, victurum tamen fuiſſe, ſi clementiam Judicis expectaſſet*: Silani mortem Beneventi eveniſſe haud dubium eſt, quo is vel a Nerone accitus, vel eidem fortaſſe comes contenderat; Præſentem enim, dum ibi degeret Nero, facit Tacitus, qui non multò poſt, omiſsâ in præſens Achajâ, Neronem Urbem reviſiſſe refert: Hunc Neronis adventum vere anni æræ vulgaris 64. ejuſque Imperii XI. ſtatuendum eſſe ex eodem Tacito diſcimus,

[*a*] Lib. 2. [*b*] Cap. 97. & 98. [*c*] Ann. l. 1. 9.

[*d*] Non Sutoriam ſolum artem Vatinium quondam exercuiſſe, ſed Vitreorum quoque Calicum Fabrum fuiſſe conſtat, quibus quum novæ formæ Auctor ipſe fuiſſet, novum deinceps *Vatinianorum Calicum* nomen fecit, quo ſatis celebres deinde fuerunt: Hinc Juvenalis Sat. v. 46.

Tu Beneventani Sutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor . . . . .

ex quo diſcimus quatuor roſtra naſorum inſtar protenſa ejuſmodi calices habuiſſe, quæ circum latera (ut videtur) æque diſpoſita ornatiores eos, & qui manibus ſuſtentarentur commodiores efficerent: Ex hujuſmodi naſis, qui Vatinii calicibus peculiares erant, ipſius Vatinii mores argute carpit Martialis l. 14. epigr. 83.

Vilia Sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe; ſed naſus longior ille fuit.

cujus Epigrammatis argutiam non cepiſſe Turnebum notavit Lipſius ad. l. 1. Taciti, nam quum oblongis illis Vatiniani calicis naſis longiorem Vatinii naſum Poeta dicat, ſatis manifeſte, ac ſimul callidè eum notat, ut acrem, & ſagacem inquiſitorem, criminatoremque. Ex Tacito id plane conſtat: Xiphilinus etiam eum adeò hoſtem optimatibus fuiſſe ait, ut ſemper in ore haberet μισῶ σε καίτοι ὑπὸ συκοφαντίδι εἶ. Vitreos autem Vatinii calices fuiſſe ex eodem Martiale omnino liquet, nam præterquamquod laudato Epigrammate *Vilia monumenta* Vatinii calicem appellat, jam præclarius lib. x. ep. 3. Poetæ cujuſdam clanculârii probroſa carmina deridens, ejuſmodi fuiſſe ait

Quæ ſulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum.

ideſt ita nullius pretii, ut ne permutatione quidem ſulphurati ramenti, quo proxenèta Vatinios fractos, ideſt calices vitreos fractos accipere ſolet, emere ſibi velit: Cui quidem loco major etiam lux affunditur ex ejuſdem Poetæ lib. 1. ep. 82. ubi hæc habet: *qui pallent in ſulphurato ramo fractis permutat vitreis* . . . . .

Digitized by Google

diſcimus, qui C. Lecanio, & M. Licinio Coſ. horum omnium, quæ hactenus obſervavimus, narrationem auſpicatur: Bimeſtrem autem ad minus moram Beneventi tum traxiſſe Neronem, ex eo conjicere eſt, quod cum Achaica profectio ſimulata fuiſſet, Neapoli, quò ante contendit, fortuitâ Theatri ruinâ, in quo publice primùm in ſcænam prodiit, ſtatim excedere compulſus eſt, ac mox Vatinio invitante Beneventum ſuarum voluptatum ſcelerumque ſedem delegit: Certè ibi *conſediſſe* Tacitus dicit, quod diuturnioris moræ ſpatium oſtendit; quam etiam ſuadet Urbis incendium, quod paulo poſt Neronis reverſionem, ejus opera, eveniſſe Tacitus narrat; quum enim incendium ipſum in diem XVI. Julii ejuſdem anni conſignetur (*a*), Benevento, quò Aprili veniſſe veriſimile eſt, nonniſi Junio diſceſſiſſe potuit, ut Romam revertens eundem annum Benevento ob ſui adventum, atque moram, Romæ vero ob funeſtiſſimam illam cladem celebrem efficeret.

Sed & poſteriorem Neronis Beneventum adventum celebriorem fecit Viniciana Conjuratio, quæ ibi conflata, atque detecta eſt; Per quam frequenter Beneventum petere, longaſque ibi moras Neronem ducere conſueſſe, res ipſa docet; nam quum Piſoniana altera Romæ ante inita in irritum ceſſiſſet, non alium novis auſibus opportuniorem locum, quàm Beneventanam Urbem conjurati delegerunt; Optandum quidem fuiſſet hoc qualecunque Benevento decus, ut quem per XIIII. *pene annos perpeſſus Terrarum Orbis fuit*, citiùs ſceleſtiſſimum Principem ſublatum Benevento deberet; at parem exitum poſterior hæc conjuratio habuit, quâ pervulgatâ id demum factum eſt, ut multo magis, & quaſi per juſtam cauſſam, ſæviendi occaſionem nactus fuerit Nero: Hinc conjurati è vinculis triplicium catenarum dixere cauſſam, quum quidam crimen ultrò faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non poſſent, niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus: Damnatorum liberi Urbe pulſi, enectique veneno, aut fame: Atque hoc totum eſt, quod unus ex omni antiquitate Svetonius (*b*) jejune admodum de hac conjuratione noſtræ memoriæ mandavit. Rei, uti geſta fuit, ſeriem (in qua multa fortaſſe ad Beneventum pertinentia) audiſſemus penitus a Tacito, qui paullo ante de Piſoniana uberrimè conſcripſit, niſi magna pars libri XV. ejus Annalium, atque etiam, ut rectè animadvertit Lipſius, integer liber XVI., in quibus poſtremum Neronis Imperium continebatur, periiſſent; At quæ in hanc rem illuſtrandam conjecturis aſſequi potuimus heic ſubnectere jam licebit.

Primùm itaque ex *Viniciana*, ut Svetonius appellat, Conjurationis nomine, illud profecto conſequitur, ut ad Viniciam Familiam deducenda omnino res videatur, ex eaque qui Viniciorum potiſſimùm conjurationis Auctor, atque Princeps extiterit, perquiratur. L. Vinicii (ut pro L. Vicinio legendum rectè monet *Urſinus*) meminit Cælius ad Cic. (*c*), qui inter alios Tribunos Plebis Senatus Conſulto de Pompejo facto interceſſit, unde *Urſinus* ipſe, ac præterea *Auguſtinus* Viniciorum familiam inter plebejas recenſet. Verum ſublimiorem in Rep. locum, amplioreſque honores in ea familia ſtatuere fas erit ex Tacito, qui (*d*) M. Vinicium commemorat, Equeſtri quidem familia, Patre tamen, atque Avo Conſularibus: Siquidem Pater ejus P. Vinicius Nepos Conſul ordinarius anno v. 755. cum P. Alfenio Varo proceſſit, Avus vero Marcus Vinicius Conſulatum ſuffectum geſſit a. v. 735.: At Vinicius hic noſter familiæ decus longe auxit non Conſulari modo dignitate, quum & is M. Vinicius Conſul ipſe ſit, (de quo in Faſtis ad an. æræ vul. 40. Tiberii an. 16.) ad quem hiſtoriam ſuam Vellejus Paterculus miſit, cuique plus æquo, atque indecorè prorſus blanditur, ſed etiam quæſitâ Auguſtæ domus affinitate; nam ex duabus neptibus, quas Tiberius Imperator ex Germanico filio ſuſceperat, Druſillâ nempe, atque Juliâ, alteram huic Vinicio (ut in eodem Tacito legere eſt) Tiberius ipſe matimonio conjungendam curavit; Hunc autem Vinicium ad Claudium uſque vitam produxiſſe, ac demum a Meſſalina, quia pudorem ſervavit, interfectum diſcimus ex extremo libro Dionis: Hujus itaque Vinicii filius ex Julia Tiberii nepte ſuſceptus (cui ſanè præter Neronis vindicandam improbitatem, juſta etiam quærendi ſibi Imperii cauſſa adeſſe videbatur (*e*)) in Neronem ipſum conjuraſſe debuit: Certè T. Vinicius (pro quo T. Vicinius, aut

[*a*] Vid. Tillemont. in Neron. Art. 18.
[*b*] In Neron. c. 36. [*c*] Famil. l. 8. ep. 8.
[*d*] Annal. VI. pag. 150.
[*e*] Quod & in ipſius M. Vinicii Patris mentem aliquando veniſſe teſtatur Joſephus Antiq. l. 19. c. 3. p. 671. nam & ipſe poſt cædem Caii Imperatoris, In qua operam ſuam contuliſſe creditur, in ſpem Imperii tum Juliæ matrimonio, tum ſuis virtutibus, ac Senatus judicio erectus fuerat; at quum militum favore Claudio res ceſſiſſet, nihil tam veriſimile, quam eandem ſpem, juſque Imperii in Vinicium filium tranſtuliſſe, qui tandem ſub Nerone non tam ſibi, quam Reip; ſceleſtiſſimi Principis cædem profuturam ratus, hanc, de qua agimus, conjurationem molitus fuit.

Digitized by Google

aut T. Vinius mendosè exhibetur) Conſul ſignatur in Faſtis initio Veſpaſianæi Imperii ad an. æræ vulg. 69. lapſo vix poſt Neronis obitum triennio: An igitur, ſi is ipſe fuerit, qui in Neronem conjuraverit, furentis Tyranni manus evaſiſſe potuit? aut potius hunc Titum ex Julia eadem Marci fratrem putabimus? utrumque ad ſummam veri ſimilitudinem accedit, veri namque ſimillimum erit, Vinicios hoſce conjurationis in Neronem Beneventi conflatæ auctores ſtatuere.

Quo autem modo Viniciana iſthæc conjuratio pervulgata fuerit, ex Plutarcho audire præſtat (*a*): Quum enim conjuratorum quidam ad Palatii fores conſiſtens hominem, qui vinctus, mærenſque ad Neronem traheretur, aſpiceret, ſtatim accedens ita in ejus aures alloquitur: *Deos roga, ut hunc tantum diem funeſtum tibi vites, cras enim mihi vitam debebis*: quid ſibi iſta vellent, intellexit ſtatim vinctus, qui vitæ ſecuriùs ſervandæ præſentem ratus occaſionem, quàm in incertum conjurationis exitum illam committere, continuò ad Neronem deduci poſtulat, eumque de urgenti periculo, quod ex auditis conjectaverat, monet, monitique præmium vitam ſibi exorat. Satis id Neroni fuit, cui leviora alia, imo ſiqui tantùm fortunis, aut virtute, aut genere præſtarent, pro juſto indicio, ſæviendique veluti in hoſtes manifeſtos cauſſa fuere: Vinctus itaque, qui vincto intempeſtivè ſpem vitæ largitus fuerat, abreptuſque ad Neronem, immani tormentorum vi, rem, ſocioſque aperire adigitur: Reorum autem numerum auxit Neronis ſuſpicio, ac crudelitas, quæ quantùm tum flagravit, ſuperiùs ex Svetonio notatum fuit: Atque ita ſanè Plutarchus: qui licet de hujus conjurationis nomine, nihil etiam de tempore, aut loco addat, nonniſi tamen de Viniciana loqui debuit, quam Beneventi conflatam conſtat, non enim ad Piſonianam, quæ biennio ante Romæ inita fuit, ea res referri poteſt, quandoquidem priorem illam conjurationem diverſo longe modo detectam fusè accuratèque Tacitus narrat.

Reſtat nunc, ut de Vinicianæ conjurationis tempore perquiramus: In annum æræ vul. XLVI. ac Neronis XII. quo C. Svetonius Paulinus, & C. Lucius Theleſinus Conſules proceſſere, conjiciendam putat Tillemontius (*b*), & quidem ante profectionem Achaicam, quam etiam extremo Junio Neronem ſuſcepiſſe cenſet: At licet in Tacito rem hanc cum extrema Annalium parte deſideremus, quum tamen plura adhùc ſuperſint, quibus is hujuſmet annî geſta auſpicatur, uſque ad Traſeæ mortem, plura etiam ex aliorum Scriptorum fide in hunc ipſum annum ſubinde referantur, quæ Vinicianæ conjurationi haud locum relinquunt, non ego Tillemontio facile concedendum crediderim. Demamus enim ex hoc anno dimidiam partem ab extremo Junio, quo Nero in Græciam profectus eſt, reliquos priores ſex menſes partim res a Tacito narratæ, partim ſequutus mox Tiridatis Regis in Urbem adventus, ac longior ibi commiſſa mora, integros ſibi vindicare videntur, ut ne vacuum temporis ſpatium inveniri poſſit, quo Neronem Beneventum adveniſſe comminiſcamur: Ac quod Tiridatis adventum ſpectat, eum, poſtquam Italiam appulit, per Anconitanam oram Neapolim primùm, ubi a Nerone exceptus fuit, inde cum ipſo rectâ Romam contendiſſe conſtat ex Dione (*c*): In Neronis vero itinere, quod demum in Græciam ſuſcepit, probabile quidem eſt (ut in ſuperiori profectione eveniſſe jam dictum fuit) Beneventi ipſum fuiſſe; at quis ſibi perſuadeat, eam Urbem tum conjurationi delectam, quam Nero Achajam properè petiturus vix attigiſſe debuit: Ipſe tandem Tiridatis adventus (quo maximum Romano nomini, Romaniſque Civibus decus quæſitum fuit, quibus etiam lætiſſimum illud fuerat, Armeniæ Regem *ad genua admiſſum* ſpectare, precantique Tiarâ deductâ, Diadema Neronem imponere) publicum odium mulcere ſatis valuit, unde & ineundæ conjurationis, ſi qua tum eſſent conſilia, deferbuiſſe putanda ſunt: Veriſimilius itaque mihi fit Vinicianam conjurationem ad finem ſequentis anni 67. aut certè initium anni 68., qui Neronis poſtremus fuit, rejiciendam eſſe. Ab extremo enim Junio an. 66. in Græciam profectum, adhùc ibi manentem Septembri anni ſequentis tradit Joſephus (*d*), longioremque moram facturum affirmat Dio (*e*), niſi ab Ælio ejus Liberto de variis conſpirationibus monitus, quæ in ejus vitam, imperiumque in Urbe parabantur, fuiſſet tandem revocatus: Redeunti igitur Neroni poſt Septembrem an. 67., vel, quum poſt illud tempus Beneventi aliquando maneret, Viniciana conjuratio, quam Ælius libertus pene indigitabat, paratam fuiſſe conſtat; At hoſtem, facemque humani generis, ut Plinius jure appellat (*f*), minus fuiſſet privatorum manibus trucidari; decebat enim, ut talem Principem, quem per XIIII. pene annos perpeſſus fuerat, ipſe tandem Terrarum Orbis deſtitueret (*g*): nam ſequutâ exercituum, qui in Provinciis erant,

[*a*] In lib. De Garrulitate. [*b*] In Neron. art. 25. [*c*] Lib. 63. pag. 716. [*d*] De Bell. Jud. l. 3. c. 36. [*e*] Lib. 63. pag. 723. [*f*] Lib. 7. c. 8. [*g*] Sveton. Neron. cap. 40. & 47.

Digitized by Google

erant, defectione, Prætorianis quoque in Urbe ad ſeditionem actis, mox Senatu univerſo Reip. hoſtem declarante, dum a neceſſariis æque, atque inimicis, qui teterrimi monſtri ſanguine fœdari horrerent, fruſtra mortem exoraſſet, ſua ipſe manu ſibi conſciſcere coactus fuit.

At quò triſtior, terroriſque plenus Beneventanæ Urbi frequens Neronis adventus hactenus haberi conſuevit, eo magis læta bonorum Principum, qui ſubſecuti ſunt, præſentiâ deinceps decorari viſa eſt: Inter bonos autem Principes paullo poſt Neronis exitum, jure Veſpaſianum cenſebimus, qui *nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque Remp. ſtabilire primo, deinde & ornare (a)*: Veſpaſianum igitur Auguſtum an. æræ vulg. 70. ejuſque Imperii primo Beneventi fuiſſe conſtat (*b*). Alexandriâ enim, ubi Auguſtus ſalutatus fuerat, Romam petiturus, Brunduſium appellens, rectà Beneventum properavit, ubi Domitianum filium obvium manere, ſeque ab illo in ea Urbe excipiendum noverat. Quàm hilares tum putabimus Beneventanorum animos, quàm lætam Urbis faciem, quantam advenienti Principi apparatuum magnificentiam: quæ quum nonnullibi toto eo itinere ingentia fuiſſe conſtet, majora profecto præſenti Veſpaſiano a Beneventanis pro utriuſque dignitate præſtanda erant: At inter publicas haſce lætitias uni Domitiano (quod in hac re primò obſervandum duxi) dolendum tum maximè fuit, quod (ut Dio notat) multorum criminum ſibi conſcius (*c*) Beneventi primum Auguſti Genitoris, cujus aſpectus pro magno ſupplicio ſat fuiſſet, juſtas quoque increpationes acceperit: Cur vero Beneventi potiùs, quam alibi Veſpaſianum præſtolaturus, Domitianus conſederit? Id certe ſecundo loco jam obſervabimus; non enim caſu, aut ſine conſilio res, ſed ex Auguſti exemplo, qui (ut ante dictum fuit) Tiberium in Illyricum tranſmiſſurum, Beneventum uſque fuit proſecutus, ut jam utroque, quod ex veteribus ſcriptoribus modo ſuppetat, exemplo, Beneventanam Urbem tum fuiſſe conſtet, quæ dimittendis, excipiendiſve Principibus, quod publico quodam ſollennique more præſtandum erat, delecta videatur.

His autem tum Auguſti, tum Veſpaſiani exemplis tertium quoque addidiſſe licebit, quod Lapis huic Diſſertationi præfixus ſuppeditare videtur: Habes in eo publicas Beneventanæ Coloniæ gratulationes pro *Felici Evento* tum profectionis orientalis, tum reditus Imp. Severi, ejuſque filii Baſſiani, quibus non ipſa modo Majeſtati Auguſtorum ſe devotam profiteri ſategit, ſed plane ſe ipſam unam indicare voluit, cui, Romanæ Urbis exemplo, profectiones Principum, eorumque reditus peculiari jure, publicèque celebrare mos fuerit: Hoc ipſum docere etiam nos poterit Arcus Triumphalis Imp. Trajano a S. P. Q. R. Beneventi erectus, cujus dedicationem quamquam ad Viam, quam Benevento Brunduſium uſque is fecerat, æquè referri poſſe alibi a me obſervatum fuerit, veriſimilius tamen eò magnificentiſſimum Opus ſpectare dicendum eſt, ut in ea Urbe, unde Principes ſuos proficiſcentes dimittere, redeunteſque excipere Romani conſueſſent, Optimum ipſum Fortiſſimumque Principem e Parthico Bello mox reverſurum præclariſſimo eo monumento exornandum duxerint: Ejus autem rei illa videtur fuiſſe ratio, quod oſtium veluti, itemque terminus, quibus Urbis Romæ fines quodammodo deſignarentur, Beneventum videretur; neque enim Principem aliquem, niſi quibus Oriens petendus eſſet, Beneventanam Urbem privato itinere prætergreſſum facilè comperiemus, ſed ibi demum, quum extra Urbem otium, quietemque captare libuiſſet, ſeceſſuum ſuorum metas ſtatuiſſe.

Nunc ad Lapidem veniam; atque quum Severi, Baſſianique Orientalem profeſſionem, atque reditum, ut eo publico monumento celebraret, Beneventana Colonia dignum cenſuiſſet, non abs re illud fuerit, ut de utriuſque tempore perquiramus. Binas igitur in Orientem profectiones Severum inſtituiſſe, bis etiam Romam rediiſſe ex Dione, Herodiano, & Spartiano ſatis conſtat; Ac primùm fuit, quum Imperium a Germanicis Legionibus apud Carmentum nuper delatum, Romam adveniens ſibi conſtabilivit, moxque ad delendas Peſcennii Nigri, Clodiique Albini factiones, Orientiſque ſtatum confirmandum profectus, poſt quatuor pene annos [ab an. nempe vulg. æræ 193. ad 197. ejuſque Imperii IV.] ſuis, ac Reip. hoſtibus profligatis, victor Romam rediit: Quum vero toto hoc annorum ſpatio nondum Baſſianus M. Aur. Antonini nomine

[*a*] Sveton. Veſpaſ. cap. 8.

[*b*] Joſeph. de Bel. Jud. l. 7. c. 10. Dio lib. 66. p. 749. Vid. Tillemont. in Veſpaſ. art. 8. §. 7.

[*c*] Domitiani mores, poſtquam Veſpaſiano Patri abſenti Imperium, ipſi vero Cæſaris nomen delatum fuerit, ſummâ infamiâ notarunt Scriptores. Notum ex Tacit. Hiſt. l. 4. in fin. adverſus abſentem Patrem jam Auguſtum, manifeſtius vero in Titum Fratrem multa illum moliri cœpiſſe, tentata ſecretis nunciis Cerialis fide, ut præſenti ſibi Exercitum, Imperiumque traderet: Cæterum [ut tradit Sveton. cap. 1.] omnem vim dominandi tam licenter exercuit, ut jam tum qualis futurus eſſet oſtenderet; Præter enim nefarias libidines, uno die XX. Urbana officia, atque peregrina diſtribuit, mirari ſe Veſpaſiano dictitante, quod ſucceſſorem non & ſibi mitteret.

Digitized by Google

nomine, Auguſtique titulo inſignitus fuerit, certâ illâ temporis notâ adhùc caremus, quam lapis omnino præfert, ubi Antonini, Auguſtique appellatione Baſſianus decoratur: Ad poſteriorem itaque profectionem deducenda res eſt: Quum nempe Romæ aliquandiù moratus Severus civilis vitæ pertæſus, ut erat bellandi ſtudioſiſſimus, ſive [ut Herodianus obſervat] civili victoria, adverſus Romanos Exercitus habitâ, bellicæ virtutis laudem non ſine invidia ſibi partam ratus, unde & oblatum triumphum recuſaverat, mox ſequenti anno 198., ejuſque Imperii V. ad Parthicum Bellum gloriæ potius cupiditate, quàm neceſſitate aliqua profectus eſt: dum vero hanc expeditionem jam pararet, nondum Urbe egreſſus, Baſſiano, & Getæ filiis [ut Herodianus idem tradit] *Imperium participavit*; quod quum de Geta dubium videri poſſit, de Baſſiano omnino certum, tum ex eodem Scriptore diſcimus, qui eum ex Parthico Bello cum Patre jam reverſum, *honores Imperatorios adeptum, Severum Antoninum accepto Marci cognomine* jam vocatum confirmat, tùm ex Spartiani teſtimonio, qui Severum Romæ adhùc morantem, Baſſianum *Antoninum Cæſarem* a Senatu appellari juſſiſſe refert, *decretis etiam Imperatoriis inſignibus*; quæ tamen nonniſi rei a Severo antea geſtæ ſolennis Senatus confirmatio cenſeri debet; nam quum is olim contra Albinum properaret, in ipſo itinere apud Viminatium filium ſuum majorem Baſſianum appoſito Aurelii Antonini nomine Cæſarem appellavit: Ejus autem appellationis cauſſas ex eodem Spartiano diſcere eſt; nam *Antonini nomen iccirco filio appoſuit, quod ſomniaverat, Antoninum ſibi ſucceſſurum; unde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum, ut & ipſe ſuccederet in Imperio; aliqui putant iccirco illum Antoninum appellatum, quod Severus ipſe in Marci familiam tranſire voluerit*. Sed Senatus decreto Militum demum acceſſit auctoritas, nam poſt res Parthico Bello feliciter a Severo geſtas, *filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat annum decimum tertium agentem participem Imperii dixerunt milites*. Ac tum quidem gratum Severo id fuit, qui ejus appellationis cauſſa donativum militibus largiſſimum dedit, quos tamen paullo poſt ejuſmodi appellationis, quâ contra ipſum Severum abuti cœpiſſent, pœnitendum fuit; nam quum is *pedibus ager bellum moraretur, idque milites anxiè ferrent, ejuſque filium Baſſianum, qui una erant, Auguſtum feciſſent, tolli ſe, atque in Tribunal ferri juſſit: adeſſe deinde omnes Tribunos, Centuriones, Duces, & Cohortes, quibus auctoribus id acciderat; Siſti deinde filium, qui Auguſti nomen acceperat: quumque animadverti in omnes auctores facti, præter filium juberet, rogareturque ab omnibus ante Tribunal proſtratis, caput manu contingens ait: Tandem ſentitis caput imperare, non pedes*: qua ex re illud facile intelligimus, quò Herodiani verba, qui participatum Baſſiano Imperium tradit, quò Imperatoria inſignia, Antonini, itemque Cæſaris, ac demum Auguſti appellationes eidem Baſſiano delatæ, referenda ſint, ut nempe nonniſi Imperatorem illum, Auguſtumque deſignatum, nec niſi poſt obitum Severi Patris, [qui quandiù vixit, integra Principatus jura, Imperiique adminiſtrationem ſibi vindicabat] Rerum denique potitum affirmemus; Id, quod reipſa Baſſianus ipſe demonſtrat, qui tum ex longævo Patris Imperio, tum ex extremæ valetudinis diuturnitate, dominationis impatientior factus, medicis, miniſtriſque, ut ſenis ægrotique necem maturarent, præcepit (*a*); quos impia juſſa haud exequi auſos, ſimul ac Severus mærore magis, quàm morbo conſumptus fuit, ſummam ipſe nactus poteſtatem, ſupplicio affecit: Quæ quum ita ſe habeant, non eſt tamen, cur de Marci Aurelii Antonini, Auguſtique appellatione dubitemus, quam, præter noſtrum lapidem, de quo nunc agimus, Baſſiano jam ex anno 197. a Severo Patre delatam probant tum allata Scriptorum teſtimonia, tum alii bini domeſtici lapides (*b*), aliique innumeri apud Gruterum (*c*); quibus addimus triam legum titulos, quos *Impp. Severus, & Antoninus AA.* dederunt ex dicto anno 194. ad an. 198. (*d*) Rem ipſam demum ex Faſtorum fide amplius exploratam habemus, ubi ad an. 202. L. Septimius, Severus Imp. III. M. Aurelius Antoninus Imp. ſignantur.

Sed quum ad dictum annum 202. pervenerimus nondum Auguſtorum Severi, Antoninique Reditum, qui ſimul cum ipſorum Profectione in noſtro lapide celebratur, attigimus: Abſentes enim eum Conſulatum ambos geſſiſſe liquet ex Spartiano, qui Severum Antiochiæ moran-

[*a*] Herodian. l. 3. in fin.

[*b*] Quorum alter Juliæ Auguſtæ conjugi Severi a Beneventanis dicatus fuit, ubi ea *Mater Aug.* appellatur, alter Patri, ac Filio Auguſtis erectus fuit ob reſtitutionem Pontis, de quo mox ſermo erit.

[*c*] Grut. p. 265. n. 1., ubi inter alias inſignis eſt Inſcriptio Arcus Triumphalis Romæ erectus.

[*d*] Lib. 3. Cod. Juſtin. tit. 28. ubi Lex 1. legitur data Kal. Jul. Falcone, & Claro Coſ., quorum Conſulatus quum in an. 193. a Petavio, Tillemontio, aliiſque recentioribus conjiciatur (quamquam Gothofredus annum 194. ibi notet), jam, ſi huic Legi fides, Antonini Auguſti appellationem ante ipſum annum 194. Baſſianum adeptum dicere fas quoque erit.

Digitized by Google

morantem Antoninum filium ſecum Conſulem deſignaſſe, & ſtatim ambos in Syria Conſulatum iniiſſe tradit. Annus hic vacuus a bellando fuit, quem tamen Severus in Ægyptiaca peregrinatione tranſegit; nam (*a*) in Ægyptum ſuperiorem navigio per Nilum aſcendens, omnia ejus Gentis occultiſſima perluſtravit, itaut nihil divinarum, humanarumque rerum præclarum fuerit, quod non is diligenter perveſtigaret; quo quidem in itinere Libros arcanos omnes, quos reperire potuit, ex omnium Templorum adytis ſuſtulit, & Alexandri monumento ita incluſit, ut neque hujus corpus, neque illi patere ullius oculis deinceps poſſent: Quale in hac re Severi conſilium fuerit, non conſtat; Dei certè providentia enituiſſe tum viſa fuit, ut quicquid ſuperſtitioſiſſima omnium Natio penitiorum Sacrorum, abditiſſimæque Religionis venerabilius haberet, Idololatræ Principis manu tum amitteret: Veri tamen mihi ſimile fit, nonniſi ex hujuſce itineris occaſione factum, ut Severus contra Chriſtianos (quæ Quinta Eccleſiæ Perſecutio numeratur) tum ſævire cœpiſſet: Ad hunc enim ipſum annum 202., Severi, Antoninique Conſulatu inſignem Perſecutionem prædictam pertinere non levis eſt conjectura (*b*), planèque Spartianus ipſe teſtari videtur, qui paullo poſt initum Conſulatum Severum *Judæos fieri ſub gravi pœna vetuiſſe, idem etiam de Chriſtianis ſanxiſſe* ait; qui quum etiam illud addat, *jucundam hanc peregrinationem propter Religionem Dei Serapidis* Severo fuiſſe, ac præterea ſatis conſtet, eum Idololatriæ, Superſtitionique omni, nec non Matheſeos, magicæque arti addictiſſimum extitiſſe, nihil verius videri poteſt, quàm Eum hoc anno a belli curis quieſcentem, nactumque ea peregrinatione ingentem, ubique locorum, Chriſtianorum numerum, qui Deorum cultum, ſuperſtitioſoſque Gentilium ritus palam contemnerent, primum edictum illud propoſuiſſe, quo quiſque Chriſtianam Religionem deinceps amplecti vetaretur: deinde quum nequicquam legibus, ac minis Chriſtianos deterreri poſſe noviſſet (ejus quoque conceptam ea de re in Chriſtianos indignationem Idolorum miniſtris, quorum ædes omnes tum in Ægypto perluſtrabat, acriùs inflammantibus), omni tandem ſuppliciorum genere per Provincias in eoſdem animadverti mandaſſe: Haud diuturnam hanc Perſecutionem fuiſſe, quin immo Severum, M. Aurelii Antonini exemplo, cujus ſe affinem jactabat, nomenque Baſſiano filio (ut dictum eſt) impoſuerat, mitiùs deinde cum Chriſtianis egiſſe, quos etiam publica munera adipiſci permiſit, ex Ulpini loco (*c*) ſatis firma ratione probari poteſt.

Sequi-

[*a*] Suidas v. *e.* hanc peregrinationem, reſque in ea geſtas non Severo Imperatori, ſed Severo neſcio cui Sophiſtæ attribuit; ſed ejus manifeſtam hallucinationem ex textu Dionis, jamdiù notavit Salmaſius in Spartian.

[*b*] Perſecutionem populari furore jamdiù cœptam, nonniſi a Severo latis legibus anno 202. publica auctoritate comprobatam, acriter, ſed non omninò feliciter contendit Jo. Laur. Mosheim in Diſquiſitione *De Ætate Apologetici Tertulliani, initioque perſecutionis Severi* poſt Opp. Tertull. edit. Venet. an. 1744.

[*c*] Verba Ulpiani ex lib. 3. de Off. Proconſ. relata in l. 3. §. ult. D. De Decurion. ſic ſe habent: *Eis qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur Divi Severus, & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & neceſſitates eis impoſuerunt, quæ ſuperſtionem eorum non læderent*: atque hanc met Severi, & Antonini conſtitutionem reſpexiſſe videtur J.C. Modeſtinus de Excuſationibus, quum ait: *Jam vero Judæi quoque non Judæorum tutores erunt, quemadmodum cætera munera ſubeunt: namque eos Conſtitutiones ſolutos eſſe volunt ſolis illis rebus, per quas ſuperſtitio eorum pollui videatur*: Fateor quidem utriuſque Juriſconſulti verbis ſolos Judæos memorari; Scio etiam Ant. Auguſtinum (præter alios) ad hunc locum Modeſtini [cum quo Ulpiani alterum confert] ab Alciato præceptore ſuo planè diſſentire, qui Judaicam ſuperſtitionem *Chriſtianam* interpretatus fuerat Diſpunct. l. 3. c. 8.; *neque enim* (inquit) *aliter his verbis Judaica ſuperſtitio intelligenda eſt, quam quæ memorata quoque habetur apud Juſtinianum, qui* in *l. quoniam Cod. De Hæreticis* eadem appellatione *uſus fuit*; At ego non facile Auguſtino conceſſerim; quippe qui ad Juſtiniani ætatem, legeſque provocat; quis enim unquam dubitaverit, quin ea propriè Judaica ſuperſtitio ſit, quæ ita a Chriſtiano Principe appelletur? ſic nonniſi ad ſolos Judæos ipſos referenda planè eſt *Judaica ſuperſtitio*, quam uſurpat Canon 87. Conc. Carthag. IV. relat. in Cauſ. 26. quæſt. v. c. XI. nec non Canon 62. Conc. Toletani IV. relat. in cauſ. 28. quæſt. I. c. X.: At quum de Ethnicorum ſcriptis res ſit, Judaicam ſuperſtitionem ex familiariſſimo, ac pene ſolenni, qui apud illos paſſim obtinebat, loquendi more, nonniſi pro Chriſtianæ legis profeſſione ſignificatam fuiſſe conſtat: Mitto antiquos lapides apud Grüter. p. 238. & pag. 280. quorum alter Neroni, Diocletiano alter *ob novam*, ſeu *Chriſtianam ſuperſtitionem deletam, aut purgatam* dicati feruntur; nam haud temere ambos commentitios cenſere quiſque poterit: Res certè optimorum, qui inter Ethnicos floruere, ſcriptorum fide abundè conſtat; nam Tacitus l. XV. An. c. 44. Chriſtianiſmum *exitiabilem ſuperſtitionem* appellat; nec ſecus Sveton. in Neron. c. XVI. Chriſtianos genus hominum *ſuperſtitionis novæ, & maleficæ* inſimulat; ac Plinius denique junior l. X. ep. 97. ad Trajanum de Chriſtianis ſcribens: *Nihil aliud* [inquit] *inveni, quam ſuperſtitionem pravam, & immodicam . . . . . neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt*; Chriſtianos autem Judæorum nomine paſſim ab Ethnicis appellatos explorata res eſt, quam ex Dione in Domitiano, & Nerva, Lampridio in Alexandro, Rutilio Itiner. v. 395. Arriano in Epictet. l. 2. c. 9. fusè demonſtrant Card. Baron.

Digitized by Google

Sequitur nunc demum annus 203., quo Augustorum Severi, & Antonini reditus nostro lapide memoratus, consignandus videtur: Ita enim, præter alia, docet Inscriptio Arcus Triumphalis Romæ extantis, ubi Severus cognomine Parthici, ac Trib. Pot. XI. Bassianus vero M. Aurelii Antonini Augusti nomine, ac Trib. Pot. VI., amboque simul *ob Remp. restitutam, Imperiumque Populi Romani propagatum* celebrantur: ex quo sanè non modo ea confirmantur, quæ superiùs de M. Aurelii Antonini nomine, Augustique titulo ab anno 197. Bassiano delatis, statuimus, quippe quia ex eo anno si illius Trib. Potestatem VI. numerare cœperis, ad ann. 203. mox devenies; verum etiam ex Trib. Pot. XI., quæ Severo tribuitur, quum a mense Junii an. 193. ejus Imperii initium fuerit, sub exitum ejusdem anni 203. quo undecimus Imperii numerari jam cœperat, Arcum prædictum dedicatum inveniemus: Atque eo certè magnificentissimo, ac perpetuo Opere nonnisi post eorumdem Augustorum reditum, præsentibus jam Augustis ipsis S. P. Q. R. blandiri satagebat; Quid vero caussæ fuerit, ut etiam Beneventana Colonia perpetuo quoque monumento utriusque *Profectionem*, ac *Reditum* consignandum curaverit? Duplex ejus rei caussa in promptu est: Altera, quod tum proficiscentes, tum redeuntes Augusti hi Beneventum inviserint; Ac proficiscentes quidem Beneventi fuisse satis constat ex Spartiano, qui in Parthica expeditione Severum a Brundusio in Syriam exercitum trajeciisse memorat; quod & in reditu dicendum videtur, quem per Illyricum eveniisse tradit Dio; unde Brundusium peti, atque exinde Trajanâ viâ Beneventum attingi oportebat: Sed & altera potissimùm fuisse caussa videtur; nam eosdem Augustos eo itinere Beneventum insigni munificentia exornasse constat, restituto sua pecunia super Sabatum flumen Ponte, quem vetustate dilapsum invenerant: Ejus Pontis Inscriptionem adhùc superstitem superiore Dissertatione, ubi de Via Trajana sermonem habui, allatam, heic iterum exhibere supervacuum duxi; Notanda vero in illa omnino est Severi Trib. Pot. VI., quæ tamen Tribunitia Potestas eadem M. Aur. Antonino filio nullo adjecto anni numero tributa legitur; ut jam certum illud confirmemus ad an. 197. in quem Trib. Potestas Severi cum ejus Imperii annis incidebat, primam Tribunitiam M. Aur. Antonini filii Potestatem referendam esse, quam eo anno, cum M. Aur. Antonini nomine Augustique titulo, ut superiùs diximus, adeptus fuit; Eo quoque anno statutam a nobis Orientalem profectionem eadem temporis nota comprobat, nam eo certè itinere Pontem, quem vetustate dilapsum reperissent, iidem Augusti sua pecunia restituendum curarunt; quod quum in maximum Beneventanæ Coloniæ decus, utilitatemque cessisset, nihil mirum, quod illa accepti beneficii memor, præter eum lapidem, quo Augustorum munificentiam ob restitutum Pontem testabatur, iis postea feliciter redeuntibus peculiare alterum grati obsequentisque animi monumentum dedicandum curaverit.

Hactenus de Augustis, quorum in Beneventanam Urbem adventus manifestis Scriptorum testimoniis, certisque aliis monumentis, compertus mihi fuit: Reliquos sanè plures nonnisi conjecturâ assequi licebit; nam quum Augustorum ferme omnium, qui ad IV. usque sæculum Imperium rexere, solennes pene fuerint ad Orientalia bella profectiones, atque inde ad Urbem reditus, jam rectè consequitur, frequenti illorum præsentiâ Beneventum gaudere consuesse: Singulos igitur Augustos recensere, conjecturamque ipsam adductis veterum Scriptorum locis confirmare non tanti est, ut laborem hunc suscipiendum mihi ducerem: Satius igitur mihi, nec lectori injucundum, si eos tantùm exequar, quorum Encomia inscriptis lapidibus Beneventi adhùc extantibus continentur; nam, præterquamquod ex domesticis testibus conjecturæ ipsi majus robur accedat, quandoquidem non leve illorum adventus argumentum ex lapidum dedicatione deduci videatur, lapides certè ipsi ad propositam Augustorum materiam, quam totam in hanc peculiarem Dissertationem conjecimus, omnino pertinentes rem ipsam satis dignè conficient.

Prior igitur [ut quam hactenus tenuimus, temporum seriem servasse videamur] prodeat

 lapis

ron. ad an. 94. num. 1. Huetius Demonstr. Evang. Propos. 3, n. 22. & nuper V. C. P. Mamachius Orig. Christ. l. 1. §. 23. Spartiani auctoritatem, quæ mirè in nostram rem, & tempus consentit afferre heic satis erit; hæc enim de Bassiano refert in illius vita: *Septennis puer, quum colluſorem ſuum puerum ob Judaicam Religionem gravius verberatum audiſſet, neque Patrem ſuum, neque Patrem pueri, vel auctorem verberum diu reſpexit*; ubi profecto vides Judaicàm Religionem pro Christiana professione usurpatam; facillimum autem id erat, ut Ethnici, qui Christianos ex Judæorum tum regione, tum gente profectos tantum noverant, Judæorum nomine vocitarint: At ex Spartiani loco illud etiam obiter observabimus in Severi aula, [ut in Neronis testatur S. Paulus] Christianorum ministerium adhibitum, ac fortasse Bassiani Nutrix Christiana fuisse colligi potest, tum ex puero illo, qui non modo *Colluſor*, sed etiam Bassiani collectaneus fuisse videtur, ex Tertulliano, qui in lib. ad Scapulam cap. 4. eundem Bassianum *lacte Chriſtiano fuiſſe educatum* affirmat.

Digitized by Google

lapis Imp. Gallieno dedicatus, quem apud Gruterum pag. 274. num. 6. mutilum, locupletiorem sextâ lineâ aliquot literis, ex Autographo summa fide, diligentiaque descriptis modo exhibemus.

MAGNO ET INVICTO
GALLIENO
AVG. XI. COS. VI
DESIGNATO VII
PACIS R. . . . . .
. . . . . .

Lapidem hunc an. æræ vulg. 265. dedicatum fuisse patet, qui medius fuit inter sextum, ac septimum Imp. Gallieni Consulatum, nam quum is an. 264. sextum Consulatum cum Saturnino gessisset, nonnisi sequenti anno 265. designatus esse potuit ad eum Consulatum, quem *septimùm* cum Sabinillo an. 266. iniisse constat; & quidem in dictum annum 265. incidit ejus Imperii annus XI. nostro quoque lapide initio tertiæ lineæ memoratus. Quum igitur certam temporis notam ex lapide habeamus, tum quum Gallienus ipse, Valeriano Augusto Patre apud Persas captivo, majorem adhùc sceleſtissimis suis moribus Romano nomini, Imperioque infamiam feciſſet, mirari quidem subit, an ridere, in ejus fœdissimam adulationem adeo effusos Beneventanos, ut paucis licet verbis, amplissimas laudes perpetuo monumento consignatas pessimo Principi largirentur: *Magnum* itaque primo loco appellarunt Gallienum, quod vix uni, & alteri, Alexandro nempe, ac Pompejo, ac nonnisi ex utriusque rerum egregiè gestarum singulari magnitudine olim partum cognomen; quin dum prænominis loco Gallieno concessum fuerit, in propriam veluti ejusdem appellationem cessurum videbatur: Res certè recenti exemplo non vacabat, nisi summum ex morum diversitate discrimen interceſſiſſet: nam *Magni* prænomen Alexandro Severo Imperatori inter cæteras alias honoris acclamationes delatum (a)respuit optimus Princeps, quod paullo post pessimus alter gestiit obtinere: At magis ridebimus *Invicti* nomen Gallieno delatum; qui quum Patrem Augustum viliſſimum Regis Persarum mancipium haberet, omnesque pene Romanas Provincias amisisset, in quibus quot Romanorum exercituum Duces, tot fere Tyranni Imperium invaserant, ipsaque Italia Barbararum Gentium incursionibus patuisset, se quoque in crudelitatis, libidinis, omniumque scelerum fœcem abjecerit: Pudet inter hæc numerare [ut cum Trebellio Pollione loquar], quæ sæpe Gallienus malo generis humano quasi per jocum dixerit: Nam quum ei nunciatum esset, Ægyptum desciviſse, dixisse fertur: quid? sine Lino Ægyptio esse non possumus? Quum autem devastatam Asiam, & elementoru m concursionibus, & Scytharum incursionibus comperisset, quid, inquit, sine Aphronitris esse non possumus? Perditâ Galliâ arrisisse, ac dixisse perhibetur: non sine trabeatis sagis tuta Resp. est? An igitur post hæc Gallienus *Invictus*? Sed stomachum magis movere videntur, quæ ex restitutis sextæ lineæ literis facile accipimus, ut nempe post ambitioſissimos *Magni*, & *Invicti* titulos, *Pacis* etiam *Restitutor* a Beneventanis audire meruit: At qua de causa id demum factum fuerit, ut ad priores titulos postremus hic satis speciosus, ac summæ gloriæ plenus accesserit, facile conjectabimus, si ad Odenati Palmyrenorum Regis, cujus fide, & robore res Romanæ tum pauliſper stare videbatur, victorias adversus Persas obtentas, rem ipsam deducamus: Tunc enim fuit (ut inquit Trebellius) *ut vincente Odenato Gallienus triumpharet*: certè ejusmodi Bellum post an. 264 ab Odenato susceptum Trebellius idem diserte commemorat, a quo etiam habemus paullo post Gallienum Athenis Romam petiisse: quo in itinere eidem Beneventum transeunti, Lapis iste, cujus tempus ad Persicas Victorias proximè accedit, a Beneventanis præsenti Principi blandiri cupientibus dedicatus videri potest.

Sed

[a] Senatus, quod *Magni* prænomen spectat, acclamationes Imp. Alexandro factas, satis pulcras audire libet ex Lampridio, nam quum is Antonini nomen oneroſum, quod eadem, quæ Antoninus egregiè gessisset, tacite moneret, repudiasset, tunc Senatus: *Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen ſuſcipe: Magne Alexander Dii te ſervent, & quum ſæpius dicerent: Alexander Auguſtus ait: Facilius fuit P. C. ut Antoninorum nomen acciperem; aliquid enim vel affinitati deferrem, vel conſortio nominis imperialis: Magni vero nomen cur accipitur? Quid enim jam magnum feci? Quum id Alexander poſt magna geſta, Pompejus vero poſt magnos triumphos acceperit: Quieſcite igitur venerandi Patres, & vos magnifici unum me de vobis cenſete potiùs, quam Magni nomen ingerite . . . . . Multo clarior viſus eſt alienis nomin ibus non receptis, quam ſi recepiſſet.*

Digitized by Google

Sed ex infamibus regnantis Idololatriæ ſæculis, ad feliciora tempora gradus eſto, quum tandem Chriſtianus Orbis Chriſtianos Principes habere cœpit; lætandumque profecto Beneventanis erit, qui quale tum apud majores ſuos fuerit erga Helenam Auguſtam Imp. Conſtantini Matrem veneratio, ſuperſtite monumento hodiedum oſtentare poſſint: Lapis Helenæ dedicatus ſic ſe habet:

HELENAE AVGVSTAE
GENETRICI D. N. CONSTANTINI MAX
VICTORIS ET TRIVMPHATORIS SEMPER AVG
ELPISTICVS V. P. P. P. RERVM PRIVATAR
PIETATI EORVM
SEMPER DICATISSIMVS

Viventis Helenæ Pietatem, quæ ei mortuæ publicum Sanctitatis cultum ritè in Eccleſia comparavit, non ſolum hoc lapide commendatam habemus, verum etiam (quod mihi opportunè obſervandum modo erit) novum ex ea argumentum videtur ſuppetere, ut omnino juſtas ipſius Helenæ cum Imp. Conſtantio nuptias vindicemus: Fuere namque ex veteribus, qui hanc notam Imp. Conſtantino inferrent, ut Conſtantius Pater ex Helena quidem, ſed non ex legitimo matrimonio ſibi junctâ ſuſceperit: Ac prior quidem Zoſimus lib. 1. Conſtantinum tradit, *natum ex conſuetudine mulieris, quæ mater familias non eſſet, nec in manum Imp. Conſtantio legitimè conveniſſet*; & mox quum eundem Conſtantinum Cæſaris dignitate auctum commemorat, iniquiſſimo id animo Maxentium Maximiani Herculii filium tuliſſe ait, quod ſibi Imperatoris filio is demum anteferri videretur, qui *muliere non matrona genitus eſſet*: at ſi Zoſimi dumtaxat teſtimonio res ipſa conſtaret, facile hominis Ethnici, ac Conſtantino manifeſtè infenſi ſuſpecta fides haberi poſſet; ſunt tamen, qui in eadem re tradenda conſentiunt, Viri graviſſimi, qui Doctrina, ac Sanctitate Chriſtianam Religionem, antiquitatemque magnopere illuſtrarunt; nam præter Chronicon Alexandrinum, & Græcum Euſebii, quod Scaliger edidit, teſtatam rem in ſuis quoque Chronicis faciunt S. Hieronymus, S. Proſper, & Beda; ac longam demum ejus rei narrationem inſtituit Nicephorus (*a*), vulgatumque id S. Ambroſii ævo fuiſſe diſcimus ex illius verbis (*b*). *Stabulariam* [inquit] *hanc primo fuiſſe aſſerunt, ſic Conſtantio cognitam*. Sed contrà, magni nominis Scriptores, indubiæque fidei monumenta æque adſunt, itaut jamdiù controveſiam, adhæſerit ne concubina Conſtantio, an legitima uxor fuerit Helena, meminit Zonaras (*c*), qui tamen utramque ſententiam indicaſſe contentus, neutri calculum ſuum addidit: Rem tamen ita tranſigendam putat Card. Baronius (*d*), ut ſcilicet, quum inter Magiſtratus militiæ, ac Fœminas ejuſdem Provinciæ legibus Romanorum (*e*) irritæ eſſent nuptiæ, quæ tamen iiſdem legibus (*f*) juſtæ efficiebantur, ſi poſt depoſitum officium, in eadem voluntate conjuges perſeveraſſent, Conſtantius quidem nondum Imperium adeptus, dum in Provincia ageret, acceptam ibi Helenam tum demum legitimam conjugem habere potuerit, quum poſt Provinciam adminiſtratam vetus inter eos conjugium ratum permanſerit; quæ fortaſſe res opinioni illi occaſionem præſtitit, ut Helenam Conſtantii concubinam plerique affirmarint; ita quidem Baronius, qui ſatis commode litem diremptiſſe videri poteſt, haud omnem tamen maculam ab ipſa Helena, filioque Conſtantino deterſiſſe; quum enim eâdem Romanorum lege caveretur, ex nuptiis poſt depoſitum officium ratis habitis *liberos* poſtea natos legitimos eſſe, quis illud certò ſciet, ut poſt nuptias ritè celebratas, tunc demum Conſtantinus filius ſuſceptus ſit? an vero poſt diuturnam Conſtantii, Helenæque conſuetudinem, Conſtantini nativitas legitimi connubii tempora expectare debuiſſet? Quin potiùs certum illud videri poteſt, ſtatim ac Conſtantius conſuetudinem cum Helena inierit, Conſtantinum filium ſuſceptum, qui an. 306, quo Imperium auſpicatus fuit, annum trigeſimum ſecundum circiter ætatis agebat; quo fit, ut injuſtis ipſe nuptiis natus, licet hæ juſtæ efficerentur, haud tamen legitimus ipſe filius potuerit evadere, ut inferius dicam; Sed & acuta quidem ex allatis Romanorum legibus Baronii obſervatio, qua diſſidentes ſententias conciliare conatur, haud tamen iis temporibus omnino congruens; quid enim? Jamdiù eæ leges, eò magis ſi de Viris Principibus agatur, infnes ea ætate, atque obſoletæ; nam ſi eæ valuiſſent, vix

[*a*] Hiſtor. l. 7. c. 18. [*b*] De Diverſis Concione 3. [*c*] Annal. tom. 3. in Conſtantin. [*d*] Ad an. 306. §. 19. [*e*] L. 63. D. De Rit. nupt. [*f*] L. 65. D. eod. tit.

Digitized by Google

vix ullus Imperator ex juſtis nuptiis natus dicendus eſſet; ſcimus enim, (ut alios plures præteream) Titum, & Domitianum Domitilla matre libertinæ conditionis muliere, ac Veſpaſiani conjuge genitos, Severum ex conjuge Julia Syra muliere Getam, atque (ut alii malunt) Baſſianum etiam ſuſcepiſſe; Syram quoque mulierem Eutropiam Maximiano Maxentium, Fauſtamque Conſtantini conjugem peperiſſe; quibus omnibus nemo nuptias, quas privati in ſuis Provinciis inierint, injuſtas, eorumque filiis natalium notam objecerit; erit igitur undequaque res certa, non modo non concubinam, ſed initio ipſo legitimam Conſtantii uxorem Helenam fuiſſe, quod facili negotio probari videtur.

Præſtat autem primùm rationis vi adverſam, quam modo recenſuimus, ſententiæ fidem tantiſper exagitare, quæ, ſi accuratiùs rem perpendamus, nonniſi ſolius Zoſimi auctoritate innixa comperietur: Hic enim ſynchronus dumtaxat Scriptor ejus rei meminit, quam proinde ex ſuo in Conſtantinum odio comminiſci debuit; ſanè quum exciſum, deletumque a Conſtantino Idolorum cultum, Chriſtianamque Religionem propagari iniquiùs tuliſſet, ut aliis paſſim multis calumniosè oblatratis, ita & juſtorum natalium defectu Chriſtiano Principi invidiam ubique conflare ſategit: Res autem ab illuſtri viro literis ſemel mandata, ab aliis etiam, qui Idololatriæ tum ſtuderent, libenter recepta, ac pervulgata, omnium ferè ſermone, opinioneque confirmari cœpit; Facile itaque fuit Ambroſio, qui ſub exitum ejuſdem ſæculi floruit, pervagatam rei famam accipere, ac quod *alii aſſererent*, non quod certis ipſe monumentis didiciſſet, in ſua ſcripta referre; poſt quem nil mirum de Hieronymo, qui commentum illud pro vero habens Proſpero, Caſſiodoro, atque Bedæ, qui illum ſequuti ſunt, eumdem omnibus errorem adoptandi occaſionem dedit.

Majus profecto robur huic rationi accedet, ſi contrarias, quæ Zoſimus impudentiſſimi mendacii redarguant, auctoritates jam demum in medium afferamus. Primùm itaque apud omnes veteres convenit, nonniſi uxorem Imp. Conſtantii fuiſſe Helenam, cui ſolam natalium obſcuritatem tribuit Eutropius (*a*), qui Conſtantinum *ex obſcuriori matrimonio* Conſtantio natum tradit, atque ipſe idem paullo ante jam dixerat, Conſtantium, ut Theodoram Maximiani Herculei Privignam acciperet, *uxorem, quam habebat, repudiare compulſum*: Haud ſecus uterque Aurelius Victor, *diremptis prioribus conjugiis*, aut *abjecta uxore priori*, ſecundas cum Theodora nuptias Conſtantium iniiſſe affirmant; *Uxoris* autem, *Matrimonii*, *Conjugiique* uſurpata nomina, juſtas omnino nuptias manifeſtè ſatis declarant. Nullam autem præter unam Helenam, priorem ipſam Conſtantii uxorem fuiſſe ex eo certum videri poteſt, quod nemo veterum alterius, quàm Helenæ uxoris Conſtantii meminiſſe inveniatur; imo & antiquum lapidem habemus apud Grut. pag. 1086. 2. ubi Helena Imp. Conſtantii conjux inſcripta legitur, quem inferius afferemus.

Sed & manifeſtam rem facit incertus ille, at certè ſynchronus Conſtantini Panegyriſta (*b*), qui Conſtantinum Paternæ continentiæ exempla ſequutum his laudibus alloquitur: *Neque enim* (inquit) *forma tantum in te Patris, ſed etiam Continentia . . . . . ſeſe præſentant; quo enim magis continentiam Patris æquare potuiſti, quum quod te ab ipſo fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidiſti, ut primo ingreſſu adoleſcentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de conceſſis ætati voluptatibus in hoc ſacrum pectus admitteres*: Neque ſecus Conſtantini Panegyriſta alter Eumenius (*c*), qui ad eundem verba faciens, *Non fortuita* (inquit) *hominum conſenſio, repentinus aliquis favoris eventus te Principem fecit; Imperium naſcendo meruiſti*: & ex intervallo: *Sacrum iſtud Palatium non candidatus Imperii, ſed deſignatus intraſti, conſeſtimque te illi Paterni Lares ſucceſſorem videre legitimum, neque enim erat dubium, quin ei competeret hæreditas, quem primum Imperatori filium fata tribuiſſent*. Atque hæc quidem Panegyriſta uterque, quos Conſtantini plus æquo, non autem plus vero, aut de re ſupervacua laudandi ſtudio abreptos ſuſpicari poſſumus; quum enim tanti res haud fuerit, ut ſi ſilentio prætermitteretur, in uberrima majorum laudum ſegete quæ aliunde ſuppetebat, nihil deſiderandum reliquiſſet, quis unquam ſibi perſuaſerit, ſcienti Conſtantino, ſcientibus omnibus, qui audientes adſtarent, ſuam illos adulationem manifeſto mendacio obtruſiſſe, quod facti potius memoriam excitare, quàm oblivionem inferre videbatur; Quum igitur alter Conſtantinum legitima natalium ſucceſſione Imperatorem deprædicet, alter vero conjugalem Conſtantii continentiam Conſtantino filio præcipuo fuiſſe exemplo affirmet, ut is ab ipſo pueritiæ fine matrimonii legibus ſe ſubjecerit, nihil profecto ea re certius haberi poteſt, ut non modo Conſtantinum ex juſtis nuptiis ortum, verum etiam Helenam, nunquam antea, quam quum eaſdem iniiſſet nuptias, Conſtantio fuiſſe cognitam.

Accedit

[*a*] Lib. x. [*b*] Inter Panegyr. Veter. Pan. v. c. xv. [*c*] Inter Vet. Paneg. ix. c. 3. & 4.

Digitized by Google

Accedit demum, (quod fortaſſe Viris eruditis in hanc rem obſervatum nondum fuit) celebris illa ejuſdem Imp. Conſtantini conſtitutio (*a*), quam Fl. Pompilio Nepotiano, & Facundo Coſs. ideſt a. Ær. Chr. 336. Kal. Aug. Carthaginem miſit ad Gregorium Præfectum Prætorio : Præſtat priora ejuſdem conſtitutionis verba heic recitare : *Senatores, ſeu Præfectos, ſeu quos in Civitatibus Duumviralitas, vel Sacerdotii, ideſt Phæniciarchiæ, vel Syriciarchiæ ornamenta condecorant, placet maculam ſubire infamiæ, & alienos a Romanis legibus fieri, ſi ex ancillis, vel ancillæ filia, libertis, vel libertæ filia, vel ſcænicis, vel ſcænicæ filia, vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humili, vel abjecta perſona, vel lenonis, aut arenarii filia, vel quæ mercimoniis publicè præfuit, ſuſceptos filios in numero legitimorum habere voluerit, aut proprio judicio, aut noſtri prærogativa reſcripti ; itaut quicquid talibus liberis Pater donaverit* [*ſeu illos legitimos, ſeu naturales dixerit*] *totum retractum legitimæ ſoboli reddatur . . . . . ſed & ſi uxori tali quodcumque datum quolibet genere fuerit, vel emtione collatum, etiam hoc retractum reddi præcipimus* : Et quidem, ſi verum unquam illud fuiſſet, Conſtantinum ex Conſtantii Patris concubina ſuſceptum, debuitne is tùm Patris, tùm Matris damnaſſe memoriam, eoſque perpetuâ notaſſe infamiâ, ſeque demum proprio ore, lataque publica lege indignum, atque illegitimum Imperii hæredem, ac ſucceſſorem profiteri ? Haud certè id auſus olim Galerius fuerat Conſtantino, quem Diocletianus Cæſarem deſignabat, objicere (*b*), neque id ſanè Galerius prætermiſiſſet, juſtam, ac præcipuam Conſtantini ab ſpe Imperii dejiciendi cauſſam nactus, quam ſolennes Romanorum leges a paterna ſucceſſione arcere videbantur. Sed quod Conſtantini Conſtitutionem attinet, quam admodum ſeveram, ipsâque celeberrimâ lege Papiâ Poppea ab Auguſto primùm de hac re lata aſperiorem fuiſſe patet (*c*), vides jam, primò Conſtantinum id velle, ut Conſtantius Pater *notam ſubiverit infamiæ*, nec tantum Imperio, quod egregiè pro temporum conditione adminiſtraverat, pindignus poſt mortem judicaretur, verum etiam *alienus a Romanis legibus* fuiſſe, ideſt Civitatem Romanam ipſam amiſiſſe putaretur ; Habes etiam aſperrimam Filii adverſus Matrem ſententiam, cujus (ſi ſtabularia fuerit) conditionem jam prodens, ſubſecutas etiam cum Conſtantio nuptias irritas ſancire videtur : Severior autem. quàm in ſuos Genitores. ipſe demum in ſeſe fuerit Conſtantinus, qui vel in Concubinatu, vel ex juſtis Nuptiis dein ſubſecutis ex eadem Helena natus, ſeipſum paterna ſucceſſione ſpoliaſſe videtur, vel ſaltem contra publicas leges, quæ etiam ante ſuum ævum obtinebant, in paterni Imperii jura irrepſiſſe, quæ legitimis Conſtantii filiis ex ſecunda conjuge Theodora ritè ſuſceptis deberentur. An igitur, dum legem hanc tulerit Conſtantinus, horum omnium, quæ in ea continentur, expertem fuiſſe non dicemus ?

At, inquies, dum is extremis ſui Imperii, vitæque annis Religioni Chriſtianæ ſtudioſiùs ſe addixiſſet, pluris certè ejuſdem religionis dogmata, quibus has conſuetudines, quæ vulgò licitæ habebantur ; damnari noverat, quàm ſuorum Genitorum, qui jamdiù deceſſerant, famam feciſſe debuit ; neque vero ſibi injuſtam Imperii poſſeſſionem exprobabat, cujus regimen non tam paterna ſucceſſione, quàm Tyrannis extinctis, populorum, militumque conſenſu, ac ſuis deinde virtutibus ſibi legitime comparavit : Veriſimilia hæc quidem, ſed quod rem attinet, nihil de Chriſtiana Religione in hac lege ferenda Conſtantinum cogitaſſe mihi certum ſit, cujus non ſolum vel minimam mentionem haud injecit, ſed quod magis eſt, aliqua habet, quæ ab Chriſtiano Principe abhorrent, nam Phæniciarchas, & Syriciarchas, quos a vilis conditionis fœminarum nuptiis cohibet, non probare modo, ſed etiam, ne a Sacerdotii, quibus decorarentur ornamentis deciderent, ſollicitudinem oſtendit ; hos autem Deorum cultum in iis Provinciis præcipuè curaſſe conſtat tum ex Apoſtatæ Juliani ep. 18., qua eis ejuſmodi poteſtas reſtituta fuit, tum ex Juſtiniani Novell. 89. c. 15., qui hanc Conſtantini legem, quam *non utendo peremptam affirmat*, tum ex aliis, tum præſertim ex eo capite, quod Gentilium ſuperſtitiones foviſſe quodammodo videretur, *perimendam omnino* declaravit : Quæcumque igitur condendæ legis fuerint rationes aliæ (nam de ſervandis Chriſtianæ Religionis dogmatis nullam prorſus adfuiſſe probatum eſt), non tanti eæ fuiſſent, ut quicquid ea lege con-

[*a*] Habes in l. 1. Cod. De Naturalib. liberis.

[*b*] Non natalium defectum, quod promptum ſibi fuerit, Galerius Conſtantino objecit, ut legere eſt apud Lactant. de Mort. Perſecut. cap. 18. ; quum enim Diocletianus ob egregias animi dotes, virtuteſque Imperio dignas Conſtantinum, ut Cæſar deſignaretur, Galerio commendaret, nihil aliud repoſuit Galerius : *Id fiet, ut ego non poſſim facere quæ velim ? Eos igitur oportet Cæſares nuncupari, qui ſint in mea poteſtate, qui timeant, qui nihil faciant niſi meo juſſu, ac mox Conſtantino neglecto Severum, & Dajam Cæſares nuncupavit.*

[*c*] Hanc Conſtantini Conſtitutionem luculentis obſervationibus uberrime illuſtrat doctiſſimus Heinecc. in Comment. ad l. Iul. & Pap. Popp. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

contineretur, sibi exprobari Constantinus pateretur, si ex illicitis Parentum complexibus ipse natus, vel etiam ex damnatis cum *Stabularia* nuptiis susceptus fuisset.

Atque ex his quidem de Ambrosii, atque Eutropii fide jam dubitare fas esset, quorum alter, quod ab aliis *assereretur* sequutus, *stabulariam* Helenam, alter vero *ex obscuriore matrimonio* Constantinum ortum refert (a): satis tamen nobis erit antiquorum lapidum auctoritate rem, de qua tandiù agimus, confeciſſe: & sanè præter nostrum lapidem ubi Constantini Genitrix Helena appellatur, cui etiam concordant bini alii lapides apud Grut. pag. 284. num. 1. & 2. in quibus *Mater Constantini Aug. & Avia Constantini, & Constantl Beatissimorum Principum* æquè dicitur; adest etiam Neapolitanus lapis apud eumdem Gruter. p. 1086. n. 2. in hæc verba:

PIISSIMAE ET CLEMENTISSIMAE DOMINAE
DOMINAE NOSTRAE AVGVSTAE
HELENAE MATRI
DOMINI NOSTRI VICTORIS
SEMPER AVG. CONSTAN
TINI ET AVIAE
DOMINORVM NOSTRORVM
CAESARVM BEATORVM
VXORI DIVI CONSTANTII
ORDO NEAPOLITANORVM
ET POPVLVS.

Hinc jam certum, verumque illud pronunciare demum fas erit, Helenam Augustam, tot luculentis Scriptorum testimoniis, publicisque monumentis Constantii Uxorem celebratam, nunquam nisi legitimi connubii jure Constantio ipsi adhæsisse.

Atque utinam propagatâ jam demum per universum Orbem nedum Constantini filii, verum etiam religiosissimæ Matris operâ, atque studio Christiana Religione, quum nostrorum lapidum Augustis dicatorum commentationes tam'lætè, feliciterque ab ipsa Helena auspicati simus, haud statim in improbos Principes denuò inciderimus, quibus Beneventani marmoreis monumentis blandiri studuerunt: Sequitur enim teterrimum illud monstrum, Christianæ Religionis olim Alumnus, funestissima deinde fax, Julianus, cujus nomen hoc lapide celebratur.

FL. CLAVDIO
IVLIANO NOB
AC BEATISSIMO
CAESARI
CVRANTE TOCIO
MAXIMO V. C. CVR.
REIP. BENEVENTI

Cæsaris

[a] Helenæ genus ab uno ex Britanniæ Regulis, Goel nomine, repetit Baronius [d. an. 306. §. 21.], apud quem quum Constantius militiæ Dux divertisset, comperisſetque Helenam illius nobilis Hospitis filiam pulchritudine eximiam, ita ejus amore captus est, ut conjugem sibi desponderit: obscurum autem [inquit eruditione, & dignitate Emus Scriptor] existimatum est hujusmodi conjugium, quod cum externa, barbara, & non Romana fœmina contractum esset a tanto viro, ab ipso scilicet nepote Imp. Claudii, & Rom. Exercitus in Britannia Duce; sed & obscurius sane redditum, quum creatus est Imperator, & una cum Imperio Theodoram accepit uxorem: Quum igitur, ut accidit iis, qui temporibus, & felicioribus rebus inserviunt, in posteriorem Conjugem, eandemque Augustam omnes converterent oculos, vilis admodum, & abjecta visa est illa prior, quæ jussu Herculei Imp. repudiata fuisset, ac proinde contemptus gratia *Stabularia* nominata: At de Helenæ genere, quæ tradit Baronius, levi prorsus conjectura nituntur, neque nos de ea re sollicitiores ipsa Helena facit, quæ Christiana Pietate, ceterisque egregiis virtutibus adeo illustrem se probavit, ut maximos honores perpetuis monumentis consignatos (quod Theodoræ defuit) vivens promerita, venerandam sui Nominis memoriam adhùc sibi apud Posteritatem omnem vindicavit.

Digitized by Google

Cæſaris dumtaxat dignitate inſignem Julianum in hoc lapide habemus, ut etiam *Nobiliſſimi*, *ac Fortiſſimi Cæſaris* titulo commendatum legimus in Romano lapide apud Gruter. pag. 284. n.8., ut proinde non dum ipſi Auguſto, ſed, vivente adhùc Conſtantio, Cæſari declarato dicatos hoſce lapides intelligamus. De collata Juliano a Conſtantio Cæſaris dignitate, hæc habet Ammianus l. xv.: *Conſtantium vero exagitabant aſſidui nuntii deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente, ad internecionem barbaris vaſtantibus univerſa ..... reperit tandem conſilium rectum, & Julianum Patruelem fratrem, haud ita dudum ab Achaja contractum accitu, etiam tum Palliatum, in ſocietatem Imperii adſciſcere cogitabat ..... moxque indutum Avita Purpura Julianum, & Cæſarem cum Exercitus gaudio declaratum his adloquitur contractiore vultu ſubmœſtum &c.* Marcellini verba recitaſſe opus fuit, ut nedum lapidum fidem, qui Juliano dumtaxat Cæſari inſcripti ſunt, comprobatam haberemus, ſed ut cauſſa etiam veriſimilis pateat, cur perpetuo eo honoris monumento Julianum Beneventani exornaverint; ex Achaja enim [nam Athenis eo tempore Julianus cum SS. Baſilio, & Gregorio Nazianzeno divinis, humaniſque literis operam dabat, eam tamen indolem præferens, ut de ipſo Nazianzenus, qualis futurus eſſet vere divinarit, *terribile nempe monſtrum Romano in Imperio ali*] accitus, quum Mediolanum, ubi Conſtantius conſidebat, contenderet, nonniſi trajecto mari, Trajanâ Viâ rectâ Beneventum, indeque reliquum iter confeciſſe debuit; *Palliatum* Juvenem Philoſophicos mores, diſciplinaſque oſtentantem videre tum Beneventani, ac in ſpem Imperii jam tum ſublatum honoribus affeciſſe debuerunt; at mox Philoſophico Pallio in Purpuram commutato [quod Novembri menſe anno 355. eveniſſe conſtat] jam Cæſarem declaratum, ut amplius ejus gratiam promererentur, marmoreo monumento celebrandum curarunt.

Sed & adepto demum Imperium Juliano obſervantiores adhùc Beneventani ſeſe probare conati ſunt, erectâ illi Columnâ, cui hæc inſcriptio inſculpta legitur:

D. N. FL.
CLAVDIO
IVLIANO AVG
PIO FELICI INVIC
TO BONO REIP
. . . . . .
. . . . . .

Facile autem inſcriptio hæc ſuppleri poteſt in duabus lineis detritis, ubi habebatur:

NATO ORDO ET
POPVLVS BENEVEN

Familiaris enim tum formula illa evaſerat, qua Principes ſummæ laudis, ac aſſentationis cauſſâ *Bono Reip. nati* eſſe dicerentur; id quod præter noſtrum lapidem omnes, quotquot hactenus prodiere, Juliano dicati lapides demonſtrant apud Gruter. pag. 284. num. 8. & pag. 285. num. 1. 2. & 3.: non ſola tamen aſſentatio hujuſmodi honoris titulum Juliano peperit; nam ſi ea tempora ſpectemus, quibus nondum Idololatriæ radices evulſæ erant, nil mirum, illis, Juliani operâ, longe lateque germinantibus, a populis Idololatris ob reſtitutum, quem vehementiùs exoptarent, Deorum cultum, aliaſque egregias Principis dotes, quarum ſpeciem Julianus præferebat, ejuſmodi ipſum laude affeciſſe, qua *Reip. Bono natum* affirmarent: optandum verò fuerit, qualicumque hac excuſatione Majores noſtros non indigere, quibus tamen ejus criminis macula jamdiù deterſa videri poteſt, nam & illud hodie laudi verti debet, quod ſoli a decem uſque ſæculis S. Mercurii Martyris, a quo divinitùs impius Julianus interemptus fuit, dies feſtos bis in anno agant, tum Natalis, tum Translationis (a) ejus corporis, Patronumque Urbis, ac Provinciæ univerſæ ſumma veneratione agnoſcant, & colant.

[a] De Translatione corporis S. Mercurii Martyris ex Heremperto, Leone Hoſtienſi, & veteri Cod. MS. Bibliot. Ben. agit Vipera in Catal. Ben. SS. die 26. Auguſti, & 25. Novemb.: Conſtantium, ſeu Conſtantinum Imp. Longobardis Beneventanorum Principibus bellum, obſidionemque facturum an. 663. ſecum e Græcia S. Militis Corpus, veluti ſui exercitus tutelam, in Italiam detuliſſe conſtat, ſed re infeliciter geſta, ob fugam, quam capere compulſus fuit, de reducendo ſecum Corpore nulla fuit cogitatio, quod tandem ex Urbe Quintodecimi, ubi ſervabatur, Arechis Principis operâ an. 778. Beneventum translatum fuit.

Digitized by Google

Nec vero illud affirmare dubitavimus, S. Mercurium militem, ac martyrem [qui in Decii perſecutione paſſus fuerat] illatæ Juliano necis auctorem fuiſſe: ita quidem ex Helladio S. Baſilii diſcipulo, qui de Præceptoris ſui geſtis commentarios exaravit, S. Jo. Damaſcenus egregiè teſtatur (*a*), cui etiam paucis immutatis optime conſentit Auctor Chronici Alexandrini (*b*), probantque antiquiſſimi MS. Codices noſtræ Bibliothecæ, pictæque vetuſtiſſimæ tabulæ adhùc ſervatæ in Eccleſia S.Sophiæ, quam ſæc.VIII. Princeps Arechis, qui illùc S.Martyris Corpus cum aliis Sanctorum lypſanis tranſtulit, regiâ magnificentiâ ædificandam curavit: ejus etiam rei antiquam picturam ſæculi IX. extantem refert Cangius (*c*) in Codice MS. operum S. Gregorii Nazianzeni, Baſilio Macedone imperante, exarato, in Bibliotheca Regia, ubi depictus eſt Julianus ad terram proſtratus, Equite cum lancea inſtante, ſupra cujus caput inſcriptum: ΑΓΙΟC ΜΕΡΚΟΡΙΟC.

Non me latet, de genere mortis, quo Julianus periit, varias omnino fuiſſe ſententias, ut obſervavit Gothofredus (*d*); invenio quoque Glicam (*e*), qui Helladium, ac Damaſcenum neſciens, utriuſque narrationem refellit, quam in libro de S. Baſilii miraculis, qui ſub Amphilochii nomine circumferebatur, congeſtam perlegit. Fuit etiam noſtro ævo *ὁ χειτιχωτατος* (*f*), qui Damaſceni ex Helladii opere, quod ad nos non pervenit, narrationem fabulæ loco habendam cenſens, Chronicon quoque Alexandrinum falſitatis redarguit, quod in nocturna S. Baſilii viſione Juliani necem a S. Mercurio patratam contigiſſe ſtatuat, quum de die telum Juliani corpori infixum Scriptores omnes conſentiant: At in temperatioris critices hoc eſſe judicium nemo non videt; quum enim ex eo vulnere, quod interdiù Julianus acceperat, nonniſi quintâ noctis horâ, quæ diem 27. Junii præceſſit, ipſe obierit, ut oculatus teſtis Ammianus habet, nihil magis veritati conſentaneum erit, quàm ut ea res, quæ aliquo temporis intervallo geſta erat, dum Cælitus noſci debuiſſet, eâ noctis horâ compræhenſa ſit tota, quâ tandem ob Juliani mortem perfecta fuit.

Hinc ſi æquioris critices legibus res iſthæc tranſigatur, licet ſit aliquid, quod de ejus fide dubitationem ingerat [quid enim in univerſa ferè antiquitate eſt, cujus recepta fides difficultate omni careat?], plura tamen ſunt, quæ ejus veritatem nobis aſtruant: Primum itaque apud omnes conſtat, incerta omnino manu Julianum periiſſe: *Incertum* [inquit Ammianus] *ſubita equeſtris haſta, cute brachii ejus perſtricta, coſtis perfoſſis hæſit in ima jecoris fibra*: Libanius item Sophiſta, qui Julianum extinctum luculenta oratione laudavit (*g*), illud quoque memoriæ prodidit, ingentia a Perſarum Rege per præconem oblata præmia Juliani percuſſori, neminem tamen, qui vel facinus jactarit, comparuiſſe: *Nam jaculum* [ſic ipſe Glicas] *trajectum conſtat, auctore facti prorſus incognito*: Ad hæc, mira multa Juliani obitum inſignem effecere: nam (ut præteream, quæ Juliano ipſi, præcedenti nocte, triſtia contigiſſe refert Ammianus (*h*), peculiarem Dei providentiam in Juliani morte enituiſſe ſatis manifeſte declarant, tum Athanaſii vaticinia Julianum *Nubeculæ* inani tonitruo perſtrepenti, quàm citiſſimè diſſolvendæ comparantis, tum fatidica illa Alexandrini Pædagogi ſententia, qui, quid Faber (qualem Chriſtum Julianus vocitabat) ageret, interrogatus, *jam parare loculum* Juliano reſpondit: Ipſa autem Juliani mors eodem ferme, quo contigit, temporis momento pluribus Sanctis viris fuit cognita, nimirum SS. Juliano, Sabbæ, Dydimo, aliiſque, quos Theodoretus (*i*) ac Sozomenus

[*a*] S. Jo. Damaſc. De Imagin. or. 1. *Quod autem Imaginum inſtitutio non nova, ſed priſca ſit, & apud Sanctos, & eximios Patres nota, & uſitata, diſce ex his, quæ in vita S. Baſilii ab Helladio ejus diſcipulo, in Pontificatuque ſucceſſore conſcripta ſunt. Pius enim Vir (ut ipſe narrat) Dominæ noſtræ adſtabat Imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura deſcripta erat, adſtabat autem ſupplicans, ut impius Julianus Apoſtata tolleretur: ex qua quidem Imagine didicit quid eſſet eventurum: Vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obſcurum, non multo autem poſt haſtam cruentam tenentem*: Chronicon vero Alexandrinum eidem S. Baſilio refert noctu pro Eccleſiæ pace contra Julianum oranti Cælos patuiſſe, ibique Chriſtum ſpectandum ſe præbuiſſe, qui S. Mercurio adſtanti Julianum Chriſtianorum hoſtem interficiendum mandavit, hinc S. Mercurium ſtatim abſceſſiſſe, qui paullo poſt reverſus ſe imperata feciſſe affirmavit.

[*b*] Pag. 692. & 694. edit. Monachii 1615.

[*c*] De Famil. Aug. Bizant. pag. 51.

[*d*] Diſſert. in l. 7. Philoſtorgii cap. 15.

[*e*] Part. 4. Annal.

[*f*] Tillemont. in Julian. art. 27. & not. X.

[*g*] Ap. Nicephor. l. 3. c. 34.

[*h*] Vidit ſqualidiùs, ut confeſſus eſt proximis, ſpeciem illam Genii Publici, qua quum ad Auguſtum ſurgeret culmen conſpexit in Galliis velata cum cornucopia per aulea triſtius diſcedentem, & quanquam ad momentum hæſit ſtupore defixus, omni tamen ſuperior metu venturâ decretis cæleſtibus commendabat, relictoque humi ſtrato cubili, adulta jam excitus nocte, numinibus per ſacra depulſoria ſupplicans, flagrantiſſimam facem cadenti ſimilem viſam, aeris parte ſulcata evanuiſſe exiſtimavit, horroreque perfuſus eſt.

[*i*] Lib. 3. c. 19.

Digitized by Google

menus (*a*) recenſent; quid? quod quæ de Juliani nece ab ipſis Ethnicis, domeſticiſque Scriptoribus traduntur, rem, quam quærimus, prope indigetant; nam Ammianus, ut jam dictum fuit, ab equeſtri, ſed incerto viro, Julianum perfoſſum memorat, Calliſtus vero (inquit Socrates (*b*)) *Satelles Imperatoris, qui ejus res geſtas carmine heroico conſcribit, bellumque id temporis confectum narrat, illum a Dæmone transfixum interiiſſe commemorat*: Quæ quidem omnia, *incerta* nimirum *manus*, *manifeſta numinis vis*, rei fama apud Ethnicos pervagata [quorum alter Scriptor equeſtrem virum [ut S. Mercurium albo equo inſidentem vetuſtiſſimæ Icones referunt (*c*)], alter vero Dæmonem illatæ Juliano necis auctorem fecere] nonne Damaſceni, aut ſi mavis, Chronographi Alexandrini, qui rem uti vere ſe habuerit, memoriæ mandarunt, narrationi ſummam fidem conciliare debebunt? Certe ex Eutychiano Chronographo domo Cappadoce, qui in exercitu Juliani Vicarium Cohortis Primoarmeniorum egit, probatam rem habuit Jo. Malela a Pagio relatus, ex vita vero Beati Baſilii (Helladiine, an Amphilochii non dicit) exploratam omnino habuit, in ſuumque Chronicon retulit Otto Friſingenſis (*d*).

Illud igitur reliquum dumtaxat erit, ut ex hac Juliani nece, uti vere eveniſſe jam probavimus, præſentiſſimum Eccleſiæ Catholicæ adeſſe Numen fateantur omnes; vulneri etiam Juliano divinitus illato voeem ſuam ineſſe agnoſcant, quâ aſſidue clamitet: *Nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram (e)*: *Dei nimirum fideles miniſtros eſſe debere, per quem ipſi regnent, ne is ſubditorum injurias ulturus, eum ſe probet, qui aufert ſpiritum Principum, terribilis apud Reges Terræ (f)*: Perpetua demum, veraxque Principum laus illa cenſenda erit, quam non præſentium adulatio expreſſerit, ſed Religio, ac res egregiè geſtæ ſua ſponte pepererint: maneant enim licet peſſimorum Principum elogia marmoreis conſignata monumentis, æquum tamen, ut olim præſentium, poſteritatis quoque de iis judicium erit; itaut ſuperatis temporis injuriis, nihil aliud præſtent, quàm illorum memoriam poſterorum voce damnari.

[*a*] Sozomen. l. 6. c. 2. [*b*] Lib. 3. cap 18.

[*c*] Ortum id ex Sozomeni hiſtoria, qui d. lib. 6. cap 2. Didymi de Juliani nece viſionem ita narrat: *eodem die Didymus vir* Eccleſiaſticus, & divinæ ſapientiæ, ac pietatis ſtudioſiſſimus. Alexandriæ ætatem degens ſupra modum dolebat ..... qui quum ob hanc cauſſam animo adeò ſollicito, ac mæſto eſſet, uti ſequenti nocte nihil comederet, forte in ſolio aſſidens ſomno oppreſſus eſt, ac velut extra ſe poſitus, videbatur ſibi videre *equos albos in aere curſare*, & qui in eis vehebantur, eos ita prædicare: *Nunciate Didymo, hodie Julianum hac ipſa hora interfectum eſſe*.

[*d*] L. 4. c. x. edit. Urſtitii 1670.

[*e*] Pſalm. 2. 10. [*f*] Pſalm. 75. 13.

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

De Re Litteraria Veterum Beneventanorum.

C. CONCORDIVS. SYRIA
CVS. EQ. ROM. COMM. REIP
BENEVENT. MVNERARIVS
BIDVI. POETA. LATINVS. CO
RONATVS. IN MVNERE. PA
TRIAE. SVAE. ET VIBVS
SIBI. FECIT. QVI. VIXIT
ANN. LVIII. M. VI. D. XII
HOR. III.

Ostea quam M. Cicero in eo libro, qui *Brutus* inscribitur, clarorum Oratorum, quos a prima origine ad eam usque ætatem aut Græcia tulit, aut Latium, non nomina solum recensuisset, verum etiam de singulis differens, quantum quisque, quaque præsertim re in ea facultate enituisset, justus ipse æstimator suum tulisset judicium, *nonne cernimus* (ita demum inquit) *vix singulis ætatibus binos Oratores laudabiles constitisse*? Miratus certè his verbis, aut etiam indignatus in tam longo temporum intervallo utriusque Gentis inopiam, cujus pari cultu, atque institutis, propositæ rei copiâ sibi laborandum esse putabat. At ita res profecto se habet, ut in liberalibus studiis, cæterisque omnibus litterariis disciplinis, assiduâ omnium ætatum experientiâ (ne in nostrorum temporum ingeniis quasi lassam, & effœtam naturam caussemur) idem illud probatum sit, plurimos, imo potius (ut etiamnum probè obtinet) innumeros semper fuisse, qui ad eas comparandas improbos, diuturnosque labores, quos aliquando integris vitæ spatiis metiuntur, sibi frustratos querantur, paucos vero ad eam sapientiæ, doctrinæque præstantiam perveniſſe, quâ magni nominis immortalitatem assequuti, perpetuis omnium gentium, atque ætatum laudibus celebrentur: quâ quidem in re illam ignorantiæ pœnam agnoscere licet, quam in humanum genus peccatum invexit; quum enim occultâ quadam ipsius naturæ vi, quæ ingentis ejus boni pretium, dignitatemque cognoscit, propriam quisque jacturam reparare enitatur, mox gravissimis illis deterretur impedimentis, quæ ex imbecillitate sensuum, vitæque brevitate, atque incommodis, tum etiam ex ingenii hebetatione, animique perturbationibus undique parantur: aut certè ipsa rei sublimitas, inaccesso veluti vertice collocatæ, audentis, conantisque contentionem omnem eludit: Quum itaque de Viris iis, qui in Re Litteraria olim præclari Beneventanam Urbem illustrarunt, agere instituam, non equidem ipsorum censum veluti agere, aut cohortem aliquam a me numerari debere, jure quis petet: rei caussas, rationesque jam novimus, quibus etiam illud accedit, quod, quum ex instituto vetustissimorum temporum recolenda mihi sint monumenta, summi beneficii loco habendum erit, si injuriæ minus ab ipso tempore acceperint, quod plura detrivisse contentum paucis pepercerit: ex his tamen is Beneventanorum Literatorum numerus prodire continget, quem nullibi fortasse parem Romana Sæcula proferre nunc possint. Non heic a Poetis, quales Beneventum in Lapide huic Dissertationi præfixo ostentare cœpit, ordiundum mihi duxi; suus enim locus manebit Poetas, quum prius, ut institutæ rei ratio postulat, de inferioribus aliis scientiis actum erit, ex quibus gradatim ad sublimiores devenietur.

Sint

Digitized by Google

Sint igitur primi in ordine Grammatici, quorum egregium par vetuſta Patriæ monumenta nobis exhibent; Prior autem prodeat M. Rutilius Ælianus, cujus memoria ſepulcrali hoc titulo celebratur.

D. M.
M. RVTILIO
AELIANO. DE
CVRIONI. BE
NEVENTANO
GRAMMATIC
O. V. A. LXXV.
PVTILLA. PRIMA
CONIVGI. CVM QVO
V. AN. X.... M....

Rutiliam Gentem inter Romanas ſatis notam in Beneventana Colonia floruiſſe, ibidemque Duumviratu, Decurionatu, aliiſque municipalibus Magiſtratibus illuſtrem fuiſſe ex noſtro Theſauro ſatis conſtat: non igitur Rutilium hunc, qui Grammaticum audit, ex Litteratorum, ſeu Grammatiſtarum grege hominem putare debemus, ſed omnino Grammaticum, aut Litteratum, uti ejus conditionem decebat; ſummum enim inter Litteratos, & Litteratores veteres Romani (ut inter Grammaticos, & Grammatiſtas Græci) diſcrimen faciebant, ut poſteriores mediocriter docti pueros primis litterarum elementis inſtituendos curarent, Litterati verò, ſeu Grammatici ii appellarentur, qui abſolutè docti, atque omnigena eruditione prædíti aliquid diligenter, & acutè, ſcienterque ſcriberent, aut dicerent (*a*); quod Orbilii noſtri [qui Beneventanus alter Grammaticus] auctoritate probaſſe ſatis erit: *Apud majores* (inquit) *quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem Litteratum in titulo, vel Literatorem inſcribi ſolitum eſſe* (*b*).

Sed jam ex Orbilii verbis ad Orbilium ipſum veniam, cujus memoriæ, atque honori extitiſſe olim Beneventi lapidem publico loco poſitum, ex ejus marmorea Statua ſatis conſtat, quæ inſcripto (ut moris erat) titulo in Beneventano Capitolio fuit dedicata: At de Lapidis interitu haud magnopere nobis dolendum, dum Statuæ ſaltem oculatum teſtem appellare poſſumus Svetonium, cujus de Orbilio noſtro inter alia plura hæc ſunt (*c*): *Statua ejus Beneventi oſtenditur in Capitolio ad ſiniſtrum latus marmorea habitu Sedentis, ac Palliati, appoſitis duobus Scriniis*: & ſanè Svetonio debemus, ut vix eam Statuam hodie deſideremus, quæ ab ipſo memorata, ſpeciatimque deſcripta, adhùc nobis præſens quodammodo ſpectanda tribuitur: *Sedentem* igitur illa nobis offert Orbilium, quod quum nunquam, aut rarò in veterum ſtatuis occurrat,

[*a*] Non igitur illud dumtaxat Grammaticorum munus, ut vel de novitiis, vel de obſoletis verbis judicarent, quod Horatius velle videtur eo verſu: *Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt*: vel, ut elegantia, ſelectaque verba, quæ alios docerent, imprimis ipſi cuſtodire deberent, quemadmodum innuebat Cicero, dum eorum exemplo ad rem ſuam uſus ita loquitur Tuſcul. 2. . . . *ut ſi Grammaticum ſe profeſſus quiſpiam barbarè loquatur*: Sed certè Grammaticæ Profeſſores, præterquamquod ipſius Rhetorices rudimenta, ac quædam inſtitutionum genera ad eloquentiam præparandam tradere conſuebant, proprio ipſi jure *Criticen* exercebant, unde veteribus Grammatici ipſi Critici dicebantur, quod ſibi de omni genere Scriptorum dijudicandi ſumebant poteſtatem, in idque maxime incumberent, ut Poetas interpretarentur; de qua re illuſtre ſatis ſui ingenii monumentum inter alios nobis reliquit Maurus Servius Honoratus in opera Virgilii, qui ſanè Grammaticorum Honos, quantum ipſi doctrina, eruditione neque valuiſſent, quidque audere potuerint, jam ſatis oſtendit.

[*b*] Apud Sveton. de Illuſtr. Gramm. l. 1. c. 4., quibus etiam verbis ſe etiam Juris ſcium profitetur Orbilius, nam dum bona fide agi oportebat, æquum erat ut in titulo, qui ex collo ſervorum venalium pendere ſolebat, non ſolum eorum ætas, patria, mores, valetudo inſcriberetur, ut qui emptores adveniret, ſingula probè noſſent, verum etiam qua arte, quave profeſſione præſtarent, ita adjiceretur, ut non litteratus pro literatore denunciaretur, ſicque pluris, quam par eſſet, falsâ amplioris profeſſionis præſtantiâ venumiſſet: Edictum Ædilium Curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum eſt, his verbis ſervavit nobis Gellius lib. 4. c. 2. TITVLVS . SERVORVM . SINGVLORVM . VTEI . SCRIPTVS . EST . COERATO . ITA . VTEI . INTELLEGI . RECTE . POSSIT . QVID . MORBI . VITII . VE . QVOI . Q. SIT . QVIS . FVGITIVVS . ERRO . VE . SIT . NOXA . VE . SOLVTVS . NON . SIT . [*c*] De Illuſtr. Gram. cap. 9.

Digitized by Google

currat, ad ejuſdem munus indicandum factum cenſeo; Litterarii enim ludi Magiſtri ſedentes docere, ac ſublimiori quidem, quàm quæ auditoribus adhibebatur, Sellâ uti conſuebant; quem etiam litteratorum omnium, quibus de re quapiam diſputandum eſſet, morem fuiſſe indicat Cicero, cujus præclara illa ſunt ad Atticum (IV. 9.) *Malo in tua illa ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quàm in iſtorum ſella curuli*: Quid verò Pallium? A Græcis acceptum Pallium Romani (quorum propria veſtis Toga) aliquando ſibi uſurparunt, at non quicumque paſſim, proque libito, ſed ii ferè, qui ſe Philoſophos eſſe profitentes, tales quoque ejuſmodi veſtis indicio videri volebant; non vacat in re nota plura exempla congerere, ex quibus ſplendidiora illa delibaſſe ſufficiat, tum M. Antonini, tum Juliani, quorum alter, teſte Capitolino cap. 2. *duodecimum annum ingreſſus habitum Philoſophi aſſumpſit, & deinceps tolerantiam, quum ſcilicet in Pallio, & humi cubaret*, alter verò (ut Ammianus refert) Athenis ubi Philoſophiæ vacabat, *Palliatus* ad Conſtantium Mediolanum contendit, a quo Cæſar deſignatus ex *Pallio* ad *Purpuram* tranſiit: At quæ de hoc veſtis genere obſervatione ſunt digna, fusè ſimul, atque eruditè congeſſit nuper V. C. Johannes Lamius (*a*): Illud tamen mihi ex Orbilii Statua haud omnino prætereundum, cur nimirum qui Philoſophorum [nam de Romanis heic agimus] proprius eſſet amictus, is Grammaticis quoque comunis eſſe potuerit: ſed non ita ad Philoſophos Pallium pertinebat, ut non etiam cæteri omnes, qui Litteras inter Romanos profiterentur, illud ſibi vindicarent: certè Baſilius Presbyter in Nazianzenum, ac præterea Cyrilli Lexicon hæc habent: *Pallia, amictus quidam, Rhetorum quidem rubra, & purpurea, pulla vero Philoſophorum*: Ex quibus non modo diſcimus, præter Philoſophos, Rhetores quoque Pallium geſtare ſuetos, verùm etiam in communi utriuſque veſtis forma, coloris diſcrimen ſervatum, itaut qui eloquentiæ operam dabant, huic quidem ex auguſtiori, hilariorique veſtis colore quoddam veluti majoris oblectamenti ſubſidium comparare curarent, qui vero, ut Philoſophis ferè omnibus inſtitutum erat, morum diſciplinæ, cenſuræque ſtuderent, pullum colorem, quo humilitas, paupertas, luxuſque contemptus præferebatur, præcipuè adhiberent: Sed quum de Rhetoribus manifeſta res jam conſtet, de cæteris quoque, qui, ut dixi, litterariis artibus vacarent, quod ſcilicet hi ad unum omnes Pallio uterentur, locuples teſtis adeſt Tertullianus, cujus in de Pallio hæc ſunt: *Viderit nunc Philoſophia quid profit: nec enim ſola mecum eſt; Habeo alias artes in publico utiles: De meo veſtiuntur, & primus informator literarum, & primus enodator vocis* (*b*), *& primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophiſta, & Medicus, & Poeta*: quod quidem non Tertulliani ævo [ut Lamius aſſerit] obtinere cœpit, ſed multo ante, ſtante adhùc Republica, in more poſitum manifeſtè docet Orbilii noſtri Statua; cui tamen Pallium geſtaſſe ita Grammatices profeſſio dedit, ut non inter Litteratores illos, quorum turbam Tertullianus enumerat, ſed in illorum cenſu, qui majorum gentium Grammatici eſſent [de quibus ſuperius diſſerui] fuiſſe Orbilium, dici debet; Id, quod tum alia plura, tum etiam *Scrinia*, quæ ad ejus Statuam appoſita fuerunt, omnino demonſtrant.

Ad hæc igitur *Scrinia* gradum faciam: quorum uſum, ſignificationem, cur demum ad Grammatici ſtatuam, propria veluti ejus profeſſionis nota, ſeu inſigne, apponerentur, paucis explicaſſe jam libet. In Auguſta Domo Scrinia (quamquam nullus adhùc in antiquis lapidibus libertus a *Scriniis* occurrat, ſicut a *Secretis*, a *Studiis*, a *Bibliotheca*, quæ munera *Scriniis* affinia ſunt, niſi forte & illud complecterentur) fuiſſe ſatis conſtat; In ipſis, declinante maxime Imperii ævo ſingulorum negotiorum ad Principes pertinentium, modo in quatuor, modo uſque in decem Claſſes diſcretorum, acta, & monumenta ſervabantur, unde Scriniarii, & Scrinii Magiſtri paſſim occurrunt in Codice Theodoſiano, idque muneris habuiſſe Ulpianum ſub Imperatore Alexandro, teſtis eſt Lampridius: Ad alios quoque uſus Scrinia adhibebantur, cujus rei illuſtre exemplum, quod propiùs rem noſtram attingit, attuliſſe prætat ex Plinio; (*c*) nam *Alexander Magnus inter ſpolia Darii Perſarum Regis unguentorum ſcrinio capto, quod erat auro*,

[*a*] De Erudit. Apoſtol. cap. IV. ubi de re veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi peculiarem Diſſertationem inſtituit.

[*b*] Ita in editione Veneta Opp. Tertull. 1744.: Jo. Lamius, qui hunc locum producit l. l. pag. 75. habet *adornator*: ſed *edomator* legiſſe videtur Salmaſius, qui hæc notat: *Edomatorem vocis de phonaſco accipiunt, non recte, nec enim phonaſco pueros olim dediſſe operam crediderim inter prima illa rudimenta literarum, niſi ſi qui Cantores tragici vellent eſſe, aut Comœdi*: At nihil verius, quam *enodator*, ut ſcripſi; nam quum prius informatorem literarum memorat Tertullianus, id eſt, illum, qui ſingularum dumtaxat literarum formas, & enunciationes doceret, enodatorem vocis poſtea ſubdit, id eſt, qui ex literis ipſis pueros tandem vocem enodare, ideſt integra, ac perfecta vocabula ex ſcripto proferre doceret.

[*c*] H. N. lib. 7. c. 29.

Digitized by Google

auro, gemmisque, ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, immo mehercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur: Tanti habebat Homerum Macedo jure sanè meritoque: magni etiam [sunt enim proprii ingenii fœtus summo labore, atque industria parti] sua scripta litterati homines putarunt semper; ut propterea illa in suis quoque scriniis, verè pretiosissimam omnium supellectilem, quæ haud facile Plagiariis pateret, servare pro more haberent: unde Horatius (*a*) . . . . . *& prius orto*

Sole vigil calamum, chartas, & scrinia posco.

& alibi (*b*)

Jam satis est, ne me Crispini Scrinia Lippi
Compilasse putes . . . . .

Plinius quoque secundus (*c*), *Vere* [inquit] *& emendata in scriniis tuis esse credebam*: ex quibus jam demum intelligi potest, cur ad Orbilii statuam Scrinia fuissent apposita; ac bina quidem, ut ejus Ingenii, Scriptorumque ab se elucubratorum copia demonstraretur: sed me pretium rei facturum quisque existimaverit, si (quod ad Patriæ decus omnino accedit) alia plura, quæ de Orbilio habeo, exequi pergam.

Is itaque ex Orbilia Familia Beneventi natus est, ex morte parentum, una atque eadem die inimicorum dolo interemtorum *Pupilli* (ut ego opinor) cognomen adeptus: Primo apparituram Magistratibus fecit, deinde in Macedonia Corniculo, mox Equo meruit, functusque militiâ, studia repetiit, quæ jam inde a puero non leviter attigerat; ac professus diù in Patria, quinquagesimo demum anno Romam, Consule Cicerone, transiit, docuitque majore fama, quam emolumento: namque jam perfenex pauperem se, & habitare sub tegulis fatetur: plurima elucubravit scripta, itaut ingenio suo satis dives, alienas messes non modo non surripuerit, sed magnanimitate summa suis Dominis vindicarit; etenim quum Pompilius Andronicus illustris olim Grammaticus, ut suæ inopiæ, egestatique consuleret, opusculum Annalium Elenchorum sedecim millibus nummum cuidam vendidisset, eos libros Orbilium suppressos redemisse, vulgandosque sui auctoris nomine curasse, refert Svetonius (*d*): Librorum, quos ipse scripsit Orbilius, etiam tituli periere, unius tantum superstite memoria, cui fuit titulus, *Perialogos*, in quo, eodem Svetonio teste, continebantur querelæ de injuriis, quas Professores negligenter ab ambitione Potentum acciperent; fuit autem naturæ acerbæ non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, quod hoc versu Domitius Marsus notavit.

Si quos Orbilius ferula, scuticaque cecidit.

unde & *Plagosi* epithethon obtinuit ab Horatio, qui alioqui Præceptoris sui Orbilii, fabulas Livii Andronici in ludo dictantis cum laude meminit his versibus. Ep. l. 2.

Non ego idem insector, delendaque carmina Livi
Esse reor, memini, quæ plagosum mihi parvo
Orbilium dictare, sed emendata videri . . . . .

Sed ne Principum quidem virorum insectatione abstinuit; siquidem ignotus adhùc quum judicio frequenti testimonium diceret, interrogatus a Varrone diversæ partis advocato, quidnam ageret, & quo artificio uteretur, Gibberosos se de sole in umbram transferre respondit, quòd Muræna gibber erat: vixit prope ad centesimum ætatis annum amissâ jam pridem memoriâ, ut versus Bibaculi docet.

Orbilius ubinam est, Litterarum oblivio.

At superstes ejus nomen, & sapientia nihil mortale passa in præclarissimis ejus discipulis mansit, nam præter Latinæ Lyræ Principem Horatium, nedum Orbilium filium reliquit, & ipsum Grammaticum professorem, sed etiam Scribonium Aphrodisium, quem ipsius Orbilii servum, atque discipulum, mox a Scribonia Libonis filia, quæ prior Augusti uxor fuerat, redemtum, & manumissum, publicè Grammaticam docuisse idem Svetonius memoriæ prodidit (*e*).

Post Grammaticos ad Rhetores, Oratoresque esse gradus deberet, sed quum Medicos interjiciendos decreverim, haud jure quis mihi succenseat, inter liberales artes Medicinam a a me referri, quam servi olim, libertinæque tantum conditionis homines exercere solerent: Ex Marmoribus Felsineis, quibus Bononienses Antiquitates illustrat Cl. Malvasia, non aliud, quum de re literaria sermonem instituit Sect. v., illi suppetit, quod in medium proferat, quàm unicum marmor, in quo Medicum, nec quidem universæ ejus artis peritiâ pollentem, sed *ocula-*

[*a*] Epist. lib. 2. ep. 1. [*b*] Serm. l. 1. sat. 1.
[*c*] Epist. l. x. ep. 71. [*d*] De Illustr. Gramm. cap. VIII.
[*e*] Cap. XIX.

Digitized by Google

ecularium dumtaxat nobis offert. An igitur Benevento alii invidebunt, quod in amplum, quo ſatis contenta eſſe poſſet, ſuorum veterum Litteratorum Civium cenſum, Medicos quoque referat? Cæterum non is omnino ego ſum, qui cum Sponio (*a*) Medicinæ plus æquo tributum velim; egit ille pro viribus Medicinæ cauſſam, utque ab ea ſervitutis, ac libertinitatis notam, aut omnino arceret, aut rariorem efficeret, e pluribus, quos retulit, lapidibus Medicos memorantibus eandem notam mala fide ademit, ut Viri docti notarunt (*b*): Qui de Medicis extant Beneventani lapides diligenter deſcripti ingenuam, ut videtur, eorum conditionem demonſtrantes hi ſunt:

L. STAIO L. F.
STEL. SCRATEIO
MANILIANO PRIMO
CER. I. D. QQ.
FILIO EQ. ROMANI
ARCHIATRI BENEV.
HIC PRIMVS OB HONO
REM CERIAL. TESSERIS
SPARSIS IN QVIBVS AVRVM
ARGENTVM AES VESTEM
CAETERAQ. POPVL
DIVISIT
L. STAIVS RVT. MANILIVS

M. CASINEIO
PAETO
MEDICO CASI
NEIA ARTEMISIA
CONIVX CVM QVO
VIXIT ANN. XXV
ET MENSEM I.

A. CLODIO. A. F. MEDICO
DEMETRIVS. LIB. SIBEI. ET
CLODIAI. A. L. ALEXAND. ET
CLODIAI. A. L. GLYCERAI
H. M. H. N. S.

At non hiſce noſtris lapidibus continuò pro Medicina, liberali nempe arte, quam ingenui exercuerint, ſententia ferenda erit: Diuturno tempore inter eruditos de hac re certatum eſt, ac veterum exemplo, qui non omnino de Medicinæ laude, atque utilitate conveniebant, ut ex Plinio diſcimus lib. 29. cap. 1., jam recentiorum ſtudia in alterutram partem ita efferbuere, ut non alia fortaſſe antiquitatis res majori æſtu virorum doctorum ingenia exercuiſſe videatur (*c*).

Neutri parti calculum meum addam, ſed ita rem commode tranſigi poſſe putaverim, ut nempe non tam diverſa ejus Artis conditio, quàm varia temporum ratio ſpectari debeat. Ad primum quod attinet, plura ſemper fuiſſe Medicæ artis miniſteria planè conſtat, quæ ſi inter ſe comparentur, quamquam ad unam ipſam artem pertineant, alia tamen planè honeſta, ac ingenuo homine digna, cui etiam ornamentum afferant, alia vero fœda, ac ſervilia cenſeri debent: Hinc jamdiù obtinuit, ut Ars ipſa in tres partes diviſa fuerit, *Χειρουργικὴν* ſcilicet, *Φαρμακευτικὴν*, & *χειρουργικὴν*, aliis aliam tantum partem profitentibus, ut ex Celſi præfatione *in lib.* I. *&* VII. *De re medica* apparet: qui Pharmaceuticen igitur, magis vero qui Chirurgiam exer-

[*a*] Miſcell. erud. antiq. ſect. IV. pag. 144.

[*b*] Id. Malvaſia pag. 221. Fabrettus Inſcr. Antiq. cap. 4. pag. 300.

[*c*] Prior, ut videtur, Franciſcus Robortellus in Medicinam ſtilum acuens, ſervilem omnino artem probare conatus, Ferretum, Reineſium, alioſque plures ſuæ ſententiæ ſectatores habuit. Ante paucos annos aſperiori, quam unquam, ſtilo Medicinam inſectatus fuit Congerius Middleton edita Diſſertatione, De Medicorum apud Veteres Romanos conditione, de qua plura in Actis erud. an. 1726. p. 266. & an. 1727. p. 127. eò res devenit, ut quicunque Medicus ex antiquis monumentis prodiret, illico proclamaretur *Servus*, itaut Medicinæ ars nullo pacto ex ſervilis conditionis hominibus eſſet divellenda: Præſtabit audire verba Cavei in vitis Apoſtolorum pag. 632. *Sunt* (inquit) *qui ex ſtudio Medico colligunt Lucam præclaro loco ortum eſſe, ſed boni illi viri ignorant, Servos nobiliſſimam artem vulgò illo tempore didiciſſe, atque exercuiſſe: Quamvis igitur Lucas, ſi ejuſdem originem ſpectes, Syrus fuerit, veriſimillimum tamen eſt Grotio* (in not. ad Luc. 1.), *Lucam Romæ in ſua ſervitute aliquandiù Medicinam exercuiſſe, donec manumiſſus, & patriæ redditus per omnem vitam arti illi præclaræ, & prædicando ſimul Evangelio vacaret*: Vides, quò præjudicatæ opiniones aliquando ferant, ut etiam viri perſpicaces tranſverſum agantur. At Cavei, atque Grotii hallucinationes jam reprehendit Petrus Zornius Opuſc. Sacr. tom. 1. cap. 16., qui poſt Jac. Sponium Miſcell. erud. antiq. pag. 144. Cellarium Diſſert. de antiq. Medic. cap. 6. §. 2. Iſaac Caſaubonum in notis ad Svetonium, Drelincourtium in Apologia Medica, Petitum in Legibus Atticis pag. 300. Zimmermannum in Florilegio pag. 512. rectiſſime negat Medicinam artem ſervilem fuiſſe, idque multis argumentis probat: In utramque partem plurima diſſeruerunt Fontaninus Antiq. Hort. l. 1. c. 9. §. 2. Menagius Amœnit. Jur. Civ. cap. 35. Ever. Otto De Ædil. Colon. & Munic. c. 6. §. 7. Heinecc. Antiq. Rom. l. 1. tit. 25. §. 19. Albert. Dietericus Trekell. in not. ad Briſſ. Antiq. Rom. l. 2. c. 3.

Digitized by Google

exercerent, quid ni, ſi vilis, ac paſſim ſervilis conditionis olim homines omni ævo fuerint, quos neque hodie, quamquam eo munere, aut alia re excelleant, nonniſi neceſſitate obſervamus: De Archagato, qui primus Medicorum A. V. 535. Peloponneſo Romam venit, hæc ſubdit Plin. l. l. *Ulnerarium eum tradunt fuiſſe vocatum, mirèque gratum adventum ejus initio; mox a ſævitia ſecandi, urendique, tranſiſſe nomen in Carnificem, & in tædium artem, omneſque Medicos*: Ex quibus diſcis ſublimioris partis decus omne amitti ab eo, qui cum illa ſimul Chirurgicam profiteretur; ſervatum vero, ſi διαιτητικὴ contentus ab inferioribus abſtineret.

At præter diverſas Medicinæ partes, ſpectanda quoque erit, ut dixi, temporum ratio; a qua, ſi incerta ſpatia, ac plane fabuloſa, ut par eſt, ſecludamus, illius nempe originem, quam ab Diis, Apolline nempe, ejuſque filio Æſculapio Ethnici repetebant, ut docet Macrobius (*a*), ſi Heroica etiam tempora amputemus, in quibus ab Heroibus ipſis Medicinam excultam affirmat Servius (*b*), totamque rem ad certam ætatem, Urbemque jam conditam deducamus, jam plura excurriſſe dabitur Romanorum ſæcula, in quibus nullus Medicinæ honos, imo neque nomen, neque uſus: *Sexcentis ferè annis* (ita ex Catone Plinius (*c*)) *Populus Romanus ſolus braſſicam pro Medicina adhibuit, nondum enim in Urbem commeaverant Medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno ſanitas conſtet, & peregrina rerum pigmenta attulerunt, ut illis imponerent pretia quæ vellent; Cæterum militares viri glorioſas cicatrices gratuito olere curabant, eodem horto uſi ad ſalutem, dum illos paſcit, & ſanat*: At quæ Archagati adventu gratanter excepta fuit, jure Quiritium, ac Taberna de publico ipſi Archagato conceſſis, mox Romanis ita viluit Medicina, ut beneficii pœniteret, artemque ejuſque profeſſores vix tolerandos putaret: Nec tamen omnino veram, aut ſaltem ſolam ejus rei cauſſam fuiſſe putaverim, quàm a *ſævitia ſecandi, urendique* Plinius affert; nam quæ non nocendi ſtudio, ſed potius ſanitatis quærendæ cauſſa adhibebatur, vix ſævitia dici, nullo vero modo videri poterat: cauſſam ego veroſimilius dixerim, vel quod Romani viliſſima, ac fæda quælibet, quæ ad Chirurgiam pertinent, ejus artis munera abhorrerent, vel quod de Medicina, cui nunquam antea aſſueti, haud probè judicantes, nihil, niſi quod oculis ſpectarent, in ea contineri arbitrarentur: Ita ad ea uſque tempora ejus Populi ingenium erat comparatum, ut non Medicinam ſolum, ſed cæteras etiam liberales artes tanquam Reip. parum utiles, negligendas putaret: quid autem Medicinæ, cæteriſque liberalibus diſciplinis præſtarent Romani, qui nec recte loqui neceſſarium duxerint (*d*). Sed & illud poſtremò ad augendam Medicinæ invidiam accedebat, quod peregrini ſoli, iique ferè omnes ſervi ad eam ætatem Medicinam factitarent, ut vel ex ipſa Profeſſorum conditione ſordidior ea ars apud Romanos evaderet.

Atque hæc quidem ſtante Republica; Quum vero unius nutu rerum ſumma regi cœpiſſet, honeſtiùs de Medicina apud Principes viros, mox eorum exemplo apud reliquos judicari cœpit; itaut mutata regiminis forma, novam demum, qua hactenus caruit, faciem induit Medicina, aut potius priſtino nitori reſtitutam exeruiſſe viſa eſt: Cauſſas levi animadverſione promptas habebimus: Satis enim experientia compertum fuit, eximia in Remp. emolumenta ex ea arte manare, quæ ad tuendam, reſtituendamve hominum ſanitatem, Deorum munere inſtituta, vim ſuam non omninò incertam, ac fallacem probaſſet: Præterea id quoque manifeſtum eſſe cœpit, non ſolâ Chirurgiâ, aut Empiricâ univerſam Medicinæ artem contineri, ſed multa ipſam ex ratione, multa ex Philoſophicis ſcientiis, ad Phyſicam præſertim pertinentibus, non ut aſcititia, ſed ſibi omnino propria vindicare, quæ excellentiorem ejus partem conſtituerent. *Hinc* (ut ajebat Celſus) *nonnulli clari viri Medicinam exercuerunt, primòque medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem authoribus nata ſit*. Ex hiſce igitur cauſſis ſuus a Principatus initio, Medicinæ reſtitutus honos; qui ſimul ac haberi cœpit, perpetuò deinceps ſervatus, ut ex indubiis ſequentium temporum monumentis manifeſtè patet. Nam, præterquamquod *Amicorum* titulo Medici apud Principes fruebantur, ut ex Plutarcho, Tacito, Seneca, aliiſque ſatis notum, eoſdemque Σωτῆρας aliquando appellatos, eodem quidem titulo, quo Dii, ac plerique Reges appellari ſolerent, obſervat Spanhemius (*e*). jam primùm conſtat eos a Cæſare Civitate donatos (*f*), ac mox univerſo ipſorum ordini immunitatem ab Auguſto datam (g); propterea quod is Antonii Muſæ liberti,

[*a*] Saturnal. l. 1. c. 17.
[*b*] Æneid. XII. v. 397.
[*c*] L. XXIX. 1.
[*d*] Ita Svetonius de Illuſtr. Gramm.: *Grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi ſcilicet, & bellicoſa etiam tum Civitate, nondum magnopere liberalibus diſciplinis vacante*.
[*e*] De Præſtant. Numimiſm. Diſſert. V.
[*f*] Sveton. in Jul. cap. 42.
[g] Id. in Oct. cap. 59

Digitized by Google

liberti, atque medici operâ ex periculoſo morbo convaluerit, tributo etiam ipſi Muſæ præter magnam auri vim, aureorum annulorum jure: Certè Alexander Imp. Medicis annonas addidit, teſte Lampridio cap.42. Plura adhùc pro medicis conſtituit Imp. Conſtantinus, ejuſque, ac priorum Principum conſtitutiones, quibus Medici a publicis oneribus immunes, honorum vero quorumcunque capaces habiti fuere, confirmarunt Impp. Honor. & Theodoſ. pluribus datis legibus, quæ adhùc extant in Cod. Theod. lib. 17. tit. De Medicis, & Profeſſoribus.

Hinc illud ſponte ſua quodammodo effluxit, ut de Medicina, quam olim Servi, plerumque Chirurgiæ operam dantes, ſervili nota maculaverant, mox vero ingenui, atque ex ingenuis honeſtiſſimi quique, (ut ex noſtris lapidibus etiam apparet) paſſim, ac publicè profiteri cœperant, non aliter, quam de liberali arte judicium ferretur. Locuples hujus rei teſtis Ulpianus (*a*) cujus verba afferre libet: *Præſes Provinciæ* (inquit) *de mercedibus jus dicere ſolet, ſed Præceptoribus tantum ſtudiorum Liberalium: Liberalia autem ſtudia accipimus, quæ Græci ἐγκύκλια appellant: Rhetores continebantur, Grammatici, Geometræ: Medicorum quoque eadem cauſſa eſt, quæ Profeſſorum, niſi quod juſtior, quum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant*: Inter liberales egregiam artem Medicinam paſſim deinde commendarunt Imperatores latis conſtitutionibus, quæ in dicto titulo Cod. Theod. habentur collectæ, ex quibus unam heic afferam in lege XIV. relatam, quam ejus Codicis auctor ex longiori Juliani Imperatoris Epiſtola deſumpſit; quæ quidem Epiſtola quum adhùc extet, præſtabit ejus integrum caput, quod ad rem maximè facit, ex Briſſonii verſione (*b*) heic deſcribere: *Artem Medicam hominibus ſalutarem eſſe uſus ipſe demonſtrat; quare eam e cælo delapſam non immerito Philoſophi prædicant: Etenim naturæ noſtræ infirmitas, & valetudinis offenſiones, quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem ſicut æquitatis ratio poſtulat, nos ſuperiorum Imperatorum auctoritatem, & vocem ſecuti, pro noſtra humanitate jubemus, vos Senatoriis muneribus liberos in poſterum vivere*: Hinc, ut dixi, non ingenui modo, verum etiam præclari in Rep. loci homines Medicinæ operam dabant: In luculento elogio, quem Auſonio Patri Auſonius filius lucubravit, inter cæteras animi virtutes, ac ingenii facultates, quibus is inſignis erat, etiam Medicinæ arte illuſtris commendatur:

Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & ſatis amplificare moras.

Idemque Auſonius inter præclaros, qui re literaria excellerent, ſui ævi viros, Medicos quoque recenſet,

Valete manes inclytorum Rhetorum
Valete Doctores probi,
Hiſtoria ſi quos, vel Poeticus ſtylus,
Forumque fecit nobiles,
Medicæ vel artis, dogma vel Platonicum
Dedit perenni gloriæ.

at cum Romana ſæcula haud prætergredi mihi propoſitum ſit, hæc obſervaſſe ſufficiat, ut, quale de Medicina judicium ſine partium ſtudio, ex bono & æquo ferri poſſit, jam demum poſt tot Clariſſimorum Virorum concertationes ſtatuatur; ſpectandæ enim ſunt, ut initio monebam, Medicinæ partes, ſpectanda quoque temporum ratio, itaut ſi perpetuò Chirurgicam a Medicina, ſi ſtantis Reip. tempora in univerſæ Medicinæ uſu exceperis, optimo jure pro Medicina inter liberales artes præcipuè recenſenda, ex qua etiam in Remp. utilitas, in profeſſores ornamentum, ac decus promanet, ſententiam tuleris.

Plura fortaſſe, quam par erat, Medicinæ dedimus, adhùc tamen eſt aliquid, quod ad eamdem rem uberiùs illuſtrandam, nobis ſuppeditat noſter lapis, qui inter alios ad Medicos pertinentes ſuperius allatum fuit num. 1.: Igitur L. Stajus inter cætera ſuorum honorum, quibus functus fuit, ſuæque liberalitatis præclara monumenta, hoc etiam eo lapide memoriæ proditum voluit, ſe nempe Equitis Romani Archiatri Beneventani filium fuiſſe: qui igitur fuerint Archiatri, quidque de eorum nomine, ac munere cenſendum ſit, modo videamus. Archiatros (ut ab aliorum ſententiis ordiar) eos eſſe putat Fabrettus (*c*), qui in univerſum ad omnes

[*a*] In l. 1. D. De extraord. cognit.
[*b*] Antiq. Rom. lib. 2. cap. 3.
[*c*] Inſcript. antiq. cap. 4. pag. 301. Duos dumtaxat Archiatros exhibet Gruterus pag. 632. 4. & 5. Tertium dat Reineſius Claſ. 20. 205. quem Theodoſii ævo vixiſſe arbitratur; Quartum nuper habuimus ex lapide Piſaurenſi num. 64. ad quem eruditas notas addit Oliverius pag. 152.

Digitized by Google

omnes morbos curandos idonei eſſent, talemque ritè appellandum cenſet Claudium Agathemerum Medicum, qui in Græco Epigrammate ſepulcrali ita de ſe canit,

Claudius Agathemerus Medicus hic jaceo
Omnigeni qui cognoveram præſentiſſimum remedium morbi.

ex laudabili alioquin veterum more, quo ſingulis pene morbis ſingulares Medicos ſtatutos ex lapidibus conſtat, conjiciebat primùm Fabrettus, eum qui omnium morborum curandorum arte calleret, nonniſi Archiatrum vocari debere, quod cæteros Medicos præſtare videretur: *Nullum* (inquit) *inter Medicos principatum, aut cæteris Medicis præſidendi auctoritatem hanc vocem indicare monent lexicographi, & optime animadvertit Gothofredus ad l. 4. Cod. Theodoſ tit. de Medicis, & Profeſs. qui Archiatros vocatos vult eos tantum, qui in Principibus Urbibus Roma ſcilicet, & Conſtantinopoli Medicinam factitabant, vel operam dabant Principi; quod tamen ultimum ex noſtris Inſcriptionibus incertum redditur*: Fabretti ſententiam reſpuit V. C. Oliverius in marmor Piſaurenſe 64. ubi occurrit *C. Tettius C. L. Archiater peritiſſimus, & Obſequis ſuis omnibus amantiſſimus*; hocque inter Medicos, & Archiatros diſcrimen fuiſſe putat, ut illi propriè dicerentur, qui Medicinam ſuo periculo exercebant, qui hodie *Medici venturicri* appellantur, hi vero, qui a Decurionibus electi ſalario publico honorabantur: Suam opinionem ſatis probari poſſe credit Vir doctus ex verbis *leg. 9. & 10. Cod. De Archiatris*, ubi non alio nomine eos vocari patet, qui ex Medicorum ordine a Decurionibus legebantur: Atque optime quidem ſe haberet Oliverius, niſi in his ſolis Medicis publicè conductis propriam Archiatrorum appellationem dumtaxat contineri decreviſſet. Ut igitur res iſthæc paullo accuratiùs demonſtretur, nihil ego verius putaverim, quàm Archiatri vocabulo non profeſſoris excellentiam indicari, ſed certum illius munus dignitatemque omnino demonſtrari. Idque primùm probari poteſt ex ipſis antiquis lapidibus; in iis enim dum *Medici ocularii* occurrunt, ſæpiſſimè vero *Medici* ſine ulla alia adjectione, nonnunquam etiam *Archiatri*, ſequitur, fuiſſe aliquando inter hos omnes diſcrimen; itaut *Medici* genericè appellati, jam *omnigeni morbi* (ut ſuperius ajebat Agathemerus) curam ſuſcipere valerent, alioquin particularis morbi, ut puta *ocularii* (ex Fabretti regula, lapidumque conſuetudine) expreſſa mentio iis fuiſſet adjecta; quod ſi *Medici* nomen, ac profeſſio ad morbos omnes referenda eſt, jam erit quod amplius in Archiatris agnoſci debeat; id vero quum de ſola univerſæ artis præſtantia, quam cum Medicis communem habebant, ex recepto utriuſque vocabuli diſcrimine intelligi rectè nequeat, ad certum proinde ipſorum munus, quo ſupra Medicos extollebantur, referri debet.

Lexicographorum, quos Fabrettus generatim laudat, neminem inveni, qui Archiatri vocabulo hanc ſignificationem accommodet, ut Medici Synonimum ſit; Certe Briſſonius (*a*) non alios eo vocabulo ſignificatos docet, quàm eos, quorum fidei, & peritiæ Imperatorum ſalus tuenda committebatur, quique in eorum comitatu Medicinam factitabant. Ita paſſim in pluribus legibus Codicis Theodoſiani (*b*): neque aliter Archiatrum intelligit Galenus ipſe, quum memorat *in lib. 1. de Antidot. cap. 1. 4. & de locis affect. cap. 1.* & ſera ætate eamdem ei vocabulo ſignificationem ſervatam præclarè oſtendit Caſſiodorus *Var. lib. 6. cap. 19.* in formula comitis Archiatrorum ita illum præcipuè affatus: *A præſenti tempore Comitiva Archiatrorum honore decorare, ut inter ſalutis Magiſtros ſolus habearis eximius: eſto arbiter artis egregiæ, eorumque diſtingue conflictus, quos judicare ſolus ſolebat affectus; In ipſis agros curas, ſi contentiones noxias prudenter abſcindis: magnum munus eſt ſubditos habere prudentes, & inter illos honorabilem fieri, quos reverentur cæteri. Indulge te quoque Palatio noſtro*: [ex perſona Theodorici Regis loquentem Caſſiodorum nemo neſcit] *habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis ſolet pretiis comparari: fas eſt tibi Nos fatigare jejuniis, fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excrucies: Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamus in cæteros*: Hactenus Caſſiodorus, ex quo plura, quæ rem mox conficient, deſcripſiſſe opus fuit.

Nam, ut ad Gothofredum deveniam, cujus ſuffragium fruſtra ſibi extorquet Fabrettus, Archiatros dumtaxat vult eſſe Gothofredus, vel qui in Principibus Urbibus Româ, & Conſtantinopoli Medicinam factitabant, vel qui Principi operam dabant, & rectè quidem (*c*): dum eo vo-

[*a*] De verb. ſignific. verb. Archiater.

[*b*] In quo præter alios titulos adeſt quoque Rubrica de Comitibus, & Archiatris Sacri Palatii, quibus ob medendi curam a Comitatu Principis diſcedere non licuiſſe oſtendit lex. 2. Cod. *quibus non objicitur longi temporis præſcriptio*, quam dederunt Impp. Diocl. & Max. ad Aurelium Archiatrum.

[*c*] Quamquam enim Fabretto poſterior res incerta

eo vocabulo non eos ſolum, qui Principis ſalutem ad id munus delecti curarent, demonſtrat Gothofredus, verum etiam eos accipiendos rectè monet, qui in aliis Urbibus, quæ μητρόπολες eſſent ad id ſtatuti eſſent, ut collegio Medicorum (uti etiamnum mos obtinet) præeſſent. Id quod ex Caſſiodori formula rectè patet, & ſatis colligitur ex Photio, qui cum Galeni Medici, Oribaſii Medici, Ætii Medici opera recenſet, inter hos, alioſque Medicos Theonis Archiatri Alexandrini (*a*) librum, qui *Homo* inſcribebatur, commemorat; ut inde certum omnino ſit, alios ab ipſis Medicis fuiſſe omnino Archiatros, qui licet ex Medicorum ordine eſſent, eamdemque artem profiterentur, ex eo tamen quod Principi operam darent, vel in Principibus Urbibus univerſo Medicorum ordini præeſſent, tum demum, peculiari Dignitatis nomine, Archiatri vocabantur: Principes autem Urbes non Romam tantùm, aut Conſtantinopolim cum Gothofredo accipere debemus, ſed eas quoque, quæ in ſingulis Provinciis μητρόπολιτον jure potiebantur. In iis enim Archiatros conſtitui ſolitos jam modo ex Photio audivimus, qui Theonis Archiatri Alexandrini meminit: Archiatrum Beneventi fuiſſe, Samnii utique Principe Urbe, eumque Equeſtri quoque dignitate illuſtrem, ex noſtro lapide manifeſtum eſt.

Plura, quàm fortaſſe par erat, Medicis dedimus, ſed non omnino injucunda, neque ſupervacaneo opere diſputata: Ut igitur Beneventanorum Litteratorum cenſum repetamus, licebit jam Advocatos Fiſci in eorum numerum ſuo jure referre: Certè talem Fiſci Advocatum requirebat Conſtantinus Imperator, ut non integris tantum ille moribus, ſed etiam cæteros *Litteratura* præcelleret: *& ſi potior* (inquit (*b*)) *apud nos privatorum cauſſa eſt, quam Fiſci tutela, præcipimus tamen, ſi a nobis plures defenſacula Fiſci meruerint, eum præponi cæteris, qui melior, innocentia potior, litteris pollentior reliquis, examinata fide eſſe noſcetur*: & quidem præter abſolutam juris ſcientiam, quæ ſummæ literaturæ loco haberi debet, ejuſmodi munera (ut rectè impleri queant) aliarum ſcientiarum, ſeu doctrinarum ſubſidio indigere videntur: Tales autem eos fuiſſe omnino credendum eſt, qui ea de cauſſa etiam publicis Elogiis ad poſterorum memoriam in lapidibus conſignatis, decorari meruerunt. De ipſo igitur Advocati Fiſci munere extat noſter lapis, quem Veſedii Rufini Beneventani Civis memoriam ſumma cum laude commendantem jam ſuperius pag. 168. allatum, heic repetere non abs re erit.

VESEDIO RVFINO
V. P. ADVOCATO FISCI
SVMMAE REI IVDICIO
SACRO PROMOTO PATRO
NO SPLEND. CIVITATIS
BENEVENTI ET PVTE
OLANORVM PATRO
NO STVDIORVM IIII
MARTENSIVM VERZO
BIANVM ET MARTEN
SIVM PALLADIANVM
ET . . . . . .
. . . . . .

Hunc Veſedium Rufinum Beneventanum Civem fuiſſe ex Veſedia familia inter Civitatis primores, optime docet alter lapis in Platea publica.

NEBVLI

ta videatur ex quibuſdam, quos affert, lapidibus, in quibus Cæſarum *Medici*, nunquam Archiatri memorantur, animadvertendum tamen ſibi erat, eos lapides non ultra L. Aruntium Imp. Domitiani Medicum ætatem ferre, tum quum Archiatri vocabulum nondum in Latium receptum erat: quod quarti ſæculi initio, ac tum maximè, quum Conſtantinopolim Imperialis Aula translata demum fuit, invaluiſſe jam conſtat.

[*a*] In Biblioth. Cod. ccxx.

[*b*] Leg. 2. Cod. Theod. *De Advocato Fiſci*.

Digitized by Google

NEBVLI
C. VESEDIO RVFINO PERF.
ET PRAESTANTISSIMO VIRO
FILIO VESEDI IVSTI INLVSTRIS
ET PRINCIPALIS VIRI BENE
VENTANAE CIVITATIS . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . PR. . . . . .
. . . . . D. . . . . O PATRONO
STVDIVM PALLADIANVM

Notanda autem in antecedenti lapide primò ſunt verba illa tertiæ, quartæque lineæ, ubi Veſedius Rufinus dicitur *Summæ Rei (a) judicio ſacro (b) promotus*, ideſt Principis mandato, aut, ut tunc ajebant, *codicillis*, id munus aſſequutus, quod Fiſci Advocatione (quippe quæ prior in lapide tanquam ad alterum gradus memoratur) præſtantius fuiſſe videtur: Sed quod Fiſci Advocatum, de quo nunc agimus, attinet, licet orto Principatu præter publicum Ærarium, quod ad Senatum, Populumque Romanum, ut antea, pertinebat, Fiſcus quoque eſſe cœpiſſet, quo nomine quicquid ſolius Principalis juris erat, ejuſque publicæ dignitatis proprium continebatur, ferò tamen ejus Advocati munus in Aula receptum fuit; Primus enim Imperator Hadrianus Fiſci Advocatum inſtituit, ut Spartianus teſtatur: Ejus munus erat omnino a *Delatoribus* diverſum, ut oſtendit Paulus I. C. (c): non enim *deferebat*, quod munus ſummæ invidiæ obnoxium erat, ſed quum de jure Fiſci quæri oporteret, ut ad bona vacantia, vel caduca vocaretur, illius cauſſas Advocatus agebat, ut loquitur idem Paulus *in leg.* 10. *D. De Poſtulando*. Pulcherrimum exemplum Judicii in cognitione Principis facti nobis exhibet I. C. Marcellus (d), quod heic deſcribere lubet: *Sententia Imperatoris Antonini Auguſti, Pudente, & Pollione Conſulibus: Cum Valerius Nepos mutata voluntate, & inciderit teſtamentum ſuum, & hæredum nomina induxerit, hæreditas ejus ſecundum Divi Patris mei conſtitutionem ad eos, qui ſcripti fuerint, pertinere non videtur, & Advocatis Fiſci dixit: Vos habetis Judices veſtros: Vivius Zeno dixit: Rogo Domine Imperator, audias me patienter, de Legatis quid ſtatues? Antoninus Cæſar dixit: Videtur tibi, voluiſſe teſtamentum valere, qui nomina hæredum induxit? Cornelius Priſcianus, Advocatus Leonis dixit: nomina hæredum tantum induxit: Calphurnius Longinus Advocatus Fiſci dixit: non poteſt ullum teſtamentum valere, quod hæredem non habet: Priſcianus dixit: manumiſit quoſdam, & legata dedit; Antoninus Cæſar remotis omnibus quum deliberaſſet, & admitti rurſus eoſdem juſſiſſet, dixit: Cauſſa præſens admittere videtur humaniorem interpetrationem, ut ea dumtaxat exiſtimemus, Nepotem irritare voluiſſe, quæ induxit*: In quo ſane judicio in *Cognitione* [ut ait Marcellus] Principis facto præter

[a] De officio *Summæ Rei* mentionem facit Conſtantius Imp. in l. 2. Cod. Theodoſ. De Diſtrat. Pignor., ubi idem eſſe, ac Rationalem ſummæ Rei probare nititur Gothofredus: ideſt qui Res Auguſti, ſeu ipſius Fiſcum procurabat, de quo eſt lapis apud Grut. pag. 282. num. 6. quem Conſtantino dedicavit *Val. Honoratus* V. P. RAT. S. R. D. N. M. Q. EIVS quæ rectè Reineſius explicat. *Vir Perfectiſſimus Rationalis Summæ Rei Devotus Numini, Majeſtatique Eius*: de hoc lapide, ac munere agit etiam *Cujac. obſerv. l.* 8. *c.* 32. *& Guther. de Off. Dom. Aug. l.* 3. *c.* 18. Dicitur autem *Rationalis Summæ Rei*, ut alius ſit a Procuratore *Rerum Privatarum*, qui privatum Principis patrimonium adminiſtrabat.

[b] Judicium Sacrum, pro ſolius Principis decreto, aut conſtitutione intelligendum eſt, itaut, cum Veſedius noſter *Summæ Rei judicio ſacro promotus* dicatur, rectè accipimus eundem ab ipſo Principe ad id muneris fuiſſe delectum: notiſſimum namque illud eſt, ut quicquid ad Principes quoque modo pertineret, *Sacri* epitheto fuerit appellatum, ſic *ſacræ conſtitutiones*, *ſacri affatus*, *ſacra ſcrinia*, *ſacræ largitiones*, *ſacræ domus*, *& ſexcenta ejuſmodi ſequiori ævo* uſurpata in juris libris paſſim occurrunt. Quid quod ad Principis *ſtabula* epitheton deſcenderit, quæ *Sacra* etiam dicebantur: Juris locos habebis apud *Briſſon. de Verb. ſignif.*

[c] Lib. 1. De *Jur. Fiſci* relatus in l. 5. §. 13. D. De His, quæ ut indignis &c.

[d] In L. 3. *D. De his, quæ in teſtamento delentur*.

Digitized by Google

præter diſceptationem, inter Fiſci, adverſæque partis Advocatos de ea re, breviter, diluci-dèque (quod noſtra ætate optandum eſſet) expoſitis juribus habitam, aliaſque plures antiquorum Judiciorum formulas, illud notatu dignum diſcimus, auditis partium juribus, omnes a Tribunalis loco abſcedere juſſos, revocatos tandem, ut audirent ſententiam, quam Princeps, vel ſolus, vel cum ſuis comitibus deliberaverat.

At quum in præfato priori lapide Veſedius Rufinus V. P. dicatur, vix dubitari poteſt, quin ſigla illa *Virum Perfectiſſimum* deſignent, ſuffragante etiam poſteriore lapide, ubi extensè *Viri Perfectiſſimi* titulo idem Rufinus honoratur: Et ſane congruens videri poteſt Rufino ob ejus munera *Perfectiſſimatus* dignitas, quæ ab Imperatore Conſtantino primùm inventa, (ſi fides Euſebio (*a*)) haud ſumma munera, ſed Magiſtros ſcriniorum, Tribunos Notariorum, Advocatos Fiſci, vix autem Præſides, Proconſuleſque attigiſſe conſtat. Fruſtra igitur ſiglis illis, *Viri Prudentiſſimi* interpretationem accomodari poſſe fortaſſe quiſpiam opinabatur; Etenim ipſorum Juriſconſultorum is dumtaxat eſt titulus, quos *Viros Prudentes*, *Viros Prudentiſſimos* haud unquam communi aliis titulo paſſim appellatos ſcimus ex libris juris; quamvis autem ex Juriconſultorum ordine Advocatos Fiſci ſumi ſolitos obſervaſſet Gravina (*b*), quos etiam (nulla tamen Auctore laudato) inſigniori veſtitu a cæteris fuiſſe diſtinctos aſſerit, adhùc tamen arbitraria ejuſmodi interpetratio admitti nequit, proptereaquod vel teſte Fabretto (*c*) *Viri Prudentis*, ſive *Prudentiſſimi* titulus antiquis lapidibus eſt omnino inſuetus. Sed ne plura de hoc titulo; quandoquidem ſi ex Juriſconſultorum ordine Advocati Fiſci deligebantur, jam de Juriſconſultis agendum erit, totaque res ad celeberrimum ipſius Juriſprudentiæ Antiſtitem, ac Juriſconſultorum omnium Principem Papinianum deducetur.

Ex recentioribus Scriptoribus non indigenis tantùm, ſed etiam exoticis, neque hujus dumtaxat, ſed anteactæ ætatis plerique ſunt, qui Papinianum Beneventi natum affirment, quorum quum auctoritas non tanti ſit, ut rem certam ſtatuere poſſit, nomina libenter prætereo: Eos ita credendi, affirmandique rationem, non aliunde accepiſſe manifeſtum eſt, quàm ex ipſius Papiniani verbis relatis *in L. hæredes mei D. ad Trebellianum*: Silent enim de Papiniani Patria aliorum veterum monumenta; De ejus cum Severo Imperatore affinitate per ſecundam uxorem varias etiam incertaſque ſuo ævo opiniones extitiſſe teſtatur Spartianus, ut proinde non ſatis probabilis conjectura ſit, ſi, dum Julia ipſius Severi poſterior uxor ex Syria originem duxit, Syrum quoque origine Papinianum putare libeat; At quod Beneventum attinet, ſcriptoreſque eos ſupra memoratos, qui Beneventum Papiniani Patriam certo aſſerunt, quamquam verba ipſius Papiniani clariſſima eſſe videantur, animadvertendum tamen omnino nobis erit, an ibi Papinianus de ſe ipſo loquutus videatur: Atque utinam poſtquam rem ipſam paullo diligentius fuerim exequutus, dubitationi ſaltem locus relinquatur: quid enim? quum nulla ſit civitas, quæ Papinianum ſibi civem vindicet, melior certè omnibus videri poſſet Beneventanæ Civitatis conditio Papinianum poſſidentis: Veniam autem dabit mihi Patria, dum potiùs veritati inquirendæ ſtudere, quam ejus poſſeſſioni haud juſto titulo fortaſſe comparatæ blandiri videar.

Fateor itaque non illud novum eſſe, ut veteres Juriſconſulti, quum aliquid de jure quærerent, aut reſponderent, de ſua Patria obiter mentionem injeciſſe: Exemplum habetur ex Ulpiano ipſius Papiniani æquali, cujus hæc ſunt verba in leg. 1. *D. De Cenſibus*: *Sciendum eſt eſſe quaſdam Colonias Juris Italici, ut eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia, unde mihi origo eſt*: Quid vero Papinianus noſter? *Hæredes mei* (inquit) *quicquid ad eos ex hæreditate, boniſve meis pervenerit, id omne poſt mortem ſuam reſtituant Patriæ meæ Coloniæ Beneventanorum*: *Nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum videri conſtitit*: Hæc Papiniani verba ex lib. 8. ejus reſponſorum deſumſit Tribonianus Digeſtorum Collector, ut oſtendit plane titulus ejuſdem *l. hæredes mei D. ad Trebellianum*.

Præter quamplures alios juris libros a Papiniano elucubratos duo maxime eminent, ex quibus Corpus Juris Civilis, quod modo obtinemus, magna ex parte conflatum eſt; Alter liber eſt diverſarum Quæſtionum, in alios libros XVII. diſtinctus, alter vero Reſponſorum, qui XIX. aliis libris continetur; ad rem præſentem pertinet, quid inter Reſponſa, Quæſtioneſque interſit, omnino noviſſe; quod ex doctiſſimo Cujacio (*d*) libenter præſtabo: Diverſam igitur in Quæ-

[*a*] In vit. Conſt. l. 4. c. 1. cui adſtipulatur titulus Cod. Theod. De Perfectiſſimatus Dignitate, qui unicam ejuſdem Imp. legem exhibet.

[*b*] De orig. jur. lib. 1. cap. 128.

[*c*] Inſcript. Antiq. cap. 4. pag. 334.

[*d*] In Proemiis ad Lib. 1. Quæſtionum Papiniani, atque ejuſdem Reſponſorum.

Digitized by Google

in Quæstionibus, ac Responsis rationem observavit Papinianus; siquidem in Quæstionibus tractat, seu disputat, in Responsis vero non disputat, sed præcidit de jure quid sentiat, hoc est, respondet, vel rescribit absciscè; Respondet præsenti, Rescribit absenti, quam differentiam servat Seneca epist. 9. dum ait: *Si quando interveniunt Epistolæ tuæ, tecum mihi esse videor, & sic afficior animo, non tanquam rescribas, sed respondeas*: Quæstiones itaque, ut clarius res explicetur, sunt uberes quidem diffusique tractatus juris: Responsa sunt tanquam oracula admodum brevia: In Quæstionibus Papinianus Doctoris, in Responsis Jurisconsulti munere fungitur: Responsa redduntur consultoribus; Quæstiones proponuntur auctoris arbitratu: Denique in Quæstionibus electio est juris auctoris, in responsis electio est ejus, qui rogat, aut consulit juris auctores.

Quid igitur? Papinianus in eo responso, quod habemus in dicta *l. hæredes mei*, nonnisi verba alieni testatoris, qui Beneventanorum Coloniam Patriam suam post hæredum primo loco *institutorum mortem in bonorum suorum successionem vocaverat*, referre voluisse videri potest; qui mos tum ipsi Papiniano, tum aliis omnibus Jurisconsultis familiaris est, atque optima ratione servatus, ut propositis verbis, in quibus dubia videtur esse juris dispositio, quicquid subinde ab ipsis Jurisconsultis de jure respondentibus subjiceretur, non tam intelligeretur facilius, quàm rectius probaretur. An vero casus dictæ legis de facto evenerit, ut Papinianus *ipse* quid de jure sentiret, revera consultus fuerit, itaut Beneventanorum Coloniam non Papiniani Patriam, sed ejus, qui testamentum condidit fuisse censendum sit, an autem ejusdem legis casum ipsemet Papinianus arbitratu suo sibimet decidendum proposuerit, itaut obiter Beneventanorum Coloniæ, quod sibi Patria esset, mentionem injicere sibi placuerit, ex iis, quæ in antecessum observavimus, intelligi potest: quamquam & illud verisimile, ut quod de Responsorum ratione ex Cujacio observatum fuit, non ita strictim, ac veluti religiosè Jurisconsulti servare tenerentur, ut in suis responsis nihil nisi de quo ab aliis rogati essent, continerì vellent: Certè ex juris libris exempla non desunt, ubi non raro ex responsis Prudentum id habetur, quod non ex aliena consultatione, sed proprio ipsius Jurisconsulti ingenio scriptum fuit; nec ratio deest, qua facile suademur Jurisconsultos ipsos, quum aliquid de jure respondissent, occasione ex particulari eo casu acceptâ, unde aliæ juris conclusiones emanare poterant, aliquid aliud subnotasse, & quorumdam casuum ex proprio ingenio propositorum adjectione materiam eandem uberiùs, ac luculentiùs illustrasse: Integrum autem cuique sit, hanc conjecturam probare; satius enim mihi fuit, quæ in utramque partem disputari possent, attulisse, ut quoquo possem modo Patriæ meæ Papinianum Civem jactantis haud omnino injustam possessionem ostenderem: Cæterum quum de hac re bona fide superius egerim, malim, ut quod æquum, verumque sit alieno potius [quod detrectaturus haud ero], quàm meo statuatur judicio.

Quum autem de Papiniani Patria hactenus egisse instituta res postularit; jam, si mihi vacaret, liberetque, de Papiniano ipso, quicquid antiquis celebratur monumentis, heic pro re nata subnectere haud supervacaneum videretur. At hanc mihi suscipere provinciam consilium haud fuit, quam longe antea obivere summi viri, qui fusè de Papiniano scripserunt (*a*): quos omnes, ac quosvis alios etsi non haberemus, unus tamen nobis sufficeret Spartianus, qui inter res gestas Severi, & Caracallæ, egregia quæque de Papiniano collegit; cujus præterea [quod omnium laudum loco erit] illud omnino proprium, atque singulare admirabimur semper, quod nullus hactenus hominum est assequutus, in ejus observantiam collatis passim splendidissimis honorum, ac virtutum titulis, omnium ætatum, atque omnium ordinum homines, si ab Augustis ipsis incipias, certatim prosiluisse.

Hoc tamen unum mihi reliquum faciam, nimirum ut de duobus illis sepulcralibus Papiniani titulis judicium feram, quorum alterum in Urna argentea incisum, Romæ sua ætate repertum narrat Soccinus, alterum Romæ in marmore insculptum subinde in lucem erutum alii affirmant: Prioris hæc referuntur verba: *Æmilii Papiniani I. C. & Præfecti Prætorio requiescunt hic ossa, cui infelix Pater, & Mater sacrum fecerunt mortuo anno suæ ætatis trigesimo sexto*: Alter vero hæc habet apud Gruterum p. 348. n. 8.

AEMI-

[*a*] Multa de Papiniani laudibus congessit Cujacius l. 1. Plura etiam Vinc. Gravina De orig. Jur. l. 1. c. 99. De ejus vita, & scriptis luculentam Dissertationem vulgavit Jac. Lectius, quam habes in Thesauro Ottonis tom. 1. cap. 3. legendus etiam ipse Otto in Papinian.

Digitized by Google

AEMILIO.PAVLO.PAPINIANO
PRAE. PRAET. IVR. CONS
QVI.VIX. ANN. XXXVI. M. IIII. D.X
HOSTILIVS.PAPINIANVS
EVGENIA.GRACILIS
TVRBATO.ORDINE.IN.SENIO
HEV.PARENTES.INFELICISS
FILIO.OPTIMO.B. M
FECERVNT.

At utramque inſcriptionem uno verbo commentitiam eſſe cenſeo; nam primò inveriſimile omnino eſt Caracallam, qui Papiniano vitam ademit, ejus memoriam publicis monumentis inſcribi, aut inſculptam ſervari voluiſſe, eum, inquam, Caracallam, qui in Getam Fratrem jam ab ſe interfectum, (cujus cauſſa Papinianus ipſe, quod Parricidium excuſare noluiſſet, etiam obtruncatus fuit) ita ſæviiſſe traditur, ut illius memoriam, comminutis ſimulacris, abraſoque ubique nomine abolere numquam deſtiterit; Illud etiam accedit, quod plura in dictis inſcriptionibus ſint, quæ nullatenus Papiniani ævo conveniant. Ac primùm illud eſt, quod nullo prænomine ambo Papiniani Pater, & Filius appellentur, ſed Hoſtilii tantùm appellatione Pater diſtinguitur, ſi id vere cognomen dici queat, nam quum ex Æmilia familia, ſeu gente fuerint, commune utrique Papiniani cognomen fuiſſe dicendum foret, quod inſolens omnino videri debet, tum magis, cum Papiniani cognomen, quod Patronimici naturam præfert a Papinio, ſeu Papio (nam Papinianus ipſe aliquando ab antiquis Papianus ſcribitur maxime a Græcis Novell. 1. & 118.) deductam, ipſius Juriſconſulti dumtaxat peculiare, propriumque videtur fuiſſe: Inſueta etiam, ac prorſus importuna cenſeri debet illa dolentis interjectio HEU ſeptima linea a Papiniani parentibus uſurpata, quam in aliis ejus Ævi ſepulcralibus titulis invenire haud facile eſt. Quid tandem dicemus de formula illa in eadem inſcriptione adhibita: TURBATO ORDINE: ejus elegantiam ſane fateor, ipſo Papiniano dignam, a quo aliquando uſurpata fuit in lib. 14. Quæſt cujus hæc ſunt verba in lib. XV. D. De inoff. teſtam.: *Nam etſi Parentibus non debetur filiorum hæreditas propter votum Parentum, & naturalem erga liberos caritatem,* TURBATO *tamen* ORDINE *mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis piè relinquì debet:* Ex quorum verborum conſenſu cum iis, quæ in præfato lapide leguntur, non modo non ſuſpicabatur Cujacius quidpiam commenti, ſed potius alterum ab altero ob eandem loquendi formulam verum confirmabat: At verò, quæ cauſſa fuit, ut de ejus tituli fide, in quo conſimilis formula legebatur, nullimode ſuſpicaretur Cujacius, eadem plane ipſa commentitium eum titulum declarat, cui, ut aliquam conciliaret fidem, fucumque faceret legentibus is, qui ex proprio ingenio confinxit, ejuſmodi formulam, ſepulcralibus titulis alioqui inſuetam, ab Papiniano ipſo mutuatus videtur.

Sed jam demum de Poetis agendum erit, quorum ſi non agmen ducit, de Re tamen Litteraria veterum Beneventanorum, ut opportunè differerem, occaſionem dedit C. Concordius, cujus inſignem Lapidem præfixum huic Diſſertationi titulum eſſe malui.

C. igitur Concordius, cui Syriaci cognomen non ulla ex Syria origo, ſed fortaſſe emenſa ibidem equeſtris militiæ ſtipendia, aut quicunque alius eventus effecit, *Munerarius Bidui* (a) dicitur, ac POETA LATINVS CORONATVS IN MVNERE PATRIAE SVAE: Pluri-

[a] C. Concordius Munerarius dicitur novo quidem, ſed jam inde ab Auguſti Ævo recepto vocabulo, quod ab ipſo Auguſto primùm in Latium inventum docet Quintilianus l. 8. c. 3. *Quæ vetera non ſunt* [ait] *fuerunt olim nova, & quædam in uſu perquam recentia, ut Meſſala primus Reatum, Munerarium Auguſtus primus dixerunt:* Quod ſi a munere munerarium primus Auguſtus uſurpavit, jam conſtat gladiatoria ſpectacula diù antea *munera* fuiſſe vocata, cujus antiquam vocis originem erudite explicat Tertullianus De Spectaculis cap. 17. *Munus* (inquit) *dictum eſt ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen eſt: Officium autem mortuis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur, poſtquam illum humaniore atrocitate temperaverunt; nam olim, quoniam animæ defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio Servos mercati in exequiis immolabant; Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare: Itaque quos paraverant armis, quibus tunc, & qualibet poterant eruditos, tantum ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant; ita mortem homicidio conſolabantur: Hæc muneris origo:* At a funeribus mox ad ipſa ſplendidius

Digitized by Google

Plurimùm itaque, præter ingenii eximiam vim, opibus valuiſſe videtur C. Concordius, qui *Munera*, ſeu ludos gladiatorios *Bidui* ſpatio ſuis ſumptibus edidiſſe potuit: ſed non heic laudes illas moramur, quarum inſana cupidine olim affecti *muneris editores* [ut inquit Lactantius (*a*)] *populari levitate ducti opes vel magnis urbibus ſuffecturas impendebant*. Ingenii potius gloriam attendamus, quæ marceſcente licet corona, qua ſemel redimitus fuit C. Concordius, vigere adhuc ex ſuperſtite lapide ad poſteritatis memoriam potuit, vigebitque deinceps, dum Patriæ ſuæ monumenta ſtabunt: Abſit enim, ut C. Concordii coronam liberalitatis potius, quam ingenii præmium ſuſpicemur, dum is munere per biduum edito voluit populum

. . . . . *ad verſus ſibi factos ducere plenum*
Latitia . . . . .

atque tunc illud, quod ſæpe fit, eveniſſe potuit:

. . . . . *clamabit enim pulcrè, benè, rectè*:
Palleſcet ſuper his, etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram,
Ut qui conducti plorant in funere . . .

Sed potius juſtos ingenii æſtimatores habuiſſe putandus eſt, eos, inquam, qui

Æquis accipiuut animis, donantve corona.

Quandoquidem vero nullum ſupereſt ingenii monumentum, quod C. Concordius edidit, ut de eo poſteri judicare queant, illud jam obſervare licebit, num is inito cum aliis Poetis certamine, an verò ſolus Poemate aliquo publice recitato coronam promeruerit: Utrumque enim morem apud veteres ſervatum conſtat; ac poſterior quidem crebriùs obtinebat; Hinc Plinius (*b*) *magnum proventum Poetarum annus hic attulit: Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis*: Aſinium Pollionem primùm publicè recitandi ſub Auguſto fuiſſe inventorem teſtatur Seneca Rhetor (*c*); quod ſane inſtitutum excolendis ſcientiis, ingeniiſque perpoliendis maxime utile non probavit ſolum, ſed etiam fovit Auguſtus, qui Svetonio teſte (*d*) *Recitantes & benignè, & patienter audivit*; cujus exemplo, ſequuti Principes recitantibus adeſſe non fuerunt dedignati, ut de Claudio idem Plinius refert (*e*): Recitationes autem aut in privatorum ædibus fiebant, quæ vel a Dominis gratuitò commodabantur, vel etiam conducebantur (*f*), eaſque ampliſſimas ac ſubſelliis inſtructas pro confluentium auditorum numero, parari oportebat; aut in publicis locis, ideſt, Foro, Theatro, Templis, Thermis, Porticibus (*g*), donec Hadrianus Athenæum conſtruxit, liberalibus ſtudiis, atque ingenuarum

dius celebranda convivia, feſtoſque dies paſſim agitandos gladiatorii ludi adhiberi conſuerunt: mirum enim, quantum populus iis oblectaretur, adeout ad ejus favorem captandum, abolendamque alicujus ſceleris invidiam, quo eum improbi Principes offendiſſent, ejuſmodi ſpectaculis uterentur; quæ ſi umquam de more edenda omiſiſſent, querelis, & obtrectationibus obnoxii reddebantur: Res eò pervenit, ut ea ſpectacula, quaſi amiſſæ libertatis pretium ſola ſibi Populus exolvenda vindicaret, neque ipſorum Principum Magiſtratibus parcebat, ut Prætoribus, Quæſtoribus, a quibus dum honor iniretur, munus gladiatorium edi oportebat; quod ſi detrectaſſent, aut abſentiam affectaſſent, Fiſcus edebat, cui poſtea quicquid erogatum fuiſſet, ſolvere tenebantur, ac præterea quingena millia modiorum tritici Urbis Romæ horreis inferre mulctæ nomine compellebantur, ut Imp. Conſtantius ſanxit an. 339. & 353 in lege 6. & 7. Cod. Theod. De Prætor. & Quæſt.: Pulchrum omnino exemplum de Populi erga hos ludos ſtudio refert Svetonius in Tiber. cap. 37. nam *Pollentina Plebs Funus cujuſdam Primopilaris non prius e foro miſit, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus*: At quorſum hæc? Quum privati Cives locupletes ea ſpectacula tam anxie a populo optari ſcirent, ut ejus gratiam, aut etiam honorem aliquem captarent, proprio ſumptu edebant, ejuſque editionis, tanquam magni operis, ac rei, quam pro Patria, ac civibus geſſiſſent, publicum ad poſterorum memoriam elogium plerumque reportabant.

[*a*] Div. Inſt. l. VI. c. 2.

[*b*] Epiſt. lib. I. 13. [*c*] In proem. Controv.

[*d*] Cap. 89. num. 7.

[*e*] l. l. *At hercule memoria parentum Claudium Cæſarem ferunt, cum in Palatio ſpatiaretur, audiſſetque clamorem, cauſam requiſiſſe: Cumque dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubitum inopinantemque recitanti veniſſe.*

[*f*] Plin epiſt. 8. 12. *Recitaturus eſt Titinius Capito, quem ego audire neſcio magis debeam, an cupiam: Domum ſuam recitantibus præbet.* Quintilianus, aut quiſquis eſt Auctor de cauſ. corr. eloq. c. 5. n. 5.: *Baſſus cum toto anno unum libellum excudit, & elucubravit, rogare ultro, & ambire cogitur, ut ſint qui dignentur audire; & nec id quidem gratis; nam & domum mutuatur, & ſubſellia conducit, & libellos mittit.* Id. c. 12. n 6. *Domum mutuatur, & auditorium extruit, & ſubſellia conducit.*

[*g*] Horat. Sat. c. 4. 73.

Non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus,
Non ubivis, coramque quibuslibet: in medio qui
Scripta foro recitent ſunt multi, quique lavantes.

Petronius Satyr. c. 51. *Relictoque Eumolpo, nam in Balneo carmen recitabat &c.*

Digitized by Google

artium exercitationibus conſtitutum (*a*) : ibi enim deinceps recitationes habebantur, quas ipſe Hadrianus frequens audire conſueſcebat (*b*) : Uti etiam Athenæum audiendorum & Latinorum, & Græcorum Rhetorum, vel Poetarum cauſſa Imp. Alexander adibat, quod de Pertinace quoque refert Capitolinus (*c*) : Recitantium autem, poſtquam dignum aliquid prodidiſſent, præmia erant gratulationes, plauſus, atque etiam oſcula, quæ ab auditoribns excipiebant ; qua in re Virgilii exemplo contenti erimus, cujus non illam moramnr recitationem, quam is, ſi fides Donato (*d*) atque Servio (*e*) coram Auguſto, & Octavia privatim peregit, a qua etiam ob Marcelli laudes *Ære gravi donatus* ; ſed publicam alteram non ſatis vulgatam, at fortaſſe veriorem attuliſſe libet ex Auctore *de cauſis corruptæ eloquentiæ*, dum ſcilicet *Populus auditis in Theatro verſibus Virgilii ſurrexit univerſus, & forte præſentem, ſpectantemque Virgilium veneratus eſt ſic* QUASI AUGUSTUM.

Quod vero ad Poetarum certamina attinet, ſeriùs in Rom. Rep. receptum morem fuiſſe conſtat ; ejus namque rei auctorem Domitianum nobis indicare videtur Svetonius, dum ab illo triplex Jovi Capitolino certamen inſtitutum commemorat, muſicum, equeſtre, gymnicum, *& aliquanto plurium* [inquit], *quàm nunc eſt coronatorum*, ubi etiam & proſa oratione græcè, latinèque certabatur (*f*) ; quibus non contentus Domitianus quotannis etiam in Albano Quinquatria Minervæ celebravit, cui Collegium inſtituerat, ex quo ſorte ducti Magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & ſcænicos ludos, *ſuperque Oratorum, & Poetarum certamina* : atque exinde etiam mos ille manaſſe videtur, ut Poetæ, Rhetores, aliorumque profeſſionum homines *contra omnes alios* [quæ formula in ejus ævi lapide legitur (*g*)] quum victores procederent, ab Imperatore, aut alio, qui ludis præerat, publice coronarentur : In eo Agone Statius poſt incredibilem totius Urbis expectationem, quum tandem Thebaidem ſuam recitaſſet, nedum ullum non excepit plauſum, ſed iniquam illam paſſus eſt contumeliam, ut *contra eum* Poetæ alii coronarentur, quod ipſe non ſemel conqueritur (*h*).

At quorſum, inquis, ante Domitiani ævum, coronas, uti propria ſui inſignia, meminerunt Poetæ ? Fateor id ſane, quamplures aureæ ætatis Poetas crebram ſuis verſibus coronæ mentionem feciſſe, nam & Paſtores Virgilius excitabat, ut creſcentem Poetam coronarent (*i*), coronamque ſibi paſſim Horatius *k*) atque Naſo (*l*) tribuebant: At hæc ab ipſis arbitratu ſuo, nec niſi vel jactanter, vel metaphoricè ſcribebantur ; eorum enim neminem legimus publica auctoritate coronam aut accepiſſe, aut geſtaſſe : A Domitiano itaque, atque a Poeta-

rum

[*a*] Aur. Vict. de Cæſar. c. 14. n. 2. *Cæremonias, leges, Gymnaſia, doctoreſque curare occœpit, adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.*

[*b*] Philoſtr. in Hadriano : *Simul atque in ſcæna viſus erat auſcultationis nuncius, univerſus continuò Senatus aſſurgebat, aſſurgebatque equeſter ordo, atque in Athenæi auditorium curſu concitato ferebantur.*

[*c*] Cap. xi. [*d*] In Virgil. vita.

[*e*] Æneid. VI. v. 862.

[*f*] Sveton. Domit. cap. 4. : atque ad exemplum Olympicorum ludos hoſce Domitianus inſtituit, itaut non ſolum victores publica corona donarentur, ſed, ut in illis, ſupputandi temporis publica ratio haberetur ; itaut Romæ non per luſtra, ut antea, annum, quem magnum vocabant, ſed per Capitolinos ludos ab Domitiani ævo ad ſuá uſque tempora ſupputatum teſtetur Cenſorin. de die natal. cap. 17.

[*g*] Lapis eſt apud Gruter. pag. 331. num. 4.

L. SVRREDI L. F. CLV
FELICIS
PROCVRATORI AB
SCAEN. THEAT. IMP
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO CONTRA
OMNES SCAENICOS &c.

Ibid. n. 6. habetur etiam *M. Ulpius Aug. Lib. maximus Pantomimorum, coronatus adverſus Hiſtriones, & omnes Scænicos.*

[*b*] In Sylvis lib. 3. 5. 31.

. . . . . tu cum Capitolia noſtræ
Inficiata Lyræ ſævum ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem

& *lib.* 5. 3. 231.

Nam quod me mixta quercus non preſſit oliva
Et fugit ſperatus bonos, cum dulce parentis
Invida Tarpeiis caneret te noſtra magiſtro
Thebais . . . . .

[*i*] Virgil. Eclog. VI. v. 25

Paſtores Hedera creſcentem orante Poetam

[*k*] Horat. od. 3. 30. 14.

. . . . . ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

[*l*] Ovid. Triſt. 1 6.

Si quis habet noſtri ſimiles in imagine vultus
Deme meis hederas, Bacchica ſerta comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna Poetas ;
Temporibus non eſt apta corona meis.

Digitized by Google

rum certamine tum instituto morem illum Poetas coronandi apud Romanos obtinuisse verisimile satis putabimus, unde ejus, qui tunc floruit, Auctoris *de caus. corrupt. eloq.* propriè verba libenter accipimus, dum Poetam affert suum funus ita mulcentem: *Quandocumque fatalis dies meus veniet, statuarque tumulo non mœstus, & atrox, sed hilaris, & coronatus*: Cœptus itaque Romæ laudabilis mos, [quippe qui ea publica laude, atque gloriâ, cujus cupiditate hominum animi quam maxime flagrant, eosdem ad liberalium artium studia vehementius excitaret] mox ad alias Urbes, ac præsertim Romanas Colonias pervasit, quæ Principis Urbis instituta omnia æmulari curabant; Hinc in iis non frequentes modo Poetarum recitationes, sed statuta etiam certis temporibus Poetarum certamina; Utraque vero in publico loco, Populique, ac Magistratuum frequentia; quorum judicio qui probatus, aut victor extitisset, vel *contra alios* sibi partam, vel *suis quæsitam meritis* coronam ferebat. Utro C. Concordius modo in munere Beneventanæ Coloniæ *Patriæ suæ* coronatus fuerit, non liquet ex lapide: Cum aliis Poetis tum concertasse vix puto, non enim, [quod majoris virtutis, atque laudis argumentum fuerit] lapis siluisset; Restat igitur, ut poemate aliquo, publicè eo die recitato, se dignum Poetam Latinum omnino probaverit, qui auditorum omnium suffragiis coronam promeruerit, & acceperit.

Hæc habui, quæ solâ antiquorum Lapidum, adhùc extantium ope, atque fide de certis Viris differerem, quos in Re Litteraria præclaros, Romanorum ætatibus, Beneventum edidit; majorem certe numerum, monumentorum veterum, rerumque edax tempus invidit; quem tamen proclive omnino erit ex iis conjectare, quæ ad rem Beneventanorum litterariam generatim illustrandam proferenda modo erunt: Multa enim sunt, quibus in vetere Benevento artium liberalium studia non solum summo in honore habita, verum etiam publica auctoritate instituta, ac civibus familiaria fuisse, probantur. Id profecto indicare videntur bini illi Vesedii Rufini lapides superius recitati, in quorum altero is dicitur PATRONVS STVDIORVM IIII., alterum vero Rufino eidem dedicavit STVDIVM PALLADIANVM: De hujusmodi *Studiis* extat etiam hoc insigne nostri lapidis fragmentum sub Arcu Pontis Leprosi.

. . . . . ESTERTI
. . . . . PRIMVS . . . .
. . . . . BENEVENTI
STVDIORVM OR
CHESTO PALES . . . .
INSTITVISTI . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Hos lapides quum nunc primum edimus, rem eruditis fortasse novam, aut non satis observatam ostendimus, ut scilicet, quæ veteribus *Gymnasia*, aut *Scholæ* pro ludis litterariis dicerentur (*a*), jamdemum *Studia* [quam vocem nos Itali nunc obtinemus] ipsis quoque veteribus appellari solerent: Haud ipsi inepte quidem, nam cum *Studium* ex Cicerone (*b*) non aliud sit, quam assidua animi, vehemensque ad scientiam aliquam magna cum voluptate occupatio, quid ni locum, quò scientiis comparandis conveniretur, *Studium* appellarent; quo quidem vocabulo suus Latio quoque honos accedebat, quòd non è Græcia *Gymnasii*, aut *Scholæ* nomina mutuari indigeret: neque ego quidem aut temere, aut ex proprio ingenio: *Studii* enim ad eam rem significandam vocabulum non omnino vetustis latinorum monumentis ignotum; nam de M. Antonino hæc in Capitolino legimus: *Apud Ægyptios civem se egit, & Philosophum in omnibus*

[*a*] Gymnasia, quæ pro solis corporis exercitationibus instituta primum fuerunt, ad ludum literarium significandum transtulit Cicero de orat. 1. 13. qui eodem loco *Scholas* etiam eadem significatione donavit, quamquam hæ pro iis locis etiam sequiore ævo dicerentur, in quibus omnis generis artium, imo & munerum, & professionum institutiones haberentur; nam fuisse militares Scholas variis nominibus distinctas, ac præterea variorum officiorum, quæ in Aula exercebantur, nota res est ex pluribus utriusque Codicis titulis, atque legibus, quas vide apud Brissonium, & Cangium: Cum Scholas autem sine alio adjecto dicebant veteres, ludos literarios intelligebant; Sic Festus: *Scholæ dictæ, sunt non ab otio, & vacatione, sed quod cæteris rebus omissis vacare liberalibus studiis Pueri debent.*

[*b*] De Invent. l. 1.

Digitized by Google

bus ſtudiis, templis, locis: Imperatores etiam Theodoſius, & Valentinianus in titulo Codicis Theodoſiani *De ſtudiis liberalibus Urbis Romæ, & Conſtantinopolis* idem vocabulum uſurpaſſe videntur ad earum quoque ædium ſignificationem, quæ docendis ſcientiis adhiberentur, nam in lege III. hæc habent: *Sin autem ex eodem numero fuerint, qui videntur intra Capitolii Auditorium* [i. e. Athenæum, quod ſuperius ab Hadriano ædificatum obſervavimus] *conſtituti, hi omnibus modis privatarum ædium Studia ſibi interdicta eſſe cognoſcant*; Quum vero ſequioris hæc ævi monumenta de nova ejus vocabuli ſignificatione fidem faciant, non novum tamen nobis vocabulum invexerunt, ſed probam ipſam optimæ latinitatis vocem ſatis apte ex ipſa animi ad ſcientias comparandas contentione, ad publicas ſive privatas ædes, locoſque alios, quò Auditores confluere ſolerent, *Studiorum* nomine nuncupandos tranſtuliſſe videntur; itaut de ea vocabuli ſignificatione, quam dumtaxat ex dictis monumentis eruere datum fuit, adhùc dubitare nefas fuerit, poſtquam noſtri lapides in lucem prodiere, in quibus *Studia* eandem omnino ſignificationem manifeſtè oſtendunt (*a*). An vero, quum innumera prope ſingularum artium, profeſſionumque Collegia Beneventi fuiſſe jam conſtet, de quibus etiam peculiari Diſſertatione alias actum à nobis eſt, neglecta ſcientiarum, aliarumque omnium honeſtiſſimarum diſciplinarum ſtudia putabimus? Immo publica litterarum Gymnaſia *Studiorum* nomine pro diverſis ſcientiis ſigillatim conſtituta locupletes ejus rei teſtes laudati lapides jam ſatis probant; ut exinde non eos ſolos, quorum nomina profeſſioneſque, ſuperſtites adhùc lapides ſuperius illuſtrati nobis ſervarunt, ſed plures omnino alios, per omnes Romani Imperii in Italia vigentis ætates, in Re Litteraria præclaros extitiſſe, conjectare jam liceat.

Id, quod ex ſæpius laudato Symmachi teſtimonio adhùc certum videri debet; Is enim inter alias egregias laudes, quibus Beneventanos affecit, hanc etiam cæteris illuſtriorem adjecit: *Urbs* [inquit] *cum maxima ſit, ſinguli ejus optimates viſi ſunt mihi Urbe majores*, AMANTES LITTERARUM, MORUMQUE MIRABILES: Pauca quidem verba, ſed prolixa laudatio: ſatis enim ad indicandam Rei Litterariæ præſtantiam fuiſſet, dum ii tantum *Litterarum amantes* audiſſent, hoc enim uno contentus olim ſapientiſſimus ipſe Pythagoras Philoſophi ſibi nomen invenit, quod deinde omnibus Poſteritatis Sapientibus proprium tradidit: Adhùc tamen ipſi præſtantiſſimi omnium litterati (abſit verbo invidia) Beneventani celebrabantur, qui *Morum* quoque integritate *mirabiles*, Philoſophiam omnem, cujus pars ſumma, ac præcipua ad bene vivendum perducit, optime profiteri viderentur: Viderint itaque hæc recentes Beneventani. Majorumque ſuorum exempla ſectantes, ita ingenia ſua liberalibus diſciplinis excolere ſatagant, ut ſummam, atque immortalem ſcientiarum laudem non tam labore, ac vigiliis, quam ſanctiſſimorum ſocietate morum partam, ſibi contendant comparandam: Illa enim vera, ac ſola laudabilis Sapientia eſt, quæ ad perfectam honeſtiſſimarum diſciplinarum cognitionem, honeſtiſſimæ etiam vitæ rationes conjungit.

DISSER-

[*a*] Rem etiam confirmat *Palladiani* Epitheton, quo *Studiorum* aliud in ſecundo lapide decoratur: De ejuſmodi Epitheto alias egi, quum de Collegiis diſſererem, deducebamque ad Deam Palladem, quæ eo nomine Bello, militibuſque præeſſe putabatur. At veriſimilius illud nunc mihi fit, eam heic, utpote Sapientiæ Deam, ingeniorum, ac diſciplinarum Præſidem, quam Ethnici vulgò credebant, *Studio* Beneventanæ Urbis aptiſſimum cognomen feciſſe.

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

De Re Militari Veterum Beneventanorum.

XIMIAM Veteris Beneventi militarem fuisse gloriam plurima Antiquitatis monumenta adhùc testantur: Non heic majores nostros Samnites appello, quorum bellicam virtutem satis fuerit initio hujus Operis attigisse: Sinamus enim tum aliis pluribus vetustis auctoribus, tum Livio præsertim, ut ejus Gentis res bello præclare gestas, militiæque decora, distinctè, luculenterque exequatur, cujus quum arma primùm cum Romanis exerceri cœpta, narranda susciperet, *majora jam hinc bella* [inquit lib.7.] *& viribus hostium, & longinquitate regionum, vel temporum spatio, quibum bellatum est, dicentur, namque eo anno* [V.C.411.] *adversùs Samnites gentem opibus, armisque validam mota arma*: quo magnificentissimo usus exordio singularem bellipotentium Samnitium laudem complexus est. Non heic, inquam, Pontios, Herennios, ceterosque Samnii fortissimos Duces recensere mens est, sed ad Patrios Lares dumtaxat me recipiens, unius Beneventi, ejusque Civium, ut superiori dissertatione in Litteris, ita modo in Armis præstantiam in medium proferre instituo. Ad ea igitur tempora me vertam, quibus everso jam Samnitium Imperio, atque nomine, Beneventana Urbs Colonorum deductione in Romanorum jus, potestatemque translata fuit; atque illud primùm rei ratio postulat inquirendum, (quod, quum de variis Coloniarum deductionibus Beneventum factis seriò agerem, vix attigisse memini) quænam scilicet ex pluribus illis prior eò fuerit militaris deducta Colonia. Et sane constat, serò admodum in Rep. milites Colonos deductos, non enim ante sextum Marii Consulatum militaris ulla Colonia, sed civiles omnes ad id tempus deductæ, sicuti ex eo tempore nulla deinceps, nisi militum Colonia deduci cœpit; Hinc Vellejus (*a*), quum antea Coloniarum omnium nomina, & natales speciatim contexeret, quæ post Romam a Gallis captam ad illud usque Mariani Consulatus tempus fuerunt jussu Senatus deductæ, a militarium recensione se abstinere propterea subdit, quod illarum utpote suo ævo recentiorum & causſæ, & auctores, & ipsarum nomina jam præfulgerent; Prior itaque Sylla militarium Coloniarum Auctor statuendus est, qui sublato Mario, ejusque factione deleta, plurimas hostium Urbes bello captas, earumque agros, ejectis antiquis civibus, suis militibus possidenda distribuit: In ea tamen Syllana militarium Coloniarum deductione, nihil detrimenti Beneventanæ Urbi contigisse ex Strabonis loco jam alibi probavi, causſamque etiam attuli ex Cicerone, qui Beneventanos Syllæ amicissimos memoravit: Post Syllam autem novas militares Colonias deduxit Julius Cæsar, quod nedum ex Svetonio constat, verum etiam ex Livio, qui Veteranos a Cæsare in Colonias deductos adversus succrescentem M. Antonii impotentiam ab Octaviano excitatos refert; Atque in hac posteriori militari deductione a Cæsare factâ milites primùm Colonos Beneventum accepit, quos paullo post in Triumviratu iterum eò deductos pluribus a me Diss. 1. c. 2. ostensum fuit.

At quænam, inquies, ex militaribus hisce deductionibus militaris gloria Benevento contingit, quæ sola *sedes fuit Emeritis*, deditque tantùm *rura, quæ Veteranus araret*? Sed juvat profecto alicubi perpetuam sedem Fortibus haberi, quorum virtus sanguine, exemplo, institutione Fortes creare solet. Certe ante annos ducentos, quibus Civilis primùm Colonia Beneventum deducta, subsecutam Militarem prævertit, illustria tùm Fidei, tùm Bellicæ virtutis argumenta Beneventani dedere, quibus, aliisque Coloniis, quas Livius memorat (*b*), Romana Resp. aliquando debuit, ut non solum extremo fato, quod victoris Poeni arma minabantur, subduceretur, sed etiam victrix ipsa de suis hostibus triumpharet; quam igitur post militares deductiones militaris rei præstantiam Beneventanis fuisse putabimus? Summam equidem, quam, ne cui concedere, aut invidere queat, ingens probat numerus illustrium virorum, qui Romano florente Imperio, in re militari immortale nomen sunt assequuti. Locupletissimos hujsce

[*a*] Lib. 1. cap. 15. [*b*] Lib. 27.

Digitized by Google

jusce rei testes habemus vetustos lapides, quorum fides ceteris monumentis omnibus præstat, copia vero [quam tamen ex sueta temporis injuria, aliisque eventis vix militarium nostrorum lapidum partem superstitem putabis] adeo exuberat, ut velut in amplissima messe leviores manipulos mihi negligendos duxerim; nihil itaque heic de manipulariis, seu legionariis militibus Beneventanis; quos satius erit in nostro Thesauro lapidum propriâ classe relatos, ac levi calamo illustratos prodidisse; sed principes dumtaxat viros recenseam, qui sublimioribus militiæ muneribus insignes, eximium militaris gloriæ decus sibi, ac Patriæ pepererunt.

CAPUT PRIMUM.

L. LAETICIO L. F.
STEL. RVFO
TRIB. MIL. LEG. XII
DON. HASTA PVRA
CORONA VALLARI
AEDILI QVAES. IIVIRO
I. D. PRAEF. FABRVM
ATTEIA Q. F. PRISCA
VXOR B. M. F.

TRibuni vox, quam initio Romulus, teste Varrone (*a*), quod ternos è tribus Tribubus in exercitum mitteret, in Latium invexit, non militaribus modo, sed civilibus quoque muneribus adhærere consuevit; nam inter posteriora istthæc, Tribunos *Plebis*, *Fabricæ*, *Voluptatum*, *Stabuli* passim apud veteres legere est; quod tamen Militiam spectat, neque unos in ipsa Tribunos fuisse constat. nam præter *Tribunum Castrorum* Vellejo memoratum (*b*), alii certe a Tribunis *Legionum*, *Cohortium* fuere Tribuni, eo solo nomine κατ' ἐξοχὴν, ita appellati (*c*), ac, uti Legio singulis, quibus constabat cohortibus, veluti totum parti præstabat, ita illius Tribuni, cæteros, qui cohortibus præerant, munere, atque honore antecedebant. Lætandum itaque nostro Læticio fuit cum Horatio (*d*),

Quod sibi paruerit Legio Romana Tribuno

quo quidem munere nondum amplissima belli gerendi, sed etiam Jurisdictionis, ac Coercitionis inter milites exercendæ potestas ei fuit, qua unius summi Ducis, seu Imperatoris dignitati concederet (*e*); unde etiam in Castris post Ducis Prætorium Tribunorum Tabernacula locari consuesse testatur Vegetius l. 3. c. 8. At non heic munus, de quo satis fuit in notis *fontes* indicasse, sed personam morari præstat, cui non omnis ex munere honos, quod nonnisi sua virtute fuit comparandum: Nota illa Hadriani lex [teste Spartiano c.x] *ut Tribunum nonnisi plena barba faceret, aut ejus ætatis, quæ prudentia, & annis Tribunatus robur impleret, & quem non favor militum, sed justitia commendaret*: quamquam vero de nostri lapidis anno non constet, ad priora tamen Imperii tempora eum pertinere satis patet, quibus militaris disciplina maxime viguit; quid vero conjecturis opus quandoquidem locupletem bellicæ virtutis, qua Læticius enituit, nostrum lapidem testem habemus, ubi is semel, atque iterum militiæ donis auctus memoratur.

Jure itaque, ac merito Tribunatus munus obivit Læticius, qui etiam militaribus præmiis donari promeruit: Fuisse autem in militia præmia, quibus probata militum virtus ornaretur,

[*a*] De ling. lat. l. IV.

[*b*] De quo recte ambigit Lipsius De Rom. Milit. l. 2. Dial. 9. dum ita a Vellejo appellatum velit, ut a Plebejo, & Urbis distinguat, nisi forte Præfecturam Castrorum intellexerit.

[*c*] Præter Cæsarem, Plinium, aliosque Scriptores Ethnicos, itemque nostrum lapidem mox afferendum, qui Tribunorum Cohortium passim meminere, occurrunt etiam hi tum in Evangelio Joannis c. 18. 12. *Cohors ergo, & Tribunus*: tum in Act. Apost. c. 27. 31. *Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est Tribuno Cohortis, qui statim assumtis Centurionibus, & militibus decurrit ad illos*.

[*d*] Sat. 1. 6. 48.

[*e*] Munera, officia, insignia Tribunorum ex instituto exequitur Lips. l. l. cui addendus J. C. Macer in l. 12. D. *De Re Militar.*, ubi plura, quæ ob ignoratum J. C. locum, Lipsium fugerunt.

Digitized by Google

retur, aliorum verò, eo exemplo, excitaretur, contra verò ſupplicia ad improborum militum ſcelera coercenda, alioſque a flagitiis deterrendos, explorata ſatis res eſt: atque utrâque ſane re Romanorum Exercitus adeo valuere, ut certa victoriæ ſpes, quòcumque arma ferrent, nunquam eos falleret; hac enim *cura*, *& diligentia* (ut inquit Polybius) *cum circa præmia, tum circa pœnas in caſtris, merito etiam ſucceſſus militiæ apud eos felices, & illuſtres exiſtebant*: Bina præmia Læticio tributa noſter lapis commemorat, *Haſtam* nempe *Puram*, & *Coronam Vallarem*: quod igitur primum attinet, *Romani* (inquit Feſtus) *fortes viros ſæpe haſta donarunt*: quam proinde *donaticam* a Catone in Orat. quam habuit apud Equites, appellatam alibi notat idem Feſtus; & ſane præcipuum erat præmium, militi dari conſuetum, quod tamen non ut virtutis præmium, ſed ſummæ gratiæ argumentum dedit Claudius Cæſar Poſidi Spadoni, quem *etiam Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donavit* (*a*): Præcipuum, inquam, præmium, cum & Haſta potiſſimum, & antiquiſſimum fuiſſet armorum genus, quo veteres in bello uterentur, quin & Regiæ poteſtatis inſigne olim fuiſſe, & Diis ſacram & aliquando pro ipſo Numine habitam conſtat: Ea autem, quæ in militis præmium cedebat, *pura* dicebatur proptereaquod, cum non belli uſui, ſed viri ornamento eſſet, nullâ ferreâ cuſpide muniretur (*b*): quò verò de re, egregie geſta, eo præmio miles donari dignus haberetur, veteres non omnino ſibi conſtare videntur: ac Varronis quidem ſententiam habemus ex Servio, qui in illud Æn. 6. 760.

Ille, vides? pura Juvenis, qui nititur haſta

Pura, inquit, *ideſt ſine ferro, nam hoc fuit præmium, apud Majores, ejus, qui tunc primùm viciſſet in prælio, ſicut ait Varro in libris de Gente Pop. Rom.*: At hæc fortaſſe rei initia; nam non eam ejuſmodi præmii fuiſſe cauſſam manifeſtè convincit pluries Haſta ipſa uni militi donata, ut tum de aliis, tum de L. Siccio Dentato plane conſtat, qui (teſte Gellio 2. XI.), quum pugnaſſet in hoſtem CXX. præliis, inter alia præmia, haſtis duodeviginti donatus fuit: Itaque potius erit, ut Polybio aſſentiamur, qui eum quidem haſta ab Imperatore donari teſtatur, qui hoſtem percuſſerit, non quidem juſtâ acie, ſed qui in excurſione, aut velitatione, aut tali tempore, in quo nulla neceſſitas fuerit viritim periclitandi: Hinc haſtam promeruit Læticius, non quod in communi, & legitima pugna hoſtem cæſerit, non enim ibi ſingulorum militum manus torpere debebant, quod proinde haſtis donari infinitum fuiſſet, ſed quod extra ordinem, aut in ſingulari pugna præclarum quodpiam facinus edidiſſet.

Sed præter *Haſtam puram*, *Corona* quoque *Vallari* Læticius donatus: quod quidem priore præſtantius præmium habebatur, præclarioriſque argumentum facinoris: non una tamen, eademque, ſed plures merentium militum fuere Coronæ, variâ formâ, diverſâque materiâ contextæ pro quaque re geſta, a qua nomen recipientes inter ſe diſtinguebantur, ut præter *Ovalem*, ac *Triumphalem*, Corona *Civica*, *Obſidionalis*, *Muralis*, *Navalis*, ſeu *Claſſica*, *Roſtrata*, eaque, de qua heic agitur, *Vallaris*: Hanc, quam cum *Caſtrenſi* recte confundas, primùm frondeam fuiſſe teſtatur Plin. l. 16. 4.; Romuli tamen ætate, qui eam Hoſtilio, quod Fidenas primus irrupiſſet, impertitus fuit, tum ſcilicet, quum, conjunctâ ſimplicitati morum vitæ frugalitate, ſolius honoris præmio virtus contenta erat; at deinde cum ipſis Reip. finibus, prolatis etiam, ac veluti effuſis in cupiditatem animis ex auro fabricata donari cœpit: Formam habes ex Feſto: *Caſtrenſi corona donabatur, qui primus hoſtium caſtra pugnando introiſſet, cui inſigne erat ex auro vallum*: Unde merendi cauſſam quoque diſcis; merebatur enim miles, qui prior Vallum, quo Caſtra hoſtium muniebantur, conſcendiſſet, aut perrupiſſet; hinc Val. Max l. 18. loquens de Caſtris Lucanorum, & Brutiorum a C. Fabritio Coſ. expugnatis, *Poſtero*, inquit, *die cum Conſul inter honorandos, quorum ſtrenua opera fuerat uſus Vallarem Coronam ei ſe ſervare dixiſſet, a quo caſtra eſſent oppreſſa &c.* Ejuſmodi Coronæ meminit quoque Tertullianus, quam Chriſtiano militi geſtari nefas eſſe contendit (*c*): Sed nobis ſatis fuerit *Vallari* coronæ

[*a*] Sveton. in Claud. cap. 28.

[*b*] Pura Haſta, quia ſolo ligno ſine ferro conſtabat: Sic *purum* dicebatur argentum, quod non erat ſignatum, ut in nummis, vel cælatum, ut in vaſis, quæ vaſa *argenti puri* non ad indicandam argenti præſtantiam, ſed quod nulla in iis eſſet cælatura, vocantur a Plin. Epiſ. l. 3. 1. & Juvenal. Sat. 9. v. 141.: Sic etiam *purum* ſolum a Livio 1. dicitur ſpatium illud, quo Pomœrium conſtabat: *Quod* (ſcilicet) *neque habitari, neque arari fas erat*, ac demum *Pura* dicebatur Toga illa, quæ tota alba virum cum ætate faciebat, abjectâ illâ, quam purpurâ prætextam puer geſſerat: Sic Cic. Att. 9. 6. *Ciceroni meo cum Togam puram Arpini dare vellem &c.*

[*c*] De Corona cap. XII. *Eſt & alia militia regiarum familiarum: nam & caſtrenſes appellantur, munificæ & ipſæ ſolemnium Cæſarianorum*. Et poſtquam coronas omnes enumeraſſet, earumque formas, cauſſas, ritus, *& in omnibus* (inquit) *iſtis Idololatria in ſolo quoque ſenſu coro-*

rona Læticium donatum oſtendiſſe, quo illuſtriora ejus bellicæ virtutis argumenta haberentur, quibus ad Tribunatum uſque pervenire dignus fuerit; neque enim vulgare id, ut dixi, militiæ præmium olim fuit, dum Auguſtus [Svetonio teſte] dona militaria aliquanto facilius phaleras, & torques quicquid auro, argentoque conſtabat, quàm Vallares, & Murales Coronas, quæ *honore præcellerent dabat* (*a*).

Haud vero militiæ tantum Læticius claruit, ſed domi etiam, ubi plures Magiſtratus obivit, nam Ædilis, Quæſtor, IIvir Juridicundo, Præfectus Fabrum in eodem lapide inſcribitur: Municipales eos omnes Magiſtratus fuiſſe ſatis conſtat, ut proinde certò liqueat Beneventanum Civem Læticium fuiſſe, atque a Patriæ ſuæ Magiſtratibus inferioribus gradatim ad Duumviratum perveniſſe; indeque [quod mihi probabile magis fit] civilibus muneribus jam illuſtris, militiam ſequutus, fortiſſimi viri præmia, ac demum Tribunatum Legionis obtinuit.

Age nunc, de altero Beneventano Tribuno videamus, cujus Tribunatus nova honoris acceſſione auctus fuit: Lapis ita ſe habet.

CN. MARCIO CN. F. RVSTIO RVFINO PRAEF. CO
HORTIVM VIGILVM IMP. L. SEPTIMI
SEVERI PII PERTINACIS PRAEFECTO
CLASSIVM PRRETOAIARVM TRIBVNO CO
HORTIVM PRIMAE PRAETORIAE ET SEXTAE
VIGILVM TRIBVNO LATICLAVI LEGI
ONVM III CYRENAICAE III GALLICAE ET
. . . . . P. F. SALINATORIA AVGVSTINA
C. . . . . .

In hac poſtrema linea omnes detritæ ſunt litteræ ſola C. initio ſuperſtite, ex qua ita illam ſupplendam cenſeo: CONIVGI B. M. F., ſic etiam monente *Salinatoria Auguſtina*, quæ (uti ex altero lapide paullo inferiùs afferendo mox videbimus) ejuſdem Ruſtii fuit uxor: Sed, quod rem attinet, vides heic, non, ut antea Læticium municipalibus Magiſtratibus, mox militaribus donis inſignem, ad Tribunatum evectum, ſed hominem ab inferioribus militiæ ordinibus gradatim ad Tribuni Laticlavii officium conſcendiſſe: atque hæc quidem præcipua Romanæ militiæ diſciplina; qua bellica virtus tum maxime vigeret, cum altiora iis tantum paterent, quorum virtus minoribus in officiis probata, paulatim adoleſcens veluti in maturitatem pertingebat: Sic C. Marium *a Caliga ad Conſulatum perductum* dixit Seneca (*b*): Itaque Cn. Marcius Reſtius Rufinus non ex gregario quidem (quem tamen initio fuiſſe non inepte putabimus), ſed ex inferioribus muneribus ad ſuperiora pervenit: Primùm enim Præfectus Cohortium Vigilum Imp. Septimii; dein Prætectus Claſſium Prætoriarum, poſtea Tribunus Cohortium, primæ Prætoriæ,

coronarum, quibus omnia iſta redimita ſunt: Operi occaſionem dedit ſumma Chriſtiani Militis religio, qui cæteris commilitonibus Chriſtianis laureato capite Imperatorem adeuntibus *ſolus libero capite, coronamento in manu otioſo acceſſit*, unde Chriſtianum ſeſe prodens in vincula conjectus fuit, martyrio ſervatus. Fidei ſinceritatem conſtantiamque dignis laudibus effert Tertullianus, aliorum vero, qui coronas geſtarunt, ac univerſum omnium coronarum uſum Chriſtianis ſingulis, omnino damnat: At quæ fuerit Eccleſiæ diſciplina de Chriſtianis, qui caſtra ſequebantur, quidque iis tandem liceret, eruditè explicat V. C. Mamachius Orig. Chriſt. l. 2. c. 7. §. 1.

[*a*] At nonne Vallares coronæ item ex auro? Jam diximus: Hinc Lipſius l. l. Svetonii in Aug. c. 25. Lectionem emendat, ut illud *quàm* poſt coronas transferendum putet, ut ſit: *facilius phaleras, torques, quicquid auro, argentoque conſtaret, Vallares, ac murales coronas quam quæ honore præcellerent dabat*: Sed nihil ego mutaverim: non enim ſolam materiam ſpectavit ibi Svetonius, ſed honorem; qui quantus ejuſmodi coronis præ ceteris militaribus donis fuerit, ipſe Lipſius late docet: unde non quia aureæ, ideò inter minora præmia detrudendæ, nam in iis non aurum, ſed honos præcipuè ſpectabatur: hinc coronam Vallarem ab ea, quæ ſolùm aurea eſſet, diſtinctam invenio in lapide apud Gudium p. 186. n. 7. ubi Sex. Vibius Gallus dicitur *donatus ab. Imperatorib. Honoris. Virtutiſq. cauſſa Torquibus Armilis. Phaleris. Coronis. Muralib. III. Vallaribus II. Aurea I. Haſtis. Puris. V. Vexillis. II.*

[*b*] Seneca De Benefic. lib. v. c. XVI. Ideſt a gregario milite, & ab imis ordinibus gradatim ad Conſulatum uſque pervenit: Caliga enim gregariorum, ſeu manipulariorum militum propria; unde Imp. Cajo, Caligulæ nomen factum, quod (ut ait Sveton. c. 9.) *caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educatus fuit*: Satis igitur ex his intelligimus veterem lapidem apud Gruter. pag. 445. n. 9. ubi C. Oppius Baſſus dicitur OMNIBVS OFFICIIS IN CALIGA FVNCTVS.

Digitized by Google

toriæ, mox ſextæ Vigilum, denique Tribunus Laticlavius Legionis III. Cyrenaicæ, III. Galliæ, & Claudiæ Piæ Fidelis, uti Legionem tertio loco memoratam ſuppleo: at ſingula breviter percurramus.

Bis Vigilum militiæ Cn. Marcius præfuit, nam Præfect. Vigilum Imp. Severi, dein Tribunus Cohortis III. Vigilum dicitur; atque illud quidem mirum, aut etiam obſcurum (dum ſervatam velimus legem ex inferioribus ad ſuperiora officia conſcendendi), quod Præfecturam Vigilum unius eorundem Vigilum Cohortis Tribunatus ſubſequeretur: At quum non ea dicatur tantùm Præfectura Vigilum, ſed *Vigilum Imp. L. Septimii Severi*, diverſum aliquid, quam quod vulgares Vigiles ſpectet, adjectio hæc videtur ſignificare. Puto igitur, eam Præfecturam primo loco poſitam ad eam militum manum commodè referri poſſe, quos Imperator ad ſui corporis cuſtodiam adhibebat, quique novo, ſed haud improprio vocabulo Vigiles fuerunt in lapide appellati: nota autem res eſt, ac cum ipſis, ut credere par eſt, Regum initiis exorta, ut circa ſe Princeps tum ad ſui cuſtodiam, tùm, ut ad ſua juſſa ſtatim exequenda paratos haberet, certâ ſelectorum militum manu aſſiduò ſtiparetur: Romano Imperio auctor ipſe Romulus ejus rei exemplum reliquit, nam trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellavit, non ſolum in bello, ſed & in pace habuit, qui in Urbe ſibi quaſi corporis cuſtodes armati apparerent, & miniſtratorum vice mandata ejus exequerentur, in bello autem protectorum munus, & propugnatorum ſuſtinerent (*a*): Hinc Cæſar qui prior Reip. libertatem oppreſſerat, eum Regium morem reſtituit, inſtitutis circa ſe Hiſpanorum militum cum gladiis inſpectantium cuſtodiis (*b*); ſervavit autem Auguſtus (*c*), retinueruntque ſucceſſores Cæſares, quin etiam Auguſtis Fœminis conceſſum; nam Nero excubias militares, quæ Agrippinæ, ut conjugi Imperatoris olim, tum & ut Matri ſervabantur, & Germanos ſuper eundem honorem cuſtodes additos digredi juſſit (*d*): De hoc itaque militiæ ordine Præfectura Vigilum primo loco memorata intelligi poteſt; ſiquidem qui cuſtodes Urbis, de quibus mox dicam, Vigiles ſunt appellati, nonne iidem Cuſtodes Cæſaris, Vigiles quoque audire potuerint? Quum enim Vigilum, qui ad Urbis cuſtodiam pertinebant, jamdiu auctor Auguſtus, jam nil de iis ad Severum, cujus peculiares Vigiles haud alios fuiſſe conjectabimus, quàm qui cuſtodiendi ejus corporis munere fungerentur. Neque demum obſtat, Prætorianos milites ad eam rem inſtitutos; hi enim licet ex reliquis militum ordinibus ſelecti, proximioreſque Imperatori aſſiſterent, itaut ſtationem in Urbe ſoli haberent, eumque ad Bella prodeuntem ſequerentur, falſum tamen eſt, peculiare, ac proprium cuſtodiendi corporis munus apud ipſoſmet Prætorianos fuiſſe, nam Auguſtus, qui Prætorianam militiam inſtituit, præter eam, alios ſibi cuſtodes adlegit, idque ſervatum ab aliis Imperii ſucceſſoribus, ut paullo ante ex optimis auctoribus manifeſtum fuit, ac certum quoque de ipſo Imperatore Severo dicendum videtur; Is enim, ut ait Spartianus, quum Romam veniſſet, *Prætorianos cum Subarmalibus inermes ſibi juſſit occurrere, eoſdem ſic ad Tribunal vocavit, armatis undique circumdatus, ingreſſus deinde Romam armatus cum armatis militibus Capitolium aſcendit*: Quo Spartiani loco nedum id confirmatur, alios a Prætorianis fuiſſe Cæſarum Cuſtodes, verum etiam lux noſtro lapidi affunditur, ut qui fuerint Vigiles *L. Septimii Severi* in eo memorati, veroſimilius intelligatur; ii nempe milites, quorum ingentem copiam potius ad ſui nutum, tutelamque, quàm ad Urbis cuſtodiam primus inſtituit Severus; quod certum omnino videri poteſt, dum eundem Severum filios ad concordiam hortantem ita apud Herodianum lib. 3. loquentem audiamus: *Poſſe eos ſecurè agere, ſi velint, pecunia multa a ſe parata, & copiis iis, quæ Romæ ſunt, in quadruplum auctis, tantoque exercitu ad Urbem ſedente, ut nulla externa vis par eſſe poſſit, ſive multitudinem ſpectes, ſive corporum magnitudinem, ſive cultum, & abundantiam.*

Sed miſſis Vigilibus hiſce, notiſſimos alios Vigiles inſpiciamus, quorum ſextæ Cohorti Cn. Ruſtius Tribuni munere præfuit: De his præſtat audire J. C. Paulum (*e*): *Apud vetuſtiores* [inquit] *incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti ſunt. Fuerunt & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede, vel gratia extinguerent; Deinde Divus Auguſtus maluit huic rei per ſe conſuli, nam ſalutem Reip. tueri nulli magis credidit convenire, nec alium ſufficere ei rei, quàm Cæſarem: itaque ſeptem Cohortes opportunis locis inſtituit, ut binas Regiones Urbis unaquæque Cohors tueatur, præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili viro, qui Præfectus Vigilum appellatur.* Ex hoc itaque Pauli loco Vigilum Auctorem, cauſſamque perſpectam habe-

[*a*] Livius l. 1. 16. & Dionyſ. l. 2. pag. 86.
[*b*] Svetonius in Jul. cap. 86.
[*c*] Id. in Aug. cap. 49.
[*d*] Tacit. *Annal. lib.* 13.
[*e*] In lib. ſingul. De Offic. Præfecti Vigilum quem habes in leg. 1. & 3. Dig. eod. tit.

Digitized by Google

habemus; quòd vero incendia alterius culpâ, aut certe dolo evenire poſſent, atque inſuper quum ex ejuſmodi excubiis, ea de cauſſa inſtitutis, optime etiam conſuli poſſe videretur contra nocturnos fures, atque effractores, paulatim Præfecturæ Vigilum munus ampliatum, ac tributa juriſdictio, itaut contra eos, qui incendio cauſſam dediſſent, Præfectus cognoſcere, pœnamque ſancire, fureſque nocturnos inquirere, vinculis mancipare, ac punire quoque poſſet, ac de cæteris aliis juriſdictionem exercere, quæ Paulus citato loco recenſet, gravioribus duntaxat criminibus, quorum capitale eſſet judicium, ad Præfecti Urbi Tribunal ſervatis (*a*). Pauli autem teſtimonium mirè confirmat Romanus lapis apud Fabrettum (*b*),

IMP. CAES. M. AVRELIO
ANTONINO. AVG. SEVERI
AVG. N. FILIO. PARTH. MAX
TRIB. POT. VIII. COS. II
COH. I. VIC
ANTONI
NIANA
CN. RVSTIVS RVFINVS PRAEF. VIG
TI. CLAVDIVS MARCELLINVS
TRIB
C. IVLIVS INGENVVS 7
C. VALERIVS VICTOR 7
C. IVLIVS QVINTINVS 7
C. MANGILIVS IVVENIS 7
C. CAECILIVS SEVERVS 7
T. FLAVIVS INGENVVS 7
M. AVRELIVS FLORIANVS 7
CVM COMMANVCVLIS SVIS

quem

[*a*] Ex conſtitutione Impp. Severi, & Antonini in l.ult. Dig. eod. tit. nec non Arcadii, & Honorii in l.un. Cod. eod.tit.: unde intelligimus, non ſatis amplam ejus muneris fuiſſe aut dignitatem, aut exiſtimationem, quod rectè Caſſiodorus expreſſit in formula Dignitatis Præfecti Vigilum *lib.7. cap.7. Variar.* eundem ſic alloquens: *Mediocrem Dignitatem regis, & in ſumma opinione verſaris: Cuſtos Romanæ Civitatis diceris, quando eam ab inteſtino hoſte defendis*: Neque etiam Vigiles ipſi ad reliquæ militiæ decus pertingebant, ſive perſonas ſpectes, quas libertinæ conditionis ab ipſo Auguſto delectas notavit Svetonius c. 25.; ſive demum inſtitutionis, quam ſuperius audivimus, cauſſam; unde; quum potius miniſterii, quàm militiæ cauſſa Vigiles haberentur, facile fuit, ut a reliqua militia ſpernerentur, ac *Sparteoli* per contemptum vocarentur, quo vocabulo ipſi Vigiles etiam apud Scriptores intelliguntur, ſic enim eos dixit Scholiaſtes Juvenalis Satyr.14. v.305. & Tertullian. Apolog. cap.39. ajens: *Ad fumum cœnæ Serapicæ Sparteoli excitabuntur*: Satis autem acutè de more Scriptor Afer Serapicæ illius cœnæ apparatum expreſſit, nam cum magnum convivium non ſine magno igne paratur, inde incendii metus, ad quod reſtinguendum Sparteolos dixit excitari.

[*b*] Inſcript. cap.4. pag.260. Ad inſignem hunc lapidem nihil Fabrettus, quem Pauli teſtimonio de numero, ac variis muneribus in Vigilum militia olim ab Augugo inſtitutis mirè reſpondere jam dixi: Habetur enim noſter Ruſtius *Spectabilis Præfectus* Vigilum nullâ Cohortis adjecta mentione, propterea quod omnibus ipſe præeſſet; deinde ſequitur Ti. Claudius Marcellinus Tribunus, intellige Coh. I. Vig. quam initio memoratam habes; mox Centuriones ſequuntur propriis nominibus inſcripti *cum Communculis ſuis*, quo raro, ſed non abſurdo vocabulo *Communipuli* heic appellantur, non a Fœni manipulis, quos pro Centuriarum ſignis Romulum adhibuiſſe plerique aſſerunt, ſed a *manu*; manum autem vix crediderim voci originem dediſſe ex eo, quod *junctis manibus manipulares dimicarent*, ut docet Vegetius l. 2. c. 13. ſed potius, quod manus ipſa multitudinem ſignificaret, ut Æneid. VI. 5. *Juvenum manus emicat ardens*: Hinc optime Varro l.4. de l. l. *manipulos*, inquit, *exercitus minimas manus, quæ unum ſequuntur ſignum*: quæ autem minimæ manus eſſent, ideſt ipſius manus, ſeu univerſæ multitudinis partes, rectè diminutivo nomine *manuculæ*, atque in lapide *communculi* pro *communipulis* dicuntur; Communculorum autem nomina omnia per ſingulas centurias diſtributa in utroque ejuſdem lapidis latere inſcripta leguntur, affertque Fabrettus, in quibus duo notatu digna ſunt, quod nempe cujuſque Centuriæ initio ſuis quique muneribus per notas præſignantur *Quæſtores*, *Aquiliferi*, *Optiones*, *Teſſerarii*, *Statores*, *Vexilliferi*, *Signiferi &c.* ac præterea iidem, reliquique omnes Communculi *vocandi* caſu inſcripti leguntur: qua in re (non enim vocativus caſus ullo modo lapidi congruit, cui primus inſcribi debuit, vel ſaltem ultimus, ut militum nomina *cum communculis ſuis* concordarent) quadratarii oſcitantiam ſuſpicari licet, qui fortaſſe cum eorum militum nomina, ut in cenſu agendo ſinguli a Tribuno, vel Præfecto vocari ſolebant, tradita habuiſſet in eo lapide inſcribenda, quod duntaxat pro ipſorum nominum notitia datum fuerat, nimis fida deſcriptione in ipſum ladidem retulit: Sed pauca hæc ad hunc & mole, & pretio inſignem lapidem obſervaſſe ſufficiat, quod Cn. Ruſtii Rufini Popularis noſtri memoria, atque dignitas poſtulabat.

Digitized by Google

quem ſane lapidem haud otioſum fuit hùc afferre, dum in eo ipſiuſmet, de quo modo agimus, Cn. Ruſtii Rufini memoria occurrit: neque enim alium a noſtro, quem Romanus lapis memorat, dubitare ſinunt eadem, ac in noſtro lapide nomina, eademque temporis nota; quum enim in noſtro lapide Cn. Ruſtius Rufinus Præfectus Cohortium Vigilum Imp. Severi dicitur, jam in Romano Cn. idem Ruſtius Rufinus eâdem Præfecturâ Vigilum inſignis monumentum ipſum Antonino, ſeu Caracallæ, ejuſdem Severi filio, ac anno CCV. etiamdum viventis Patris in Imperio conſorti dedicavit. Sed jam ex inferioribus hiſce muneribus ad ſuperiora cum ipſo Cn. Ruſtio conſcendamus; eique demum de Legionis Tribunatu gratulandum erit: Trium ipſe Legionum, nempe III. *Cyrenaicæ*, III. *Gallicæ*, ac *Claudiæ* P. F. non modo Tribunus fuit, ſed etiam Tribunus *Laticlavius*: quod vero ternis legionibus ipſe præfuerit, non id uno ſimul tempore factum fuit, dum ſcimus a Trajani, imo & Domitiani ævo Tribunatum ſemeſtrem fuiſſe, ut ex Juvenale Satyr. 7. & Plinio Ep. l. 4. aliiſque paſſim diſcere eſt; Poſtquam igitur Cn. Ruſtius Legionis III. Cyrenaicæ, ac dein III. Gallicæ Tribunatu functus fuit, ad tertiæ demum Tribunatum promoveri meruit; unde & *Tribuni Laticlavii* honorem fuit aſſequutus: Latumclavum Senatorii Ordinis inſigne fuiſſe nemo neſcit, ad militiam vero translatum nonnihil honoris caſtrenſibus muneribus addebat; Hinc inter Tribunos legionum ortum diſcrimen, ut alii *Laticlavii*, qui ex Senatorio ordine, alii *Anguſticlavii*, qui ex Equeſtri eſſent; Poſteriorum meminit Svetonius (*a*), dum Svetonii Lenis ſui Patris decus exequitur, quod Vitelliano bello tertiædecimæ Legionis Tribunus Anguſticlavius fuiſſet; Priores ex Svetonio eodem (*b*) habemus, dum tradit, Auguſtum Senatorum liberis protinus a virili toga Latum Clavum induere permiſiſſe, militiamque auſpicantibus non Tribunatum modo legionum ſed & Præfecturas alarum dediſſe. An vero Cn. Ruſtius ex Senatoria familia? vel in Romanum Senatum, cui Laticlavi inſigne, ſeu cenſu, ſeu Principis gratiâ adlectus? vix puto: Sola militia hunc honorem ei peperit, ut in ampliſſimum ordinem jure cooptaretur; Sic eos, quos Variana Clades conſumpſit, *Senatorium per militiam auſpicantes gradum* dixit Seneca ep. 7., cui addendus Epictetus (*c*) *tertiam militiam* ad Senatorii ordinis aſſequenda jura emerendam commemorans, id eſt Tribunatum cuique tertiò, ut Senator fieret, ex inſtituto Auguſti agendum; quod Cn. Ruſtium feliciter impleſſe ex noſtro lapide ſatis conſtat.

Reſtat modo, ut, ſi qua ſint alia Cn. Ruſtii monumenta hùc afferamus: Extat quidem Beneventi antiquus de noſtro Ruſtio lapis in hæc verba (*d*)

RVSTIAE SA
BINAE QVAE
VIXIT AN. VII
MENSIBVS X I
DIEBVS II
CN. MARCIVS
RVSTIVS RVFIN
PATER TR. COH
VI. VIGIL. ET
SALINATORIA
AVGVSTINA
MATER FILIAE
DVLCISSIMAE

[*a*] In Ottone c. x. [*b*] In Auguſt. c. 38.

[*c*] Lib. 3. Diſſert. 26.: *Si militavero*, inquit, *liberabor malis omnibus: militat igitur, fert ea, quæ ſervus aliquis verbero: ac nihilo ſecius alteram, tertiamque militiam poſtulat; deinde cum ipſum Colophonem impoſuerit, & factus fuerit Ordinis Senatorii, tunc incipit Servus eſſe; cum in curiam ingreditur, puleberrimam ſervitutem ſervit.*

[*d*] Affert quoque hunc lapidem Gruterus pag. 559. num. 1. ubi lineâ undecimâ pro *Salinatoria*, ut certè habet

Titulum hunc ſepulcralem filiæ ſuæ Ruſtiæ Sabinæ dedicavit Cn. Ruſtius cum Salinatoria Auguſtina Conjuge, eâdem nempe ipsâ, quæ in primo noſtro lapide memoratur: In hoc verò lapide Cn. Ruſtius dicitur dumtaxat Tribunus Coh. VI. Vigilum, nam eo anno, quo ejus filia ſeptennis deceſſit, nondum ad Tribunatum pervenerat: Ex hoc autem ſepulcrali titulo ſatis liquet, Cn. Ruſtium domo Beneventanum fuiſſe, cujus filia Beneventi obiit, Conjux ibidem conſedit, quæ tandem eidem Ruſtio viro ſuo inſigne monumentum illud, de quo hactenus diſſerui, ſuperſtes dedicavit.

Sequitur modo Tribunus alter Laticlavius, qui non modo tempore, ſed etiam dignitate, ut videtur, Cn. Ruſtium præceſſit. En lapidem.

C. VMBRIO PRATORIO
CANDIDATO LEGATO
PROVINCIAE AFRICAE DIOE
CESEOS HIPPONENSIS
ADLECTO INTER PRAET. A
DIVO COMMODO ET IN
TER PATRICIOS TRIB
LATICL. LEG. V. MACED
XVIRO STLITIB. IVDIC
OB SINGVLAREM ERGA PA
TRIAM CIVISQVE ADFEC
TIONEM P. D. D.

De hoc inſigni lapide plura me diſſeruiſſe memini, quum de Magiſtratibus agerem Diſſert. IV. ubi viri nomen a mendis expurgatum reſtitui, ac præterea Dioeceſis vocabulum pluribus obſervationibus illuſtravi: quod hùc attinet, præter Tribunatum Laticlavium, quo Pratorius in Legione quinta Macedonica functus eſt, de quo munere ſuperius egi, Legatum etiam Provinciæ Africæ fuiſſe conſtat: Legati autem in militia Romana ſupra Tribunos fuerunt, quippe qui in Provincia vicariam operam Imperatori, ſeu Proconſuli præſtantes, juriſdictionem, ac Imperii inſignia obtinebant. Sub Principibus quidem duo erant Legatorum genera, *Conſulares*, & *Prætorii*; quod primus invenit Auguſtus, qui quum unus ipſe Imperator jam eſſet, rem per Legatos adminiſtrabat: Conſularis Legatus toti exercitui, Prætorius legioni uni præſidebat (*a*). At cum Pratorium noſtrum *Candidatum Legatum* audis, Principis Candidatum intellige, qui illum ad *Legationem* promovendum curavit. Notum illud Taciti de Tiberio (*b*), *ut Legionum Legati, qui ante Præturam ea militia fungebantur, jam tum Prætores deſtinarentur; Princeps duodecim Candidatos in annos ſingulos nominaret*: quod tamen haud Tiberius initio ſibi arripuit, neque etiam ipſe Commodus, itaut Legatio ad Præturam gradus maneret; hinc poſtquam Pratorius Legatione defunctus fuiſſet, tunc demum a Commodo inter Prætorios, ac mox inter Patricios fuit adlectus: Jure igitur, meritoque Civi adeo illuſtri, cui etiam *ſingularis erga Patriam, civeſque ſuos adfectio fuit*, monumentum hoc P. D. D. ideſt Publicè Dedicatum, vel Poſitum Decreto Decurionum fuerit.

Non unus autem fuit Pratorius, qui Legati munere, Prætoriæque ſubſecutæ Dignitatis ſe ipſum, Patriamque ſuam illuſtravit; Alterum enim Clariſſimum Virum pari munere, Dignitateque præclarum ex hoc noſtri lapidis fragmento prodire jam videbimus.

....F.

bet lapis, mendosè ſcriptum fuit: *Sabina Toci F.* quamquam ex Codice Redii inferius notatum ſit: *Salinatoria*; quæ vera eſt lectio, quam noſter principalis lapis confirmat, ubi *Salinatoria Auguſtina* Cn. Ruſtii conjux diſertè habetur.

[*a*] Videſis Lipſium de Rom. Milit. l. 2. Dial. 12. ubi latè de Legatis militaribus.

[*b*] Annal. lib. 2.

Digitized by Google

. . . . . F. CLASSETIVS
. . . . . RATVS
C. V. NATVS IIII IDVS . . . . .
VALERIO LARGO ET MES
SALLINO COS. VITA FVNC
IDVS APRIL. IMP. ANTONI
NO III COS
VIXIT ANNIS LXI. MEN
SIBVS VI. D. XXIII
IMP. SEPTIMIO SEVERO
COS. ADLECTVS inter
PRAETORIOS A Divo Commodo
. . . . . .

Commodi nomen ſupplendum cenſui, haud quidem ſuperioris lapidis exemplum, ſed omnino hujuſce Inſcriptionis tempus ſequutus; Conſtat enim hunc noſtrum Claſſetium natum M. Valerio Largo, & M. Valerio Meſſalino Coſ. ideſt ann. 147., mortuum vero Imp. Antonino Coſ. III. ideſt an. 208. (quod rari quidem erit exempli, ut annus natalis, ac emortualis in ſepulcralibus titulis notetur, quos cum heic ſupputabis, jam annos vitæ LXI. in lapide dein inſcriptos integros habebis); Antoninum autem non alium, quàm Baſſianum, ſeu Caracallam intelligendum diſertè monent, tum priorum Conſulum, quo Claſſetius natus eſt, annus, tum poſterior Imp. Septimii Severi ejuſdem Caracallæ Patris Conſulatus, qui ſine ullius numeri adjectione notatus, ejuſdem primus ſtatui debet (*a*) : Quem igitur, (dum temporis ratio, quo Claſſetius floruit, habenda erit) Divum hunc putabimus, niſi Commodum? quem Severus in Imperio mox eſt ſequutus, ac, teſte Spartiano, non dum in Senatu, & concione laudavit, verum etiam *Deum appellavit* : At nihil in lapide de Legatione Claſſetii, qui tantum inter Prætorios a Commodo adlectus memoratur : Extremas lapidis lineas tempore detritas deſideramus, in quibus Legationis munus fortaſſe erat, quod tamen recte conjicimus antea geſtum, dum Prætorium habemus Virum, cui, ut diximus, ad eam dignitatem rite aſſequendam, Legatio debuit eſſe gradus.

Age nunc, dum ſemel Legionis munera recenſere inſtituimus, poſtquam de Legatis, Tribuniſque actum eſt, haud quidem laude ſua fraudandi erunt Beneventani *Primopili*, *Centuriones*, *Signiferi*. De Primopilo extat hic lapis

L. FVLIONIO L. F. STEL. SEVERO
PRIM. PIL. LEG. X. GEM. . . . .
. . . . . .

Ubi primùm vides quam bellè a noſtro lapide, Ciceronis exemplo, tranſactam litem de Primipili, aut Primopili ſcriptione ſervanda, nam ut ille, teſte Tirone apud Gellium (*b*), orta quæſtione an *Tertio*, vel *Tertium* Conſul ſcribendum, Pompejo, de cujus tertio Conſulatu inſcribendo in titulo Ædis Victoriæ agebatur, auctor fuit, ut TERT. ſcriberetur, ita ſane noſter lapis cum PRIM. PIL. adhibuiſſet, inter veteres ipſos, qui alterutro modo ſcribendum vocabulum contendebant, quæſtionem ſuſtuliſſe viſus eſt : Primopilus autem, (a quorum militari munere, omnino diverſum miniſteriale illud *Primopilorum*, qui ſequiore ævo militibus

[*a*] De anno primo Septimii Severi Conſulatus, quem is adhùc privatus geſſit, ex Faſtis non conſtat; Certum vero eſt, vivente Commodo Conſulem primùm fuiſſe : Sic enim de ipſo Severo Spartianus : *Conſulatum cum Apulejo Ruffino primum egit, Comodo ſe inter plurimos deſignante*. Nec refert, quod in lapide Severus ipſe Imperatoris titulo donatur, neque enim aliter dicendus erat, quando lapis dedicatus fuit, quamquam Conſulatum privatus antea geſſerat.

[*b*] Lib. X. cap. I.

Digitized by Google

bus annonam distribuebant (*a*)) magnum & vetustum in Romana militia munus, sed non satis antiquum vocabulum, ut falsò putavit Lipsius (*b*) : quale fuerit ejusmodi munus præstat ex Dionysio audire, qui de Flavolejo Primopilo hæc habet l. IX. : *erat vir plebejus genere, sed virtute nobilis, & bello bonus, atque ab ea utraque splendidissima dignitate in una legionum, illustri ornatus Imperio ; cujus ductum, & jussa sexaginta Centuriæ cum suis manipulis sequi lex jubet ; quos Duces, Romani patrio sermone, Primopilos vocant*. De nostri Fulionii genere omnino latet, at & ipsum *virtute nobilem, belloque bonum* quæsita Primopili dignitas certo arguit. Satis autem ex Dionysio habemus Primopilum toti legioni, quæ sexaginta Centuriis constabat, præesse, post Tribunum quidem, at vero ante Centuriones, quorum ipse Princeps, unde & Primus Centurio, & Centurio Primi Pili nonnunquam vetustis scriptoribus appellatur.

Ad Centuriones itaque, qui Primopilos subsequebantur, descendamus: Binos ex nostris prodidisse satis erit, quorum alter hoc lapidis fragmento palmaribus prope litteris inscripto legitur.

. . . AVIDIENO T. F. STEL. LEG. . .
. . . . . CENTVRIONI . . . . . .
. . . . . DECVRIONI . . . . . .

Alter vero hactenus ignoratus V. C. Muratorii diligentiâ (*c*) ex remotissimis Transilvaniæ oris nuper ad suos postliminii jure rediit.

SEX.

[*a*] Impp. Diocl. & Max. in l. 1. Cod. Just. De Conditione ex lege : Imp. Constantius in l. 6. Cod. Theod. de Cohortalibus, & Primipilaribus. Imp Leo l. 27 Cod. Just. de Episc. & Cler. Vide titulum Codicis Just. de Primipilo lib. XII. tit. 63.

[*b*] Lipsium l. 2. Dial. 8. Livii locus decepit lib. 2. *Populus dedicationem Ædis dat M. Prætorio Centurioni Primi Pili*, ubi subdit : *quæ vetustissima ejus mentio in Livio, & statim a parta libertate, ut appareat hunc ordinem vel hoc testimonio perpetuum Romæ fuisse* : At Livius de ordine ibi loquitur, quem cum ipsa Romana militia ortum quis dubitabit ? at non omnia simul cujusque militaris ordinis nomina simul inventa, multa etiam mutata : de recenti Primipili nomine, quod vetustiori ordini inditum fuit, non alium appello testem, quàm eundem Livium, qui lib. VII. c. 41. de Q. Salonio inquit : *Primus Centurio erat, quem nunc Primipilum appellant* : itaut priore loco eodem vocabulo per prolepsim sit usus.

[*c*] Exhibet hunc lapidem Muratorius p. 842. n. 4. cum hoc titulo : *In opp. Ostro. Comitatus Hadzzeg in Transilvania : misit Apostolus Zeno ; edidit etiam Marchio Maffejus* : ac, recitato lapide, mox subdit : *Beneventani adscripti fuere Tribui Stellatinæ : in 4. linea lege* : Centurio Legionis quartæ Flaviæ Felicis, seu Fidelis Tertiæ Hastatorum, *sive* Hastatus : *In quinta linea lege : Hoc ordine : in decima legendum* : Undecima Claudia Pia Fideli Prima Minervia Pia Fideli : *Hic etiam Eques Romanus creatus fuit : In postrema linea P. Duellius Canonicus Regularis legit has siglas*, nempe P. S. B ST. TI. *Verum præferenda est lectio Zeni, quam etiam dedit Marchio Maffejus*. Hactenus Muratorius, cujus explicationes paullo explicatius perpendere oportet ; utque a postremo ordiar, reiiciendam omnino Duellii lectionem facile assentior, tum fide VV. CC. Zeni, & Maffeii, tum ex insuetis siglis, quas mendosè Duellius obtrudebat, dum contrà sigla, illa H. S E. S. T. T. L. quæ retinemus, aliorum lapidum exemplis promptum sit explicare : *Hic Situs Est. Sit Tibi Terra Levis*, ut habes apud Fleetwood p. 215. n. 2. vel si mavis : *Hic Situs Est Sibi Titulum Testamento Legavit* : At hæc quidem levia ; verendum potius, ne in linea XI. & XII. mendum aliquod, ut videtur, irrepserit : certe lin. XII ; ubi post lacunam adest numeralis nota XVIIII. annos, menses, dieşque vitæ inscriptos fuisse suspicor ; Inanis autem est Muratorii observatio, quod noster Pilonius *etiam Eques Romanus creatus fuerit* ; ut nempe Equestrem dignitatem civilem obtinuerit. Non enim de *civili* equite, quem solus census faciebat, sed de militari heic agitur, nempe eo, qui in militia *equo publico* merebatur : Hoc Equitum discrimen satis vulgatum : Sic Cicero, qui passim Romanos Equites memorat, ubi militares intellectos velit, *equo publico* addit : Philip VI. *Altera statua est Equitum Romanorum equo publico* : In equestri igitur militia Romana noster Pilonius stipendia facere cœpit, quumque equo publico meruisset, ob bellicam virtutem, qua illustris fuit, tandem ad Centurionis munus promoveri dignus fuit ; ita enim lapidem explico, ut quod sit Centurionis munus primo memoratum extremus Pilonio fuerit in militia gradus, atque in hunc sane ORDINEM (quod militare vocabulum heic omnino accipiendum est) pervenit, ut primum scilicet in equestri militia in quatuor gradatim legionibus (nam legionum altera alteram dignitate præstabat) stipendia fecerit, exindeque Centurionatum accepit Legionis IIII. Flaviæ Felicis III. Hastatorum, idest Centuriæ tertiæ Hastatorum ; Hastati autem secundum militiæ ordinem in quaque legione constituebant, ubi primi Velites, deinde Hastati, tum Principes, ac postremo Triarii erant, ut vulgò notum.

Digitized by Google

SEX. PILONIVS
SEX. F. ..... STE. MODE
STVS BENEVENTO
7. LEG. IIII. F. F. III. HAS
POST. ANN. XXX. H. OR
DINE ACCEPIT EX
EQVITE ROMANO
MILITAVIT IN LEG
VII. C. P. F. ET. VIII. AVG
XI. C. P. F. MINER. P. F.
STIPENDIO CENTVRIO
NI CI. XVIIII
H. S. E. S. T. T. L.

Hujus lapidis explicatio adverſæ paginæ ſubnotata eſt; illud autem heic obſervaſſe præſtabit, quæ nempe fuerit ratio illius notæ, quâ Centuriones in antiquis lapidibus paſſim ſculptos, ſignificatoſque videmus: Rarò enim Centuriones ſuo vocabulo ſcriptos invenies, ut in noſtro priore lapide, nam in poſteriore, de quo agitur, licet Pilonius *Centurio* in XII. linea dicatur, cernis autem lineâ quartâ, ubi ejus muneris præcipua mentio, ſuetam notam ex ſolenni more fuiſſe adhibitam: Ac Lipſius quidem (*a*) ex Vite, quæ Centurionum inſigne erat, ortam notam illam arbitratur, quæ in *modum Vitei flagelli curvatur*: non omnino ſpernenda ſummi Viri conjectura; ſed adhùc major lux ex Vegetio (*b*), qui *Centuriones tranſverſis Caſſidum criſtis literas habuiſſe* ſcribit, *ut facilius noſcerentur*: quid vero ibi ſcriptum? Fortaſſe, (quæ Sponii conjectura eſt) ſignum illud, quod Centurionis nota erat, addito Cohortis, ſeu Centuriæ ordine, ac numero: veriſimile id quidem; adhùc tamen ejus notæ, quæ ad Centurionem ſignificandum adhibebatur, origo, atque cauſſa in obſcuro eſt; Mihi quidem eam notam, ut in lapidibus ſculpta eſt, nondum oculis ſpectare contigit, quam tamen lapidum omnium exemplaria ita exhibent, ut noſtro numero ſeptenario 7. a Barbaris ſera ætate invecto reſpondere videatur: Nihil itaque de eodem numero in ea nota expreſſo cogitandum, ſed potius litteræ C. inverſæ formam agnoſcendam putaverim, qua ipſum Centurionis vocabulum exprimeretur; Notiſſimus eſt in antiquis lapidibus ejuſdem litteræ inverſæ uſus, ut mulieres, quæ Cajæ prænomine gauderent, intelligerentur, nam qui Caii erant viri per conſuetum C., mulieres vero per Ↄ. ſcribebantur: An igitur nota illa Centurionis, quæ ad ipſam Ↄ. accedebat, vel etiam præferebat (*c*), ad ſervandum diſcrimen aliquod, aut ad eos, ut inquit Vegetius, *facilius noſcendos* in morem recepta? At de Centurionibus ſatis: De Signiferis autem poſtremo capite hujus Diſſertationis opportunior ſermo erit.

Præſtat modo, ex Legionaria militia, quæ tota Civium Romanorum erat, ad Auxiliares,

[*a*] De milit. Rom. l. 2. dial. 8. & rurſus l. v. dial. 18. *Centurionum dignitas* (inquit) *notatur bifurcata, aut incurva vite*: Vitem autem Centurionis inſigne fuiſſe ſexcenti Scriptores teſtantur, unde paſſim *Vitis* vocabulum pro ipſo *Centurionatu* abſolute uſurpabatur; Ut Faſces majoribus Magiſtratibus adhibebantur, quibus ſupremi Imperii jus erat, ita Vitem Centurionibus geſtatam puto, qua mediocre aliquod Imperium iis quoque eſſe deſignaretur: certe, ut Magiſtratus Bacillis, & Securi, ita Centuriones Vite jus coercendi habebant: Pulcrum illud Taciti Ann. 1. *Centurio Lucillus interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum* cedo alteram, *indiderant; quia fracta vite in tergo militis alteram, in alteram paſcebat*: Summam ejuſmodi Viti reverentiam milites præſtare tenebantur, nam (ut ait J. C. Macer. l. 13. §. 4. *De Re militari*) miles, *qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtitit, ſi vitem tenuit, militiam mutat, ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur*.

[*b*] De Re Milit. II. 13.

[*c*] Certe Centuria per inverſum Ↄ. notatur in lapide apud Grut. pag. 561. num. 11. & altero apud Fabrett. pag. 668. niſi & heic ſit ipſe Centurio: Contra vero Caja per 7. occurrit apud Gudium pag. 353. n. 14. & eund. Grut. pag. 150. num. 4. quamquam in eodem lapide apud Fabrett. pag. 406. ipſum 7. ad Ↄ propiùs accedat: ut videas rem tum marmorariorum, tum deſcriptorum arbitrio ſæpe mutatam, itaut planior æque, ac veriſimilior mea interpretatio videri poſſit.

Digitized by Google

liares, ſive Sociales copias gradum facere, quæ etſi *Extraordinariæ*, perpetuam tamen, neque numero, neque viribus contemnendam, Romani exercitus portionem conſtituebant; In iis enim Beneventani non defuere, qui militaribus muneribus claruerunt: Ex hoc inſigni lapide res ſatis conſtat.

C. OCTAVIO C. F. PAL. MODESTO
AVG. IIVIR. I. D. QVAEST. ĪĪ
PRAEF. FABR. ROMAE . PRAEF
COH. II. PANNONIOR. PRAEF
COH. III. ITYRAEOR . TRIB. MIL
LEG. IIII. SCYTHIC. CVRAT. REI
P. AECANOR. ITEM, HONORA
TO, AD . CVRAM , CALENDARI
REIP. CANVSINOR. A . DIVO TRA
IANO . PARTHICO . ET. AB. IMP. HA
DRIANO . AVG. HIC OPVS QVADRI
GAE CVM EFFIGIE IMP. HADRI
ANI AVG. CITRA VLLIVS POSTV
LATION. CVM . MVNICIPIBVS
SVIS. OBTVLISSET. EX , ARGENTI
LIBRIS . ∞, ADIECTIS AMPLIVS
LIBRIS . ↁVII. VIRITIM . PO
PVLO ⅁ SING. DISTRIBVTIS
DEDICARI, CAVIT *ſic*
P. D. D.

Mitto heic de ſacro Auguratus, aliiſque civilibus C. Octavii Modeſti muneribus dicere, ut quoque ejus Tribunatum in Legione IIII. Scythica geſtum haud moror, ſatis enim de hiſce rebus alibi a me tractatio inſtituta fuit: Ad Præfecturas quod attinet, quas is tum in Cohorte II. Pannoniorum, tum in Cohorte III. Ityreorum adminiſtravit, jam tandem de Auxiliaris militiæ munere agi noſcis: Præfecti enim audiebant, qui Sociis præerant; ſicut Tribuni, qui Legionariis; Par enim utriuſque muneris in ſuos poteſtas, niſi quod, ut Auxilia Legionibus honore concedebant, ita Tribuni Præfectos dignitate præſtabant, quos, (ubi de utriſque mentio) poſteriori loco memoratos (*a*), ad ipſum etiam Tribunatum (ut de noſtro Modeſto palam eſt) gradum ſibi feciſſe conſtat (*b*). Ad Auxilia autem Modeſti Præfecturas pertinere comprobant etiam Cohortium nomina, ſubditarum Provinciarum propria, quibus milites a Romanis Ducibus de more imperari ſolebant; ac Cohors quidem II. Pannoniorum (quem numerum ad plures ejuſdem Gentis Cohortes haud referas, ſed ad aliarum ex aliis Provinciis Cohortium auxiliarium numerum, quo ambæ Alæ conſtabant) ex Pannoniæ Provinciæ indigenis delecta erat, quæ ſemel in noſtro lapide, atque iterum apud Grut. p. MXXXII. 6. occurrit; At de Cohorte III. Ityræorum haud æquè res clara: non alibi enim eam invenies, quàm in noſtro lapide, quem adhùc difficiliorem reddiderat mendum apud eundem Grut. pag. 444. num. 5. & Manut. Orthog. v. *Kalendarium*; utrobique enim corruptè legitur ITVREOS. dempto etiam diphthongo, quum tamen ITYRAEOR. diſertè in lapide ſcriptum ſit: Ityræi itaque, ſeu Ituræi (nam utroque modo ſcribuntur, more illo, quo V pro græco Y latini paſſim uſur-

[*a*] Cæſar. de Bell. Gall. I. 19. *Hic primum ortus eſt a Tribunis militum legionariorum, ac Præfectis Auxiliarium, reliquiſque.*

[*b*] Svetonius de Claudio cap. 25. *Equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt Cohortem Alam, poſt Alam Tribunatum legionis daret*: Alam autem Præfecturam Auxiliarium intellige, qui, uti Alæ in avibus, ita corpus Legionum utrinque tegebant.

Digitized by Google

uſurpabant) a Plinio, & Strabone (*a*) Syriæ attribuuntur, quorum Reges Sacris Litteris etiam memorantur (*b*): eos autem plurimùm arcu, & ſagittis valuiſſe conſtat, eoque nomine, nec ſine ſui capitis periculo Cicero ab ſuo uſque ævo inſignes celebravit (*c*); indeque factum, ut Arcum quemlibet, ſagittis mittendis ſatis validum, Ityræi epitheto donarit Virgilius Georg. 2. 448., Ityræaſque ſagittas appellarit Lucanus L. 7. 230.: Ex hac igitur gente, quæ cum univerſa Syriæ Provincia Romanis ſubdebatur, Cohortem tertiam Auxiliarium Romani Duces deligebant, cui Modeſtus Præfectus aliquando fuit: At cur non ex ſua gente regendæ Cohorti Præfectus? non deerant certe in Auxiliis, qui bellica virtute præſtantes, militaribus muneribus ſaltem inter ſuos optimè fungi poterant; Romanorum tamen prudentiam noſcis, qui nedum auxiliares copias in duas Alas, veluti duo corpora dividebant, mediis legionibus divulſa, ne ſimul junctæ viſu, & æſtimatione ſui fiduciam caperent, & animos fortaſſe novandi, ſed etiam ſolos Romanos Cives quò magis in fide, diſciplinaque militari continerentur, iis præficiebant.

Sed ad noſtrum Modeſtum redeamus, qui OPVS QVADRIGAE CVM EFFIGIE IMP. HADRIANI AVG. CITRA VLLIVS POSTVLATIONEM CVM MVNICIPIBVS SVIS OBTVLISSET (*d*) EX ARGENTI LIBRIS ∞ (i. e. M.) ADIECTIS AMPLIVS LIBRIS ↀVII. VIRITIM POPVLO ↀ (i. e. denariis) SINGVLIS DISTRIBVTIS DEDICARI CVRAVIT. Res quidem digna, ut a militia paululum divertentes, ſpectemus, miremurque: Spectemus, inquam, in lapide rei memoriam, nam rei ipſi ſuum obfuit pretium, fecitque inter alias cauſſas omnium potiſſima avaritia, ne præclariſſimum hoc monumentum ad ſeros nepotes pervaderet: Miramur itaque non tam Beneventanorum Veterum opes, liberalitatemque, qui in illud opus argenti libras mille contulerunt, quàm unius Civis magnificentiam, qui eidem Operi ſeptem ſupra quingentas alias libras amplius adjecit, in ejuſque dedicatione ſingulos denarios univerſo Populo viritim diſtribuit. Mos dedicandi Diis Quadrigas cum eorum effigie ab ipſo Romulo manaſſe videtur, ſi Dionyſio fides, qui l. 2. quadrigas aureas Vulcano cum ſua effigie, ex manubiis ab illo dedicatas ſcribit: At non eæ tunc Romanorum opes, quibus, primis temporibus, nonniſi ex Argilla (ut ex Plinio, ac Feſto diſcimus (*e*)) *fictiles* quadrigas effingere, ac dedicare ſat fuit; mox *Æreas* a Cn., & Q. Ogul-

[*a*] Hiſt. Nat. l. v. c. 23. Strabo Geogr. l. XVI I. At Parthorum genus Ityræos fuiſſe tradit Servius in dictum locum Virgilii Georg. 2. v. 448.: *Ityræos taxi curvantur in arcus: Hoc eſt* [inquit] *in arcuum Ityræorum ſimilitudinem: Ityræos autem dicit Parthicos*: Sed fallitur Servius, qui, quòd Parthi ea re quoque famoſi, ad eorum gentem Ityræos oſcitanter retulit: Apud Donium claſſ. v. n. 50. occurrit *Præpoſitus Numeri Syrorum Sagittariorum*, qui fortaſſe iidem noſtri Ityræi. Stat igitur ſua Plinio, Strabonique fides, quam etiam divini Codices, ut mox videbimus, præclarè confirmant.

[*b*] In Lucæ Evangelio cap. 3. n. 1. dicitur Philippus *Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis Regionis*: nota eſt Judaici Regni diviſio poſt Herodis magni obitum ab Auguſto facta, nam quum inter ejus filios Archelaum, & Herodem Antipam de ſucceſſione lis eſſet, Romæ cauſſam dicere juſſi ſunt coram Cajo Auguſti nepote, aliiſque ab eodem Auguſto deſignatis, qui Tetrarchiam inſtituentes Regnum in quatuor partes diſſecuerunt: Et Archelao quidem Judæa proprie ſumpta conceſſit, Antipæ Galilæa; Philippus vero eorum frater [ſed ex alia Matre] Ituræam obtinuit, regionem nempe illam, ad radicem montis Libani a Paneade, ſeu Cæſaræa Philippi uſque ad montem Tyri in longum porrectam: Lyſanias tandem [cui nulla cum Herode ſanguinis neceſſitas, quippe qui ex genere Dynaſtarum Chalcidis traditur a Joſepho Antiq. l. XX. c. 7.] Abilinam adeptus fuit: Ita Romani de Regnis decidebant.

[*c*] Semel atque iterum Cicero Ituræorum meminit Philipp. II., dum eos Antonius in media Urbe ad ſui cuſtodiam, & inimicorum terrorem adhiberet. *Accuſa* (inquit cap. 8.) *omnes ordines, omnes Cives, dum confiteare, hunc ordinem hoc ipſo tempore ab Ityræis circumſederi*, & cap. 44. *Cur homines omnium gentium maxime barbaros Ityræos cum ſagittis deducis in forum? Præſidii ſui cauſſa ſe facere dicit*: quibus locis miror nihil a doctis viris notatum, quibus non adhuc notum vocabulum, cujus neque Orthographia rectè conſtat in Ciceronis editionibus; quæ etiam in MSS. corruptior, ubi *Ytyradii, & Sityrei*.

[*d*] Ita habet Lapis cum ſequentibus, quæ fœde mendoſa exhibuit Grut. dicta pag. 444. n. 5. in quo ſic legitur: *Cum a municipibus ſuis oblatum ex argenti libris* DXVII *libris* ∞ *adjectis*. Ubi illud *Cum* delendum cenſet Grononius De Pec. Vet. l. 1. c. 7. ſed perperam; quum verius ſequens *a* præpoſitio delenda fuit, ac illud *oblatum* in *obtuliſſet* vertendum, ſicque ſenſus lapidis recte conſtat, ut nos ſumma fide deſcripſimus, exhibuitque Manutius in Ortographia, cujus exemplar [ſi *Ityreos* excipias] cum ipſo lapide conſentit, ut mirum ſit Manutianum exemplar haud fuiſſe Grutero perſpectum: Fateor tamen tertium CVM ante *obtuliſſet*, quod regere deberet, ſubintelligendum, quod quum promptum eſſet cuique legenti, facilè Quadratarius prætermiſit.

[*e*] Hiſt. nat. l 28. 2
Cum in faſtigium ejuſdem Delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace creviſſent &c. Feſtus in Ratumena: *Fictiles quadrigas* commemorat, quæ in faſtigio Jovis templi, quas faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam artis figulinæ prudenti, quæ bello ſunt recuperatæ, quæ in fornace adeò creverant, ut eximi nequirent; idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuiſſent, omnium eam futuram potentiſſimam; Fuſiùs hæc proſequitur Plutarch. in Poblicola.

Digitized by Google

Q. Ogulniis Ædilibus Curulibus ex multatitia pecunia Jovi in Capitolio dedicatas refert Livius l. x. 23. *Aureas* demum A. V. 521. [cum res Romana ad faſtigium perveniſſet] in eodem Capitolio poſitas idem Livius teſtatur l. 39.: At ex argento Beneventani dedicarunt, non ſolido quidem corpore, quod nec in vetuſtis æreis ſtatuis invenies, ſed quæ ad naturalem effigierum ſtaturam exurgentes, ingentem ſumptum, qualem in MDVII. argenti libris agnoſcere licet, abſumpſerunt: Operis autem magnificentiam non ſolum materia commendat, verum etiam ſingulare exemplum; Diis enim (*a*), ut dixi, quadrigæ dedicari ſolebant, nec dum Auguſtis [non enim alibi inveni] ejuſmodi decus adulatio præbuit, ſolis eos ſtatuis pedeſtribus, equeſtribuſque, marmoreis, aut æreis, auro aliquando *illuſtribus*, vel *ſuperfuſis* honoraſſe contenta: Beneventani tandem, ut Hadriani numini, majeſtatique devotiſſimos omnium ſe probarent, eundem quadrijugis vectum effingendum curarunt, quo tamen opere nullimode de divinis honoribus per nimiam aſſentationem communicandis cogitaſſe videntur, ſed potius eundem Auguſtum Triumphantis ſpecie repræſentatum voluere; quadrigis enim Triumphantes in Capitolium invehi conſueſſe ſatis conſtat; ac digna quidem, ſi non bellica virtus, Hadriani tamen moderatio, ut eo monumento a Beneventanis celebraretur, nam teſte Spartiano c. 6., *Cum ei Triumphum Senatus, qui Trajano debitus erat, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani* (*b*) *curru Triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne poſt mortem quidem, Triumphi amitteret dignitatem.*

CAPUT

[*a*] Jovi præcipuè Quadrigæ dedicari ſolebant, propterea quod cum tonaret, aut fulguraret, albis Quadrigis per cœlum vehi ab Ethnicis credebatur: Hinc Horatius Od. 1. 12. 58. *Te gravi curru quaties Olimpum*, Plantus etiam Aſin. 11. 2. 13.

Nam ſi huic occaſioni tempus ſe ſubterduxerit
Nunquam pol indepiſcet quadrigis albis poſtea.

Albas autem Quadrigas, nonniſi quæ Jovis eſſet, ſignificavit Plautus, optimus ſuimet interpres in Amphitr. I. 1. 294.

Quadrigas ſi inſcendas Jovis nunquam effugies infortunium.

Mirum autem quantum in priore Plauti loco explicando ſe torqueant Eruditi, quorum quinque diverſas ſententias recenſet doctus Facciolatus; at nemo adhùc rem acu tetigit; quæ tamen (niſi & ego fallar) utroque loco collato, facilis explicatu erit, ſi ad illam Ethnicorum Theologiæ partem deducatur, quæ Fatum non ſolum a Jove ſeparatim colendum docebat, ſed etiam ab Jovis imperio ſubtrahebat: De ea plura habet Servius ex Aruſpicinæ libris, & ſacris Acherontiis Æn. VIII. 398. & paſſim alibi: Hinc ſi cui ſecundæ res, quas certo temporis momento Fatum obtuliſſet, neglectæ eſſent, nunquam, etſi in ipſo Jovis curru conſidenti, i. e. neque Jove ſavente jubente, revocandi poteſtas erat: Contra verò (quod poſteriore loco ajebat Plautus), ſi quid adverſi infortunatique in alterius perniciem Fatum idem ſubeundum ſtatuiſſet, non is, in Jovis Quadrigis licet poſitus, effugere valebat: Vides, quàm exiguos Imperii fines ipſe omnipotens Deum Pater, atque Hominum Rex a ſuis cultoribus obtineret: At recta Religio *Habacuc verbis* 3. 8. ita verum Deum alloquitur: *Qui aſcendes ſuper equos tuos: & Quadrigæ tuæ Salvatio*: Qua verborum translatione Prophetæ illi eo loco familiari, quum Charitas nos Deo conjungat, incolumitas noſtra monſtratur; non enim eſt Fatum præter Dei voluntatem, poteſtatemque, humanis rebus impendens, cum quæcumque eveniant per quoſcumque eveniant, certis ubique aſſiduè vigilantis Divinæ Providentiæ legibus famulantur.

[*b*] Sed jam vivens Trajanus eundem, de quo heic agimus, Quadrigæ honorem acceperat; nam Romani Arcus Trajano extructi Ichnographia, vetuſto numiſmate (quod a me, quum de Beneventano Arcu mox agam, proferetur) repræſentata, eundem Trajanum in ejuſdem Arcus vertice inter duo Trophæa quadrijugo curru invectum exhibet: quæ tamen ſimulacra an è marmore fuerint, vel ex ære, omninò ignoramus. Hinc ante Hadrianum res in more jam poſita; ad quam etiam referendos arbitror nummos illos *Quadrigatos*, antiquiores ſanè, ac frequentiſſimos, quorum formam non è Ludis Circenſibus, ſed potius ex actis aliorum Triumphis acceptam putaverim: Sed res, ut dixi, eò jam proceſſit, ut quadrigarum effigies ex ſolida materia dedicarentur; atque ex quo Principibus ejuſmodi monumenta dicari cœpta, paulatim ad alios ſummos viros eximiè honorandos deducta fuit, ſervata tamen (ut videtur) gradus dignitate, itaut privatis perſonis Bigæ duntaxat ſtatuerentur: Harum mentio bis occurrit apud Gruter. p. 352. n. 1. ubi *T. Ancherio Priſco Biga poſita* dicitur *ob eximias liberalitates, & abundantiſſimas ſine exemplo largitiones* pag. vero 447. 6. adeſt lapis alter Piſaurenſis P. Alfio Semniano iiſdem conceptis verbis inſcriptus, quem tamen fœdè mendoſum, ſinceriorem vulgavit Fabrettus cap. X. n. 207. dein emendatiorem Donius cl. v. n. 16., ſed tandem ad Eſtypi fidem ære inciſum eruditis obſervationibus illuſtravit V. C. Oliverius inter Marmora Piſaurenſia n. XXXI: In hiſce autem Bigis poſitum quoque ſimulacrum illorum, qui eximio eo honore ornabantur, ex noſtri, quem hactenus illuſtravimus, Beneventani lapidis exemplo, ubi quadrigæ cum effigie Imp. Hadriani dedicatæ dicuntur, jamdudum collegit V. C. Valerius Chimentellus in De honore Biſellii c. 41., notatque ad dictum Donianum lapidem Gorius,

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De Legionibus, in quibus Beneventani Milites cenſi fuere.

HActenus de Beneventanis Viris bellica virtute, militiæque muneribus illuſtribus dictum fuit; Ad Legionarios quod attinet, id tantum heic (nam eorum nomina, ætatem, numerum in Lapidum Theſauro noviſſe ſatis cuique erit) obſervare modo libet, qua ii in legione cenſeri ſolerent: qua in re (ſi quid video) majus quoddam Beneventanorum militum decus poſitum videtur, dum in ipſa Legionaria militia, quæ generatim Civium Romanorum delectu conſtituebatur, Legiones aliquas aliis honore ſuique æſtimatione præcelluiſſe ſatis declarant vocabula ipſa, quibus *Victrices*, *Adjutrices*, *Valens*, *Fulminatrix*, *Ferrata* dicebantur; Quæ quidem cognomina nunquam dixeris ambitioſe parta, aut fortuitò comparata; id enim in aliarum legionum injuriam omnino ceſſiſſet, quæ ſpecioſis ejuſmodi cognominibus haud utebantur, quibus etiam illud proclive fuiſſet, ut pro libito magnificentiora ſibi vocabula certatim arripere æmularentur: quod tamen nullo modo factum fuiſſe novimus; Imo & ipſa honoris cognomina, quæ aliquando virtutis cauſſa promeruiſſent, reipſa probare aſſidue tenebantur, quod ſi degeneres eſſe cœpiſſent, ejus appellationis indignæ judicabantur, ut ab Auguſto factum refert Dio L. LIV, qui Legionem totam *Auguſtam*, vetitam tradit hoc cognomine uti, quod ignaviter ſe geſſiſſet.

Atque hæc quidem res, de qua inſtitutus eſt ſermo, jam denuo in memoriam revocat vetuſtiſſimam Majorum noſtrorum Samnitium militarem diſciplinam, qua poſt habitum ex univerſo Samnio militum delectum, adhuc ex delectis militibus, qui præſtantiores robore eſſent, bellicaque virtute, ac generis nobilitate præclari, in peculiari Legione cenſebantur, iiſque arma inſignia data, & criſtatæ galeæ, ut inter cæteros eminerent. Huic Legioni *Linteatæ* cognomen fuit; inſtituendi, ſicque appellandi cauſſam fuſe, eleganterque exequitur Livius (*a*), cujus locum, ſi cui percurrere lubeat, ne fortè quærat, infernè deſcriptum habebit: Hæc autem obiter de Samnitibus, quæ ad inſtitutam rem pertinebant.

De Beneventanis militibus, qui Romana caſtra ſequuti fuere, illud primò a me obſervatum fuit, eos generatim nonniſi in Sextam, aut etiam Trigeſimam Legionem cenſeri conſuetos: ac in priore quidem ex noſtris lapidibus ſex Beneventanos milites adhuc memoriæ ſuperſtites numeramus, poſteriori vero totidem adſcriptos habemus: De utriuſque Legionis præſtantia modo videamus.

Binas Legiones ſenarium numerum prætuliſſe, [ut lapides præteream] locuples teſtis eſt

[*a*] Lib. x. cap. „Sequitur hunc annum & Conſul „ inſignis L. Papirius Curſor quà paterna gloria, quà „ ſua, & bellum ingens, victoriaque, quantum de „ Samnitibus nemo ad eam diem præter L. Papirium „ patrem Coſ. pepererat: & fortè eodem conatu apparatuque, omni opulentia inſignium, bellum adornaverant, & opus Deorum etiam adhibuerant, ritu „ quodam vetuſto veluti initiatis militibus, delectu „ per omne Samnium habito, nova lege, ut qui juniorum non conveniſſet ad Imperatorum edictum, „ quique injuſſu abiſſet, caput Jovi ſacratum erat: „ Tum exercitus omnis ad Aquiloniam eſt inductus ad „ XL. millia, quod roboris in Samnio erat, convenerunt. Ibi mediis ferè caſtris locus eſt conſeptus cratibus, pluteiſque, & linteis contectus, patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes: Ibi „ ex libro vetere linteo lecto ſacrificatum Sacerdote „ Ovio Paccio quodam homine magno natu, qui ſe id „ ſacrum petere affirmabat ex vetuſta Samnitium religione, qua quondam uſi majores eorum fuiſſent, „ cum adimendæ Hetruſcis Capuæ clandeſtinum cœpiſſent conſilium: Sacrificio perfecto per Viatorem „ Imperator aceiri jubet nobiliſſimum quemque genere, factiſque: Singuli introducebantur: Erat tum „ alius apparatus ſacri, qui perfundere religione animum poſſet: Tum in loco circa omni contecto additæ Aræ in medio, victimæque circa cæſæ, & circumſtantes Centuriones ſtrictis gladiis: Admovebatur altaribus miles magis ut victima, quam ut ſacri „ particeps, adigebaturque jurejurando, quæ viſa, auditaque eo loco eſſent, non enunciaturum: Dein „ jurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis, familiæque, & ſtirpis compoſito, niſi „ iſſet in prælium, quo Imperatores duxiſſent, aut „ ſi & ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, extemplo non occidiſſet; Id primo quidem „ abnuentes juraturos ſe, obtruncati circa altaria ſunt; „ Jacentes deinde inter ſtrages victimarum documento „ cæteris fuere, ne abnuerent: Primoribus Samnitium „ ea deteſtatione obſtrictis, decem nominatis ab Imperatore, eis dictum, ut vir virum legeret, donec „ ſexdecim millium numerum confeciſſent: Ea Legio „ Linteata ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, appellata eſt: His arma inſignia data, & „ criſtatæ galeæ, ut inter cæteros eminerent; Paullo „ plus XX. millium alius exercitus fuit, nec corporum „ ſpecie, nec gloria belli, nec apparatu Linteatæ Legioni diſpar „.

Digitized by Google

Dio, qui l. LV. Legionum, quæ Auguſti ævo vigerent, numerum diſtinctè recenſens, *ſunt*, inquit, *& ſextæ* duæ, *quarum una in Britannia inferiore cognomento Victrix, altera in Judæa, Ferrata*: ex quo diſcimus alterutro nomine Legiones omnes inter ſe diſtingui omnino conſueſſe, cui enim ſolus numerus pro appellatione erat, is haud equidem cæteris communis, proprium nomen præbebat, quum vero eodem numero plures (ut ex integro Dionis loco jam conſtat) appellarentur, novum cognomen pro diſcrimine addebatur; quæ ratio in pari cognomine rurſus ſervabatur, ut quæ eodem cognomine decorabantur, numeri diverſitatem retinerent; Atque hæc quidem res haud diligenter obſervata viros doctiſſimos in errorem egit, ut cum diverſis locis legionem quampiam eodem cognomine, diverſo tamen numero memoratam invenerint, unam eandemque legionem putantes, importunam manum corrigendo numero admoverint (*a*), nunquam igitur ea in re aberrabimus, adhùc etiam alia pleraque non ſatis explicatè ab aliis tradita, facilius intelligemus, ſi integrum Dionis locum, cum quo Capitolinam Columellam legionum omnium nomina deſcribentem conferre licebit, ob oculos habeamus: Sed quod attinet, cum duæ VI. legiones extiterint, quarum altera *Victrix*, altera diceretur *Ferrata*, utri Beneventani Milites nomen dederint, nunc quæramus,

Ac de

[*a*] Plures fuiſſe legiones cognomine *Adjutrices* ſatis conſtat, quæ tamen numero diſtinguebantur; Legionis *ſecundæ Adjutricis* meminit Imp. Antoninus in Leg. 1. Cod. *de Profeſſoribus*, ubi ſic Gothofredus: *Imo Adjutrix legio prima fuit l. 6. Cod. de Caſtrenſ. Peculio*; & mox: *Adjutrix legio prima, de quo dixi ad l. 6. &c.*; Quod igitur in d. Lege 6. *Legio prima Adjutrix* ſcriberetur, ita etiam in d. Lege 1. ſcribendum putavit Gothofredus. Verum quidem eſt, utriuſque legis lectionem viro docto probari poſſe viſam fide veterum, quos affert, lapidum, quos tamen oſcitanter explicaſſe deprehenditur; quid enim? Legionem VIII. *bis Auguſtalem*, ſeu *Auguſtam* nobis obtrudit ex lapide Viterbien. in quo ſic legit. TRI. MIL. LEG. VIII. BIS. AVG. &c. Romæ extantem eundem lapidem exhibet Grut. pag. 476. 5., neque illud BIS. ante AVG. habet, quod tamen in Cod. Redii fuiſſe notat; at eſto; ineptè ſemper ad legionem VIII. referetur, quod ad ipſum militem eo lapide celebratum omnino pertinere deberet, ut is ſcilicet præter militaria munera, etiam Bis Auguſtalis (nam Ædilis quoque dicitur) ideſt II, aut iterum Auguſtalis fuerit: Sed Dionis locum recitare præſtat, cui Capitolinam Columellam [proderit enim, ſi qui neſciant, aut non ſatis ſciant] adjiciemus. „ Tres tunc [*De Auguſti ævo loquitur Dio*] & viginti legiones, aut, ut alii volunt (*inter quos Tacitus, Ann. IV. c. 2.*) quinque & viginti alebantur. Nunc vero noſtro ævo [*Severo Imperante, ſub quo Dio floruit*] novemdecim ex iis ſuperſunt. „ Legio II. Auguſta, quæ in Britannia ſuperiore hibernat: & Tres III. quarum una in Phœnice Gallica „ cognomento, altera in Arabia, Cyrenaica, tertia „ in Numidia, Auguſta. Jam IV. Scythica in Syria „ agit. V. Macedonica in Dacia. Sunt ex VI. duæ, „ quarum una in Britannia inferiore, Victrix, altera „ in Judæa, Ferrata. Eſt ex VII. in Myſia ſuperiore, „ quæ plurimùm Claudia dicitur. VIII. Auguſta in „ Germania ſuperiore. X. in Pannonia ſuperiore, dicta Gemina, atque altera Decima in Judæa. XI. in „ Myſia inferiore, Claudia dicta. XII. in Cappadocia „ Fulminatrix. XIII. Gemina in Dacia. XIV. Gemina in Pannonia. XV. Apollinaris in Cappadocia, „ & XX. Valens, & Victrix dicta in Britannia ſuperiore. Hæ ex Auguſti legionibus ſalvæ ſunt: Reliquarum aliæ prorſus extinctæ, aliæ aliis quibuſdam vel „ ab ipſo Auguſto, vel a ſequutis Imperatoribus ſunt „ permixtæ, unde & Geminæ cognomen ſolenne habent: „ quoniam vero ſemel in hunc ſermonem de legionibus „ veni, etiam alias, quæ deinceps a Principibus conſcriptæ ſunt ediſſeram, ut promptum ſit, volenti in „ uno loco hæc videre, & diſcere. Nero igitur I. Italicam dictam ſcripſit, Galba I. Adjutricem, & IV. „ Flaviam. Domitianus I. Minerviam. Trajanus II. „ Ægyptiacam, & XXX. Germanicam, quas & a ſe„ ipſo agnominavit. M. Antoninus II. in Norico „. Hactenus Dio, cui lux plurima ex Capitolina Columella apud Grut. pag. 513. 2., quæ viciſſim ab Dione illuſtratur,

NOMINA LEGIONVM

II. AVG.	II. ADIVT	IIII. SCYTH
VI. VICT.	IIII. FLAV	XVI. FLAV
XX. VICTR	VII. CLAVD	VI. FERRA
VIII. AVG.	I. ITALIC	X. FRETE
XXII. PRIM	V. MACED	III. CYREN
I. MINER	XI. CLAVD	II. TRAI
XXX. VLP	XIIII. GEM	III. AVG
I. ADIVT	XII. FVLM	VII. GEM
XIII. GEM	III. GALLIC	III. ITALIC
I. PARTH	II. PARTH	III. PARTH

Huic Columellæ conſentit altera apud Maffejos, quam exhibet id. Grut. n. 3, niſi quod inter lineam 8. & 9. tres aliæ legiones inſeruntur hoc modo. X. GEM. XV. APOL. II. ITALIC; adeout quæ in priore Columella legiones ad XXX. ſunt, in poſteriore earum numerus ad XXXIII. auctus recenſetur.

Digitized by Google

Ac de *Ferrata* quidem probè affirmare ſinit noſtrorum militarium Lapidum ad VI. legionem pertinentium unus, ubi FERRATAE cognomen adjectum legitur; quod licet in aliis deſit, facilis tamen ex eo uno conjectura eſt, eandem *Ferratam* Legionem in reliquis, quæ ſola numerali nota VI. memorantur, eſſe intelligendam: *Ferratæ* autem (quamquam & VI. Victrici ſua quoque in ipſo nomine ſtet laus,) ſingulare illud videtur fuiſſe decus, ut irruentibus hoſtibus conſtans eſſet, atque impenetrabilis; quæ quum ferri natura eſſet, eidem *Ferratæ* cognomen peperit. Scio *Ferrata* agmina apud Horatium (*a*), *Ferratos* milites Gallos apud Tacitum (*b*) pro *Cataphractis* uſurpari; Hinc etiam Lipſius (*c*) Legionem *Ferratam*, de qua agimus, dictam arbitratur, *ab armorum præſtantia, & quæ tota e ferro*: Quod quum veriſimile fatear, malim tamen non e ſolis armis ſuum fuiſſe legioni cognomen, & decus, ſed belliçam virtutem utrumque indidiſſe: quamquam ſi ex armis cognominis ratio petenda eſſet, ut qui in ea legione cenſerentur, toti e ferro muniti, contectique eſſent, robore hos excelluiſſe jam recte conſequitur ex eo, quod ex Romanorum diſciplina (quod Samnitium moris etiam fuiſſe ſuperius dictum fuit) validioribus præſtantiora arma, quique ſtrenuè bello uſuri eſſent, dari ſolebant: quod vero, inquies, armorum hoc genus unde *Ferrati* milites dicti? ego ſic exiſtimo, non ea tegmina fuiſſe e ferro ita fabrefracta, ut ſingulis membris accommodata totum corpus protegerent; inane enim corporis præſidium, cujus vires vix promptæ, expeditæque ad pugnandum: Ad ſcutum itaque refero, quod aliis e ligno, corio contecto, ac margine tantum ferreo, Ferratis tamen totum e ferro fuiſſe videtur: Certè ex Taciti loco, ubi Ferrati memorantur, nonniſi Laminæ, & Tegmina, muri inſtar, deſcribuntur: addo etiam hæc ferrea ſcuta aliis longiora fuiſſe, ad corporis prope altitudinem, itaut qui ea geſſiſſent, quum ſe protegerent, toti e ferro apparentes, rectè *Ferrati* dicebantur. An autem e Gallis Romani accepere? Haud quidem; nam ad Tiberii ævum locus Taciti pertinet, & jam antea apud Romanos Legio *Ferrata*: Quid ſi majoribus noſtris Samnitibus Romani id debeant? Saltem hoc armorum genus e Samnitibus ad Romanos: nec mirum; bellicoſiſſima omnium per eam ætatem Gens præſtantioribus quoque armis ſtudere debuit: Samniticum ſcutum ita deſcribit Livius (*d*). *Forma erat ejus, ſummum latius, qua pectus, atque humeri teguntur, faſtigio æquali, ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſa*. Inter ea autem, quæ Romani a variis gentibus hauſere, a Samnitibus quidem ſcuti uſum didiciſſe teſtatur Athænæus; locupletior teſtis etiam C. Cæſar in oratione apud Saluſtium de *bello Catilinario*: *Majores noſtri*, inquit, *arma, atque tela militaria ab Samnitibus ſumpſerunt* (*e*): Qua in re illuſtre militaris Samnitum præſtantiæ monumentum obiter obſervare licuit, neque minus mirari ſubeſt Romanorum ſolertiam, qui, [ut ejuſdem Cæſaris verbis utar] *quod ubique apud ſocios, aut hoſtes idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exequebantur: Imitari, quàm invidere bonis malebant*.

Ad XXX. Legionem nunc progrediar, quæ altera, ut dixi, fuit, in qua Beneventani milites cenſeri ſolebant: Recentiora huic Legioni initia fuiſſe ex Dionis loco ſatis conſtat, qui tum II. Ægyptiacæ, tum XXX. Germanicæ Trajanum auctorem facit, quas etiam ambas a *ſeipſo* cognominaſſe ſubdit: De *Germanicæ* appellatione antiqui lapides omnino ſilent, ut facile putem non ad certi nominis denotationem, ſed potius ad ſtationem deſignandam, eam appellationem a Dione fuiſſe adjectam, eò magis, quò quale ejus cognomen fuerit, ab auctore nempe ſuo, ſtatim commemorarit. Hinc XXX. *Ulpiam* in Capitolina Columella legere eſt, ac in aliis paſſim antiquis lapidibus, qui in indice Gruteri, Gudii, Donii præſto ſunt: Ac ſatis profecto fuerit Auctorem prodidiſſe, Trajanum ſcilicet, cujus bellica virtute Romani Imperii, quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quàm ampliatum, fines longè, latèque prolati fuere, ut exinde in Legionem ipſam, quæ cæteras præcelleret, omnia militaris gloriæ præconia jure conferamus: At hoc uno argumento virtutem ſuam comprobari haud contentam video

[*a*] Lib. 4. od. 14. v. 30.

[*b*] Annal. III. cap. 45. ubi Sacrovir Gallorum Dux adverſus Romanos *in fronte ſtatuerat Ferratos, in cornibus Cohortes, a tergo Semermes*, & mox commiſſa pugna *paulum moræ attulere Ferrati, reſtantibus laminis adverſus pila, & gladios; ſed miles* (Romanus) *correptis ſecuribus, & dolabris, ut ſi murum perrumperet, cædere tegmina, & corpora*.

[*c*] Analect. ad milit. Rom. tom. 3. opp. edit. 1675. pag. 422. [*d*] Lib. IX. cap.

[*e*] Hanc laudem a Samnitibus abjungere ſatagit Lipſius de mil. Rom. l. 3. dial. 2. Plutarchi fidem ſequutus, qui Romani ſcuti exemplum Romulum a Sabinis accepiſſe ait: Adjicit etiam, Samnites ſerò a Romanis notos, atque utriuſque ſcuti diverſam fuiſſe formam: At Athænæo, & Cæſari vix ego Plutarchum antetulerim; quamquam & Plutarchus verum dicere potuit: Sabinorum ſcuta accepit primum Romulus, quia ſola exemplo tum fuere; at quum præſtantiora apud Samnites comperta dein fuiſſent, cur non hæc alia accepiſſent Romani; quod quidem viro ſummo animadvertendum fuit.

Digitized by Google

deo eandem Legionem: Siquidem & *Fortis*, & *Fortis Fidelis*, & *Valentis Victricis* cognominibus decorari gaudebat, ut eoſdem Indices percurrenti jam patet; Sicque amplius non modo auctore ſuo non indignam, verum etiam fortitudinis exempla eximiè ſequutam, magnificentiſſimis ejuſmodi appellationibus ab eò inſignitam fuiſſe conſtat.

Utriuſque tum VI. tum XXV. Legionis decora exequuti ſumus; quorum præſtantiâ Beneventanorum militum, qui in eis dumtaxat cenſeri ſolebant, bellicam virtutem probari, quis neget? Quæ fuerit in habendo delectu Romanorum diſciplina, omnes norunt; nequaquam eum ferrent commilitones, qui Legioni, vetere gloria inſigni, parem animum, vireſque conferre nequiret; an etiam Trajanus in Legionem, quam ipſe primùm inſtituiſſet, fortiſſimos viros non delegiſſet; ſed adhùc Beneventanorum militum virtutem luculentius arguere fas erit ex viris illis, quos primis militiæ muneribus illuſtres ſuperiori capite ſigillatim recenſuimus: non enim Centuriones, Primipilos, Tribunos, Legatos Romanæ militiæ Beneventum jactaret, niſi priùs fortiſſimos Legionarios dediſſet.

Sed antequam manum de tabula, liceat nunc ad Legionem XXX. regredi, ejuſque occaſione Romanorum Legionum numerum accuratiùs obſervare. Sane de Legione XXX. aliiſque, quæ infra eum numerum fuere, innumera occurrunt Lapidum, Scriptorumque teſtimonia; dum vero ultra eum numerum progredi velis, rariſſima reperies monumenta; De Legione XXXV. tres dumtaxat lapides a Grutero exhibentur; Legionem XXXX. unicus docet lapis apud Fabrettum cap. IX. num. 169., quem tamen eruditi mendoſum recte arbitrantes, Gruteri lapidum fide nixi Romanas Legiones quintam, & trigeſimam non exceſſiſſe decernunt: At non ego facile huic ſententiæ acquieverim, quam nullus a XXX. ad XXXV. medius Legionum numerus hactenus in lucem erutus confirmat, quam præterea manifeſtum mendum (ut inferius dicam) in numerali nota XXXV. explodit, quam demum falſam declarant indubiæ fidei monumenta alia, quibus jam demum de vero Legionum numero certiores efficimur.

Primum itaque certum illud ſtatuo, quod Auguſti ævo XXV. dumtaxat Legiones in Rep. alerentur. Eum numerum definit Tacitus (*a*) ſub Tiberio, dum vires, & copias Imperii recenſet. Nec ſecus Dio, adhùc incertus ex aliorum ſententia, qui ad tres, & viginti numerarunt: Ex his vides, quæ ſit Hirtii fides, aut quicumque is ſit, Belli Alexandrini Scriptoris, qui cap. 3. Legionis XXXVII. meminit, quaſi ante Auguſtum numeroſior fuerit Romana militia, dum ſcimus civili Bello XII. Legiones Cæſari, XI. Pompejo adhæſiſſe (*b*): non eſt etiam, cur Appiano credamus, qui Bello altero Civili, XLIII. Legiones nobis obtrudit, quas deinde ad XXVIII. ab Auguſto redactas affirmat (*c*): quamquam in Hirtii, Appianique exemplaribus non eorum fidem, ſed potius Amanuenſium oſcitantiam, quæ in deſcribendis numeralibus notis maxime deprehenditur, redarguendam crediderim: Interim vero Tacitum, ac Dionem tutiſſime ſequimur, inquiſitionis, ac fidei notæ Scriptores, qui etiam in eo legionum recenſu, ad numerum univerſim traditum, [quod omnem mendi ſuſpicionem tollit] pro diverſis earum ſtationibus particulatim diſpertientes, iterum redeunt, atque omnino confirmant.

Hæ Imperii vires, ut dixi, copiæque ab Auguſto, ſequutiſque Principibus ad Trajanum uſque, quo imperante, quum Romana res domi, militiæque quammaxime floruiſſet, jam demum in Romanis Caſtris triginta Legiones numerari cœperunt: Rem ſatis exploratam jam ſuperius ex Dione, ac Capitolina Columella probavimus, confirmatque *Ulpiæ* cognomen, quo ipſa Legio Trigeſima vetuſtis aliis monumentis paſſim celebratur; Hunc numerum poſt Trajanum veluti ſolennem, Romanique Imperii ordinarium etiam Favorinus joco uſurpat apud Spartianum, nam *arguentibus amicis, male eum cedere Hadriano de verbo, quod idonei auctores non uſurpaſſent, non recte, inquit, ſuadetis amici, qui non patimini illum me doctiorem omnibus credere, qui habet triginta Legiones.*

At quid dicendum de vetuſtis illis Lapidibus, ubi Legiones ſtatutum modo numerum exceſſiſſe probantur? Primùm ajo, eos lapides admodum raros occurrere, atque ex eorum raritate juſtam mendi ſuboriri ſuſpicionem: Dein non aliam ipſi, niſi aut XXXV. aut XXXX. Legionem nobis exhibent: an igitur de cæteris legionibus, quæ tricenarios numeros ad quadrageſimum implerent, quotquot fuerint lapides diſperiere omnes? haud ita quidem a prima ad trigeſimam Legionem res ſe habet, quarum innumera adhùc nobis ſuperſunt monumenta, quæ tamen ſupra eum Legionum numerum deſiderantur; neque enim, ſi aliæ ultra trigeſimam fuiſſent, commune ſtudium, proprium nomen publicis conſignandi monumentis omnino neglexiſſent; neque ſaltem gregarius quiſpiam miles in aliqua ex iis Legionibus conſcriptus, unquam

(*a*) Annal. lib. IV. cap. 3. (*b*) Cæſar. De *Bell. Civil.* l. 3. c. 1. & 2. (*c*) Lib. V.

Digitized by Google

quam inventus, qui pro omnium Romanorum etiam de fœce Plebis more, nomen ſuum poſteritati commemorare non ſategiſſet : Sed jam demum de Legione XXXX. commentum innotuit : Eundem lapidem, quem affert Fabrettus, iterum edidit Donius cl. VI. num. 15. ubi pro legione XXXX. legitur XXXI. (a) : Ediderat etiam alterum de eadem XXXX. Lipſius, qui tamen apud Gruterum ipſe idem lapis numerum XXIX. omnino præfert (b) ; ut jam videas, incerta omnia, immo commentitia de eadem Legione circumferri, jamque numeralis nota XXXX. eidem adjecta, quin mendoſa ſit, non eſt cur amplius dubitemus: Supereſt de XXXV. dicere : Trium, quatuorve lapidum, qui cum eo numero hactenus prodiere, exemplaria invenio, adeſt tamen, ut & ipſos quoque mendoſos pronunciem optimâ conjecturâ, quam ſic habes : Inter alia Legionis XXX. cognomina *Ulpiæ* illud excellebat, quo ſuum auctorem præferret ; illa etiam quam frequenter uſurpabantur *Valentis*, *Victricis*, atquæ hæc quidem ſiglis expreſſa ſæpiſſime in lapidibus occurrunt ; Sic apud Grut. pag 482. 8. LECTIO XXX. v. pag. 72. 8. 535. 1. 1025. 2. LEGIO XXX. V. V. ideſt *Ulpia*, aut *Ulpia Victrix*, ſeu *Valens Victrix* (c) ; quàm facile itaque illud fuerit, ut ſingularis litera v., quæ alterutrum eorum cognominum ſignificabat, pro numerali nota accepta, cum antecedentibus XXX. coaluerit ; nihil hoc ipſo veriſimilius, quod & ſueta deſcriptorum oſcitantia, & aliarum tranſtrigeſimarum Legionum ſilentium, ſatis comprobare videntur.

Reſtat, ut Columnæ Maffejorum ſatisfaciam, quæ, [ut in adnotationibus dixi] legionum numerum in Capitolina Columella deſcriptum tribus novis aliis legionibus auctiorem nobis exhibet, adeout quæ triginta olim fuerint, jam ad tres, & triginta numerandæ legiones videantur. De hujus monumenti fide quæſtionem facere haud æquum erit ; Liceat tamen dicere, eo monumento, quum ex commemorata XXX. Ulpia legione Trajani ævo recentius conjicitur, nihil fieri poſſe, ut a ſtatuto triginta legionum numero, qui ordinarius eſſet, recedamus : Sanè poſt Trajani ævum vix equidem ſtantis, ſed potius labentis Imperii initia recte conſignabimus : Tres Provincias, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam, quas Trajanus addiderat, Hadrianus a Romano Orbe, graviori, in quam ſuccreverat, moli haud ipſe ſufficiens, abjecit, revocatiſque exercitibus finem Imperii eſſe voluit Euphratem : Inde omnia in pejus ruere, deferveſcente Principum, militumque bellica virtute, quam a Septimio Severo belli ſtudioſiſſimo pauliſper inſtauratam, mox Caracallæ filii ignaviâ, qui vel aliis titulis inter peſſimos jure numeratur, denuo labefactatam novimus : An itaque ad Severi ævum Trigintatres Legiones referamus ? Sed vide, ne, quum numerales notæ, quæ in eodem monumento cuique Legioni præſcribuntur, XXX. Legionem Ulpiam non excedant, de trigintatribus poſtea legionibus in eo deſcriptis tuta eſſe fides jam poſſit ; At fuerit utique is Severianarum Legionum numerus ; Severum namque ſuperiore Capite ex Herodiano jactantem audivimus, copias, quæ Romæ eſſent, in quadruplum auctas filiis relinquere : nulla certè erit ratio, ut quod brevi intervallo vix, aut vix obtinuit, ordinarium, quem tamdiu viguiſſe jam conſtat, Triginta Legionum numerum incertum efficere nobis queat.

At nonne ex amplificato, quem aſſerere fortaſſe debuimus, Legionum numero, amplius, & tutelæ Imperii, & majeſtati conſultum fuerit ? non is quidem ego ſum, qui vel Severi jactantiam mihi arripuerim, vel etiam Agathiæ magniloquentiam græca fide dignam : atque is quidem (d) ſub Juſtiniano copiarum paucitate, quas tum Imperium aleret, Barbarorum irruptiones

[a] Ubi doctiſſimus Gorius, *apud Fabrettum* (inquit) *deſcriptum eſt Centurio Legion.* XXXX. : *mendum irrepſiſſe ſuſpicor in hoc numero, nam apud Gruterum ex Scaligeri indice Legiones numerum* XXXV. *non excedunt* ; An vero ſtabit fides Lapidis Doniani pro num. XXXI. ? Pronum eſt ut affirmem, hunc quoque numerum, in quem Frabettianæ legiones contractæ ſunt, æquè mendoſum videri, ut ex ſupradictis patebit.

[b] Lipſius in Analectis ad Dialog. V. priſcum lapidem affert ; L. SERGIVS L. F. LEPIDVS ÆD. TR. MIL. LEG. XXXX. *Ubi* (inquit) *quadrageſima legio exprimitur non ſine mendi ſuſpicione, niſi per bella civilia ſic fuit* : Sed jam mendum ſuſtulit Gruter. in eod. lapide p. 468. n. 1, ubi non XXXX. ſed XXIX. ea Legio fuiſſe ſcribitur, tertio X. in I. mutato.

[c] Manifeſtum mendum haud ſecus deprehenditur in binis inſcriptionibus Donii cl. VI. n. 57. & 144. in quorum altero Legio XXXVI. altero vero legio XXXV. VIC occurrunt : In priore enim rite poſtremas notas VI. ab antecedentibus ſeparabis, ac pro cognomine VIctricis accipies, in poſteriore etiam extremo V. a XXX. divulſo in *Valentis* ſignificationem recte mutabis, ut ſit *Valens Victrix*, quæ familiaria fuere Trigeſimæ Legionis cognomina.

[d] Hiſt. lib. V. ubi Lipſii [De Magnit. Rom. lib. I. c. 5.] verſionem ſequi malui, nam in editione Baſileenſi an. 1576. quam curavit Leunclajus ad *quinque & quadrigenta millia, ſexcentaque bellicoſiſſimorum hominum* veteres copiæ recenſentur, quæ licet pro tertia parte jam decreſcant, adhùc tamen ingentem numerum falsò amplificatum nobis referunt : ſed, ut dixi, Lipſii lectio retinenda eſt, quæ Græco exemplari magis fida reſpondet.

Digitized by Google

ptiones attribuens, *non tantæ* [inquit] *jam permanſerant, quantæ ſub prioribus olim Principibus fuerant, ſed ad minimam quandam partem redactæ, non jam ultra magnitudini Imperii ſufficiebant; quum ad ſexcenta, & quadraginta quinque millia virorum militarium univerſas copias colligere oporteret, vix tunc in centum quinquaginta millibus conſtabant:* . . . . . *Sic itaque ad perexiguam partem redactæ tot hominum copiæ ſunt, & Principum negligentia interſciſſæ*: Quando enim id fuit, ut tot centena militum millia, quæ Agathias comminiſcitur in Caſtris Romanis alerentur? Falſi certè redarguunt vetera monumenta omnia, quæ ad nos pervenerunt: Succenſerent etiam, ſi modo adeſſent, Romani ipſi, qui de eo immenſo numero nunquam ſibi gratulandum paterentur: quid enim? Ex ordinariis XXX. Legionibus, quas ſtatuimus, [dum de militum numero, an quatuor, aut quinque, vel ſex millia eſſent, qui in ſingulis legionibus conſcriberentur, non convenit] CL. circiter ingenuorum, fortiumque virorum millia habebant, totidemque ad minus ex Auxiliaribus Copiis de more ſibi adjungebant: An trecena hominum millia iis non ſufficiſſent, quorum regiones, ac provincias ſemel quæſitas nemo hoſtium aggredi auderet? Qui etiam nonniſi ad proferendos Imperii fines iis uterentur? Adde demum, ingentem adhùc eum numerum apud Romanos videri poſſe, qui non magis numero, quàm militum virtute delectabantur, proque diligentiſſimo virorum delectu, exactiſſimâque rei militaris diſciplinâ, inſignes, quibus aſſueti erant, victorias non copiarum multitudini, ſed probatiſſimæ militum virtuti acceptas referre gloriabantur: atque hæc quidem de binis illis legionibus, in quibus Beneventanos milites conſcribi ſolenne fuit, obſervaſſe libuit.

Ad eas modo legiones pergendum mihi eſſet, in quibus Beneventani [quos ſuperiore capite recenſui] Tribunatum, aliaque inſignia munera adminiſtrarunt; at neutiquam de ſingulis prope legionibus tractandum mihi inſtitui, quod longum ſane fuerit, ac omnino otioſum; Selegeram quidem Legionem XII. in qua *L. Læticius* primo loco memoratus Tribunus militum fuit, eam inquam, Legionem *Fulminatricis* cognomine illuſtrem, qua Res Chriſtiana illuſtrari maxime poſſet: Miraculi fidem, quo Chriſtiani milites in eadem Legione conſcripti, Marcommannico Bello, ſub M. Aurelio, pluviam impetrarunt, acriùs, quàm hactenus alii, aſſerebam adverſus quoſdam intemperantioris Critices ſtudioſos, alioſque recentiores Heterodoxos: Sed ſatius fuit, antequam noſtra ederentur, præreptam mihi palmam conceſſiſſe V.C. Mammachio, qui Orig. Chriſt. lib. II. cap. 7. §. 1. quum ſummam manum huic rei pro ejus dignitate dediſſet, illud dumtaxat mihi reliquum fecit, ut eruditiſſimi auctoris ſumma cum laude heic meminerim, ac præterea lectorem ad eum ablegarem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

In militarem Lapidem C. Luccii Beneventani Commentarius.

C. LVCCIVS C. F.
STEL. SABINVS
BENEVENTI DECVRIO
VIVVS SIBI ET OFILLIAE
PARATAE VXORI ET LVCCIO
VERECVNDO FRATRI POSTERISQ
SVIS FECIT. MILITAVIT. IN. COH
OR. VRB. ADIVT. TRIBVN. ORFIT
SECVTOR. OPTIO. VALETVDI. OPTIO
ARCARI. SINGVLARIS. BENEFIC
TRIBVN. A. QVAESTIONIB. FACTVS. PER
ANNIVM. VERVM. PRAEF. VRBIS. ET
TESSERARIVS. OPTIO. SIGNIF. FISCI
CVRAT. OPTIO. AB. ACT. CORNICVL
TRIB. BENEF. VLTERI. ASIATIC. PRAEF
VRB. MISSVS. AB. IMP. HADRIANO. AVG
SERVIANO. III. ET VIBIO VARO COS...
.....CIO. CLARO. II. COS. IN FR
P. XX. IN AGRO P. XX

JAM postremo loco ad Luccii lapidem accedamus, quo militarem Veterum Beneventanorum rem, quam hactenus in Castris, atque in ipsa acie præclaram celebravimus, intra Urbis modo mœnia florentem inspiciemus. Insignem hunc nostrum lapidem in Platea Ædis majoris adhùc extantem, asperiores tamen temporis injurias ad hunc diem expertum, multi antea in lucem edidere, sed vel mutilum, vel fœdis scatentem mendis (*a*), quæ aliorum vel inscitiâ, vel oscitantiâ invecta, ita nunc meâ diligentiâ detersa habes, ut in exemplari superius edito sua tandem lapidi fides sit restituta. Intererat autem, ut, quod in aliis accuratè a me præstitum fuit, in hoc maxime monumento diligentiorem operam adhiberem, qua munera omnia militaria, quibus omnino verbis inscripta essent, legerentur, novaque multa exinde nobis paterent, quæ vix hactenus ex antiquitatis latebris eruta, unius nostri lapidis beneficio in lucem prodeunt.

C. igitur Luccius Beneventanus Decurio in eo titulo monumenti, quod vivus sibi, suisque fecit, pro recepto more, quo suum quisque nomen, dignitates, honores singulos posterorum memoriæ commendare gestiebat, munera omnia, quotquot in Urbana militia ipse gesserat, longissima serie enumerare pergit; atque ab ipsa Militia Urbana orsus, in Cohorte Urbana primùm se militasse ait; numerum Cohortis non tamen, ut mos erat, expressit: plures enim in Urbana Militia fuisse Cohortes, satis constat, & quidem tum a Vigilum, tum a

[*a*] Guther. de *Off. D. A.* cap. 37. Panvin. *in Fast.* pag. 221. Fabrett. *Column. Traj.* cap. 7. pag. 197. sed quæ sunt apud Gruterum menda indicare tantum præstat: nam pag. 431. num. 9. hunc lapidem exhibet, ubi lin. 10. pro *Arcarii* habet *Arcaris*: lin. 11. omittit A. ante *Quæstionibus*: lin. 14. pro AB. ACT. habet ABACT. lin. 15. pro *Asiatic.* legit *Asiatin.* Nomina Consulum pessime corrumpit, quæ suo loco restituta dabimus. Mirabimur tandem Cl. Muratorii oscitantiam, qui hunc lapidem, solum ex Rhedii codice excepisse contentus ita pag. 1032. num. 7. exhibeat, ut pro LVCCII nomine Tuccium nobis primâ lineâ obtrudat, ac post dictionem *Fecit* septimæ lineæ, statim obmutescat, itaut quæ reliqua sunt in lapide, in ejus exemplari prorsus desiderentur.

Digitized by Google

Prætoriorum Cohortibus distinctas, quas sub Augusto ad IV. numerat Tacitus (*a*); ad XIV. postea auctas antiqui lapides manifeste docent: Proprius hic Urbis miles habebatur, eandem licet Urbem insidentibus *Vigilibus*, *Prætoriisque*, novo proinde vocabulo *Urbanicianus* appellatus a J. C. Paulo (*b*) & semel apud Gruterum (*c*), nulla re Legionario minor (*d*), quippe qui Urbis tutelam habebat, cujus ille imperium foris proferebat. At cum in Urbe, & pro Urbe semper hæ Cohortes adessent, præter Tribunos, aliaque minora militiæ munera, quibus regeretur, ipsum Urbis Præfectum supremum sibi caput, aut Ducem habebant; Hinc in Vitelliana Conjuratione Primores Civitatis Havium Sabinum Præfectum Urbis secretis sermonibus incitabant, victoriæ famæque partem capesseret; esse illi proprium militem Cohortium Urbanarum (*e*): ex quo summa lux nostro lapidi, a quo vicissim res ipsa comprobatur; patet enim ratio, cur Luccius bis per beneficia Præfecti Urbis [ejus scilicet, qui Urbanæ militiæ præerat] ad altiora munera promotus dicatur.

In ipsa autem Urbana Militia dum stipendia facere cœpisset Luccius, (neque enim permilitasse (*f*), sed tantum militasse se affirmat) primo loco ADJUTOR Tribuni Orfiti fuit (*g*): Adjutoris munus in militia rarò admodum occurrit, nam præter nostrum lapidem, semel, atque iterum legitur in Gruteriano Thesauro (*h*); at non insuetum, vel extraordinarium putari debet, quippe quod *Optioni* (de quo mox dicam) respondet, immo & illius synonimum fuisse non inepte colligo ex Cæsare, qui Lentulo Quæstori legionis IX, *quod valetudine minus bona utebatur*, *Fulvium Posthumum Adjutorem summisit* (*i*): Mox etiam SECUTOR fuit, ejusdem, ut videtur, Tribuni: De *Secutoribus*, qui eo proprio nomine Gladiatores erant, in vetustis monumentis, & Scriptoribus frequentissima mentio: Cave tamen, ne ad hos *Secutores* Luccium nostrum pertinere putes; Fuit enim in militia *Secutoris* munus, ut antiqua saxa nos docent (*k*), in quibus dignoscendis diligentia adhibenda est, ne cum his Militaribus Gladiatorios Secutores confundamus; Reperio enim Lipsium (*l*) inter militares retulisse Taurum Secutorem, de quo hic lapis apud Grut. pag. 334. 2.

D. M.
TAVRO SECVTO
RI CAESARIS
(*m*) B. ANNIS XXIII
CALLISTE COIVX *sic*
B. M. F

ubi Taurus hicce nullo prænomine, ac cognomine insignis, suo etiam, ac conjugis nomine servilis conditionis se prodens, nullimode ad militiam pertinet, sed inter Cæsaris gladiatores Secu-

[*a*] Annal. lib. IV.

[*b*] In lib. 35. §. 4. D. *Ex quib. caus. major* 25. *ann. in integr. restituantur* ubi sic ait: *In Urbanicianis militibus idem D. Pius constituit &c.*

[*c*] Gruter. pag. 1109. 15. ubi Q. Titius Rufus dicitur *Miles Urbanicianus Coh.* XI. *Stip.* V.

[*d*] In delectu militiæ Urbanæ nemo nisi ingenuus Civis Romanus censebatur, immo qui intra Italiam natus, ut ex Tacito colligitur, qui Cohortes Urbanas, *Etruria fermè*, *Umbriaque*, *aut Vetere Latio*, *& Coloniis antiquitùs Romanis* delectas affirmat l. l. Hinc in vetustis saxis, quæ Urbanicianos milites passim nobis exhibent, nullum libertinum legere est, ut in Vigilibus sæpe occurrit: Pari itaque Legionariorum jure Urbaniciani fruebantur in peculio, testamento, & licet in Urbe præsentes, absentium tamen caussa Reip. beneficio gaudebant, ut docet Ulpianus in l. 13. §. 1. D. ad L. Jul. de Adult. & Paulus l. l.

[*e*] Tacitus Histor. l. III.

[*f*] Permilitandi verbo optime utitur Ulpianus in l. 9. D. De Excusation. (ut notat Ant. Augustinus in lib. singulari ad Modestinum) pro eo, qui integra militiæ stipendia confecit. Sic *pernumerare* apud eund. in l. 1. §. 24. D. *De Ventr. in poss. mitt.* *Pernoctare* (idem Ulpianus docet in l. 166. D. De V. S.) extra Urbem intelligendus est, qui nulla parte noctis in Urbe est: *Per* enim *totam noctem* significat.

[*g*] Orfiti cognomen Gentis Memmiæ peculiare fuit, ut in lapidibus apud Gruter. pag. 38. 6. & 284. 8. ubi Memmius Vitrasius Orfitus bis Præf. Urbi: In fastis etiam *Orfiti* Consules recensetur. Capitolin. in Pio: *Successorem viventi bono Judici nulli dedit, nisi Orfito Præfecto Urbi, sed petenti*: Ex tot Orfitis aliquis Tribunus Cohortium Urbanarum fuit.

[*b*] Pag. 526. ubi Aur. Brinursius EQ. CAST PRIOR TVR. MAXIMI ADIVTOR PRAE. i. e. EQues CASTrorum PRAET. (sic emendo illud PRIOR) TVRmæ *Maximi Adjutor Prætoris*: & pag. 561. n. 11. M. Romulianus dicitur ADIVTOR CORNICVL. i. e. *Cornicularii*.

[*i*] Bell. Civil. lib. III. cap. 19.

[*k*] Idem Romulianus, qui supra dictus fuit *Adjutor Cornicularii*, in eodem lapide dicitur *Mil. Coh.* VIII, *Secutor Trib.* & pag. 521. num. 8. M. Antonius *M. F. Fab. Phœbus Mil. Coh.* XIV. *Urb.* dicitur etiam *Secutor Tribuni*; ut jam de militari Secutoris munere nulla dubitatio superfit.

[*l*] Saturnal. lib. II. Differt. 7.

[*m*] Idest *Bixit*, pro *Vixit* usurpata B. pro V., de qua re sexcenta exempla habentur: notandum tamen fuit, ne quem solitarium illud B. deciperet.

Digitized by Google

Secutorum Classi addictus fuit: Sed quod militares Secutores attinet, neque eos Tribunis Apparitorum loco fuisse cum eodem Lipsio existimes: quid enim? Postquam Luccius Adjutoris satis honesto munere apud Tribunum functus, ei deinde Apparituram, vilissimum munus, feciſſe debuit? Immo potius ex *Adjutore* jam *Comes*: Hanc enim Secutoris vocabulo significationem in militia recte damus ex loco S. Paulini Nolani in Epist. ad Militem: *In militia* (inquit) *sæculari socius, & Secutor contubernii sui fuit*: quid? quod Marti eadem *Comitis* significatione, Secutoris nomen fuit; Ita certe Apulejus (*a*): *Prælectum, grandem hircum, annosum, horricomem, Marti Secutori, Comitique victimant*: ubi Comitem adjecit, velut Secutoris interpretamentum.

Sed jam *Optionis* munere Luccius fungi cœpit; cœpisse dixi, dum per diversos gradus, ac in diversis muneribus quater *Optionem* fuisse se commemorat; unde & diversam, pro ejus ævi ratione, *Optionis* significationem accipiendam discimus: Sanè Optiones vetus Romana militia dixit, qui a dignioribus, & cum gradu militibus adoptati vicem eorum subibant (*b*): Sed paulatim eò res devenit, ut ordinarium esset munus, itaut Optio certæ rei, aut operi constitutus, suo proprio jure, atque nomine præesset: Sic *Optio Fabricæ* dicebatur, qui Imperialem Fabricam, seu Armifactorium curabat: atque *Optio Valetudinarj*, quod munus noster Luccius administravit, nostramque, ut accuratius inquiramus, operam modo postulat.

Nullibi in universa antiquitate [nec enim mihi diù quærenti occurrit] *Optionem Valetudinarj* invenire erit; ut exinde etiam pretium nostro lapidi accedat: Vix in *l. ult. D. De Jure Immunitatis* ejus muneris vestigia aliqua mihi dignoscere licuit, ita tamen mendosè expressa, ut peculiare munus, quod ibi haberetur, viros doctissimos hactenus latuerit. Itaque T. Aruntenus Paternus (*c*) in lib. 1. *De Re Milit.* relatus in laudata lege sic loquitur: *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut sunt Mensores, Optio, Valetudinarii, Medici, Capsarii &c.* Vulgatam retuli ejus legis lectionem, ad quam ita Gothofredus: *Valetudinarii Medici (Budæus ita conjunctim legere videtur) sunt, qui valetudine affectos curant οἱ νοσοκόμοι. Ad officium Præsidis Castrorum pertinebat expensas dare Medicis. Veget. l. XI. 10. Ferrand. 1. explicat. 52. Valetudinarios interpretatur ipsos infirmos ut l. 12. de re milit. ut Celsus lib. 3., unde Valetudinarius locus, in quo infirmi. Columell. 11. 12. Tacit. de Orat.*: Brissonius etiam in De V. S. *Optionem*, in ea lege memoratum, a *Valetudinarii* vocabulo disjunctim legens, seperato loco de utrisque agit, nam lib. 13. *Optionem* in ea lege significatum ait, qualem in re militari Vegetius definit, *Valetudinarii vero* (inquit lib. 10.) *qui circa ægrotos perpetuo sunt occupati in Valetudinariis l. ult. D. De Jur. Immun.* Neque secus habet doctissimus Facciolatus, quem miror etiam in ejusdem legis verbis, quæ pro statuenda Valetudinariorum activa significatione recitat, *Optionem* prætermisisse (*d*): At non equidem prætermittendus fuit *Optio*, cui sequens Valetudinarii vocabulum omnino conjungendum crediderim, quod non recte ad subsequens *Medici*

[*a*] Metam. l. 7. pag. 216.

[*b*] Vegetius l. 2. c. 7. *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine impeditis, hi tanquam adoptati eorum, & Vicarii solent curare*: Festus idem: *Optio qui nunc dicitur, antea dicebatur accensus; is adjutor dabatur Centurioni a Tribuno militum; qui ex quo tempore quum velint, Centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est.*

[*c*] T. Arruntenum scribere malui, quàm Tarruntenum, ut junctim apud omnes scriptum inveni; facile enim illud mihi persuasi, in eo nomine, ut in Catinio Plinii pro C. Atinio, Cælio, & Cæcilio Macrobii, pro C. Acilio, Metello Flori pro M. Atejo &c. Singularem literam, qua prænomen notabatur, cum ipso nomine coaluisse: Sunt quidem bini lapides apud Grut. p. 421. n. 3. & 471. n. 8. in quibus Tarruntenius Marcianus, seu Maximilianus occurrit, qui tamen sequioris ævi tempora spectant: Aruntejæ autem, seu Aruntææ, Aruntiæ quoque Gentis prisco ævo frequentior in eodem Grutero mentio, ex qua postrema Aruntia est forte Aruntina Ampiana p. 743. 7., indeque etiam per adoptionem noster Aruntenus, quem etiam Tarruntinum dictum lego in Lampridio edit. Basileæ Froben. 1533. De pluribus autem Paternis, qui Cæsarum ætate summis Magistratibus in Rep. floruere, Catalogum texit Reines. ad 16. Clas. 1., quem auctiorem fecit eruditiss. P. Lupus in Epit. Severæ §. 3., atque inter eos noster hic Paternus recensetur, quem Tarruntenum cognomine haud recte (nam nomen id fuit) vocat Gravin. de Orig. Jur. l. 1. c. 86. Eum autem non sub Alexandro Severo, ut falsò putat Guid. Pancirol. Var. lect. 1. 79. sed sub Commodo floruisse recte statuit doctiss. Heinecc. Hist. Civ. l. 7. c. 4. §. 309. ex Lampridio, qui Præfectum Prætorio Tarruntenum Paternum, Conjurationis in Commodum conscium, ab eo neci traditum tradit; eumque esse ipsum, de quo agimus, satis docet Vegetius, quo l. 1. c. 8. diligentissimum Juris militaris assertorem appellat, quippe qui libros IV. de *Re Militari* conscripserit.

[*d*] Lexic. v. Valetudinarius: *Valetudinarius Medicus est, qui valetudine affectos curat, vel potius, qui ministerio fungitur in Valetudinario l. ult. Dig. De Jur. Imm. Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum tribuit conditio, ut sunt Mensores, Valetudinarii Medici, Capsarii &c.* Hæc Facciolatus.

Digitized by Google

conjungebat Budæus: Ita enim jam fiet, ut recta, ac vera lectio ejuſdem legis jam conſtet, quam ſatis indicare videbatur exemplum in eadem lege citò obvium, ubi paullo inferius inter alia munera *Optio Fabricæ* occurrit, ac planè confirmat noſter lapis, qui tandem, quum *Optio Valetudinari* præclariſſime habet, ita pariter in eadem lege legendum eſſe nos monet.

At quid, inquies, *Optio Valetudinari*? Facilis, ni fallor, explicatu res eſt; quam neque altius repetendam eſſe video ex præcipua illa militaris diſciplinæ parte, quâ ægri milites nondum non negligebantur, ſed plane ita curabantur, ut non meliorem operam, ſi in propriis laribus, atque inter ſuos eſſent, deſideraſſent (*a*); neque etiam in ea re ſummam Principum diligentiam moror, quâ præcipue a vetuſtis Hiſtoriographis celebrantur (*b*): Scimus enim Summos Viros proprio munere ad id delectos; nam ægros Contubernales, Medicoſque a quibus curarentur, omniaque, quæ ei rei opus eſſent, ad Præfecti Caſtrorum vigilantiam pertinuiſſe tradit Vegetius (*c*); neque ei rei deerat ipſius Tribuni munus, cujus inter alia officium erat *Valetudinarios inſpicere*, ut docet J. C. Macer. (*d*) At hæc quidem in Caſtris: quid ni in Urbe, & pro Urbana Militia cura eadem, atque etiam major militibus ægrotantibus? extitiſſe in Urbe Noſocomium, ſeu Valetudinarium, ægris militibus curandis extructum, ex iis, quæ diximus, ſatis aperte conjectare licet. Quid? deeſſent militibus, quorum ſalutem adeò intererat curæ eſſe, ut jam oſtendimus, deeſſent, inquam, quæ in Divitum domibus paſſim invenire erat, Valetudinaria ſcilicet pro numeroſis ſervorum familiis inſtituta, quorum non ſolum cohortes, ſed penè legiones ali notavit Plinius; certè de hiſce Divitum Valetudinariis meminit Seneca (*e*): De Militari autem Valetudinario, quod in Urbe eſſet, quò non Urbani tantum milites, ſed etiam e Caſtris, curandi reciperentur, ſatis conſtat ex noſtro lapide, ubi cum Luccius *Optionem Valetudinarii* fuiſſe ſe memoret, & ipſum Valetudinarium, i. e. locum ægris militibus curandis inſtitutum extitiſſe probat, ſeque ejuſdem *Valetudinarii Optionem*, eum ſcilicet, qui ejuſmodi loco præeſſet, præclarè demonſtrat.

Sequitur in lapide OPTIO ARCARIS, ut mendoſe legit Gruterus, ſed ARCARI, ejuſdem lapidis fide, ſcribendum erit, ut ſit *Optio Arcarii*; quod munus Luccius etiam obivit. Plures Veteribus fuiſſe Arcas conſtat (*f*): neque enim Privatorum Arcæ tantum erant, unde *Arcarius* ſervus, aut Libertus, qui a Domino Arcæ præpoſitus, pecuniæ in ea conditæ curam, diſpenſationemque ſubibat, ſed publicæ etiam, ipſæque pro diverſarum rerum, perſonarumque varietate quamplures habebantur. De Collegiorum Arcis, ubi ſodalium pecuniæ aſſervarentur, jam alibi diſſeruiſſe me memini; ſicuti & propriam Collegio Pontificum fuiſſe Arcam ſatis probant veteres lapides apud Gruter. p. 383. 4. 652. 8. (*g*) At omnium celeberrima

[*a*] Veget. de Re milit. l. 3. c. 2. *Ægri Conturbernales opportunis cibis reficiantur, ac Medicorum arte curentur, Principum, Tribunorumque, & ipſius Comitis, qui majorem ſuſtinet poteſtatem, jugis quæritur diligentia.*

[*b*] Omnes quidem Principes, qui bellandi ſtudioſi fuere, ægros milites nullo non ſubſidio juvabant, imo ſumma comitate, charitateque fovebant: Hanc præcipuam laudem tribuit Germanico Tacitus *An.* 1. 71. Trajano Plinius *Paneg. c.* 13. Hadriano Spartianus *c.* 9. & 10. Alexandro Severo Lampridius *cap.* 47., ut etiam alii paſſim aliis ea de re celebrantur.

[*c*] Lib. II. cap. 10.

[*d*] In l. 12. Dig. De Re milit.

[*e*] De Ira lib. 1. cap. 16.

[*f*] Dicebantur autem, non quæ ad inſtar lignearum capſarum manu tranſvehi poſſent, ſed ipſæ in domibus manſiones, aut ædiculæ ad id deſtinatæ; hocque patet, quia non ſolius pecuniæ Arca erat, ſed paſſim aliarum mercium. Sic *Arca vinaria* occurrit apud Symmach. ep. x. 47. & in l. 3. Cod. Theod. *de Calc. coct.* Arca *olearia*, & *frumentaria* habetur in l. 2. Cod. *de Curator. Kalend.* quæ profectò merces nullibi, quàm in fabrefacto loco, ſeu manſione aſſervari poterant. Hæ itaque manſiones *Arcæ* dicebantur ab *arcendo* quidem, ut docet Varro de l. l. IV. *quod ab ea clauſa arcentur fures*; nec aliter Servius Æn. L. v. 266. *Arcana ſecreta, unde, & Arca, & Arx dicta, quaſi res ſecreta, a quæ omnes arcentur*: At Scaliger de *Re Poet.* l. IV. *c.* 16. Feſti auctoritate, qui verbum *arcere* antiquis idem, ac *continere* fuiſſe docet, hanc principem ejus verbi ſignificationem ſtatuit, quæ etiam Voſſio magis placuit, qui Arcam melius dici vult, quod incluſa contineat, & ſervet: quod tamen non omnino probari poteſt; vix enim locus, aut res eſſet, ad aliquid continendum, ſervandumque comparata, quæ non Arca dici recte poſſet: In uno tamen doctiſſimorum Virorum ſententiam ſuſtineri poſſe video, quod ſcilicet Arca quoque Veteribus diceretur carceris locus, quò ſervi, de quibus quæſtio habenda eſſet, aliique malefactores conjiciebantur: Feſtus. *Robur quoque in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur malefactorum genus, quod antea Arcis robuſteis includebatur.* Sic Cic. pro Milon. c. 22. *Subito abrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur a cæteris, & in Arcas conjiciuntur, ne quis cum eis alloqui poſſit.* Ita etiam Horat. l. 2. Satyr. 7.

Quid refert uri virgis, ferroque ſecari,
Auctoratus eas, ac turpi clauſus in Arca:

[*g*] Ad ejus Pontificalis Arcæ ſimilitudinem, ſed ad meliores plane uſus, atque ex pia ſtipe comparatam Arcam etiam eſſe in Eccleſia dixit, & probavit Tertullianus in Apologet. cap. 39., cujus verba omnino notanda ſunt:

Digitized by Google

berrima fuit *Arca Populi Romani*, quo tamen nomine ipsum Populi Romani significabatur Ærarium, de quo passim loquuntur veteres Scriptores. Stetit illud stante Republica, idemque fatum unà subiisse videtur; nam Julius Cæsar in Civili Bello suo Urbem pene vacuam metu ingressus, illud, quia tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi; ex eo autem laterum aureorum viginti sex millia, & in numerato pondo trecenta protulisse memorat Plin. *l.* 33. 3., subdens, non fuisse aliis temporibus locupletiorem Rempublicam. At licet exinde, imminutâ Senatus, Populique auctoritate, omnia sub Principe essent, mansit tamen eodem loco, quod etiam populi, sive publicum dicebatur, Ærarium; diversum quidem ab eo, quod instituit Augustus pro militum stipendio, militare proinde appellatum, atque ex novis vectigalibus constitutum (*a*): In summa, constans mihi sententia est, aliam fuisse a Principis Ærario Senatus, Populique Arcam publicam, cujus pecunia in alios communes, publicosque usus ejusdem Senatus, Populique decreto erogabatur, quod ex Aureliani Cæsaris Epistola ad Senatum apud *Vopiscum cap.* 20. satis compertum habeo; cum enim Sybillini libri inspiciendi essent, eaque de re sacra, aliaque plura de more celebrari oporteret, *Si quid est sumptuum* [subdit Aurelianus] *datis ad Præfectum Ærarii literis decerni jussi; est præterea vestræ auctoritatis Arca publica, quam magis esse refertam reperio, quam cupio*: Ubi jam manifestè vides, discretam a Principis *Ærario* illam *Arcam publicam*, cujus auctoritas apud solum erat Senatum, & quæ nullimode cum Fiscali confundi debet. Atque hæc quidem Arca publica, non solius Urbis Principis erat, sed etiam Municipiorum, quorum nullum [ut hodiedum quoque obtinet] hujusmodi Arcâ carebat, quæ licet Kalendarii nomine in vetustis monumentis maximè celebretur, sua tamen appellatione non semel occurrit, ut apud Gruter. pag. 1091. 7. *Secundus Ark. Reip. Amerinorum monumentum dicavit T. Attico Curatori Kalendari Amerinorum*: ex quo intelligitur diversum *Arcarii* a *Curatoris* fuisse munus, quod nempe ampliſſima in Kalendario administrando *Curatoris* fuerit potestas, cujus *Arcarius* administer dumtaxat adlegebatur, qui publicas pecunias in Arca receptas custodiebat, ac *Curatoris* jussu depromebat, expendebatque: Hùc etiam referri potest Erastus ille, quem Apost. Paulus *ad Rom. c.* 16. *n.* 23. vocat *Arcarium Civitatis Corinthiorum*, qui grecè in textu Οἰκονόμος *OEconomus* scribitur.

Quod vero ad Principis Arcam pertinet, Fiscalis illa dicebatur, de qua ita Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius (*b*). *In Provinciis singulis duo Tabularii conlocentur, quo ad unum Fiscalis Arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli videantur*: Arcarios vero [si fides Lampridio cap. 43.] primus Alexander Severus instituisse videtur, vel potius ita appellasse: *Arcarios vero* [ita inquit] *instituit, qui de Arca Fisci ederent munera, eademque parciora*. In veteri Kalendario Constantio Imperatore scripto, quod Heruvartus, dein Bucherius, ad denique Lambecius notis illustratum evulgarunt, pridie nonas Decembris legitur: *Munus Arca*, seu *munus Archa*, quod munus Arcadicum ibidem designari putavit Lambecius, sed rectius, ac omnino verè eorum verborum explicationem ex laudato Lampridii loco petendam esse docuit doctissimus Card. Norisius (*c*), ut eo die nempe munus ab Arcariis edi soleret: Cæterum frequens in eodem Codice est Arcariorum mentio, adestque peculiaris titulus *De Susceptoribus, Præpositis, & Arcariis*: Sed præter hanc Arcam Fiscalem, alias etiam Princeps habebat, quarum præcipua, quæ penes Præfectum Prætorio constituta erat, in utroque Codice sæpius commemorata, ubi etiam *Arca amplissimæ Præfecturæ*, & *Arca Prætoriana* nuncupatur; In eam Canones, seu tributa quædam inferebantur, tum in armorum fabricis, ac militum de uno ad alium locum transitu ejusdem Præfecti jussu eroganda (*d*), tum etiam, ut ex ea Equites, Peditesque, qui in Aula ad Principis custodiam excubarent, nempe Prætoriani milites ordinaria acciperent stipendia. Hinc ipsorum querelæ apud Cassiodorum (*e*): *Quod ab Arcario Præfectorum* [qui etiam Arbiter Arcæ appellatur] *pro emolumentis solennibus, non integri ponderis solidos perciperent, & in numero gravia dispendia sustinerent*: Fuit pariter alia penes Præfectum

sunt: *Præsident* (inquit) *probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei constat; etiam si quod Arcæ genus est, non de oneraria summa redemptæ Religionis congregat, modicam unusquisque stipem, menstrua die, vel cum velit, & si modo possit, apponit, nam nemo compellitur, sed sponte confert; Hæc quasi depositæ pietatis sunt, nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque pueris, ac puellis, re, ac parentibus destitutis, ætateque domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat Dei sectæ caussa Alumni confessionis suæ fiunt*: Sed hæc obiter.

[*a*] Dio lib. LV. Sveton. August. c. 49. n. 6.
[*b*] Cod. Theodos. lib. 8. tit. 1. leg. 9.
[*c*] Cenotaph. Pisan. Dissert. 3. c. 3.
[*d*] l. ult. *Cod. de Cursu publico*.
[*e*] Var. 1. 10.

Digitized by Google

fectum Urbi Arca ad ejuſdem Principis jus, rationemque poſita, de qua loquitur lex 7. *Cod. De Advocat. Diverſorum Judicum*; nam ex eadem Præfecti Urbani Arcâ annuum ſexcentorum aureorum ſalarium Fiſci Patronis ſolvendum jubetur *(a)*; Quum igitur Luccius in Urbana Militia meruit, cui Præfectum Urbi ſummum fuiſſe Ducem, aut Caput jam vidimus, jam demum, quum eundem *Optionem Arcarii* in lapide legimus, ſatis intelligimus, Arcarii vices feciſſe, qui Arcæ ejuſdem Præfecti Urbi præpoſitus erat: quod tamen non inter vilia munera reputabis, neque enim eundem Luccium memoraſſe puduit. Scimus autem ſummæ virtutis, atque honoris argumentum, ſi ex infimis ad ſumma gradatim quis conſcendat, ipſumque Luccium jam miramur ex Optione Arcarii, deinde FISCI CURATOREM fuiſſe, ut in noſtro lapide lin. 13. & 14. habemus, itaut qui ſoli Arcario vicariam operam aliquando præſtiterit, Fiſcum demum ipſum [quod munus inter ſublimiora cenſebatur] curare fuerit dignus.

Sed jam reliquas Optiones a Luccio geſtas perſequamur: Fuit enim (ut lin. 13. habetur) OPTIO SIGNIF. i. e. *Optio Signifer*, ſive *Optio Signiferi*. Signiferum ab Aquilifero planè diverſum fuiſſe protrita res eſt, quam etiam è Cæſare colligimus, qui Prælio Pharſalico relata ad ſe ſcribit *centum octoginta Signa militaria*, *Aquilas* IX. *(b)*; nam cuique Legioni Aquila, ſingulis manipulis Signum, unde præſtantior omnibus Aquilifer, qui idem ac primus Centurio, ſeu Primipilus, de quo ſuperius egimus; ſed & egregii quoque Signiferi ipſi, quos *vigore animi, & corporis præſtantes eligi* conſuetos teſtatur Vegetius *(c)*, quales Signorum cuſtodia, ne in hoſtium munus venirent, poſtulabat. quod maximum erat Romanæ militiæ dedecus, ipſorum Signiferorum capite luendum *(d)*. Veſtibus præterea inſignis erat Signifer unuſquiſque, nam

Ipſe pedes tegmen torquens immane Leonis
Terribili inpexum ſeta cum dentibus albis
Indutus capiti . . . . . .
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu (e)

qualem in noſtro Triumphali Arcu Trajani etiamnun ſpectamus, ubi etiam præter Aquilas, alia etiam Signa conſpicere eſt; ſed de his alias, συνθεὸς, uberius. Legionarium Signiferum domo Beneventanum exhibet hic noſter lapis.

A . SILANVS
COH. I. VIGIL
SIGNIFER SIBI
ID. SILANO
FRATRI SVO IN
FR. P.XII. IN AG. P.XII

Quem lapidem in militarium Magiſtratuum cenſu Cap. 1. ex induſtria prætermiſſum, heic ſervavi, ubi opportunior ejus muneris tractatio inſtituenda fuit: Atque illud quidem ſatis egregium, ut dixi, cui *Optio* daretur, qualem in noſtro lapide Luccius ſe prodit: Optio Signiferi, præter noſtrum lapidem, ſemel atque iterum in Grutero occurrit p. 80. 4 & 445. 10. atque, ignoratis etiam hiſce teſtibus, ejuſmodi munus conjectaverat jam Lipſius ex Polybio, qui cum binos Vexillarios in ſingulis manipulis ſtatuat, non ideo inquit *conſequi de duobus vexillis, bini enim eſſe poterant, ut alter alterius vicem obiret in defatigatione (gravia enim hæc ſigna), aut etiam in mor-*

[a] Scriptam ad P. V. i. e. *Præfectum Urbi* eam legem jamdiu obſervavit Cujacius l. 13. obſerv. 1. nam in vulgatis editionibus mendoſe in titulo habentur ſigla PP.

[b] Cæſar. Bell. Civ. l. III. cap. 30.

[c] Apud Lipſ. mil. Rom. l 2. dial. 8.

[d] Dionyſ. lib. 9.: *Quidam e Ducibus ſigna e ſuis erepta in hoſtes jecerunt, ut languidioribus ex neceſſitate robur imprimerent, ſcientibus, quod iis, qui non retuliſſent ſigna, cum ignominia eſſet moriendum.* Livius l. 2. c. 59.: *Inermes milites ſigno amiſſo, ſigniferos, duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit*: Nec mirum, quum etiam Numinum loco eſſent, atque ipſi omnino Dii Caſtrenſes, quibus ſolis milites cultum, religionemque exhiberent, ut ex Tacito, & Tertulliano alibi notavi.

[e] Sic Aventinum Regem deſcribit Virgil. Æn. 7. v. 666. Non ſolum autem in noſtro Arcu, ſed etiam in Columna Trajana Signiferi hoc habitu, nempe cum pelle Leonis, quæ caput, humerum, dorſum tegat, & caudâ pedes flagellet. Vid. Fabret. ad Col. Traj. c. 7. pag. 202.

Digitized by Google

in morbo; *quæ ipſa cauſſa in Centurionibus duobus a Polybio expreſſa* (*a*); Intererat etiam, ut Centurioni, ita pariter ſuum Signifero Adjutorem attribui, ut eo deficiente, præſto eſſet, qui Signum ſervaret, in quo ſummum militiæ decus, nec minor religio continebatur, ut ſuperius obſervavimus.

Poſtremò tandem OPTIO AB ACTIS lin. 14. ſe offert, quod item munus Luccius geſſit: Jam monui, ita disjunctim in lapide ſcriptum, quod mendoſe *Abactis* in Grutero legitur. Quid autem illud ſit, facile quis intelliget, dum vim, & elegantiam præpoſitionum A vel AB in munere alicui mandato exprimendo paullum animadvertat: De his plura habet Koolius in not. ad fin. op. Gudiani p.v.: Apud omnes Scriptores hæ præpoſitiones hoc ſenſu obviæ ſunt, & in vetuſtis Inſcriptionibus ſatis frequentes, atque in una hac noſtra pluries adhibita: AB ACTIS igitur erant, qui curandorum Actorum munere fungebantur: *Ab Actis Fori* ſemel occurrit apud Gruterum (*b*), frequens autem apud eundem *Ab Actis Senatus* mentio (*c*). In lapide Antiate refoſſo an. 1733. inter alia munera C. Julii Proculi Coſ. recenſetur illud: ABACTIS IMP. TRAJANI, quod Cl. Lupus in Epit. Sev. eundem lapidem primùm edens pag. 120. recte explicat *Ab Actis Imperatoris Trajani* (*d*). At *Ab Actis*, quod militiam ſpectat, ſi noſtrum excipias, fruſtra in aliis ſaxis quæres: Alibi igitur vetuſtatis monumenta quærenda ſunt, quæ comprobent, nam & ipſum Viris doctis nondum obſervatum: Fuit igitur in Militia munus *Ab Actis*, quod ſequiori ævo Actuariorum nomine maxime innotuit. Eſt adhùc titulus Cod. Theod. *De Numerariis, Actuariis, Scriniariis, & Exceptoribus*, ubi Conſtantinus in l. v. data ad Taurum Præf. Præt. hæc mandat: *Actuarii Condicionales ſollicite proprio fungantur officio, nec ad quaſdam inrepant dignitates, quibus perfrui divalia Statuta prohibent*: Hi autem non Actorum, ſeu Commentariorum cuſtodes recte dici poterant, ut putavit Gothofredus (*e*): ſed potius, ut ex eadem lege, quæ in utroque Codice extat, ii erant, qui Ratiocinia (ut verba legis ſunt) pertractabant; ſcilicet rationis militum librum conficiebant, eorumque nomina, & gradus, & quantum cuique annonæ erogandum eſſet, idque, quod ſuis Pittaciis, ideſt mandatis, ſcripto traditis, & ab unoquoque milite Suſceptori annonam diſtribuenti exhibendis, erogatum eſſet, in eo diſtinctè notabant: Hinc Impp. Valentin. & Valens in l. xi. Cod. Theod. eod. tit.: *Suſceptor antequam diurnum Pictacium authenticum ab Actuariis ſuſceperit, non eroget; quod ſi abſque Pittacio fuerit erogatio, id quod expreſſum eſt, damnis ejus potius ſubputetur*: Hac occaſione, quod Actuarii [quorum genus deſcribit Aur. Victor. (*f*)] antea facere inſtituiſſent, eiſdem poſtea ab Imp. Anaſtaſio in *l. 16. Eod. Tit.* ſub certis regulis cum militibus negotiari permiſſum, de iis nempe rebus, quarum milites egent in expeditione, puta pro emendis ſagis, equis, victu, & hujuſmodi neceſſariis, non prius tamen, quam debitum ſtipendium, ſeu annonam militibus præſtitiſſent, quibus, cum adhùc indigerent, peterentque, tum demum vendere res neceſſarias, mutuamque pecuniam ſub uſuris legitimis dare poterant: Ex his jam patet, qui in Militia ſequioris ævi Actuarii fuerint, quos tamen ab iis, qui veteri nomine etiamdum *Ab Actis* dicebantur, diſcernendos facile crediderim. Et quidem Juſtinianæa Conſtitutio in leg. 1. *Cod. de Off. Præf. Præt. Africæ*, *ubi* §. 8. officia omnia ad eandem Præfecturam ſpectantia recenſentur, ac emolumenta, quæ unuſquiſque pro ſuo officio de publico conſequi

[*a*] De Mil. Rom. l. i. Vid. etiam Fabrett. in Col. Traj. c. 3. p. 67. ubi de Optione Signiferi plura habet.

[*b*] Pag. 445. 10. ubi C. Oppius dicitur: AB ACTIS FORI D. PR. PR. ſed in eadem inſcriptione notam illam D corrumpit Fabrett. *Col. Traj. pag.* 67. ac B ſubſtituens obſcuriorem effecit: Forum in hoc lapide memoratum non aliud fortaſſe, quam quod in Caſtris (nam de milite eſt ſermo); ipſumque apud Prætorium, non ſolum venalibus, ſed etiam Conventibus, & legationibus audiendis, ut ex Polybio, ac præterea Suida notavit Lipſ. de Mil. Rom. l. v. dial. 3. quæ omnia in commentarios referri par erat, ut proinde eſſet qui *Ab Actis Fori Decuriæ Prætorii*, (ut explico) munere fungeretur.

[*c*] Pag. 389. 6. 446. 3. 457. 2. & 458. 6. De hujuſmodi munere, ac præterea de Actis Senatus, ac Populi, ſeu Publicis, videſis Lipſium in excurſu ad l. v. Annal. Tacit. lit. A; ubi etiam de Actuariis, qui privato quæſtu alienas orationes, quæ recitabantur, per notas, & ſigla excipiebant; omnia eruditè; ſed de militaribus Actuariis vix indicatum.

[*d*] Sed quid muneris iſtuc fuerit fruſtra ab Viro docto quæres: Fuit itaque Proculus Curator Actorum, quæ in Cognitione Principis, ſive ejus Conſiſtorio conficiebantur; diverſa a Commentariis, quæ ipſius Principis res geſtas omnes continebant, non vero Iudicia, quæ in *Acta* referebantur: Ita apud Briſſ. de V.S. Acta Præſidis, ſeu Præſidialia, Procuratoris Cæſaris, Magiſtratus &c. Fugerunt tamen Virum ſummum, ac perſpicaciſſimum *Acta Principis*, quæ numquam meminit.

[*e*] In l. Actuarii Cod. De Erogat. milit. annon.

[*f*] In Gallieno cap. 33. n. 13.: *Actuarii* (inquit) *genus hominum nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes, velandaſque quaſi ab natura factum, annonæ dominans; eoque utilia curantibus, & fortunis aratorum infeſtum; prudens in tempore bis largiendi, quorum vecordia, damnoque opes contraxerit.*

Digitized by Google

qui debeat, decernuntur, atque officium *Ab Actis* cum ſuis emolumentis memoratur ita: *In Scrinio Ab Actis hominibus* 10. *an.* 14. *cap.* 12. *ſol.* 118. i e. *In Scrinio Ab Actis, cui muneri* XViri delecti ſunt, dantur annonæ XIV. capitationes XII. ſolidi CXVIII. (*a*): Sed quod rem attinet, in notitia Imperii inter officia Præfecti Urbi, hoc ipſum etiam *Ab Actis* numeratur, ut, quemadmodum in Caſtrenſi, ita quoque in Urbana Militia non deeſſet, qui res omnes ad eam militiam pertinentes in Commentarios referret; Certe in Præfectura Urbana non ſolum *Ab Actis*, ſed etiam ejus *Adjutorem* extitiſſe reperio in dicta *leg.* VII. *Cod. de Advoc. diverſ. Judic.*; hæc enim ibi ſanctio legitur §. 3.: *Quorum omnium ſi quid fuerit violatum, qui pro tempore ſollicitudinem Ab Actis in Amplitudinis tuæ gerent officio, Adjutores etiam eorum denis ſinguli libris auri ferientur*: Hinc tandem jam habes, non ſolum in Præfectura Urbis officium *Ab Actis*, ſed etiam ejus Officii *Adjutores*, quorum unus noſter Luccius fuit, qui proinde *Optio Ab Actis* in noſtro lapide quam rectiſſime dicitur, ut ejus munus ſignificaretur, quo aliquando illius, qui Ab Actis Præfecti Urbi erat, Adjutor fuit adoptatus.

Hactenus de Optionibus, aliiſque vicariis Muneribus, quibus Luccius perfunctus eſt. Age nunc, quæ ipſe proprio nomine, ſuoque jure geſſerit, inſpiciamus, non omnia tamen, ne longum faciam in iis, quæ ſatis ſunt pervulgata, ut ſunt *Cornicularii*, *Teſſerarii*, *Curatoris Fiſci*: Ad lin. x. me recipiam, ubi is *ſingularem Beneficiarium Tribuni a Quæſtionibus factum per Annium Verum Præfectum Urbis* ſe dicit: Verba etiam ſequentis lineæ conjungenda duxi, propterea quod ad unum, idemque munus pertinere videntur, niſi illud *A Quæſtionibus* cum aliis, quæ ſequuntur diverſum munus deſignent, ut inferius dicam; Interim in *Singularis* munere pauliſper morari libet: *Plurima Equitum Singularium in inſcriptionibus mentio reperitur*; *atqui inter Scriptores magna de iis, eorumque inſtitutione, ac munere varietas*. Verba ſunt Cl. Fabretti (*b*); qui, quum de ea re agere inſtituat, jam bellum contra omnes Scriptores, quos de eadem re loquentes invenit, indicit, imo etiam (quod jam mireris) contra ſilentes, nam Juſtum Lipſium, & Hermannum Hugonem, propterea quod *de Militia* ex inſtituto agentes, *Singulares* hoſce non meminiſſent, corripiendos, ac *Cenſuræ noſtræ ſuo de hoc militiæ genere ſilentio ſe ſubtraxiſſe* ait: Aggreditur itaque primo loco Donatum, proſternitque; quòd is *Singulare* pro *excellenti* accipiat, ac præterea cum Auguſtanis, ſeu Auguſtalibus confundat; mox in Salmaſium inſurgit, ejuſdemque ſimul ſententiæ *importunum arreptorem* Sponium, quòd *Singularium* originem ad vetuſtos *Celeres* referens cum Prætorianis, & ſucceſſive cum Domeſticis, & Protectoribus perperam etiam commiſceat; Cum Reineſio tandem congreſſus, ſeminecem (quis credat?) veterem ſibi hoſtem reliquiſſe ſatis habuit; lapſum enim pronunciat, quod is *Singulares* hoſce Imperatoris, Magiſtratuum, Præfectorum Adparitores conſtituat; at *recte forſan* ita dictos affirmantem fatetur, *quod uno equo mererentur*, ut hi Singulares Duplicariis, & Seſquiplariis opponerentur. Expectabis nunc Fabretti ſententiam? Nullam ipſe ſubdit, plurimos de hiſce *Singularibus* lapides congeſſiſſe contentus, in quibus nullum de Apparitura indicium; hac enim re una Reineſii ſententiam reprobare ſatis habuit, nihil ipſe de Singularibus pronuncians: Ad alios igitur recentiores eruditos quum me verterim, adfuit mihi tantùm (non enim alios adhùc ſcivi) doctiſſimus Gorius, qui ad lapidem Donianum Claſ. VI. n. 18. ubi C. Arrius Clemens lin 2. dicitur *Eques Singul.* & lin. 6. *Singularis Præfectorum Prat.* hæc habet: *Qui fuerit Singularis Præfectorum Prætorio ſuperius jam indicavi* (ſed diu me quærentem locus adhùc latet): *Verum id ex vetuſtis lapidibus didici, quod tum Præfectus Prætorio, tum Præfectus Urbi certum numerum auxiliarium hominum vel ſibi, vel aliis titulo Singularium eligebant. In Gruteriano lapide* CCCCXXXI. 9. (is eſt noſter lapis, quem modo illuſtramus) *fit mentio C. Lucci Sabini, Singularis Beneficiarii Tribuni, facti per Annium Verum Perfectum Urbi..... Imperatores quoque Singulares Equites pro Turmis Exercitus eligebant, itemque Singulares, qui in Legionibus militarent, ex alio Gruteriano Saxo* 529. 5. Hæc Gorius ſatis aptè, eruditèque, ut brevis notæ ratio ex inſtituto ferebat; ſed adhùc certiorem *Singularium* notionem, explicationemque deſiderabis, de quibus, poſtquam pauca obſervata fuerint, dicam tandem ipſe, quod ſentiam.

Ac quoniam ex antiquioris ævi monumentis, nulla, niſi ſolius *Singularium* nominis memoria ſupereſt, itaut inter ſexcentos *Singulares* paſſim occurrentes, qui fuerint Singulares adhùc lis ſit, ſequioris ævi monumenta percurrere libuit; Itaque *Scholam Singularium* jam antea didici ex laudata *leg. prima §. Et eſt notitia Cod. De Off. Præf. Prat. Afric.*: ibi enim ſic legitur: *In Schola*

[*a*] De Annonis, & Capitatione Officialium eſt titulus LII. lib. I. ejuſdem Codicis, ad quem videndus Cujacius obſerv. lib. 16. cap. 13.

[*b*] Inſcript. cap. V. a pag. 354. ad 360.

Digitized by Google

In Schola Singularium hominibus 50. *an.* 3. *cap.* 1. *fol.* 473. (*a*): Qui fuerint hi Singulares, Gothofredus præeunte Cujacio (*b*) explicare nititur, ut nempe sint, *qui singula, seu singla, idest abbreviaturas scribebant: A Siglis Singularii, ut a Notis Notarii*: Sed in Singularibus hisce explicandis neque egregium hocce doctissimorum Virorum par rem acu tetigisse video: quantumvis enim in Singulariis hisce, quod ipsi per Sigla, ut in Notariis, quod per Notas scribebant, civile munus aliquod agnosci possit, de quo tamen nullibi, quod sciam, constat, nulla tamen est ratio, cur a Militia discedamus, in qua eadem Lex *Singulares* ipsos disertè recenset: & quidem quum *Scholam Singularium* in dicta lege audimus, *Militiam* manifeste significatam discimus ex Justiniano, cujus verba recitare præstat (*c*) *Milites nos appellamus eos, tam qui sub excelsis Magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui in undecim devotissimis Scholis taxati sunt*. In quo Scholarum numero illam *Singularium* ex ejusdem Justiniani ore fuisse satis constat: Cui autem bono fuerint in Militia Singulares hi, si ad eos, qui per Sigla scriberent, referamus: Satis militiæ per Actuarios, vel qui Ab Actis (de quibus superius jam diximus), consultum erat; itaut *Singulares* non qui *Siglis*, sed qui *armis* mererentur, accipiendi videantur.

Hos autem (donec alii meliora afferant) non alios, quàm *Excubitores* fuisse arbitror, qui tamen excubias non ut gregarii, sed cum honestiore gradu milites ex proprio munere, & cum Singularium titulo exercerent: Id primum a Cassiodoro conjicere, aut etiam colligere est (*d*), qui suum Singulariis Primicerium attribuit, eoque munere perfunctum *militaribus excubiis* liberatum affirmat: Haud igitur *laboribus*, quod promptum fuisset, sed *excubiis*, quod peculiare militiæ munus, onusque, solutum inquit: Ex excubiis itaque, quas Primicerius Singulariorum subire debebat, jam Singularios ipsos iisdem excubiis omnino delectos credere par est: eaque muneris conditio satis Singularium nomine probari videtur; nam, quum assiduè excubandum esset, non simul omnes, sed *Singuli* per vices excubias præstabant, ut ad hanc Singularium Cohortem recte referre possis illud Virgilii Æn. 9. 174.

Omnis per murum legio sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.

Verisimiliorem adhùc rem efficit Tesserarii munus, Excubitoribus, cui Tesseræ dabantur, omnino proximum, quod subindè etiam Luccius in lapide gessisse memoratur: At Singulares pro Excubitoribus sic accipio, ut non ordinarias militares excubias in Castris, Stationibus, Palatio, Prætorio, sed interiores exercerent, ac Imperatoris, Præfectorumque cubiculis propinquiùs adstarent, digni propterea, ut peculiare Militiæ nomine, honesterioreque ordine decorarentur, quorum fidei, ac fortitudini, illorum custodia propiùs committebatur: Atque hæc de *Singularibus* conjectasse habui, quæ eruditorum judicio volens libens subjicio.

Sequitur in lapide A QVAESTIONIBVS, quod ad præcedens verbum *Tribuni* aliquando pertinere arbitrabar, ut nempe Luccius fuerit *Singularis Beneficiarius Tribuni a Quæstionibus*: Sed aliter rem se habere animadverti, quum enim mox sequatur *factus per Annium Verum &c.* si Luccius munus *Singularis*, Tribuni beneficio assequutus foret, nullo modo diceretur postea *factus* per Annium Verum Præfectum Urbi; Adde etiam, quod nullum adhùc, qui *A Quæstionibus* fuerit, Tribunum invenerim; itaut satis congrue munus *Singularis* ab illo *A Quæstionibus* disjungi possit in lapide, ut alterum Luccius beneficio Tribuni, qui militiæ Urbanæ præerat, alterum beneficio ipsius Præfecti Urbi fuerit assequutus. Munus itaque *A Quæstionibus* semel in Grutero occurrit [nam in ejus Indice noster lapis, quod ejusmodi munus spectat, omnino reticetur] pag. 543. n. 6. ubi Q. Gavius dicitur EVOK i. e. *Evocatus* AVG. A QVESTIONIBVS: quod Gruterus sic explicat: *Idem qui alibi inter officia Quæstionarius dicitur*: At inter officia frustra inveniisse erit Quæstionarios, quos posterior tantum ætas eo nomine Carnifices, Tortoresve appellavit: De his Quæstionariis videndus Cangius in *Glossario med. latin.*, qui Scriptorum loca, & plurima martyrum Acta profert. Interim si Luccii nostri ætas spectetur, si ejus etiam dignitas, qui tot honestissima Urbanæ Militiæ munera obivit, falsum omnino id fuerit, ut eum ipsum *Quæstionarium* ea significatione fuisse dicamus: Ad Quæstio-

[*a*] Has notas ut superius in munere *Ab Actis*, ita etiam explico; ut nempe in schola Singularium essent homines 50., cui taxentur Annonæ tres, Capitatio una, Solidi 473.

[*b*] Observat. l. 12. observ. ult. & in lib. 41. Pauli Ad Edictum, seu l. 6. §. notis Dig. *De Bon. Possess.*: atque ubique inter *Notas*, & *Sigla* quod sit discrimen, fusè eruditèque docet: quod tamen idem absolutissimè præstitit I. Lipsius in cent. 1. Epistolarum ad Belgas epist. 27. ad P. Leonardum Lessium.

[*c*] In leg. ult. Cod. De Locat: De Scholis militaribus meminit etiam Veget. l. 2. c. 11. & alii passim.

[*d*] Variar. lib. XI. cap. 31.

Digitized by Google

nes (nam vocabulum monet) rem libenter deducimus, in quibus tamen munus eo homine dignum reperiſſe promptum erit; nam conſtat præter ipſum Quæſtoris munus (*a*), Judices etiam Quæſtionum fuiſſe ab eodem Quæſtore datos, qui Quæſtionibus præeſſent, tabulaſque aſſignarent (*b*): quid ni igitur ejuſmodi munere auctus fuerit Luccius, qui *A Quæſtionibus* fuiſſe dicitur? Nihil eo certius, dum a Præfecto Urbis *factus* etiam dicitur, cui ad centeſimum uſque lapidem ampliſſima poteſtas erat, non civilia tantum, ſed criminalia judicia exercendi (*c*).

Poſt innumera prope, quæ jam vidimus, Militiæ Urbanæ munera, quæ Luccius adminiſtravit, jam demum ad ejuſdem Militiæ Tribunatum, ut par erat, pervenit, quod lineâ xv. manifeſtum habetur, ubi is TRIB. BENEF. VLTERI ASIATIC. PRAEF. VRB. ſcribitur. De hoc munere non eſt cur heic agam; aliqua enim ſuperius jam delibavimus, quæ in re ſatis pervulgata ſatis eſſe debeant. Dicitur autem *Tribunus Beneficiarius*, quo epitheto non ejus virtuti detractum, quaſi alieno Beneficio munus obtinuerit, ſed Caſtrenſe vocabulum agnoſci debet; nam cum *Promotiones* in Militia apud plures Magiſtratus eſſe cœpiſſent, qui miles ab Magiſtratu aliquo ad altiores Ordines promoveri mereretur, ejuſdem *Beneficiarius* dicebatur, quod etiam his ſiglis lapides vetuſti paſſim nobis exhibent BF. COS. BF. PR. BF. PR. PR. i. e. *Beneficiarius Conſulis, Prætoris, Præfecti Prætorio, aut Pro Præfecti &c.* Sed de re, ubique obviâ, longius loqui ſupervacuum erit: Illud potius obſervandum nobis erit, quinam fuerint bini illi Præfecti Urbi in noſtro lapide memorati: ac quod poſteriorem attinet, inuſitato *Ulteri*, aut etiam *Vulteri* (ut Schedæ M. M. S. habent) nomine appellatum, obſcura omnino res eſt: Mendum in hoc vocabulum irrepſiſſe facile ſuſpicor; nihil enim Romanum ſonat, ſed in lapide ita omnino evanuit, ut nulla reſtituendi ſpes ſupererit; *Aſiatici* cognomen, non *Aſiatin.*, ut Gruterus habet, lucem aliquam afferre poterit, dum Hadriani Ævo Cornelium Scipionem Aſiaticum in Faſtis lego, qui cum Q. Vettio Aquilino Conſul proceſſit an. Ær. vulg. 125., an is igitur aliquando Præfectus Urbi fuerit, quem in noſtro lapide habemus? Sed quod de Præfecto hoc divinare tantum licuit, de altero meliore conjecturâ affirmare jam poſſumus, ut is non ſolum ad Anniam Gentem Romanorum clariſſimam pertinere debeat, verum etiam is ipſe ſit, quem poſtea in Imperialem familiam per adoptionem Hadrianus evexit.

Sed jam Tribunatu perfunctus honeſtam miſſionem Luccius tandem obtinuit, quod is lineâ XVI. memoratum voluit: MISSVS. AB. IMP. HADRIANO AVG. SERVIANO III. ET VIBIO VARO COS. Quamquam militaris profeſſio plurimum gloriæ, dignitatiſque, opes etiam afferre ſoleat, hæc ipſa tamen omnia non tanti fuiſſe videntur, ut civilis vitæ quies militum animo omnino excideret, interroganti enim reſponderent cum Horatio (*d*).

Hac mente laborem
Se ſe ferre, ſenes ut in otia tuta recedant.

Quàm optata igitur militibus *Miſſio honeſta* fuerit (*e*) declarant vetuſti paſſim lapides, quibus illam poſteritati omni teſtatam voluerunt; vota etiam ob eam rem ſuſcipere conſuetos docet lapis apud Fabrett. cap. v. pag. 359.

SOLI INVICTO DEO
EX VOTO SVSCEPTO
ACCEPTA MISSIONE
HONESTA EX NVME
RO EQ. SING. AVG. P
AELIVS AMANDVS
DD. TERTVLLO ET
SACERDOTI COS

Ubi vides perpetuum illud quoque fuiſſe, ut velut maximæ rei monumentum Conſulum nomine ſignaretur: Præſtitit id quidem noſter Luccius, ſed deſcriptorum injuria factum fuit, ut poſterio-

[*a*] De Quæſtorum variis muneribus agit Lipſius *de Magiſtr. Vet. Pop. Rom. cap. 16. Voſſ. in Etymolog.* aliique: Quæſtura enim late patet, ut qui eâ fungeretur, ſuo quoque Jure de delictis cognoſceret, ac publicas Quæſtiones exerceret.

[*b*] De Judicibus Quæſtionum plenè agit Sigonius in *De Judiciis lib. 2. cap. 5. Briſſon. de Formulis l. v. cap. 211.*

[*c*] Vide Tit. Digeſt. De Offic. Præf. Urbi.

[*d*] Sermon. lib. 1. 1.

[*e*] Miſſionum tria fuiſſe genera nemo neſcit: breviter adhùc docebit I. C. Macer in leg. 13. D. De Re Militari. *Miſſionum* (inquit) *generales cauſſæ ſunt tres: Honeſta, Cauſſaria, Ignominioſa. Honeſta eſt, quæ tempore militiæ impleto datur: Cauſſaria, quum quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominioſa cauſſa, quum quis propter delictum Sacramento ſolvitur.*

Digitized by Google

ſterioris Conſulis nomen fœdiſſime corruptum fuerit, itaut pro VIBIO VARO, jam VI. BIO-VARO COS. apud Gruterum legeretur. Sed emendati hac parte lapidis laudem non invidebo, quin etiam ultro tribuam doctiſſimo Fabretto (*a*), qui ex vetuſto Figlinæ ſigno, ubi *Serviano* III. *& Varo Coſ.* notatur, non ſolum in noſtra Inſcriptione cujus fidem, auctoritatemque ad eorum Conſulum par ſtatuendum adhibet, Vibium Varum reſtituit, ſed Panvinii etiam *ſubleſtam* [ut ait] *fidem* prodit, qui in eodem noſtro lapide *Verum* legebat, atque in Faſtis ſignaverat. Intererat autem Vibium Varum agnoſcere, ut de tertio Serviani Conſulatu probe conſtaret; nam quum de eo dubitari haud ſineret Spartianus (*b*), de ejus anno tamen non dum ſciebamus: quum itaque Vibius Varus Collega ei fuerit, jam in annum Ær. vulg. 134. tertium hunc Serviani Conſulatum incidiſſe liquet; At hæc fortaſſe levia.

Illa nobis negotium videntur faceſſere, quæ poſt eos Conſules in Gruteriano exemplari ſubſequuntur, ita exarata: BR. VIA MAIERVTIO CLARO II. COS.: Panvinius cum antecedentibus ita legit: *Serviano* III. *& Vibio Varo Coſ. Brava. M. Erucio Claro* II. *Coſ.* Scaliger vero ita emendat: *Serviano* III. *Vibio Varo Coſ. B. R. VI. K. Maji*: At ſi monſtrum in *Brava* Panvinius protulit, certè ænigma Scaliger in notis B R. ſibi etiam ignoratis, nobis exhibuit: medicam manum ut apponerem, Lapis ea parte obliteratus omnino vetuit; Satis tamen rei conſultum iri video ex reliquis penultimæ lineæ verbis, quæ commode ita leguntur..... CIO CLARO. II. COS., ut certo is ipſe ſit Sex. Erucius Clarus, qui cum Cn. Claudio Severo ſecundum Conſulatum iniit an. Ch. 146., itaut hujus Collegæ nomine lacuna ipſa commode impleri poſſit.

At quid, inquies, Conſulibus hiſce cum Serviano, & Varo, dum inter utrumque Conſulum par duodecim annorum [quot ab ann. 134. ad 146. effluxere] ſpatium interſit? Illud etiam prope abſurdum, quod prioribus Coſ. jam ſignatis, mox poſteriores nulla rerum, aut temporum interjecta ſerie, adjecti in lapide habeantur: Sed rem, uti eſt, exemplo aperiam; Lapis eſt apud Grut. pag. 108. n. 7. in hæc verba

GALLICANO ET VETERE COS
VII. ID. IAN. COH. I. PR. 7
SATRI. GENIO. 7. MISSI
HONESTA MISSIONE VII
HIBERO COS
FL. L. CENSORIVS IVSTVS VIRONO
L. VOLCEIVS SEVERVS SESTINO
Q. SEXTILIVS RVFVS FLANONA
C. VALERIVS VERANIVS TRIDENTE
SERVIANO III. COS
T. ANNIVS CRISPINVS CVPRAMAR
T. ANTONIVS PRIMVS PERINTHO

quem lapidem ſic explico: Septem hi milites [nam illa numeralis nota VII. in fine quartæ lineæ inſcripta ad eorundem militum numerum pertinet, quorum bini primo loco, eâdemque lineâ duplici illo prænomine FL. L. non inſuetè notantur (*c*), omnes honeſta miſſione, ſed non

[*a*] In Columu. Trajan. cap. 7. pag. 197. etiam in fragmento lapidis coſti apud Gudium pag. 97. n. 8. hæc leguntur SERVIANO III. SAL. EXPRLCIVVEN, i. e. *Ex Prædio Lucii Juventii*.

[*b*] De Hadriano hæc ſunt apud Spartianum: *Serviano Sororis viro (cui tantum detulit, ut ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit) tertium Conſulatum, nec ſecum tamen, quum ille bis ante Hadrianum fuiſſet, ne eſſet ſecundæ ſententiæ, non petenti, ac ſine precatione conceſſit*. In Petavianis Faſtis an. 134. ſignantur C. Julius Servil. Urſus Severianus, & C. Vibius Juventius Verus; at in poſteriore, ut in Panvinianis, & Caſſiodori idem error occurit, ut Verus pro Varus ſcriberetur; in priore verò ipſum Servianum agnoſcere licet, in Severianum mendoſe mutatum.

[*c*] Duplex Prænomen (quod nunquam unum, ſed binos homines deſignat) manifeſtè agnoſcitur Siglis illis FL L. quarum prima FLAVIVM, poſterior vero Singularis litera LVCIVM præfert: Pro FL. non ſolum Urſini Schedæ, ſed etiam Manutius, qui Gruterum latuit *Orthogr. v. Arretium n. 2.* habent SP. quod uſitatius ejus ævi, quo nondum *Flavii* florebant, *Spurii* prænomen: ſequitur nomen & cognomen Singulari numero, itaut eoſdem duos Fratres fuiſſe ſolo prænomine diſtinctos rectè obſervaverit ſive Gudius, ſive Pighius ab eodem Grutero laudati: morem autem hunc non ſatis notum in noſtrorum Lapidum notatiunculis uberiùs illuſtrabimus claſſ. IX. n. 103. Illud autem ex hoc eodem lapide obſervabimus, notam 7. non ſolum ad Centurionem, ut ſuperius dictum fuit, ſed etiam ad ipſam Centuriam ſignificandam,

Digitized by Google

non eodem anno missi, suis nominibus, adjectâ cujusque Patriâ recitantur; nam priores quinque *Hibero Cos.* i. e. an. 133., reliqui duo *Serviano* III. *Cos.* i. e. sequuto anno missionem acceperunt; ipsi autem simul omnes Gallicano, & Vetere Cos. ideſt anno 150. hoc monumentum dedicarunt GENIO 7. i. e. *Genio Centuriæ*, quæ Centuria Satri [id Centurioni nomen] erat ex Cohorte I. Prætoria, in qua ipsi sua stipendia impleverunt. Itaque unde hi milites exordium faciunt, temporis notam præfigentes, quo lapidem diù post missionem acceptam dedicarunt, eò desinere Luccio nostro placuit, nam primò Consulatum Serviani, ac Vari, quo missus fuit, inscripsit, deinde Erucii Clari Consulatum adjecit, ut mox de anno, quo monumentum illud vivus sibi, suisque fecit, probe constaret, itaut priores ad missionis impetrationem, posteriores vero Consules ad monumenti extructionem referantur.

At jam demum suâ missione, quâ militaribus laboribus solutus Luccius noster in *otia tuta* se recepit, nos quoque ipse monet, ut a Re militari Veterum Beneventanorum [an honesta etiam missione?] tandem quiescamus.

DISSER-

ficandam, usurpari consuesse: nam lineam 2. & 3. ita explico: *Cohors* 1. *Prætoria Centuriæ Satri* (ejus scilicet, qui Centuriæ præerat) *Genio Centuriæ*, cui Numini septem hi Milites obtenta missione lapidem dedicarunt.

Digitized by Google

ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUND

Digitized by Google



Joan-Bapt. Natale delin. Scalm. Neap. Gaultier



Digitized by Google

DISSERTATIO X.

De Operibus publicis Veteris Beneventi.

NULLAM olim Urbem fuiſſe ſcimus, neque aliquam etiamnum ſpectamus, quæ aut Imperii majeſtate, aut Civium nobilitate, aut aliarum rerum felicitate præclara, non illud ſibi decus comparare ſategerit, ut publicis quoque Operibus præfulgeret: Magnum certè ea de re, ac planè luculentum adeſſe putabatur propriæ Dignitatis argumentum, quam cùm alia plura, tùm ipſe etiam Ædificiorum nitor, magnificentia, multitudo commendare videbantur: Non equidem hanc gloriæ partem neglexere Veteres Beneventani, quorum genus, fortuna, conditio ad ſuam ornandam Urbem ſtudium incendebant, vires etiam addebant: Accedebat Principis Urbis exemplum, cujus, ut civilium rerum omnium gravitate, atque præſtantia, ita ædificiorum ſplendore, imaginem quandam, ſimulacrumque præferre enitebantur: Hinc non immerito inter illuſtriores eas Colonias, quas Triumviri Antonius, Lepidus, Octavius ſuis militibus diſtribuendas deſponderunt, Beneventum cum primis recenſet Appianus, eam ſcilicet Urbem, quæ tum cæteris rebus floreret, tum Operum publicorum, privatorumque elegantiâ præſtaret; *Promiſſæ* (inquit lib. v.) *etiam ſunt eis Coloniæ* XVIII. *Italicarum Urbium tam opibus, tam agri bonitate, & ædificiorum pulcritudine præcellentium, quarum Urbana, & Ruſtica prædia non ſecus, quàm bello capta dividerentur: Inter has eminebant Capua, Rhegium, Venuſia, BENEVENTVM, Nuceria, Ariminum, Vibona: atque ita pulcherrima Italiæ pars militibus adſcripta eſt.* At non conjecturis, atque argumentis, non etiam aliorum fide, teſtimoniiſque pertractanda res eſt, cujus etiamnum non exiguam, imo excellentiorem ſpectare partem, præſentemque oculis probare jam liceat. Sunt enim Operum publicorum ſtantes adhùc moles, quæ vel incolumes, vel ſemirutæ Veteris Beneventi auguſtam faciem nobis exhibent: Sunt quæ temporis injuria, Terræque motuum vi disjectæ, ſuis ſaltem titulis ad poſterorum memoriam evaſiſſe videntur. De præclarioribus, priore, ac poſteriore hujus Diſſertationis Capite ſigillatim agam: reliqua omnia poſtremo Capite, uno veluti ſpectaculo ſervata depromam.

CAPUT PRIMUM.

De Arcu Triumphali Trajani.

SUpervacuum fortaſſe laborem me ſuſcepiſſe non nemo exiſtimaverit, quod Trajani Arcum, Beneventi extantem, illuſtrare contendam, quaſi ejus Ichnographia, quam heic exhibeo, ſumma quidem fide, elegantiaque ex Archetypo deſcripta, non ſibi ſola ſufficiat, ut citra operas alienas, ſui pretium prodat, ſuoque aſpectu admirationem ſibi quærat. Præpoſterus ſaltem de eodem Arcu ſermo a me inſtitutus videbitur, qui in Præloquio hujus Voluminis poſthac peculiare opus, quod rei dignitas, materiæque amplitudo poſtularet, me exhibiturum ſpoponderam: At ubi ejus Ichnographiæ exemplaria aliquot, quæ ad opus probandum excudi curaveram, pervulgari cœpta; jucundiſſima ſummis viris res viſa, eademque ſatis digna, ut adjectis Tabularum commentariis diſtincto quidem volumine celebraretur, ſed quum eandem Ichnographiam in promptu haberem, huic Volumini adtexendam monebant, non tam eruditorum oculos oblectaturam, quam conſequuturi operis vadem ſimul, atque expectationem futuram. Placuit conſilium, ſed non illud mihi committendum cenſui, ut nullum de ea verbum mihi excideret; tum maxime, cum ſi aliqua generatim differerem, nihil poſteriori volumini præreptum videretur, cui conflando ſatis amplam materiam ſingularum Tabularum ſeorſim edendarum commentationes præſtabunt. Pauca igitur de noſtri Arcus præſtantia in ante-

Digitized by Google

in anteceſſum delibaſſe ſatis erit: Extructionis præterea tum annus, tum cauſſa heic demonſtrabuntur; In inſcriptum denique Titulum opportunæ obſervationes ſubſequentur; quæ quidem omnia eadem Ichnographia, quam huic volumini adſuere libuit, jure ſuo differenda poſtulavit.

Quod igitur Arcus præſtantiam attinet, duo illa, quæ in publicis Operibus extruendis ſibi proponebant Romani, Majeſtatem ſcilicet, ac Perpetuitatem, ambas in noſtrum Arcum collatas miramur: Totus enim is è pario marmore exurgit, ſolidus inquam è marmore, tum ſuperficie, tum ipſis viſceribus, quibus nihil vacui ineſſe ſuprema exterioris aſpectus Tabula oſtendit, cujus pars, ſuo loco disjecta, ingentium poſt ſe marmorum interiores ſubſtructiones aptiſſime connexas prodidit. Adde, quod marmora ipſa exteriorem aſpectum componentia fortuito quodam promiſcuoque, ſed ad Operis perpetuitatem maxime opportuno inter ſe nexu ita cohæreant, ut nullum ſimulacrum, nulla tabula, non ipſæ Columnæ operi ſeparatim adſtructæ, affixæque, ſed ſingulis marmoribus ipſis pro varia, ſed ingenti ſemper cujuſque mole, ad implendam ſuperficiem comparatis, atque æquatis, variæ quoque ejuſdem ſuperficiei partes repræſentandæ contingant: Peritioribus ipſis externis animadverſa res pro miraculo fuit; nam quid ſtabilius, quàm mutuas inter ſe partes perpetuo alterius in alteram nexu coagmentari; quid vero difficilius, marmor quodlibet, non quid ſuo ſpatio, ſed quid ſuo loco congrueret, inſculptum ſimul exhibere; velut ſi in brevi ex plurimis lignis compactâ primùm, complanatâque tabulâ, quod repræſentandum ſibi proponat, ſculptor effingat. Eam igitur Arcus extructionem Romani curarunt, *quæ* [ſi verba Ciceronis uſurpare fas ſit] *eſſet ad memoriam æternitatis*. Stetit certè poſt octo ſuper decem ſæcula, ſtabitque incolumis Arcus; Huic Tempus [cujus injuriis, ſuperpoſito cœmentitio opere Majorum noſtrorum providentia ſtatim obſtitit] coronas ex utraque fronte pene integras, ademit quidem, ſed inter Beneventanas, Romanaſque Antiquitates Principis Monumenti decus auferre non potuit.

Sunt quidem [ne ab hoc monumentorum genere diſcedam] Arcus alii (*a*), qui Romanorum magnificentiam adhùc oſtentant, ut Titi, ut Septimii, ut Conſtantini, qui veteris Romæ imaginem nobis ſervarunt; eos tamen uni Beneventano Arcui concedere multorum hactenus fuit judicium, omnium fortaſſe nunc erit, qui in edita Ichnographia rem ſuis oculis probare poterunt: Sed quid Arcum Conſtantini commemoravi? Opus inquam illud ſequioris ætatis, ex quo uno, quantum Trajani ævo bonæ artes florerent, quantus vero ſub Conſtantino earum interitus fuerit, ſtatim noviſſe erit; utriuſque enim temporis Opus illud fœtus dici poteſt, cui extruendo ipſius Trajani Arcus, qui Romæ extabat, plurima ſuppeditavit, quæ mirâ arte inſculpta adjectas Conſtantiniani ævi operas rudiores demonſtrat. Floruit certe ſub Trajano (ne quid Optimi Principis felicitati deeſſet) Apollodorus inſignis Architectus, qui illius juſſu celeberrimum Forum, Gymnaſiumque fabricavit (*b*); atque hunc quidem noſtri Arcus Architectum fuiſſe ex ipſius Operis præſtantia facile conjectabimus; cui etiam accedit Senatus, Populique Romani tum dignitas, tum auctoritas, quibus omnino Apollodorus, aut Apollodoro melior adhibendus fuit, ut Opus ipſum, & eorum, qui juberent, & Principis, cui dicandum eſſet, dignitatem æquaret. De Anconitano Arcu, qui eorundem juſſu, ejuſdemque *Providentiſſimi* Principis honori extructus fuit, mentio quidem facienda heic fuerit, ſed non eo, quo noſter, ſplendore inſignis, cum eodem comparari meretur; nam præter Trajani, ac præterea Plotinæ conjugis, Marcianæque ſororis ſimulacra, quæ jam diſperiere,

[*a*] Inter alios Seguſinus Arcus Auguſto dicatus non immerito recenſeri poteſt, non mediocre quidem Opus, cui tamen pretium acceſſiſſe videtur Cl. Viri Marchionis Maffeii operâ, qui pro ſuo in Antiquitatem omnem eruditiſſimè illuſtrandam ſtudio, illius titulum reſtituit, atque Ichnographiam vulgavit tum in Hiſtor. Diplom. pag. 14., tum in collectione Inſcriptionum Taurinenſium: quanti ejuſmodi monumentum habeatur, tum aliorum, tum ſuo confirmat judicio Maffejus, qui Sereniſſimo Sardiniæ Regi auctorem ſe præbet, ut ſuo loco, quo pene ignoratus, neglectuſque jacet, motum Arcum (quod ex modo illo, quem in conſtruendis marmoreis operibus Romani adhibebant, facile ſibi ſpondet) in maximum Taurinenſis Urbis ornatum transferendum curet: Nobis ejuſmodi generis monumentum domi habere jam licet, immo omnium oculis ſpectandum exhibemus, ut quum ex aliorum comparatione de ejus præſtantia gratulemur, ritè id a nobis factum, alii judicare poſſint.

[*b*] De hoc Apollodoro Architecto hæc habet Dio Caſſius in Vit. Hadr. edit. Froben. pag. 162. *Apollodorum Architectum, qui Trajani Forum Methodæum, & Gymnaſium, illo jubente, Romæ fabricaverat primò Urbe expulit, poſtea interfecit, quaſi criminis reum, re autem vera, quod quum olim cum eo Trajanus de Operibus communicaret, Hadrianus rei neſcius, quædam etiam non vocatus locutus eſt; Cui Architectus: abi obſecro, & cucurbitas depinge, nihil enim horum rectè noſti: forte tunc ille hujuſmodi quadam pictura commendabatur: Hadrianus vero imperium adeptus, injuriæ recordatus eſt.*

Digitized by Google

riere, non aliis anaglyphicis tabulis, non aliis ornamentis, quibus noſter undique prædives effulget, ſola vix forma, qua univerſa moles exurgit, quandam noſtri ſimilitudinem præfert: De Romano ejuſdem Trajani Arcu, nihil præter ejus nudum nomen, memoriamque ſciremus, niſi illius Ichnographiam adhùc nobis ſpectandam ſervaſſet, antiquum ipſum, rariſſimumque Trajani numiſma, quod heic exhibeo.

Edidit prior Spanhemius (*a*) ac ſubinde Angelonius (*b*), fruſtra ejus nummi fidem reprobante Fabretto (*c*), qui ex nota Coſ.III. ac ſolo *Germanici* titulo ſuppoſitium putat, ac ejus loco alium indicaſſe tantum contentus, ita deſcribit: *Ex una parte caput Trajani*: ΤΡΑΙΑΝ ΣΕΒ ΓΕΡ ΔΑC. ex altera. *Arcus cum triplici fornice, ſupernè quadriga inter duo trophæa*. At quicquid alii judicent de Fabrettiano nummo, nemini hactenus agnito, in quo importunum illud, nec prorſus veriſimile, quod in Græcia percuſſus fuerit, nihil certe in noſtro nummo intempeſtivum videri poteſt, quod Tertium dumtaxat Trajani Conſulatum, ac ſolum ipſum *Germanici* titulum præferat; erat enim (quod Fabrettum latuit) jam Arcus Trajano dicatus, quum ipſe *Germanicus* tantùm appellaretur, atque ante Dacicum Bellum, Tertium Conſulatum geſſiſſet; Optimus ejus rei teſtis ſit Plinius, qui non ultra id tempus Trajani res perſequutus hæc habet *Panegyr. cap. 69. Quum Arcus, quum Trophæa, quum ſtatuas deprecaris, tribuenda eſt verecundiæ tuæ venia; illa enim ſanè tibi dicantur*. Quod ſi Romani Arcus Trajano dicati certior temporis nota aliunde quærenda eſſet, ſpretâ, ut par eſt, Fabrettiani nummi fide, ad Dionis potius teſtimonium confugere deberemus, qui poſt inſignes Trajani victorias poſtremo ejus Imperii tempore relatas, *Triumphalis* (inquit) *tunc Arcus, præter alia multa, quæ in honorem ejus & decreta, & facta fuerant, in illius Foro ſubſtructus eſt* (*d*). Sed in ſtatuendo Romani Arcus tempore tutiores nos efficiet noſtri Nummi fides, Plinii loco ſatis comprobata, in quo etiam nummo ejuſdem Romani Arcus formam [quæ mihi illum obiter exhibendi fuit cauſſa] ſpectare jam licet, cum noſtro Arcu comparandam: Dionem vero non omnino rejicimus, qui vera de Thiumphali Arcu ſub ejus Imperii extremum tradidit, falſus tamen in loco, ubi addit extructum, nam hunc ipſum, qui Beneventi nunc extat, fuiſſe Arcum Dioni memoratum facile mox patebit, quum de noſtri Arcus anno modo dicere jam incipiam.

Plures in inſcripto noſtri Arcus titulo ſunt temporis notæ, quas tum Tribunitia Poteſtas, tum Imperatoris Titulus, tum denique Trajani Conſulatus, adjectis cuique numeralibus notis, deſignant. Imperatorium titulum, qui numerali nota VII. diſtinguitur, haud morari debemus, incertam ſcilicet, ut alibi obſervavi, temporis notam, quæ non annum per ſe demonſtrat,

[*a*] Diſs. IX. pag. 857. edit. Elſevir. 1671.

[*b*] Hiſtor. Aug. Franc. Angeloni cum emendationibus Jo. Perri Bellorii. Romæ 1685.

[*c*] Notæ ſunt Fabretti cum Bellorio decertationes ob Columnæ Trajanæ explicationes; Ciaconii, qui prior in eandem Columnam breves commentarios ediderat, cauſſam acriter ſuſcepit Fabrettus, edito de eadem re libro adverſus Bellorium, *Neoterici politioris literaturæ Viri* ſolo nomine memoratum, *qui*, inquit, *Ciaconium emendaſſe, operique ſummam manum impoſuiſſe ſibi viſus eſt*: Sed de Romani Arcus nummo Fabrettum audiamus ita diſſerentem cap. IX. p. 300. *Conſcius etiam eſſe debuit Neotericus, qui nummum ipſum præclarum Arcus Trajani Spanhemio ſuppeditavit, Epigraphen alterius partis circa Trajani effigiem titulo Dacici minime inſignitam fuiſſe: Alium mediæ magnitudinis cum Arcu hic damus, quem non adeo ineptè ad expeditionem, & triumphum Dacicum quis referat; legitur enim in eo titulus Dacici, & annus Imperii decimus tertius. Eſtque in hoc alio melior, quod ille fornices omnes æquali altitudine, iſte græcus medium ampliorem, laterales anguſtiores, & humiliores, ut convenit, & omnes Arcus etiamnum in Urbe ſuperſtites, ac nummus quoque Braccesius, oſtendunt, habere cernitur*. Sed de Fabrettiani nummi græca fide ſuperius dictum, ubi etiam Belloriano nummo nihil obeſſe diximus vel æqualem Fornicum altitudinem, vel Temporis notam; neutrum enim obſtitit, quin Cl. Vaillantius in De Romanis Æreis hunc ipſum nummum deſcribens, primæ formæ, Cimelii Em. Card. Maximi, eundem pronunciaverit *omnes Trajani nummos raritate, & elegantia ſuperare, utpote hiſtoricum, & unicum*.

[*d*] Inter Scriptores Hiſt. Aug. edit. Froben. p. 159.

Digitized by Google

ſtrat, ſed potius quoto illa anno conſignanda ſit, aliunde confirmari indigeat; neque etiam rarum illud fuit, binas, aut plures eodem anno Imperatorias acclamationes uni Duci fuiſſe delatas, qui pluries eodem ipſo anno inſignem victoriam ex hoſtibus retuliſſet (*a*), itaut ex inſcripto Imperatorii tituli numero nihil tutum nobis præſtetur, ut certum aliquem annorum numerum ſtatuamus.

De memorato Trajani Conſulatu idem dicendum eſt. Ac primùm ex Grutero, qui noſtri Arcus titulum edidit pag.247. num.5. mendum abſtuliſſe præſtabit, quod in ejuſdem Conſulatus numeralem notam irrepſit: ea enim per VII., ut etiam Tribunitia Poteſtas per XVIIII. ſignantur, unoque ſingula anno ſeu numero augentur contra fidem lapidis, ubi Trib. Poteſt. XVIII. Coſ. VI. inſcripta ſunt: quamquam non lapidis fidem heic advocari opus fuerit, quum ex ipſis Faſtis non tam mendi certitudo, quàm editoris oſcitantia convincatur, qui ſeptimum, ad quem nunquam pervenit, Trajano Conſulatum attribuit (*b*); Sextus igitur Conſulatus in noſtro Arcu notatus, Trajani poſtremus fuit, qui, cum in Ær. Ch. 112. incidiſſet, haud tamen (qui noſtratis Scriptoris fuit error) ejuſdem Arcus annum deſignat; Fruſtra enim in commemorato Conſulatus numero certam temporis notam quæſiſſe erit, dum is non ad annum demonſtrandum [quod in aliis lapidibus Conſulis nomine plerumque in fine, aut etiam initio ſolitariè, atque auferendi caſu inſcripto paſſim occurrit], ſed ad recenſendos quotquot Trajanus uſque geſſerat, Magiſtratus, alioſque honores, interjectus fuit.

Ad Tribunitiæ igitur Poteſtatis annos deducenda res eſt; quam quum Auguſti Principatus Auctoris exemplo ſequuti omnes Principes cum ipſo ſimul Imperio ſuſcipere, ac ex veteri muneris inſtituto ſibi quotannis renovare pro perpetuo more habuiſſent, tutiorem, expeditioremque temporis notam evaſiſſe conſtat, quâ cujuſque Principis annos tum noſtri Chronologi, tum Veteres ipſi numerare ſolent: Veteres ſane ex Tribunitiæ Poteſtatis annis annorum Imperii rationem iniiſſe teſtatur Dio l. LIII. *Gerere quidem* (inquit) *Tribunatum Plebis nefas ducunt Imperatores, quum ipſi Patricii ſint, omnem vero Tribunitiam Poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, & quia quotannis renovant, annorum Imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet*: quod licet verum eſſe videatur, caute tamen ejuſmodi regulâ utendum erit, ne in eorum errorem labamur, qui in omnium Romanorum Imperatorum annis numerandis eam indiſcriminatim adhibuerunt (*c*). Plures enim, priuſquam imperare, ſeu Auguſti eſſe cœpiſſent, Tribunitiâ Poteſtate potiti ſunt, quos inter Trajanus recenſendus, qui a Nerva adoptatus, ſimul *filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ Poteſtatis* effectus a Plinio dicitur (*d*): Imperii autem adminiſtrationem, atque Auguſti titulum non Nervæ abdicatione (ut Galerius comminiſcebatur, eodem exemplo Imperii dimiſſionem Diocletiano ſuadere ſtudens (*e*)) ſed Nervæ morte ſuſcepit.

Neque

[*a*] Tum de aliis, tum de ipſo Trajano id certum conſtat, quem eodem Belli Parthici anno Imperator VII. VIII. & VIIII. ab exercitu fuiſſe acclamatum, ex Onufrio, & Goltzio notavit Tillemontius ad an. Ch. 115. ejuſdem Trajani 18.

[*b*] A quo quidem mendo (diminuto contrà Conſulatus numero) neque etiam ſibi cavit Donius, ſive illuſtris ejus editor Gorius Cl. II. n. 97. ubi lapidem Trajani affert TRIB. POT. XVIII. IMP. VIIII. COS. V.: quî enim convenire poteſt cum Trib. Pot. XVIII. Conſulatus Quintus eo tempore, quo jamdiu Trajanus anno 112. Sexto Conſulatu perfunctus fuerat. Ex quibus monemur, quam male tuta plerunque ſit in editis lapidibus numeralium notarum fides, quantâque nobis in iis ad rem noſtram adhibendis diligentiâ ſit utendum.

[*c*] Quod ex annis Tribunitiæ Poteſtatis anni colligantur Imperii, indiſtincte affirmavit Scaliger, quem refellit Card. Noriſius in Diſs. 2. de Numiſm. Liciniani; ſed poſt Scaligerum ad hunc ſcopulum impegit etiam Vinc. Gravina de Rom. Imp. cap. 8., quæ etiam Pighii, Pagii, Spanhemii, atque aliorum fuit ſententia, falſa quidem, ut optime oſtendit Chriſtianus Gottlieb Schwartzius in *Exercitatione de numeranda Tribunitia Poteſtate Auguſtorum, Cæſarumque Romanorum*; Vera enim dumtaxat ea erit regula, ſi in eos Imperatores inciderimus, qui in vita privata Imperium adepti, cum ipſo ſimul Tribunitiam Poteſtatem inchoaverint, ſecus vero in aliis ſtatuendum, quos ante Imperium eandem Poteſtatem aſſequutos fuiſſe conſtat, quales Tiberium, Titum, Trajanum, Marcum, Lucium Verum, Commodum, alioſque jam novimus.

[*d*] Panegyr. cap. 8.

[*e*] Apud Lactantium, ſeu quicumque is eſt auctor lib. de Morte Perſecutorum cap. 18.: Nervæ exemplo uſum Galerium legimus, qui *Imperium Trajano tradidiſſet, itaut poſt unius anni Imperium, quum pondus, & curam tantarum rerum vel ætate, vel inſolentia ferre nequiret, abjecerit gubernaculum Reip., atque in privatam vitam rediit, in qua conſenuit*. Sunt, qui Galerium vera loquutum putant, ac multis conjecturis rem confirmare conantur, quos tamen rectè refellit Card. Noriſ. ep. conſ. pag. 55. P. Pagi ad an. Cr. 97. §. 3. ad 9. Tillemont. not. v. in Nervam; ſed omnium loco ſatis ſit rem, uti fuerit, ex optimo teſte Plinio didiciſſe. Quum enim Trajanus Bello Germanico tum intentus accepto adoptionis nuncio, ſuſcipiendi Imperii anceps, neque Adoptantis flagitatione, neque Senatus conſenſu, neque militum acclamatione, ſed audito tandem Nervæ obitu,

Digitized by Google

Neque exiguum illud turbare debet aliquot menſium ſpatium, quod ab adoptione ad Nervæ mortem effluxit, quum adoptio in menſem Septembrem ann 97. conſignetur, mors vero in Januarium ſequentis an. 98. inciderit; adeout pauci illi Tribunitiæ Poteſtatis menſes, qui Imperii initium antevertunt, contemnendi videantur; id quod impunè a Tillemontio factum video, qui initium anni 98. ſimul ac Trajani Imperii ſtatuens, ab eodem pariter anno Tribunitiam ejuſdem Poteſtatem æquo ſemper numero procedentem exhibuit.

Sed præſtabit veterum monumentorum fidem, quàm Tillemontium ducem ſectari: non enim paucos illos, quos obſervavimus Tribunitiæ Poteſtatis menſes, qui Imperii initium prævertebant, tunc temporis neglectos reperio, imo eos in cauſſâ omnino fuiſſe, ut Tribunitia Poteſtas uno ſemper anno numeroſior, quàm Imperii anni eſſent, inſcriberetur. En binos lapides ex Cl. Fabretto, alterum in Col. Traj. cap. 9. p. 273. alterum Inſcript. Domeſt. cap. v. pag. 400.

LARIBVS AVGVSTIS ET GENIS CAESARVM
IMP. CAESARI DIVI NERVAE FILIO
NERVAE TRAIANO AVG. GERM. PONTIFICI
MAXIMO TRIB. POT. IIII. COS. III. DESIG. &c.

IMP. CAES. DIVI NERVAE F
NERVA TRAIANVS AVG. GERMAN
DACICVS PONTIFEX MAXIMVS TRIB
POTESTATE XV. IMP. VI. COS. V. P. P.
SVBSTRVCTIONEM
CONTRA LABEM MONTIS FECIT (*a*)

Si igitur prior lapis Tribunitiam Poteſtatem IIII. cum Conſulatu III. conjungit, quem quidem Conſulatum in annum Ch. 100. conjiciendum apud omnes convenit, tertium nempe annum Trajani Imperii a Januario anni 98. inchoati, jam vides Tribunitiam Poteſtatem I. ad an. 97. pertinere, cujus licet paucos menſes a Septembri ad Januarium Poteſtas ipſa occupaverit, ſatius tamen fuit pro integro anno, qui Imperium anteverterat, numerari, quàm eos omnino negligi, aut novam, quam Fabrettus importune excogitavit (*b*), numerandi rationem inire, ejuſque cauſsâ ipſius anni exordium quod Romanis Magiſtratibus, atque ejuſdem Trajani Imperio commune fuit, mutare atque etiam perturbare.

Certius id ex poſteriore lapide patebit, ubi Tribunitia Poteſtas XV. Conſulatui V. adhùc adjecta legitur, hoc eſt uno anno, Imperii annum XV. antevertit, qui ær. Ch. fuit 112; in quo demum Trajanus Conſulatum VI. ſuſcepit: Ex quo ſane lapide, quòd in numeranda Tribunitia Poteſtate cum priore conſentiat, utriuſque fides comprobatur; atque illud præterea conſtat, non ipſo tantùm Imperii exordio, ſed ordinariam deinceps Tribunitiæ Poteſtatis numerationem Trajani Imperii tempore conſtanter manſiſſe, quâ Imperium ipſum anno minus uno eandem Tribunitiam Poteſtatem ſubſequeretur; Quod etiam rite factum videri debet: quum enim Januario menſe anni 98. Imperii adminiſtrationem Trajanus ſuſceperit, eodem quidem menſe, more majorum, atque ex Dionis teſtimonio Tribunitiam Poteſtatem, quam Septembri menſe antecedentis anni receperat, renovare ſibi debuit; quo factum fuit, ut Trib. Poteſtas I. per paucos licet menſes geſta ejuſdem anni 97. termino concluderetur, ſicuti qui aliquâ tantùm anni parte Conſul fuiſſet, (quod ſæpiſſime accidit) non ex integro anni ſpatio,

obitu, capeſſendum deliberaſſet, hanc equidem Trajani moderationem ſummis laudibus extollit Plinius cap. x. cujus inter alia hæc ſunt ad eundem Trajanum: *Jam Te Providentia Deorum primum in locum provexerat; Tu adhuc in ſecundo reſiſtere, atque etiam feneſcere optabas; Privatus tibi videbaris, quandiù Imperator & alius eſſet; Audita ſunt vota tua, ſed in quantum illi optimo & Sanctiſſimo ſeui utile fuit, quem Dii Cælo vindicaverunt &c.*

[*a*] Extat etiam hic lapis apud Donium Cl. II. n. 79. ubi tamen TRIB POT. XVI. legitur, ſed Fabrettiano exemplari fidem habendam malim, eò magis, quò nihil ego minus accuratè ſcriptum inveniam, ut Fabretto Gorius exprobavit, quanquam eodem lapide non recte ibi utatur Fabrettus ad ſuum Columnæ Trajanæ locum confirmandum.

[*b*] In Column. Trajan. cap. IX. pag. 282. Synopſim Chronologicam ab initio Imperii Trajani uſque ad Sextum ejus Conſulatum exhibet Fabrettus, qua ab an. Ch. 98. ad 117. Tribunitiæ Poteſtates, Acclamationes Imperatoriæ, Conſulatus, ſuis quæque annis conſignantur: Sed quod Trib. Poteſtatem attinet, hoc inſuper, quod in Synopſi jam præſiterat, ſubmonitum voluit Fabrettus, *ejuſdem videlicet numerationem incipere ab adoptione Trajani, quæ præceſſit obitum Nervæ, & Imperii Trajani tribus circiter menſibus ex ſententia Eutropii, quam amplectimur, & ſic a Kal. Novembris plus minus ejus anni, qui anteceſſit primum Imperii, & Synopſis ſupraſcriptæ; unde, Panvinii imitatione, primo Imperii anno Trib. Poteſtatem tam I. per decem menſes, quam II. per duos reliquos* (immo juxta novam rationem inſtitutam, Primam per duos menſes, Secundam per reliquos decem. vir doctus dicere debuit) *& ſic deinceps aſſignavimus*: Sed quam implicata atque omnino inſolens ſit hæc numerandæ Tribunitiæ Poteſtatis ratio, ut eadem Poteſtas bis in ſingulos Imperii annos recenſeatur, jam quiſque videt; ac ſuperius a me demonſtratum.

Digitized by Google

ſed ex geſto Magiſtratu ejus anni Conſul dicebatur; atque ex bimeſtribus quandoque Conſulatibus (ut de eodem Trajano jam conſtat) Conſulatuum numerus rectiſſime ſtatuebatur.

Quæ quum ita ſint, ex Tribunitia Poteſtate XVIII., quæ in noſtro Arcu inſcripta fuit, ex iis etiam omnibus, quæ ſuperiùs obſervata ſunt, de anno jam liquet, quo Arcus ipſe extructus fuit, decimo ſeptimo ſcilicet anno, quo Trajanus imperare cœpit, qui idem Æræ Chr. An. CXIV. fuit.

Age nunc, quæ extruendi Arcus cauſſa fuerit, obſervare jam licet; atque quum de Via Trajana diſſererem, quam Trajanus *Benevento Brundiſium pecunia ſua fecit*, fuit mihi tunc conjectura, quod Senatus P. Q. R. Opus illud tum Principis magnificentiâ, tum publica utilitate commendatum, eodem Arcu, præclariſſimo æque monumento, celebrandum curaverit: qua in re etiam morem illum ſervatum animadvertebam, quo Arcus conſimiles earum Viarum initio dedicari conſueverint, quas Principes ſternendas, aut etiam muniendas juſſiſſent: At nonnulla eſſe nunc video, graviſſima profecto momenta, quibus in noſtri Arcus extructione nihil de Via cogitatum appareat, aliòque cauſſa referenda omnino eſſe videatur; quì enim fieri poterat, ut, quum Via illa in Trib. Poteſtate XIII., quam Milliaria Columna inſcriptam habet, perfecta jam fuerit, quinquennio poſt, ideſt Trib. Poteſtate XVIII. quæ noſtro Arcui tribuitur, ipſo demum Arcu eandem Viam jamdiù ſtratam decorandi, celebrandique conſilium ſubierit: Cur etiam Viam illam Romani ejuſmodi monumento illuſtrandam maluiſſent, præclariore Viâ alterâ neglectâ, quam (teſte Dione) Trajanus Urbi propinquiorem, ac præterea magnificentiſſimis Pontibus, atque ædificiis mire exornatam, in Pomptinis Paludibus per eadem tempora ſtravit; Adde, quod nihil in noſtri Arcus titulo, quod Viam commemoret, aut ſaltem ad Viæ opus referri poſſit; quod ſane contra morem fuiſſe conſtat, quem cætera Trajani monumenta declarant: Erectæ Columnæ cauſſam ejuſdem titulus prodit, hoc eſt: AD DECLARANDVM QVANTAE ALTITVDINIS MONS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS. De Anconitani Arcus cauſſa neque Titulus ſilet, immo magnificè, ac diſertiſſimè loquitur: QVOD ACCESSVM ITALIAE HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA SVA PORTV TVTIOREM NAVIGANTIBVS REDDIDERIT. Unde & PROVIDENTISSIMI PRINCIPIS Epitheton ſatis opportunè Trajano tribuitur: Secus vero in noſtri Arcus Titulo factum videtur, ubi non ſolum de Via nihil ſcriptum, indicatumve, ſed FORTISSIMI PRINCIPIS, quo uno Trajanus decoratur cognomine, nullimode Arcus ad Viæ opus pertinere videtur, quam etiam conjiciendam cognomen ipſum omninò vetat, tum rei incongruens, tum etiam aliarum maximarum rerum manifeſtum argumentum.

Ad hoc igitur unum *Fortiſſimi* cognomen extructi noſtri Arcus omnis referenda erit cauſſa; ut ſcilicet eo monumento Bellicam imprimis Trajani Virtutem Senatus P. Q. R. honorandam decreverit. Eximiæ Fortitudinis laudem jamdiù Trajanus promeruerat; Binis enim in Daciam factis expeditionibus, Romanorum gloriam non reſtituit modo, verum etiam cum Imperii finibus ampliavit; ſub Oppio Sabino Conſulari, dein ſub Cornelio Fuſco Præfecto Cohortium Prætoriarum, Domitiani Ducibus, adverſa ſemper Belli fortuna Romani cum Dacis pugnaverant (*a*): Deteriora indies veriti, Hoſtium fœdus, imagine quadam ſervitutis, ac turpiori præteritis cladibus pretio redemerunt Romani Dacorum vectigales effecti; Is erat Romani Imperii ſtatus, hæc Romanorum nomini infixa adhùc macula manebat, dum Trajanus Principatum ſuſcepit, qui priore Bello Dacorum res in extremum diſcrimen adducens, quibuſcumque ipſe voluit conditionibus, Decebalo Regi humi procumbenti, adorantique Vitam, ac Regnum dimiſit (*b*); poſteriore vero bello ob ejuſdem Regis res novas molientis perfidiam inſtaurato, Dacia omnis a Trajano ita ſubacta eſt, ut Decebalus, deſperatis rebus omnibus, ſeſe voluntaria morte Victoris triumpho ſubduxerit. Atque ita Romano Imperio, quod [ut recte animadvertit Eutropius] poſt Auguſtum ad ea uſque tempora defenſum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, Trajani Fortitudine factum eſt, ut Dacia Provincia adjiceretur, in quam ipſe etiam, Barbararum Gentium olim natale ſolum, atque horridam ſedem, deductis Romanorum Coloniis, Romanos mores, inſtitutaque invexit. Jamdiù itaque, ut dixi, Trajanus Fortitudinis laude commendari digniſſimus, quam etiam præteritorum temporum infelicitas quammaxime augere videbatur; ſed quod Dacicas Victorias ſpectat, quas binis Trajani Triumphis, Nummiſque percuſſis, aliiſque publicis honorum monumentis celebratas novimus, ne primam, atque omnem extruendi Arcus cauſſam putare debemus. Sunt equidem in noſtri Arcus tabulis plura elegantiſſimè expreſſa Belli Dacici monumenta, ut Decebali ad pedes

[*a*] Svetonius in Domitian. cap. VI. Eutropius lib. V. [*b*] Dio Caſſius in vita Trajani.

Digitized by Google

des Trajani provoluti adoratio, obſidum traditio, aliaque egregia plura ad militarem rem pertinentia, quæ exteriorem Arcus aſpectum exornant; ſed vix credi poteſt, tam ſerò Romanis in mentem veniſſe Monumentum illud excitare, quod Dacico Bello ab An. Ch. CV. omnino abſoluto, novem fere annis poſterius fuit; ubi etiam non Militares tantum, ſed Civiles quoque Trajani res egregie geſtæ, ut *Adoptio*, *Alimentarii Pueri*, aliaque *Liberalitatis*, ac Magnificentiæ exempla in interiori, quem modo ære inciſum exhibuimus, ejuſdem Arcus aſpectu, repræſentata conſpiciuntur; atque ad Civiles quidem pertinent quoque Tabulæ ex utroque interioris fornicis latere appoſitæ, quarum altera ſolennem Sacrificii operam, altera vero Congiarii largitionem, præſentes effingit. Fuit igitur conſilium, Trajani res omnes Domi, Foriſque geſtas, quæ ad id tempus maxime enituiſſent, in unum ipſum Monumentum conjicere, quò major Operi ſplendor accederet, ſed peculiari *Fortiſſimi* Cognomine præſentem rem, quâ novam ſibi gloriam Trajanus per id tempus comparaſſe cœpit, Arcus ipſe plane præmonebat.

Idem Annus CXIV., quo noſter Arcus extructus fuit, Parthico Bello initium jam dederat. Parthis, Armeniiſque Bellum intulit Trajanus, propterea quod Armeniorum Rex diadema, & cætera Regni inſignia, atque jura non ab ſe, ſed a Parthorum Rege, velut illi obnoxius ſumpſiſſet. Hinc Parthorum; & Armeniorum fines ingreſſus, Parthamaſirem, qui in Armeniis regnabat, graviter mulctavit; Reges alios, qui contumaces obſequium abnuiſſent, parereque recuſaſſent, parvo negotio ſubegit, alios vero, qui ſponte deditionem feciſſent, aut in fidem veniſſent, ut amicos benigne habuit; oſtenſis demum armis, ac ſine certamine, Regnis omnibus in ſuum Imperium receptis, ſuoque arbitrio iterum *adſignatis* (*a*), multis muneribus auctus eſt, inter quæ ſpecioſiſſimum illud, quod meminit Dio, expreſſumque in exteriori noſtri Arcus aſpectu ſpectare adhùc licet; equum nempe *ita edoctum*, *ut Regem adoraret*, quem ante Trajanum ductum, pedes anteriores in morem ſupplicantis flexiſſe, caputque pedibus ejus ſubjeciſſe narratur: Hæc primo Belli Parthici anno a Trajano geſta ſunt, *Feliciter* potius, quàm *Fortiter*; unde nondum Parthici Cognomen eidem peperere, quod demum ſequenti anno, hoc eſt Trib. Poteſtate XIX., collatum non ſolum probat noſtri Arcus ſilentium, qui anno antecedenti extructus eo Cognomine caret, verum etiam docent ſequentis anni monumenta, quibus eâdem Trib. Poteſtate XIX. ſignatis Parthici Cognomen perpetuò inſcriptum teſtatur Fabrettus (*b*), quamvis Dio ejuſmodi Cognomen, quod antea Trajano tributum fuerat, tunc confirmatum commemoret.

Quantæ vero, & quàm magnæ eæ res fuerint, uno eo anno a Trajano geſtæ, ſummatim jam diximus, quæ quum Imperatoris Felicitati tribuenda videantur, ipſa tamen Felicitas ad Fortitudinem redit, quâ ſola ob Dacicas expeditiones longè latèque probatâ, novos hoſtes ſine armis vincere Trajanus jam didicerat: Harum igitur rerum nunciis Romam perlatis, quid ni, eodemmet anno tam uberem Imperatoris operâ, tamque ſingularem Romano Imperio gloriam ferente, publicis Honorum Monumentis *Fortiſſimum* Principem Senatus P. Q. R. celebrandum curaverit? Ad hunc certe annum Dionis verba referenda eſſe arbitror: *Triumphalis tum Arcus* (inquit) *præter alia multa, quæ in honorem ejus & decreta, & facta fuerant, in illius Foro ſubſtructus eſt; Jamque ita Cives ſe ornabant, ut illi in Patriam revertenti læti, & plaudentes occurrerent.* Quanquam enim ſub Trajani obitum hæc rejecerit Dio, quem biennio circiter poſt noſtrum Arcum mortuum fuiſſe conſtat, non dubito tamen, quin ad ann. 114. ac Trajani Trib. Poteſtatem XVIII., ea omnia pertinere debeant: nam ſi Romanum Arcum excipias, de quo initio meminimus, ipſo etiam Trajani Imperii initio dicatum, non alterum Romæ Arcum fuiſſe novimus, quem Dio ait ſub Trajani obitum in ejus Foro ſubſtructum: Facile autem Dioni fuit, extremum triennium, quo Trajanus Româ abſens eidem Bello Parthico operam dedit, res omnes ſine ullo temporis diſcrimine, prout narrandi opportunitas feciſſet, ita perſequi, ut poſt res ipſas, quicquid honoris non uno tempore promeruit Trajanus, tunc demum ſummatim narrare inſtitueret: veriſimillimum quoque illud putaverim, ut poſterioris Beneventani Arcus fortaſſe ignarus, priorem Arcum, quem ſuo ævo adhùc Romæ extantem Dio aſpiceret, hunc ipſum fuiſſe crediderit, quem Parthico vertente Bello, novo Senatus, Populique Romani decreto, Trajano dicatum fuiſſe ſcribit. Noſter igitur Arcus Trib. Poteſta-

[*a*] Bina numiſmata Trajani ſatis celebrantur apud Rei Nummariæ Scriptores, in quorum altero hæc adeſt Epigraphes: REGNA ADSIGNATA. Cum Conſulatu VI., in altero vero ſic inſcribitur: REX PARTHIS DATVS cum eadem Conſulatus nota. Vid. Angelonium, Erizzum, &c.

[*b*] In Colum. Traj. cap. 9. pag. 292. & ſeq.

Digitized by Google

te XVIII., hoc eſt Primo Belli Parthici Anno extructus, maturiùs quidem, ac præterea Beneventi, non vero Romæ, atque tam ſerò, ut Dioni videbatur, ſuo etiamnum aſpectu ſeſe dicatum oſtendit.

Quod etiam poſtrema, quæ modo junctim recitavimus Dionis verba magis certum ſuadent: Dum enim Romani ſubſtructo Triumphali Arcu, aliiſque comparatis ornamentis *Trajano in Patriam revertenti læti, ac plaudentes occurrere* ſatagebant, non equidem in ipſa Roma jam reverſum excipere, ſed longiùs ire obviam, lætitiamque ſuam honorificentiſſimo aliquo, ac perpetuo Opere teſtari debuiſſent: Scimus autem [quod multis exemplis, quum de Auguſtis Viris egerim Diſſert. VII., jam probavi] Beneventum, communem veluti ſtatutumque terminum iis fuiſſe, qui Principes fere omnes tum in Orientem proficiſcentes, tum illinc revertentes, aut dimittere, aut excipere honoris cauſſa conſueſſent. Arcum igitur Triumphalem Dioni memoratum Beneventi potius, quam alibi extruere Senatui, Populoque Romano placuit, qui tamen fruſtra Trajanum expectarunt, in ipſo reditu apud Selinuntem Ciliciæ Urbem Auguſto menſe Ann. CXVII. defunctum (*a*): Atque ex his demum omnibus non ſolum, quæ noſtri Arcus extruendi cauſſa extiterit, verum etiam cur Beneventi extructus fuerit, luculenter jam probatum arbitror.

Reſtat modo, ut [quod mihi poſtremo loco propoſitum fuit] ipſius Arcus Titulum illuſtrandum ſuſcipiam; non is ſolum in interiori, quem exhibemus, ejuſdem Arcus aſpectu inſcriptus fuit, ſed in exteriori etiam, eodem ipſo loco, iiſdemque dictionibus, ac literarum formis, inſculptus habetur; neque enim inter utriuſque aſpectus Ichnographiam diſcrimen ullum eſt, niſi quod ſingulis utriuſque Tabulis, diverſæ variarum rerum effigies exhibeantur. Pauca quidem in eum titulum mihi ſuppetunt, dum alia ſuperiùs pro re nata explicuiſſe jam libuit, alia vero ita præclare ſe habent, ut nulla explicatione indigere videantur. Ad *Optimi* itaque cognomen tantummodo conferendus eſt ſermo, protritum illud quidem, ſed de quo, an ante alios Trajano primùm, quo etiam tempore Ei fuerit delatum, nondum ſatis conſtat. Ac quod primùm attinet, ſi Plinium audimus, nemo ante Trajanum *Optimi* cognomine publicè decoratus unquam fuit. *Juſtiſne de cauſis* [ita Plinius ad Trajanum (*b*)] *Senatus, Populuſque Romanus Optimi tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem, & in medio poſitum, novum tamen: Scias neminem ante meruiſſe . . . . . hoc tibi tam proprium, quàm paternum, nec magis definite, diſtinctèque deſignat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat . . . . . quod licet omnes poſtea uſurpent, ſemper tamen agnoſcetur, ut tuum; etenim ut nomine Auguſti admonemur ejus, cui primùm dicatum eſt: ita hæc Optimi appellatio nunquam memoriæ hominum ſine te recurret, quotieſque poſteri noſtri Optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari*: ac de ſequutis Principibus nota res eſt, quibus Imperium capeſſentibus ſolenne illud, teſte Eutropio, acclamari ſolebat FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO, & quidem Hadrianum mox ſibi *Optimi*, aut etiam *Optimi Maximi* appellationem arripuiſſe conſtat ex Juris Civilis libris (*c*); ac deinde cæteros omnes de more, quanquam non pro Trajani moribus, *Optimi* cognomen affectaſſe antiqui lapides paſſim docent; at de iis, qui Trajanum anteceſſere, dubium videri poteſt: Certe *Optimi* elogium Imp. Claudio tribuitur in eo S. C. quod ab eodem Plinio refertur Ep. VI. l. VIII. qui illum eodem loco *Optimi Principis* titulo iterum deſignat: Caligulam etiam inter cætera, quæ aſſumpſit cognomina, *Optimum Maximumque* vocatum teſtatur Svetonius (*d*): At quamvis hæc omnia negare nemo auſit, adhùc tamen vera Plinium de Trajano loquutum cenſebimus, dum *Peſſimorum* Principum exempla, qui *Optimi* dici voluerunt, novum uſque ad id tempus cognomen reddebant, quod non adulatione, aut faſtu, ſed virtutibus prior Trajanus meruiſſet: Illud potius turbat, quod ante Principatus initia

[*a*] Apud Selinuntem Ciliciæ Urbem, quæ deinde Trajanopolis appellata eſt, *intercute aqua repletum* Trajanum obiiſſe tradit Dio; Eutropius vero l. VIII. optimæ editionis Baſileæ per Antonium Schonovium anno 1545. Apud Seleuciam Iſauriæ *profluvio ventris* extinctum refert: Fortaſſe ex utriuſque dictionis affinitate factum fuit, ut pro Selinunte Seleucia in antiquis Eutropii exemplaribus legi cœperit, quod etiam deinde Paulus Diaconus in interpolata Eutropii hiſtoria retinuit, ut in binis vetuſtis Diaconi editionibus, quas ad manus habeo, ſcriptum invenio.

[*b*] Panegyr. cap. 88.

[*c*] *Optimus Princeps* Hadrianus vocatur in leg. 2. §. 47. D. De Orig. Jur. Idemque *Optimus Maximuſque* in S. C. de Petitione Hæreditatis l. 20. D. De Hæred. petit. Solenne etiam Papiniano noſtro fuit, ut nunquam Severi ſine *Optimi*, aut *Optimi Maximi* titulo meminerit; ut in l. 67. §. *Si omiſſa D. De leg.* 2. l. 7. D. *De vacat*, & *excuſat.* & alibi paſſim.

[*d*] Sveton. in Calig. cap. 22.: *Compluribus cognominibus aſſumptis, nam & Pius, & Caſtrorum Filius, & Pater Exercituum, & Optimus Maximus Cæſar vocabatur &c.*

Digitized by Google

tia (quum nempe libertatis, quâ Resp. fruebatur, vis illa major in præmiis, honoribusque virtuti largiendis agnoſceretur) fuerint plerique, quos *Optimos* Senatus vocari decreverit: *Ego ſemper* [ita de ſe ipſo ait Cicero (*a*)] *Civis eram, & tum maximè, cum meam ſalutem Senatus exteris nationibus, ut CIVIS OPTIMI, commendabat.* Scimus etiam Scipionem Naſicam eodem cognomine Senatus Conſulto decoratum, de quo ita J. C. Pomponius (*b*): *Gajus Scipio Naſica, qui OPTIMVS a Senatu appellatus eſt, cui etiam publica Domus in Sacra via data eſt, quò facilius conſuli poſſet.* At vel hæc non maximarum virtutum maxima præmia, vel hominum memoriæ ob temporum diuturnitatem obliterata: Dubia quoque videri queunt, ſi quod Ciceronis fuit, *Optimi Civis* cognomen, ejus jactantiæ, aut ſaltem non ſolenni de ea re S. C. tribuas; Naſicæ vero non magni habitum, neque uſu receptum *Optimi* cognomen ex eodem Cicerone intelligas (*c*); Hinc nihil inepti, aut aſſentationis Plinio tribuemus, ſi ejuſmodi Cognominis pretium ex eo magnificandum ſibi ſumpſerit, quod *novum* quidem eſſet, ſed *paratum, & in medio poſitum*, quaſi ſolum Trajanum omni virtutum genere promeriturum expectaret.

At quo præſertim tempore *Optimi* cognomine appellatus Trajanus? Res clara ex Plinio, ut in ipſius Trajani Imperii initio res conſignetur; nam, quum de eodem Cognomine tam copiosè, ac præclarè in Trajani laudem Plinius diſſeruiſſet, illud etiam certum conſtat, Panegyricum menſe Septembri an. 100. fuiſſe ab eodem recitatum (*d*), quum nempe Trajanus nondum Imperii triennium expleſſet: Sed diverſus a Plinio abire videtur Dio, qui ſerò admodum, nec niſi poſt ſubactam Armeniam [ideſt anno X. Imperii circiter] id eveniſſe ſtatuit; *Tum* (inquit) *in honorem ejus multa Senatus decrevit, atque illud in primis, ut Optimus appellaretur* (*e*). Seriùs etiam rem ſtatuendam putat Fabrettus (*f*), qui nonniſi poſt ſextum Conſulatum Optimi cognomen receptum inveniſſe ait in omnibus lapidibus, & nummis ſibi adhùc inſpectis, itaut excuſandos velit Xiphilinum, & Zonaram, ſi poſt Armeniam captam, Trajanum hoc cognomento honoratum a Senatu dixerunt, *propterea quod de Senatus decreto erraverint, de uſu tamen cognominis vera loquuti videantur*; Res iſthæc certe magni nominis Viros vexaſſe videtur, Noriſium (*g*) & Tillemontium (*h*), qui ſervata, ut par eſt, Plinio fide, niſi ad Trajani moderationem res deducatur, quam novo de ea re Senatus Conſulto devictam conjiciunt, cauſſam ignorare fatentur, cur demum *Optimi* cognomen nonniſi poſt Ann. Ch. C., frequentiùs autem poſt An. CXV. in Trajani nummis inſcriptum habeatur.

Sed cum de Plinii fide dubitare nefas ſit, quam neque in ſuſpicionem vocandam Noriſius, ac Tillemontius cenſuerunt, non equidem utriuſque conjecturas probaverim; De novo enim S. C. commentitia omnino res videri debet, dum de Trajani moderatione in eo cognomine abnuendo nullimodo conſtat; quid enim? Siluiſſetne Plinius, qui Trajani ſecundum, & tertium Conſulatum recuſantis moderationem pluribus deprædicare non omiſit; neque, quod Patris Patriæ cognomen Trajanus eadem moderatione diſtulerit, intactum voluit (*i*): Quum igitur ex nummorum ſilentio omnis dubitandi oriatur occaſio, miror profecto tantum momenti ea in re a ſummis Viris poſitum, ut nihil certum definire auſi fuerint.

Quod enim Nummi, aut etiam Lapides ante Ann. C. *Optimi* cognomen fileant, num de delato longe ante eundem annum Optimi cognomine dubitare fas erit? Etiamſi Dionis teſtimonium Plinio anteferamus, dum ille poſt devictam Armeniam, S. C. de ea re factum commemorat,

[*a*] Cicero Paradox. IV. cap. 1.

[*b*] In l. 2. §. 37. D. De Orig. Jur. ſed falſum in Naſicæ prænomine fuiſſe Pomponium jam alii notarunt, non enim *Gaii*, ſed *Publii* prænomen Naſicæ fuiſſe præclarè habetur ex Cicerone in Bruto cap. 20. & confirmat Livius l. 49.

[*c*] Tuſcul. l. 1. c. 9. ubi hæc legimus: *Naſica ille prudens, bis Conſul, Corculum*: quibus verbis, quum omnia, quæ ad Naſicæ virtutem, dignitatemque ſpectarent, concluſerit Cicero, addito etiam *Corculi* cognomine, vix credi poteſt *Optimi* cognomen, S. C. delatum, Ciceronem præterire voluiſſe, aut forte ignoraſſe; ut proinde de ejuſmodi Naſicæ cognomine, ipſius Ciceronis Ævo, haud celebris extaret memoria.

[*d*] Tum Plinii ſuffectus Conſulatus eodem menſe, & anno ſuſceptus id demonſtrat, nam ejus Magiſtratus initio Panegyricum recitavit, tum quoque probant res, quæ eodem Panegyrico celebratæ Trajani triennium non excedunt, ac priorem Dacicam expeditionem omnino antecedunt: Ipſemet Plinius necdum de triennio loqui teſtatur cap. 46.: verum quidem eſt eadem illa deinde Plinium (ut ipſemet ſcribit lib. 3. ep. 18.) *ſpatioſius, & uberius volumine amplexum* (quale legimus) *primùm ut Imperatori noſtro virtutes ſuæ veris laudibus commendarentur, deinde ut futuri Principes ſub exemplo præmonerentur, qua potiſſimùm via poſſent ad eandem gloriam niti*: haud tamen poſterioris temporis res geſtas attingere auſus fuit, ut de *Optimi* cognomine ad id tempus jam publice delato nulla nobis dubitatio eſſe poſſit.

[*e*] Dio Caſſius l. 68. & inter Scriptores Hiſt. Aug. edit. Baſileæ pag. 157.

[*f*] In Col. Traj. cap. IX. pag. 296.

[*g*] In Epoc. Syromaced. pag. 247.

[*h*] In Trajano art. 8. & not. 8.

[*i*] Panegyr. cap. 46. & ſeq.

Digitized by Google

morat, jam annum CVII., quo Armenia in poteſtatem recepta fuit, rem deduxiſſe licebit: Sed quæ, inquies, cauſſa fuerit, ut Nummi ſilerent? Nullam ſane ego video cauſſam excogitandam, dum præſertim in Nummis non illud ſolenne fuiſſe conſtat, ut omnia cujuſque Principis inſcriberentur Cognomina: vel, quod brevi Nummorum orbe inſcribenda epigraphes ſingula explicare non poſſet, vel, quod, quæ nullimode ad Principatus jura, majeſtatemque pertinerent, ſed tantummodo honoris eſſent, atque laudis aſſumpta cognomina, pro eorum, qui monumentum dedicaſſent arbitrio, inſcribi ſolerent: Certiſſimum id teneo ex ipſo Columnæ Trajanæ titulo, in quo magnificentiſſimo Opere, in media Urbe, a Senatu Populoque Romano, ſerò licet dedicato, ſcilicet Trib. Pot. XVII., adhùc tamen *Optimi* cognomen deſideratur (*a*): ut videas fruſtra nobis laborandum in ea cauſſa quærenda, cur priore Imperii tempore *Optimi* cognomen monumenta non præferant, quod poſteriore neglectum pariter fuiſſe liquet.

At non illud omnino verum, quod nulli extent vel Nummi, vel lapides ad Trajani Imperii initia pertinentes, in quibus *Optimi* cognomen appareat. Improbus quidem Fabretto labor ſuſceptus fuit, ſed an recte proceſſerit, jure dubitabimus, dum is pro ſua ſententia decertans nummos omnes Imperii initia, atque ejuſmodi ſimul Cognomen præferentes vel falſos, vel ſuppoſitios vel ex editorum oſcitantia in temporis nota mendoſos convincere negotium ſibi ſumpſit (*b*); ſatis nobis erit, rem hanc præter Nummos, etiam Lapidum fide confeciſſe; atque ut alios omittam, eos dumtaxat indicaſſe placet, quos Fabretto alibi probatos, eidem objicimus; Extat enim ſub TRIB. POT. VI. lapis Trajano dicatus ab omnibus Tribubus XXXV. *quod Liberalitate* OPTIMI PRINCIPIS *commoda earum, etiam locorum adjectione cumulata ſint*. Alterum etiam ſub TRIB. POTEST. VIII. Trajano OPTIMO PRINCIPI Cultores Domus Auguſtæ dedicarunt: ut jam recte conſtet, non initio dumtaxat, ſed [ut ex Columnæ titulo demonſtratum fuit] toto Trajani Imperii tempore eodem prorſus modo rem ſe habuiſſe, ut nempe *Optimi* cognomen, neque in omnibus monumentis deſideretur, neque in omnibus inſcriptum legatur; ac proinde tam Fabretti ſententia reſpuenda ſit, quàm Noriſio, ac Tillemontio nulla fuiſſe ratio videatur, ut de Nummorum ſilentio mirarentur, atque illud denique certiſſimum ſtatui poſſit, de delato Trajani Imperii initio, ſuſceptoque *Optimi* cognomine, Optimæ fidei teſtem Plinium eſſe agnoſcendum.

Præſtat modo de Tituli Orthographia, litterarumque formâ pauca obſervaſſe: atque primùm, non ſolum [ut vides] ſingulæ dictiones interpunctionibus diſtinguuntur juxta Auguſtei ſæculi morem (quem in omnibus Gruteriani Theſauri Inſcriptionibus pro editoris arbitrio potius, quàm ad Archetyporum fidem, perpetuum eſſe aſpicio), verum etiam illud DIVI tibi præſto eſt, ubi aliæ aliis longiores litteræ inſculptæ ſunt: Si veteres Grammaticos audiamus, peccatum in hujus dictionis Orthographia dicemus, vix enim Poetis metri cauſſa permiſſum volebant, ut neutrum nomen, cujus rectus caſus ante *vm* habet I, ac juxta eorum Canones in patrio caſu per duplex II efferendum, unico I terminaretur, ut apud Virgilium *LavinI*, *TugurI*, *PeculI &c.*, tumque ipſum I pro duplici II uſurpatum, longiuſculum eſſe deberet (*c*): quid igitur de noſtra dictione cenſendum erit, quæ literam I ſemel iterumque accipiens, in neutra duplex II continere videtur? At recte quidem ſe habet, dum non Grammaticorum moroſitates, ſed Antiquitatis exempla, auctoritatemque ſpectemus. Aureæ quidem ætatis ſunt Tabulæ Ancyranæ, in quibus cum I longiore leguntur verba *ConſulIbus*, *OmnIum*, *CurIam*, *MunicipIa*, imo & duo longiora elementa II ſimul juncta, *StipendIIs*, *ColonIIs*, *MunicipIIs*, & in Lucii Cenotaphio habetur FIIi, omnino contra ſtatutam Orthographiæ legem, quæ primum I breve, ſecundum vero longiuſculum, utpote genitivum duplici II terminandum repræſentans, poſtulabat (*d*): Ut plane conſtet, meliore ævo haud ullam fuiſſe de ea re certam, definitamque regulam, promiſcueque literam I in dictionibus quibuſque modo breviorem, modo longiorem pro libito fuiſſe uſurpatam.

Sed & notatu digniſſima eſt Litterarum forma, quibus inſcriptus eſt ipſe Titulus. Seſquipalmares ſunt Litteræ omnes, atque elegantiſſimè inſculptæ, in quarum rimis profundiùs, quàm aſſolet, inciſis, bina, aut etiam terna, & quaterna profundiora foramina, pro majori, minorive cujuſque litteræ ductu, diſtributa adſunt. Rem mihi curioſiùs animadvertenti

[*a*] Gruterus pag. 247. num. 4.

[*b*] Gruterus pag. 246. num. 8. & 9. ex quo eoſdem lapides excepit Fabrett. in Column. c. 9. p. 288. & 290.

[*c*] Priſcian. lib. 7. Dauſquius ſect. 2. pag. 93. Voſſ. de Art. Gram. l. 1. c. 29.

[*d*] Videſis Card. Noriſ. in Cenotaph. Piſ. Diſs. IV. cap. 2. §. 3.

Digitized by Google

tenti illud conjectare ſubiit, non eas nobis modo offerri Litteras, quales primùm in ipſo Opere extarent, ſed rimas tantummodo Litterarum ſupereſſe, quas olim litteræ aliæ ex ære, aut alia digniore materia extructæ, immiſſæque, ad lapideæ areæ ſuperficiem implerent; His vero clavi retro adeſſent annexi, foraminibus illis reſpondentes, injectique, quibus veluti retinaculis ſuæ quæque littera rimæ tenaciùs hæreret: atque meâ me haud falli conjecturâ, non re tantum ipſa, de qua oculi judicarent, ſed ſimili, quod forte occurrit Antiquitatis exemplo compertum habui; nam idem in Conſtantiniani Arcus Titulo factum olim fuiſſe teſtatur Cl. Ficoronus (*a*), ubi Litteræ omnes, quæ nunc viſuntur in marmore inciſæ, æneis, auratiſque totidem litteris conficiebantur; quod etiam is ita eſſe confirmat ex littera M ſeſquipalmaris magnitudinis ad Forum Trajani refoſsâ, quæ ænea tota, ac ſuâ ſuperficie aurata, ſolo, quo ſuperfundebatur auro, *floreni* pondo æſtimata fuit. At ſi ea Littera ad Forum Trajani refoſſa ſit, jam & Romanum Trajani Arcum hoc etiam pretii Conſtantiniano addidiſſe veriſimile mihi fit, ut præter egregia quæque omnia, etiam haſce litteras ad ejus titulum magnificentiùs conſtruendum ſuppeditarit. Sed hæc obiter; Illud mihi probaſſe ſatis, quod ejuſmodi æneis, auratiſque literis noſter Arcus illuſtris fuerit, quas frequentes olim Barbarorum depopulationes, aut etiam Veterum popularium noſtrorum avaritia poſteris ſpectandas inviderunt: Sed licet ipſæ defecerint, ſuperſunt tamen manifeſta, quæ jam diximus, indicia, quod olim extiterint: nec amiſſas querimur, dum ipſe nobis ſuperſtes ſit Arcus, qui ſine *auratis* ſui tituli litteris, auro contra æſtimandus, jamdiù *Portæ Aureæ* nomen promeruit.

Quo autem tempore Portæ Aureæ nomen noſtro Arcui inditum fuerit, non ſatis conſtat; Primùm (quod ſciam) occurrit in liberaliſſima Donatione Principis Arechis facta celeberrimo Monaſterio S. Sophiæ Ann. 774., ubi Monaſterii S. Johannis de Porta Aurea mentio fit (*b*); Jamdiù igitur ante ſæculum VIII. vigere id nomen debebat, cujus initium ad Romana ſæcula non ineptè referri poteſt; atque eo quidem magnificentiſſimo nomine (quod de egregiis aliis Antiquitatis monumentis nunquam uſu veniſſe conſtat) ubique recepto, atque in propriam appellationem translato, non poſterorum modo, ſed quale etiam fuerit Veterum judicium, ſatis patet, qui Triumphalem Arcum Trajani Beneventi extantem, eo nomine decoratum, cæteris Monumentis omnibus, quæ ad ſuam magnitudinem ſeris Nepotibus oſtentandam Romani extruxerint, præſtantiorem cenſuerunt.

CAPUT

[*a*] In Veſtigiis Rom. Antiq. l. I. c. 9. [*b*] Apud Ughellum Ital. Sacr. tom. VIII. pag. 33. edit. Rom. 1662.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De Cæſareo Veteris Beneventi.

P. VEIDIVS P. F. POLLIO
CAESAREVM CAESARI AVGVSTO
ET COLONIAI BENEVENTANAE

QUÆ ad ſinceram hujus Lapidis lectionem pertinebant, in præſentis Voluminis prælo-quio obſervaſſe in anteceſſum libuit, ubi Lipſii olim, ac Pratilli nuper oſcitantia fuit redarguenda, qui lineâ ſecundâ CAESAREM obtrudebant, proque CAESAREO, magnificentiſſimâ nempe Curiâ a P. Veidio Pollione Beneventi exædificata, *Cæſaris* Lipſius, *Auguſti* (quod oſcitantius) Pratillus Statuam comminiſcebantur. De hoc igitur Cæſareo agendum mihi erit, cujus Titulum (quod rei quoque dignitas poſtulare videbatur), qualis nunc ſuperſtes legitur, propriâque, quam habet, Litterarum formâ, exactiſſimè deſcriptum, pari fide, diligentiaque buxo (ut vides) effingendum curavi (*a*).

Quid *Cæſarei* vocabulo ſignificatum in noſtro lapide ſit, audire primùm præſtat ex eruditiſſimo Card. Noriſio, qui in *Cenotaph. Piſ. Diſs.* 1. *cap.* 4. P. Veidium Pollionem inquit, *Curiam Auguſti honori, ac Coloniæ Beneventanæ ornamento æquè ac commodo extructam, Romano quidem, ſed novo nomine Cæſareum nuncupaſſe*: atque hoc quidem vocabulo Vir Summus nedum *Auguſtei* (quod in laudatis Cenotaphiis legitur) ſignificationem, verum etiam auream latinitatem tuetur contra Cl. Chimentellum, qui *Auguſteum* eſſe *Forum*, aut *Prætorium* ratus, *vix dignam eam vocem ſæculo Aguſteo* declaravit.

Ac recte fortaſſe Noriſius ſe habet, ut, quæ Piſis Curia *Auguſteum* dicebatur, *Cæſarei* nomine eadem Beneventi vocaretur; Locus ſcilicet is fuerit, quò Coloniæ Senatus, ſeu Decuriones ad conſulta facienda de more conveniebat, quæ Ædes, quum Beneventi ſatis illuſtri Coloniâ jamdiù, ac magnifica ſane extare debuiſſet, vel magnificentiùs a P. Veidio Pollione tunc reſtituta fuit, vel potius præter veterem Curiam, recens altera ab eodem fuit extructa: neque

[*a*] In limine Januæ majoris Eccleſiæ S. Dominici proſtat hic Lapis, ut alibi dixi, longitudineque ſua ad palmos x. toto eodem limine extenditur. Hunc locum ut tandem haberet, lapidi contigit, tum quum ejuſmodi pretioſa Cimelia non ornandis, ſed conſtruendis ædificiis temerè adhibebantur: hinc major, quàm olim, litterarum numerus evanuit tranſeuntium frequentiâ, quorum pedibus litterata facies aſſiduè proteritur; Duo autem in hoc titulo, quæ ad Orthographiam ſpectant, notanda erunt: Ac primum nota illa Λ, quæ pro omni A conſtanter uſurpatur, Græcum Lamda præformaſſe videtur, dum ipſi græco Α, quod tum vigebat, apex appoſitus videtur, qui poſtea in barbaris græcis elementis obtinuit: Hoc autem græcum Λ pro ſuo L paſſim Latini uſurparunt, ut conſtat ex Indice Gruteri cap. XIX. in lit. L; ſed & pro latino A paſſim Λ adhibitum plura veterum monumenta oſtendunt, ut conſtanter in lapide Piſaurenſi LX. apud Oliverium, & ex eodem Indice Gruteriano lit. A ſatis conſtat: etiam in Appendice noſtrarum Inſcriptionum Columellam habes Claſ. IX. num. 38., ubi inſcriptus titulus perpetuò idem ſervat: quod quum ſequioris ætatis Orthographiam ſapiat, mirum profecto erit, Auguſteo Ævo, atque in magnificentiſſimi Operis titulo elegantiſſimè inſculpto Barbariſmum hunc irrepſiſſe; Notandus præterea erit ejuſdem Diphthongi uſus; non enim poſtremâ lineâ eſt COLONIAI BENEVENTANAI (ut præter Gruterum pag. 227. 3. Noriſius ipſe edidit, quorum fidem alibi ſequutus ſum, antequam lapidem ipſum diligentius perluſtraſſem, deſcripſiſſemque), ſed prior dictio in latinum AE [ut etiam CAESAREVM, & CAESARI lineâ ſecundâ], poſterior in græcum AI deſinit; ut videas pro arbitrio alterutrum diphthongum in more fuiſſe etiam Auguſti ætate, in qua *ſcribendi rationem multùm diverſam fuiſſe, & ſæpe ſui diſſimilem* recte notat Fleetwoodus in Sylloge Antiq. Inſcr. Epiſtol. Dedicator.

Digitized by Google

neque enim id mirum in ampliſſima Urbe, florentiſſimaque Colonia, in qua ſicut plures extabant Baſilicæ, ut mox videbimus cap. III., ita & geminæ ſaltem Curiæ haberentur, ut quandam dominantis Urbis imaginem referret, quæ plurimas, ubi Senatus juſtè haberi ſolebat, Curias numerabat.

At non illud Viro Summo conceſſerim, ut in Beneventano *Cæſareo* ædificando P. Veidius Pollio non aliud, niſi *Auguſti honorem*, ac Beneventanæ Coloniæ *ornamentum æque*., *ac commodum* cogitarit: Plurima quidem eo loco ſunt eruditè ſatis a Noriſio congeſta, ut non ſolum viventi adhùc Auguſto Templa, Aras, alioſque divinos honores tributos oſtenderet, verum etiam illud communi omnium inſtituto ſervatum probaret, ut eadem, ac Templa fuerint, propterea quod nefas putaretur aliò, quàm in loca ſacra Senatum legitimè convenire poſſe, itaut niſi in loco per Augures conſtituto, quod Templum appellaretur, Senatus Conſultum factum eſſet, juſtum id non fuiſſet: Quum igitur Pollio *Cæſareum* ab ſe extructum *Cæſari Auguſto*, *& Coloniæ Beneventanæ* æque ſimulque dicatum voluerit, quid ni præter ornamentum, ac commodum ipſius Coloniæ, Coloniam eandem cum Auguſto conjunctam pari cultus, religioniſque jure exornandam curarit? Certe id Titulus probat, qui utrique communis planè eſt; Opus ipſum confirmat, quod ſacrum eſſe debuit; & quidem Auguſto, cui divinos honores paſſim adepto, quum Colonia Beneventana omnino conſocietur, nihil eſt, ut ex eodem communi Titulo alterius cultum, ac religionem, alterius vero ornamentum, & commodum diſtinguamus.

Abſurdam fortaſſe rem in medium afferre videbor, quam tamen non ſolius Tituli fide, quæ ſatis alioqui habenda foret, verum etiam pluribus veriſimillimam, aut etiam certam probare promptum eſt. Urbes olim, dum Idololatria vigeret (quaſi non domibus, & tectis, & congeſtu lapidum conſtarent, vel etiam viris ipſis, qui Urbem conſtituerent) eſſe *aliquid* Ethnici putabant, cui ſua ſpecies, atque forma humanæ ſimilis, ſed major humanâ mens, genus, conditio, divinis honoribus adeo digna, ut paulatim Deæ Urbes coli cœperint: notum id de Urbe omnium Principe, *Terrarum Dea Gentiumque Roma* (*a*), quæ, uti ſuâ præſtantiâ eam inſanam Religionem ſibi peperit, ita ſuo exemplo aliis pleriſque Urbibus, ut ſibi Divinitatem affectantes eundem errorem adoptarent, Magiſtra fuiſſe videtur: e Græcis, ut videtur, in aſſentationem ſatis pronis, res cœpta, qui A. V. C. 558., Romanis nondum rerum omnium potitis, Romæ Templum Smyrnæ ſtatuerunt (*b*); ac paullo poſt Smyrneos Alabandenſes imitati (*c*): Hinc etiam cuſi nummi, quos adhùc ſpectare licet, cum hac epigraphe: ΘΕΑ ΡΩΜΗ., quò ex veriore Spanhemii ſententia (*d*) referendum putaverim illud *nomen blaſphemiæ*, quod ſeptem ſuis capitibus inſcriptum geſtabat Beſtia illa, ſeu mulier Romam repræſentans apud Divinum Scriptorem Apocalypſeos XIII. 1. & XVII. 3.: Ex Romana autem Urbe, (ut dicebam) ad alias pleraſque Urbes hæc veſania manaſſe videtur: Hinc *Deus Nemauſus* in Nemauſenſi lapide apud Gruterum (*e*), & altero apud Bimardum (*f*) pro ipſa Nemauſi Urbe habitus, cultuſque occurrit: Apud eundem Gruterum (*g*) legitur lapis *Cæciliæ*

L I D. F.

[*a*] Martiali ita appellatur XII. 8. 1.

[*b*] Smyrnei ipſi apud Tacitum Ann. IV. cap. 56. *Se primos Templum Urbis Romæ ſtatuiſſe*, inquiunt, *M. Porcio Conſule, magnis quidem jam Rom. Populi Rebus, nondum tamen ad ſummum elatis, ſtante adhùc Punicâ Urbe, & validis per Aſiam Regibus*.

[*c*] Livius lib. 43. 5. *Alabandenſes Templum Urbis Romæ ſe feciſſe commemoraverunt, ludoſque Anniverſarios ei Divæ inſtituiſſe*. Quod etiam Epheſi, & Nicææ Auguſtum permiſiſſe refert Dio l. LI. ſed & plura ipſi Romæ in ſua Urbe Templa ædificata fuiſſe conſtat, quorum unum in Monte Palatino Claudianus collocat l. II. *de Laud. Stilic.* ubi Provincias facit Romæ ſupplicantes:

Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

alterum cum Venere commune fuiſſe refert Prudentius contra Symmach. II. 219.

..... Colitur nam ſanguine, & ipſa
More Deæ, nomenque loci, ceu Numen habetur.
Atque Urbis, Veneriſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

ſed magnificentiſſimum omnium extruxit Antoninus Pius cum hoc titulo: ROMAE AETERNAE, ut etiam nunc ejus Auguſti numiſmata produnt.

[*d*] De uſu, & Præt. Numiſm. Diſs. v. pag. 415. edit. Elſe vir.; nam SS. Hieronymus, & Proſper nomen Blaſphemiæ pro AETERNAE, quam ſibi Roma paſſim tribuebat, epitheto intelligendum cenſuere, hinc illud Iovis apud Virg. Æn. 1.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dabo.

quod tamen minus veriſimile videri poteſt, non ſolum, quia minus impium, ſed etiam ſerò uſurpatum, nempe Antonini ævo, quo *Roma Æterna* appellari cœpit; quum antea, DEA ROMA, (quod verum Blaſphemiæ nomen) jamdiù vocaretur, divinoſque honores, ac Templa accepiſſet.

[*e*] Pag. MLXXIV. num. 9.

[*f*] In Diatriba De Diis Ignotis §. v. tom. 1. Theſ. Vet. Lap. Muratorii.

[*g*] Pag. CCCXXIII. n. 2. alteram dat Sponius Miſcell. pag. 164.

Digitized by Google

D. F. Aprullæ FLAM. DESIGNATAE COL. DEA. AVG. VOC. dicatus, ideſt *Flaminicæ Deſignatæ Coloniæ Deæ Auguſtæ Vocontiorum*; quæ etiam Dia Vocontiorum, & Dia Auguſta fuit dicta (*a*): quod Beneventum attinet, non inepte quidem hùc referri poſſent, quæ de *De Deo Benevento* copiosè dixi in Differt. I. cap. I. in fine; ut qui de ejus Numinis nomine Urbem Beneventum antea Maleventum appellatam, fecere Romani, inditam etiam Urbi cum eo novo vocabulo religionem putarint; Hinc etiam GENIO COLONIAE BENEVENTANAE cultus adhiberi conſuevit, de qua re peculiarem Diatribam habui in Differt. de Reb. Sac. cap. IV.

Sed redeo ad Titulum, ubi quum demum P. Veidius Pollio Auguſto ſimul, & Coloniæ Beneventanæ *Cæſareum* ab ſe extructum dicaverit, inſtitutum illud ſervaſſe videtur, quo Auguſtus (ut refert Svetonius (*b*)) Templa quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen Provincia, niſi communi ſuo, Romæque nomine recepit: Hinc in nummis Epigraphes: COM. ASIAE ROM. ET AVG. id eſt *Commune Aſiæ Romæ, & Auguſto*, vel ROMAE ET AVG. (*c*) In ſaxis autem ſæpe occurrit apud Gruterum (*d*): Notum etiam ex Joſepho (*e*), Herodem magnum, poſtquam Urbem, *Stratonis Turrim* ante appellatam reparavit, non ſolum novo *Cæſareæ* nomine donaſſe, verum etiam *Templum ibi Auguſto ſacrum extruxiſſe, & in eo ſtatuas, alteram Romæ, Cæſaris alteram collocaſſe*. Pari igitur, quod dixi exemplo *Cæſareum Cæſari Auguſto, & Coloniæ Beneventanæ* P. Veidius dedicaſſe videtur.

Confirmat denique conjecturam ipſum Cæſarei nomen (*f*), quo nonniſi Sacra Ædes ſignificatur. Sic in lapide Hiſpanienſi apud Cl. Muratorium pag. CXXXIV. n. I.

. . . . . .

DIVI. AVG. N. DIVI IVLI
. . . . N. TRIBVNICIA. POTESTATE I
COS. II. PONTVF
CORNELIVS. BASSVS. PONTVFEX
CAESAREVM. D. S. F

Ad quem lapidem hæc inter alia Vir doctus: *Baſſus iſte Cæſareum, ideſt Ædem Cæſari ſacram de ſuo fecit An. Ch. 39. imperante Cajo Caligula Auguſto, cujus nomen, uti in aliis lapidibus, ita in iſto abraſum fuit*. Haud tamen *Cæſareum* iſtud Hiſpanienſe ad Auguſtum pertinet, ſed ad ejus Nepotem Cajum Caligulam, quem eò dementiæ proceſſiſſe narrat Svetonius cap. 22., ut divinam ſibi afferens majeſtatem in ipſa Urbe Templum Numini ſuo proprium, & Sacerdotes, & *excogitatiſſimas victimas* inſtituerit: CAESAREVM autem dictum, tum quia is adhùc è Cæſarum familia, Principatuſque, cui id nomen jam proprium, ſucceſſionem teneret, tum etiam noſtri *Cæſarei* exemplo, quo quidem nomine ſacra Ædes Auguſto a P. Veidio Beneventi jamdudum dedicata fuerat: quæ duo dumtaxat Cæſarea, Beneventanum antea, dein Hiſpanienſe hactenus ex Antiquitatis latebris prodiere; Cæſareum autem in Ædis ſacræ nomen, & ſignificationem vulgo evaſiſſe ſatis conſtat, quod ſcilicet eidem vocabulo Templum ſubaudiatur, uti Serapidis Templum ΣΕΡΑΠΕΙΟΝ *Serapeum* appellatur in græca Inſcriptione penes Donium Claſ. II. n. 10. & ΗΡΑΚΛΕΙΟΝ *Heracleum* dicitur Templum Herculi ſacrum, in altera penes

[*a*] Cl. Baro Bimardus l. l. §. IX. a Templo *Andartæ*, quam *Deam Auguſtam* vocabant Vocontii, nomen factum putat Coloniæ *Deæ Auguſtæ Vocontiorum*, contra quam Maffejo, & Valeſio viſum fuerit, quorum prior *Deam Vocontiorum* Auguſtæ nomine nunquam donatam fuiſſe aſſerit, poſterior vero ita dictam arbitratur a Livia Auguſta inter Deas relata. At neque Bimardus ipſe rem acu tetigit, nam ex *Flaminica Coloniæ Deæ Auguſtæ Vocontiorum*, quæ in d. lapide habetur, optime deducitur, nullatenus de *Dea Andarta* agi, ſed de ipſa Vocontiorum Urbe, quæ proprio jam nomine *Dea*, divinum etiam cultum ſtatuto ſibi Flamine obtinebat.

[*b*] In Auguſt. cap. 52. Tacitus Ann. IV. *Quum Divus Auguſtus ſibi, atque Urbi Romæ Templum apud Pergamum ſiſti non prohibuiſſet &c.*

[*c*] Apud Angelonium in Aug. n. 26.

[*d*] Pag. CV. n. 7. & 8. uti etiam SACERDOS ROMAE ET AVG. pag. 13. n. 15. p. 58. n. 5. &c.

[*e*] Antiq. Jud. l. XV. c. 13.

[*f*] Romanum quidem, ſed novum nomen fatetur Card. Noriſius, cujus verba initio recitavi; ſed neque novum dixerim, ſi a Cæſaris nomine, quod ſatis vetuſtum apud Romanos erat, jamdiù latinè Cæſareus derivari poterat, ut jam derivavit Ovidius Faſt. I. & de Pont. 2. eleg. 8.: Novum dumtaxat fuerit, ſi tamen novitas illa dici poſſit, quâ ejus penultimam Syllabam productam pronunciamus, quod de *Herodis Cæſarea* Urbe ſuperiùs indicata jam obtinuit, quamvis ab ipſo *Cæſare* derivata fuerit.

Digitized by Google

penes Gruterum pag. ccccv. Cur vero non *Auguſteum*, uti in ſuis Cenotaphiis Piſana Colonia, ſed potius *Cæſareum*, ædem hanc Auguſto, Coloniæque Beneventanæ ſacram appellatam voluerit P. Veidius, dictu haud facile eſt; at quum non id omnino temere a P. Veidio factum, dicam quid ſentiam. Venerabile quidem erat Auguſti nomen, quod Octavianus Cæſar ſibi aſſumpſerat, ipſo etiam Romuli nomine præſtantius, quod oblatum non tanti, ut Auguſti alterum, æſtimandum viſum fuit; Auguſtus igitur ita vocatus *non tantum novo* [ut inquit Svetonius cap. 7,] *ſed etiam ampliore cognomine, quod loca quæque Religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicantur ab auctu, vel ab avium geſtu, guſtuve*: hinc etiam Ovidius Faſt. 1. 609.

Sancta vocant Auguſta Patres: Auguſta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

Patet igitur *Auguſti* cognominis cauſſa, quo Cæſar appellari maluit; ſed ex eadem omnino cauſſa liquet etiam (ni fallor), quale fuerit P. Veidii conſilium, ut ædem ab ſe extructam non Auguſteum, ſed Cæſareum appellare maluerit: Commune enim tum erat, ac quodammodo vulgare Templis quibuſque, ſacriſque ædibus omnibus *Auguſti* epitheton, ut ipſamet ſcilicet *Auguſta vocarentur*: necdum vero cognomen ipſum ita Auguſto ceſſerat, ut Templa ipſa non etiam illud ſibi proprium retinerent: quum igitur P. Veidius divinitatem Auguſti manifeſtiùs afferere vellet, ædem non communi aliis religioſis locis vocabulo, ſed peculiari Familiæ nomine, diſtinctiore nempe *Cæſarei* appellatione decoravit.

Quæ quum ita ſint, prope jam fuit, ut a principali ipſa Noriſii ſententia diſcederem, quâ is *Cæſareum*, non aliud quàm *Curiam* fuiſſe affirmat; ſi enim eo nomine vel Templum, vel quempiam aliam Sacram Ædem omnino ſignificatam, demonſtratamque habemus ex lapide Hiſpanienſi, atque ex his omnibus ſuperiùs obſervatis, jam quod ipſa Auguſto ſimul, & Coloniæ Beneventanæ dedicata legatur, nihil profecto adeſſe videtur, neque illud recte conſequitur, ut pro Curia accipiatur, in quam Decuriones ad conſulta facienda convenirent; veri enim ſimilius erit, Ædem Sacram dumtaxat agnoſcere, quam, uti alibi Templa Romæ, & Auguſto ædificari mos erat, ita Auguſto eidem, ac Coloniæ Beneventanæ ad communem utriuſque honorem, Religionemque teſtandam P. Veidius dedicarit; Sed Curiam fuiſſe, Noriſio permittamus, quam etiam (ut initio dixi) Ædem Sacram eſſe oportebat, dummodo non in ipſo Titulo diſcretas dedicandi cauſſas ex proprio ingenio commentetur, Auguſti nempe *honorem*, Coloniæ vero Beneventanæ *commodum æque, ac ornamentum*; ſed ex Loci conditione, communique Titulo, inſanum quidem, ſuperſtitioſumque, at vero communem cum Auguſto honorem Beneventanæ Coloniæ habere ſinat.

De noſtro *Cæſareo* jam ſatis actum; nunc de ejus Auctore Titulus ipſe agendum commonet; quod licet in hominis gratiam honoremque non omnino ceſſurum ſit, ſibi tamen præſtandum is voluit, qui eodem Titulo ſui Nominis, Operiſque memoriam adeò magnifice poſteritati commendavit. P. igitur Veidius Pollio (*a*) Eques Romanus, Auguſti amicitia clarus, cui etiam moriens domum ſuam, & Villam Pauſylipum vocatam ad Neapolim reliquit (*b*), ſuo luxu vero, ac ſævitiâ celebriorem famam apud præſentes, poſteroſque ſibi peperit: Hinc inter alia, quibus prudentes viri apud Tacitum (*c*) defuncti Auguſti vitam arguebant, Veidii luxus recenſebatur, quaſi, qui perpetuam cum illo conſuetudinem, eundem quoque animum foviſſet, vel ſaltem amicorum connivens, aut indulgens incorrectos illorum mores, ejus potentiâ fretos, ad deteriora perduceret. At ab ejuſmodi reprehenſione Auguſtum vindicaſſe poſtea videtur Svetonius (*d*), qui Eum neque facile amicitias admiſiſſe tradit, admiſſas vero conſtantiſſime retinuiſſe, & non tantum virtutes, ac merita cujuſque digni proſequutum, ſed vitia quoque, & delicta dumtaxat modica fuiſſe perpeſſum; quinimo, quod noſtrum Veidium attinet, Auguſti cauſſam opportunè egiſſe videtur Seneca, Ejus apud Veidium cænantis factum, ſcitu digniſſimum narrans (*e*). Fregerat unus ex ſervis Veidii Cryſtallinum; rapi eum Veidius juſſit, nec vulgari quidem periturum morte: muræenis objici imperat, quas ingens piſcina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ cauſſa facere? Sævitia erat.

[*a*] Veidius idem, ac Vedius, ut mox Plinius, & Tertullianus te docebunt; Diphthongum EI pro ſimplici E, (ut etiam pro ſimplici I) Veteres uſurpaſſe, præter noſtrum lapidem, diſces heic ex Tacito, Seneca &c. in ejuſdem Vedii nomine; reſque ita protrita eſt, ut explicare uberiùs ſupervacuum fuerit.

[*b*] Ex Dione lib. LIV. qui eum mortuum tradit A. V. DCCXXXIX.

[*c*] Annal. lib. I.

[*d*] In Aug. cap. 66.

[*e*] De Ira lib. III. cap. 40.

Digitized by Google

Evaſit e manibus puer, & confugit ad Cæſaris pedes, nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret, nec eſca fieret; motus eſt novitate crudelitatis Cæſar, & illum quidem mitti, cryſtallina autem omnia coram ſe frangi juſſit, complerique piſcinam (*a*): Fuit Cæſari ſic caſtigandus amicus; bene uſus *eſt viribus ſuis*. Leviores igitur amicorum labes tantummodo tolerabat Auguſtus, & Veidii non tam ſævitiam redarguit, quàm ſæviendi occaſionem ademit; quinimo ipſa Veidii ſævitia eandem Auguſti auctoritatem excitavit, ut in amicum ſemel animadvertiſſe non contentus, Juris veteris rigorem, quo jus vitæ, ac necis in ſervos Dominis dabatur, generatim temperandum ſibi duceret, itaut, eo auctore imminutum deinceps fuerit domeſticum in ſervos Imperium, data his facultate apud Præfectum Urbis de Dominorum ſævitiâ conquerendi (*b*).

Atque Auguſti quidem ob Veidii amicitiam ſalva fortaſſe exiſtimatio erit: Veidio verò nihil reliqui ſuppetit, ut ab ejus nomine infamiæ notam amoliamur. Fruſtra enim Imperio illo uſum dicemus, quo [ut inquit Cajus (*c*)] ex Jure Gentium legitima Dominis in ſervos vitæ, neciſque poteſtas tribuebatur: nam, præterquamquod ex certiſſimis ejuſdem Juris principiis Imperium hoc rationi ſubdebatur, itaut eo abuti viderentur, qui ſine juſtis cauſſis exercerent, quid iſtud monſtri fuerit, in juſta etiam ſæviendi cauſſa, ac poteſtate, inhumanioribus ſæviendi modis adinventis, non crimen ulciſci, ſed ſævitiæ ſuæ oblectamentum comparare? Novimus jam, quas leviſſimas ob cauſſas, Veidius in ſervos ſævire ſoleret. Cryſtallinum quippe vaſculum tanti, quanti ipſa unius ſervi vita; Imo pluris; dum ad illius pretium æquandum vita taliter impendenda erat, ut non pro morte, ſed pro mortis genere commutando ſervus ſupplicaret: Hinc, ſi audiſſe jam libuit Senecam Auguſti factum commendantem, quod is in Veidium *bene viribus ſuis fuerit uſus*, audire modo præſtat eundem, Veidii ſævitiam eloquentiùs exprobrantem: *quis non* [inquit (*d*)] *Veidium Pollionem pejus oderat, quàm ſervi ſui, quod murænas ſanguine humano ſaginabat, & eos, qui ſe aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud, quàm ſerpentibus objici jubebat? O hominem mille mortibus dignum! Sive devorandos ſervos objiciebat murænis, quas eſurus erat, ſive in hoc tantùm illas alebat, ut ſic aleret*. Paullo poſt Senecam Plinius de murænis agens, *Invenit* (ait (*e*)) *in hoc animali documenta ſævitiæ Vedius Pollio Eques Romanus ex amicis D. Auguſti, vivariis earum immergens damnata mancipia: non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in alio genere totum hominem pariter diſtrahi ſpectare non poterat*. Stylum denique ſuum adverſus Pollionem de more acuit Tertullianus, cujus hæc ſunt (*f*): *Immergo ſcapellum acerbitati ei, qua Vedius Pollio ſervos murænis invadendos objectabat:*

[*a*] Non fragmentis ipſis Cryſtallinorum completa fuit Piſcina (ut recte notat Lipſius), unde enim tam multa? Et *ingens Piſcina* erat, ut præmiſit, ſed ſimpliciter compleri, terrâ alioque aggere: Hanc Piſcinam in *Pauſylipo* Veidii fuiſſe veriſimile eſt; meminit Plin. l. IX. c. 53. *Pauſylipum Villa eſt Campaniæ haud procul Neapoli: in ea in Cæſaris Piſcinis a Pollione Vedio* (quo tempore Dominus Villæ fuit, quam, ut diximus, moriens Auguſto reliquit) *conjectum piſcem Sexageſimum poſt annum expiraſſe ſcribit Annæus Seneca. Duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere tunc viventibus*: An igitur poſt Auguſti factum reſtituta Piſcina illa? vel potius aliam (nam multitudinis numero utitur Plinius) fuiſſe intelligemus.

[*b*] Auguſti hanc primùm fuiſſe legem de coercenda Dominorum ſævitia in ſervos, ejuſque rei cognitione apud Præfectum Urbi, novum ab eo inſtitutum Magiſtratum, habenda, fuit Lipſii opinio *ad Senec. de Benef. l. 3. c. 21. n. 135.*, quam comprobavit Heineccius *Antiq. Rom. l. 1. cap. 4. §. 174.*: non diù tamen ſervatum, Dominis vetera inhumanitatis jura ſibi iterum vindicantibus; nam Hadrianus, teſte Spartiano, ſervos a Dominis vetuit occidi, eoſque juſſit damnari per Judices, ſi digni eſſent; Severus quoque Epiſtola ad Cilonem Præf. Urbi miſſa, inter alia ſanxit, ut *ſervos de Dominis querentes Præfectus audiat*: quod fusè perſequitur Ulpianus in l. 1. D. De off. Præf. Urb.

[*c*] L. 1. D. De His qui ſui vel alieni juris ſunt.

[*d*] De Clementia l. 1. c. 18.

[*e*] Hiſt. Nat. lib. IX. cap. 23.

[*f*] De Pallio cap. V.: *Immergere ſcapellum* proverbialis eſt formula; nam ſolent Chirurgi immerſo ſcalpello venam incidere, & humorem redundantem elicere, qualem plus nimio cholericum in Vedii acerbitate Septimius jam indicat: Jam paullo antea is dixerat, ſolitum ſe *de qualibet margine, vel ara medicinas moribus dicere*: Hinc ibidem & ſe aliis *adigere Cauterem*, & *Catharticum dare* aliis &c. dicit. Obſcurus tamen Tertulliani locus, itaut *Terrenæ Beſtiæ*, nonniſi in primo caſu plurali accipiantur a Rigaltio, adeoque ſequentia ſic legenda cenſeat: *exungues, & excornes*. Sed nihil mutandum; nam ſi *terrenæ beſtiæ* ſingularis genitivus erit, ut certè eſt, plana erat lectio, quam ſic explico: *Vedio delectato nova ſævitia* (non ſui ipſius, ſed) *terrenæ beſtiæ, & edentulæ & exunguis, & excornis* (qualis erat muræna, quæ ſine dentibus, ſine unguibus, ſine cornubus nuſquam antea novit in homines ſævire) *delectato*, inquam, *placuit de piſcibus feras eſſe cogere*, id eſt ad hoc murænas noviter inſtituit, ut more ferarum homines devorare jam ſcirent, ſive (ut loquitur Plinius) invenit Pollio in murænis *documenta ſævitiæ*: Non abs re autem eas *terrenas beſtias* vocat Tertullianus, quæ in vivariis recluſæ novis omnino ſedibus alebantur. Audi Senecam Quæſt. Nat. l. 3. cap. 17.: *Non cum*

Digitized by Google

jectabat: nova scilicet sævitia delectato terrena bestiæ, & edentulæ, & exunguis, & excornis, de piscibus placuit feras cogere, utique statim coquendis, ut in visceribus earum aliquid de servorum suorum corporibus & ipse gustaret: Libuit omnium locos in medium afferre, ut monstruosissimum omnium Veidium intelligamus, cujus sævitiam Seneca, Plinius, Tertullianus tanto, ac tam vario sententiarum delectu, sed pari quisque vehementia insectari studuerunt.

Pudet igitur conjecturam meam heic afferre; sed tamen dicam. Beneventanum fuisse hunc Veidium verisimile mihi fit; nam id primo probare videtur *Cæsareum* ipsum Beneventi exstructum. Cur enim Augustum Æde Sacra honorandum ratus Veidius, non solum Beneventi hoc præstitit, sed amplius eandem Ædem communi titulo Beneventanæ Coloniæ dedicatam voluit? Præterea Veidiam familiam Beneventi floruisse ostendunt alii nostri lapides, quos exhibeo.

Ad S. Franciſci.

Q. VEIDIVS Q. L. . . . .
CLODIA . . . . . .
. . . . . .

Ad S. Petri extra mœnia. (*a*)

D. M.
VEIDIAE
FORTVNATAE
CONIVGI MVNII
VITALIS QVAE
VIXIT ANN. CVM
EO XII. MEN. . . . . .
QVAE SVPRAVI
XIT DIEB. . . . . .
MVNIVS PROCVLE
IANVS COGNATAE
B. M. F.

Apud

cum retibus aliquis; aut cum hamis, sed cum dolabra it piscatum. Expecto, ut aliquis in mari venetur; quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes. Hoc miraris accidere; quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ, quoties natura, aut mentitur, aut vincit: In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur ad mensam &c.

[*a*] De hoc lapide plura a me dicta habebis in Thesauro nostrarum Inscriptionum Class. IX. n. 80.

Digitized by Google

Apud Manutium in Orthogr. v. *Cauſſa* n. 4.

P. VEIDIVS. P. L. PHI
LOCLES. AVGVSTAL. BE
NEVENTI. GLADIATOR. D
HOC. MONVMENTVM.....
...CAVSSA. SIBI. ET. SVIS
FACIVNDVM. CVR
P. VEIDIO. P. L. PHILO
DAMO. FRATRI. ET. VA
RIAE. PRIMAE. VXORI
ET. P. VEIDIO. P. L
PHILOTIMO: FRATRI. ET
VEIDIAE: P. L. MATRI

Ex poſtremo hoc dumtaxat Manutiano lapide (*a*) (nam priores duos nunc primum edimus), ac præterea ex *Cæſarei* Titulo hactenus Veidia Gens apud Gruterum innotuit: nuſquam vero, aut rariſſimè apud alios (*b*) ; itaut nullibi frequentior ejus Gentis mentio, quam ex Beneventanis lapidibus, quos ſuperius recitavimus: An igitur ex Veidia Gente Beneventana Veidius hic Pollio? Si ita res erit, Veidium cum Vatinio (*c*) conjugabimus, atque egregium hoc monſtrorum par Beneventi editum non diffitebimur, ſi illud ſaltem ex Vedio laudandum didicerimus, virtutibus nos prodeſſe debere Patriæ, quam ille, ut ſe gratum, munificumque Civem oſtenderet, *Cæſareo* extructo adeò religioſe, obſequenterque celebrandam curavit.

[*a*] Ex Manutio retulit in ſuum Theſaurum Gruterus p. CCCXXXIII. n. 7. ſine loci mentione: at Beneventi extitiſſe hunc lapidem, tum ejuſdem Urbis in eo mentio, tum Veidiæ familiæ in aliis noſtris lapidibus frequentia monumenta declarant: Tertia linea illud GLADIATOR. D. fortaſſe erit: *Gladiatores* DEDIT; nam BENEVENTI eâdem lineâ, vel ſtat pro demonſtratione loci, ubi Gladiatores dati, ſeu editi, vel eodem gignendi caſu ad *Auguſtalem* præcedentis lineæ pertinet, ut ſcilicet P. Veidius fuerit AVGVSTALIS BENEVENTI: Certè quum *Auguſtalis* munere jam fungeretur, nullimode *Gladiator* & ipſe dici poteſt, niſi ad Neroniana tempora perveneris, quando Viri illuſtres, matronæque ipſæ, ut Principis genio blandirentur, in arenam ſeſe abjiciebant. Sed ab Auguſti ævo diſcedere vetat lapis, ex quo hunc Libertum, alioſque ſimul memoratos ad noſtrum P. Veidium Pollionem pertinere non levis mihi eſt conjectura.

[*b*] Vix ſemel Gudius pag. 334. n. 13. ex lapide Ferrarienſi *M. Veidium M. F. Homuncionem prodidit*: Semel, atque iterum Muratorius pag. 1762. n. 3. & 5.: Apud alios Archeologos, quos mihi hactenus evolvere contigit, non alius Veidius occurrit.

[*c*] De Vatinio Beneventano, Neronianæ Aulæ oſtento, latè egi in Diſs. VI. pag. 189.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De reliquis Operibus publicis, quæ olim Beneventi extabant.

. . . . . .

. . . . . .

IVSTITIA ADMIRABILI CASTITATE CONSPICVO
...ATORI FORI PRO....PARTE CONLAPSI IN RVIN
CONDITORI MOENIVM RESTITVTORI BASILICAE
.....M PORTICIBVS RESTAVRATORI REGIONIS
VIAE NOVAE REPARATORI THERMARVM COMMODIA
NARVM RESTITVTORI COLLEGIQRVM REPARATORI
PORTICVS DIANAE REPARATORI BASILICAE LON
GINI AC TOTIVS PROPE CIVITATIS .....
HOSTILE INCENDIVM CONDITORI .....
INSIGNIA EIVS IN OMNEM PRO ... IN .....
PRAECIPVAQVE IN SE ET PATRIAM ..... ERITA
POPVLVS BENEVEN
AD AETERNAM MEMORIAM
STATVAM CONLOCAVIT.

POst illuſtratum generatim (ut hoc volumine propoſitum mihi fuit) Triumphalem Arcum Trajani, Cæſareum quoque a P. Veidio Pollione Beneventi extructum peculiari diſſertatione exornatum, reliquum modo eſt, ut cætera, quæ olim Beneventanæ Urbis magnificentiam augebant, Opera publica percurramus: Horum non exiguam partem ſuperiore lapide collectam habemus, cui, ne illorum memoria omnino perierit, quum debemus, optandum quoque fuiſſet, ut quæ tandem ſolis ruderibus, aut vix eti am nominibus ſuperſtitibus, temporis injuriam haud evaſerint, eorum pariter Reſtitutorem acceptum haberemus; ſed detritis prioribus hujus noſtri lapidis lineis quum Viri illius nomen interciderit, illud nos, poſtquam de Operibus ipſis actum erit, negotium ſubibit, ut Qui olim Opera publica Beneventanæ Urbis tam præclaro beneficio reſtituenda curavit, Ejus Nos nomen, gratum majorum noſtrorum animum æmulantes, quibus poſſumus conjecturis, reſtituendum curemus.

A Foro igitur ordiar, quod *pro magna parte conlapſum in ruinam* primo loco reparatum noſter lapis commemorat: Fuiſſe Beneventi Forum jam antea probavimus, quum de Collegio Martenſium *Infraforano* diſſeruimus; amplius vero ex hoc lapide manifeſta res eſt, de qua tamen, ſilentibus licet vetuſtis monumentis, dubitare haud ſineret ipſa Beneventanæ Urbis nobilitas; cur enim ſine Foro fuerit, quod reliquis omnibus exigui nominis Urbibus, Coloniiſque numquam defuiſſe conſtat? Forum autem, cui vocabulo plures inſunt (*a*) ſignificationes

(*a*) *Forum* (inquit Feſtus) *primo modo negotiationis locus, ut Forum Flaminium, Forum Julium ab eorum nominibus, qui ea loca conſtruenda curarunt, quod etiam locis privatis, & in viis, & in agris fieri ſolet; alio, in quo judicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent; tertio, cum Is qui Provinciæ præeſt Forum agere dicitur, cum civitates vocat, & de controverſiis earum cognoſcit*: Poſtremam hanc Fori ſignificationem uſurpavit Cic. ad Att. lib. 5. inquiens; *Id. Februariis Forum inſtitueram agere Laodiceæ*: & alibi, *Forum* ſe jam egiſſe ex Id. Februariis Laodiceæ ad Kal. Maji omnium Diœceſeum præter Ciliciæ affirmat, nam in ea cum per annum

tiones, non aliud heic accipiemus, quàm certum, deſtinatumque in aliqua Urbis regione locum, ubi res, & lites agebantur, ac præterea merces, aut ſpecies certæ venales exponebantur, unde ipſius Fori diviſio manavit, ut alterum *civile*, alterum *venale* diceretur, quod & reipſa in præclarioribus ſaltem Urbibus ſervabatur, ubi ſua pro quaque re Fora habebantur, quæ in ipſa Roma pro ejus Urbis amplitudine ad XVII. numerabantur (*a*). Cum vero appellamus Forum, haud ipſam ſimplicem planitiem intelligere fas erit, ſive ipſam Aream, quam *locum* ſine *ædificio* in Urbe definit J.C. Florentinus (*b*), elegantiùs verò *locum in Urbe purum* dixit Varro (*c*); quid enim miri area ſola præſtare poterit, dum alioqui ſcimus Auguſti Forum a Plinio *inter maxima operum* collocari; Forum autem Trajani Ammianus *ſingularem ſub omni Cælo ſtructuram* prædicaſſe non contentus, etiam *Numinum aſſenſione mirabilem* exclamavit; de quo etiam illud Caſſiodori eſt: *Trajani Forum vel ſub aſſiduitate videre miraculum eſt*: Romanum etiam, quod priſcæ potentiæ Forum Ammianus appellat, adeo ipſe idem extollit, ut Conſtantini *oculos in eo, miraculorum denſitate, perſtrictos* commemoret; Fuit profecto, quum Fora ſolis areis, quæ rebus venalibus, judiciiſque agendis paterent, continerentur, ut de ipſo veteri Romano Foro plane conſtat, quod Romulo auctore, ejuſque ævo pro naſcentis tum Romanæ potentiæ exiguis viribus ſimplici planicie inter Capitolinum, & Palatinum colles conſtitutum fuit, at poſtea L. Tarquinius Priſcus exornavit, & *Tabernis, ac Porticibus* cinxit, cujus exemplo mox eidem Foro, aliiſque deinceps extructis, ædificiorum in ipſam Fori faciem ſeu aream circumjacentium magnificentiâ, ea majeſtas acceſſit, ut miraculi inſtar haberentur; quæ quidem omnia eò obſervanda nobis fuere, ut quid in Beneventano Foro, noſtri lapidis teſtimonio præſtitum tum fuerit, facile intelligeremus; Illud enim, quòd *pro magna parte in ruinam conlapſum* dicatur, ſubindeque *reparatum*, in priſtinam certè ædificiorum, quibus circumquaque cingeretur, magnificentiam reſtitutum cenſeri debet; ex hac enim ædificiorum corona tota Fori majeſtas pendebat; Hinc illud Strabonis, Urbem, quam primùm quis viderit, deſcribentis: *at idem ſi in Forum vetus deinde progreſſus alia aliis hærentia, & conſequentia viderit, Baſilicas, Porticus, Templa &c. is facile priorum obliviſcetur*; neque ſolis Porticibus, Baſiliciſque, aut Templis, ſed ſtatuis, ſignis, eximiiſque aliis ornamentorum generibus (*d*), ut auguſtiora, quæ deinceps nova excitari libuit, Fora eſſent, ipſi inter ſe Auguſti decertaſſe viſi ſunt: non ego tamen ſimilem, quâ Romana Fora excellebant, Beneventano Foro magnificentiam tribuerim, cui ſatius fuerit, ac pro magno etiam, quo florentiſſimas quaſque Urbes ſibi ſecundas, aut vix pares haberet, Dignitatis argumento, ſi *Baſilicis, Porticibuſque* quaqua verſus ipſa Fori area pateret, cingeretur; atque hæc ſaltem noſtro Foro publica circumſtetiſſe ædificia [nam de privatis ædibus nihil eſt, quod ex noſtro lapide cogitare liceat] lapis ipſe docet, qui reparandi Fori pro magna parte in ruinam conlapſi præcipuam eandemque publicam fuiſſe curam teſtatur.

Quid vero vetat Baſilicis, Porticibuſque Beneventanum Forum exornatum affirmaſſe? certe præter lapidis fidem ipſa Fori conditio, atque uſus Baſilicas omnino Porticuſque ſibi circumjacentes poſtulabat: Confluenti enim ad nundinationes, atque ad judicia populo, hiſce profecto ædificiis opus erat, in quibus non una ornatus inerat ratio, ſed ipſius populi, qui ſe adverſus cæli injurias tueri poſſet, paratus ſeceſſus, Juſdicentibus verò, ne ſub dio eſſent, pro ſui dignitate, judiciorumque ſerietate, ſecreta a populi fæce, Plebiſque clamoribus ſe-

des

num fuiſſet, ſe in ſingulis fere *conventibus* jus dixiſſe ſcribit: Ita etiam Forum accepit Virgil. Æn. V. 758. cum ait: *Indicitque Forum, & Patribus dat jura vocatis*: ubi Servius: *ideſt tempus, & locum deſignat agendorum negotiorum, qui conventus vocatur; indicit autem verbum juris eſt*; atque ex his recte patet, non omnia, quæ *Fori* nomine appellata ſunt oppida negotiationis, ſeu nundinationis cauſsa fuiſſe inſtituta, pleraque enim ejuſmodi nomen nacta videri poſſunt, propterea quod in iis locis Magiſtratus Romani Juriſdictionem exercere ſolerent.

[*a*] Vulgata omnibus ſunt Romana Fora venalia, quæ a certis ſpeciebus propria nomina ſibi peperere, ut *Suarium, Boarium, Holitorium, Piſcatorium &c.* Civilia vero fora Auguſti ævo tria habebantur, Romanum nempe, quod & *vetus*, & *magnum*, & *latium* dicebatur, ab ipſo Romulo inſtitutum, Julium, qui Cæſarem auctorem habuit, & Auguſtum, quod (ut inquit Sveton. cap. 29.) ipſe Auguſtus cum Æde Martis ultoris ſtruxit: cauſſa extruendi hominum, & Judiciorum multitudo, quæ videbatur, non ſufficientibus duobus, etiam tertio indigere: Duo altera deinde addita, nempe Nervæ, qui quartum a Domitiano inchoatum perfecit, & Trajani, qui aliis magnificentius poſtremum excitavit.

[*b*] L. 211. D. De V. S.

[*c*] De ling. lat. IV. 4.

[*d*] De his videnda, quæ late congerit Lipſius de Magnit. Rom. l. 3. c. 7.

Digitized by Google

des maneret: quamquam & uſum alium horum ædificiorum hominum otia invenerunt, nam in utriſque & cœtus, & circuli, & ſermones fiebant, quò Martialis alludens inquit:

Atque erit in triplici par mihi nemo Foro.

Celebratus nempe ſermonibus omnium civium, qui in tribus illis foris civilibus, *Vetere, Julio*, & *Auguſto* ad Poetæ ævum extantibus, aliorum nomen extollere, aut carpere conſuebant: notavit etiam Seneca (*a*): *quæris forte* [inquit] *quos occupatos vocem? non eſt, quod me ſolos putas dicere, quos a Baſilica immiſſi demum canes ejiciunt*: At quum Beneventano Foro ſuas Baſilicas, ſuoſque fuiſſe Porticus jam conſtet, geminumne, alterum nempe *venale*, *civile* alterum, an vero utrique rei unum fuiſſe Beneventi Forum, quod ſolum præſenti lapide memoratum habemus, nihil certi habeo, quod afferam.

Sed præter Baſilicas, ac Porticus, quæ Beneventano Foro circumjacentia ſatis firmâ conjecturâ modo dedimus, alias quoque certis Urbis locis Baſilicas, ac Porticus alios extitiſſe manifeſtum eſt. Binas enim, præter ipſum Forum, Baſilicas reſtitutas commemorat lapis, ac prioris quidem nomen temporis injuriâ detritum deſideratur, poſteriorem verò LONGINI nomine appellatam legimus. Quod ipſum *Baſilica* nomen ſpectat, a Græcis cum ipſa magnificentiſſima ædificii formâ, *Regiæ* domus inſtar, ſerò in Urbem advenit, nam omnium primam L. Porcius Cato Coſ. an. V. C. 566. Porciam deinde ex auctoris nomine appellatam ædificaſſe creditur, cujus exemplo aliæ poſtea ad unum & viginti in Urbe ab aliis extructæ, ex eaque paulatim Baſilicarum ædificandarum mos in nobiliores, frequentioreſque Colonias promanavit: Hinc ubi plures eſſent Baſilicæ, ſuo quæque cognomine diſtinguebantur, quod plerumque ex Auctore ſibi addebant, ut de Baſilica Porcia jam dictum fuit, & de Baſilicis *Julia*, *Pompeji*, *Trajani*, *Pauli*, quam græcum vocabulum abhorrens *Regiam* vocavit Stat. Sylv. I. I. 30. ut Pompeii quoque latinâ voce *Regiam* dicere maluit Svet. Aug. 31. Quare promptum illud erit, noſtrarum Baſilicarum alteram, quæ *Longini* cognomine memoratur, a Longino aliquo, qui eam extruxerit, ita appellatam affirmare: Longinorum cognomen Romanæ Gentis Caſſiæ peculiare fuit, pluresque ejus gentis eodem cognomine publicis Magiſtratibus in Rep. floruerunt: An ea Gens, ut de aliis certo liquet, Beneventum ſeſe effuderit, fueritque ejuſmodi Longinorum aliquis, qui hanc Baſilicam ædificarit, ex ſolo hoc lapide conjeciſſe non auſerim. Hinc ſatius mihi fuerit reliquas Baſilicas per ſequi, quarum numero noſtræ Urbis præſtantiæ optime proſpectum erit: aliam igitur Baſilicam Beneventi olim extantem præclare diſcimus ex inſignis noſtri lapidis fragmento ſub Arcu Pontis Leproſi, in quo hæc hodiedum legenda ſuperſunt.

IDEM BASILICAM IN QVA TABVLAE MVNERIS AB EO EDITI POSITAE
SVNT CONSVMMAVIT LVDOS PALMARES (*b*) OB DEDICATIO
NEM EARVM NOMINE EVPLOEAE SVAE EXHIBVIT PORTICVM
OMNI ORNATV ELEGANTIAE IN QVA EDITIO PRIMI LVSTRI
MVNERIS QVINQVENNAL MVNIFICENTIA PRINCIPALI
CONTINETVR EX VOLVNTATE EVPLOEAE SVAE FECIT.

[*a*] De Brevitate vitæ cap. XI. ubi Lipſius ſignificatos ait quoſdam ita actuoſos, & in cauſis deditos, ut ultimi egrederentur, & vix cum claudendæ Baſilicæ eſſent, caneſque jam ſoluti immitterentur: at veriùs nonniſi otioſos homines, qui, ut ſolet, in vacuis dies integros in alienis factis carpendis terunt. Intellexit Seneca, qui eo loci pleraque *occupati otii*, ſeu *deſidioſæ occupationis* exempla taxat: notandus autem ex eodem loco antiquus mos, qui hodiedum obtinet, canes tum in privatorum, tum etiam publicorum ædificiorum tutelam adhibendi, qui etiam ita edocebantur ab Ædituis, ut non ſolum ingreſſum vetarent, ſed, cum opus eſſet, morantes expellerent: Catenis hi canes præ foribus vinci ebantur, unde *Catenarii canes* apud eund. Senec. de Ira l. 3. c. 37. Petronius Satyric. de Trimalcionis domo hæc ait: *Ad ſiniſtram intrantibus non longe ab oſtiarii cella canis degens catena vinctus in pariete erat pictus, ſuperque ſcriptum: cave, cave canem*: Sveton. in Vitellio cap. XVI.: *Confugit in cellulam Janitoris religato pro foribus cane*.

[*b*] Qui ſint Ludi Palmares cum diù quæſiſſem, nondum legiſſe occurrit: Fortaſſe primum ex noſtro lapide in lucem prodibunt: Affert hunc lapidem Gudius p. CXI. n. 5. Sed in undecim lineas diſtributum, in quarum ſecunda pro *Editi*, mendosè eſt *Ædifi*. Ad eum vero hæc notat Koolius: *Palmares Ludi, quorum hoc meminit fragmentum, a nemine, quod ſciam obſervati. Nihil itaque mirum, ſi etiam ignoremus quales hi fuerint. Sed in re tam obſcura conjecturis locum facere ſi liceat, conjicerem ludos Palmares poſterioribus temporibus fuiſſe celebratos, dictoſque a loco* [*ab eo enim plerique ludi nomen acceperunt*] *in quo exhibiti ſunt, a Palma nimirum, loco præterioribus temporibus celeberrimo, a quo, ſi credere velimus Baronio, Synodus Palmaris* A. MXI. *habita Romæ*

nomen

Digitized by Google

Alia fortaſſe ædificia prioribus lineis cum Auctoris ſui nomine memorata interciderunt, cujus vero in lapide ſupereſt Baſilicæ memoria, ejuſdem magnificentia præclare commendatur, nam muneris ab extructore antea editi Tabulæ in illa poſitæ dicuntur, ob earumque dedicationem Ludi Palmares exhibiti, quibus utriuſque rei, tum ſcilicet Baſilicæ, tum earumdem Tabularum elegantia, eâ ludorum pompâ celebrata comprobatur; quæ fuerint verò eæ Tabulæ muneris in Baſilica poſitæ, citò aperiam domeſtico altero monumento edoctus, quod habetur ex Livio l.24., ubi poſtquàm Romanis militibus e prælio in agro Beneventi cum Pœnis commiſſo redeuntibus paratas a Beneventanis epulas, lætiſſimumque actum convivium retuliſſet, *Digna* [ſubdit] *res viſa, ut ſimulacrum ejus diei Gracchus, poſtquam Romam rediit, pingi juberet in Æde Libertatis, quam Pater ejus in Aventino ex multatitia pecunia faciendum curavit*: Pari igitur modo qui Baſilicam, de qua agimus, conſummavit, gladiatorios ludos antea edidiſſe non contentus, eorum imagines haud pingi, ut Gracchus, ſed marmoreis, ut puto, tabulis anaglyptico opere repræſentandas, Baſilicæque ipſi, quò ſplendidiùs ornaretur, affigendas curavit: quod cum & is in Porticu præſtitiſſet, ubi *editio primi luſtri muneris quinquennalis munificentia principali*, [ideſt ſumptuoſa, quæ Principem deceret] *continebatur*, jam ad Porticus ipſas gradum faciam.

Frequentiſſimas, ut par erat, in vetere Benevento fuiſſe Porticus tum ex præfato lapide conſtat, ubi idem Baſilicæ Auctor Porticum quoque *omni ornatu elegantiæ fecit*, tum ex principali lapide huic Diſſertationi præfixo, in quo binæ memorantur Porticus, altera ſcilicet, quæ priori Baſilicæ conjungebatur, ipſamque, utpote plurali numero ſcripta non a fronte ſolum, verum etiam ab utroque latere fortaſſe muniebat, altera vero, quæ *Dianæ* nomine nuncupabatur: quum autem proprium vulgatumque Numinis nomen id fuiſſe conſtet, jam quod Porticui acceſſit, ejuſdem nominis cauſſam, proximam fortaſſe Dianæ Ædem feciſſe veriſimile eſt: Id quod de Porticu *Bonieventi* nomine Romæ olim extante teſtatur Marcellinus l.29. c.6., nam ita cognominatam docet, *quod hujus Numinis prope viſitur Templum*: neque ejuſdem nominis, quam dedimus conjecturam Temporum ratio evertere poterit, nam ad Chriſtianum ævum longe etiam progreſſum licet lapis, de quo agitur, referendus ſit, ut inferiùs oſtendam, non id certe contendam, ſuperſtitem tunc temporis eam Dianæ Ædem Beneventi fuiſſe, ſed ſatis omnino ſit, quum Idololatria vigeret, prope eandem Porticum aliquando extitiſſe, indeque nomen ſemel acceptum deinceps quoque perpetuum Porticui manſiſſe: Locorum enim, ædificiorumque vocabulis, quæ olim ſuperſtitio invexit, Poſteris etiam Chriſtianis perſæpe utendum fuit, non quò ſuperſtitionem ipſam probarent, ſed illorum certos ſitus, veteri nomine ſervato, notiores efficerent; Hinc hodiedum quum plures in Urbe ſint S. Mariæ

nomen accepit ..... concludit Synodum Palmarem a Palmaribus, quæ erat Porticus Baſilicæ S. Petri dictam fuiſſe. Utique & hæc noſtra inſcriptio Baſilicæ, ut & Porticus meminit, quare fere dixerim Palmares ludos accipiendos de iis, qui in loco Palmaria dicto exhibiti ſunt: Palmarias Porticus Baſilicæ S. Petri deſcribit Ciampinus de Sac. Ædif. c. 4. Lubens tamen doctiori hæc enucleanda relinquo, meque ſagaciori critico ſubmitto, maxime cum hæc inſcriptio non Romæ, ſed extra Beneventum fuerit reperta: Haud certe id mihi tribuam ut doctior Koolio videar; At ejus nugis veriſimiliora oppono: ſic igitur de ea re ego conjiciebam: Victoriam Deam veteres Ethnicos coluiſſe quis neſciat: Huic delubra, ſigna, ludos feciſſe antiqua monumenta paſſim docent: Signum certè Victoriæ Auguſtæ Beneventi fuiſſe ex noſtro lapide conſtat.

VICTORIAE AVGVSTAE
M. NVMERIVS M. F. FABIA
NVS IIIIVIR QVINQVENN
VIVIR AVG. PATRONVS MV
NIC. SVA PECVN. FECIT.

Præterea LVDOS VICTORIAE memorat lapis apud Donium Cl. 1. n. 122. Victoriæ autem ſymbolum *Palmam* fuiſſe ex Plutarcho docet Gellius l. 3. c. 6. unde & ipſa *Palmaris* Dea vocatur Apulejo met. XI. pag. 39. an igitur *Palmares ludi*, qui in ejus numinis honorem celebrarèntur? Sed veroſimilius mihi fit, nihil in ejuſmodi ludis de ejus Numinis peculiari religione cogitatum, ſed potius de Victoris præmio, quod in iis certis ludis *Palmam* vel manu geſtandam, vel capiti circum ligandam conſtitui placuerit: Plures nummos pro variorum ludorum ſolenni memoria cum palmæ effigie inſculptos commemorat Spanhem. de Præſt. num. Diſs. 4. p. 299. In gladiatoriis ludis victoriæ pretium Palmam fuiſſe quoque conſtat. Cic. pro Roſc. c. 6. *Alter plurimarum Palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur*: Caligulam, mirmillone in ludo confoſſo, *more victorum* cum Palma diſcurriſſe tradit Sveton. c.32.; Commodum vero tantum Palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiariis, vel occiſis, ut mille contingeret, teſtis eſt Lamprid. c.12.: Hinc Palmares ludos noſtro lapidi memoratos a gladiatoriis parum, aut nihil abfuiſſe veriſimile mihi fit, quamquam & ita dici potuerint, quod vel ab ipſis gladiatoribus, vel aliis, ſolis *palmis*, ideſt *manibus* hi ludi committerentur; Atque hæc de Palmaribus ludis, donec alii meliora afferant, obſervaſſe ſufficiat.

Digitized by Google

riæ Ædes, eam quæ *Minervæ* Templo a Pompejo in Circo Flaminio extructo adhæret, *S. Mariam ſupra Minervam* appellari nemo ſanæ mentis abſurdum, aut irreligioſum putaverit.

Præter autem memoratas has Porticus, quarto recenſenda loco nunc erit, quæ a M. Naſellio Vitale Patre, & M. Naſellio Vitale filio in Beneventi ſuburbiis cum aliis ædificiis extructa fuit; Lapidem, de quo heic p.167. copiosè diſſerui, heic integrum recitare omittam, verba tantum, quæ hùc attinent, retuliſſe contentus, quæ ſic habent: *Paganis Communib. Pagi Lucul. Porticum cum Apparatorio, & Compitum a ſolo Pecu. ſua Fec.*: Pagum, & ab eo Paganos, non ut poſterior Chriſtiana ætas accepit, eos nempe, qui adhùc Idololatriæ ſtuderent, a Chriſtianis tum religione, tum loco ſecreti (*a*), ſed illos omnino in lapide ſignificari certum, qui

[*a*] Cur ſequiori ætate Pagani vulgò il appellarentur, qui a Chriſtiana fide abhorrentes Idolorum cultui addicti eſſent, explicare conatus Iſidorus l. 8. c. x. *Pagani* (inquit) *ex Pago Athenienſium dicti, ubi exorti ſunt, ibi enim in locis agreſtibus, & pagis Gentiles lucos, idolaque ſtatuerunt, & e tali initio vocabulum Paganorum ſortiti ſunt*: Uberius, ſed ſane ineptius de vocabuli origine agit Philaſtrius Brixienſis, qui *ſive a Pago*, hoc eſt, loco, ſive *a Provincia* una, ſive (quod ex Heſiodo græco Poeta didiciſſe ait) *a Pagano Rege* dictos affirmans, trium harum originum cauſſas explicare proſequitur: Utriuſque Etymologias pro nugis, commentiſque habendas ſtatuunt Voſs. *in Lex. Etym.* & Briſſon. *de Verb. ſignif.*: quorum prior non abſurde eos dixiſſe ait, qui μεταφορικῶς Paganos ita dictos exiſtimarunt, quod non militarent ſub capite Ieſu Chriſto; eorum vero ſententiam omnino ſibi probari concludit, qui tum demum Paganorum nomen inoleviſſe putarunt, cum paſſim in Urbibus vigeret Chriſtiana Religio, ac illa Gentilium in ſolis pagis ſervaretur (nempe quod agreſtes, imperitique homines moris ſui ſolerent eſſe retinentiſſimi), adeout quum Gentilis religionis homines tantummodo in pagis, ſive ruri morarentur, quod ſolius loci derivatum olim erat, profeſſionis quoque nomen paulatim eſſe cœpit: Novam etiam rationem, ut in hancmet ſententiam concederent, viri docti ſibi inveniſſe viſi ſunt, quod quum Conſtantini Magni, & filiorum edictis proſcriptus eſſet ab Urbibus profanus Deorum cultus, eorumque Fana paſſim in iis clauderentur, Idolorum cultores in pagos ſeſe reciperent, ibique Idololatriæ operam darent, & clandeſtina ſacra peragerent, quæ quidem eſt Baronii, & aliorum vulgatior ſententia, quam Du Freſnius aliis etiam, quas alii comminiſcebantur, indicatis, veriorem affirmat. At non ita facile (ut doctiſſimorum virorum pace id dixerim) in ejuſmodi ſententiam concedendum video, quam utriuſque Codicis pleræque leges *cod. tit. de Paganis* falſam omnino oſtendunt: nam præterquamquod nullum in iis ejuſmodi originis apparet veſtigium, nam de Hierofantis agrorum l. 14. Cod. Theod. memoratis, ita agitur, ut vetuſtiſſimum inter ſacrorum miniſtros, munus cenſeri debeat; manifeſtè etiam de Paganis, deque Paganica ſuperſtitione ea mentio occurrit, quæ palam in Urbibus viguiſſe adhùc demonſtret; quamquam enim pluribus Auguſtorum ſanctionibus capitali ſupplicio in pertinaces Idololatras animadvertendum juberetur, mitiùs tamen cum ipſis reipſa agebatur: Hinc in propriis Urbibus Idololatræ degere ſinebantur, ut aperte docet l. XX. Cod. Theod. de Paganis lata anno 415., qua Honorius, & Theodoſius *Sacerdotales* (ideſt ſacrorum miniſtros) *Paganæ ſuperſtitionis competenti coercitioni ſubjacere præcipiunt, niſi intra diem Kalend. Novembrium de Kartagine decedentes ad civitates redierint genitales, itaut ſimili quoque cenſura per totam Africam Sacerdotales obnoxii teneantnr, niſi de Metropolitanis Urbibus diſceſſerint, & remearint ad proprias civitates*: Ex quo vides tantum hos miniſtros, qui per ſummam impudentiam in Metropoles Urbes ad ſacra peragenda confluebant, in ſuas quoſque Urbes detrudi, in quibus impune conſtitiſſe poterant novâ eorumdem Auguſtorum lege lata anno 423., quæ eſt 24. ejuſdem tit., ubi inter alia Chriſtianis demandatum fuit, ut *Judæis, ac Paganis in quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum, legibuſque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abuſi*: quid quod in ipſa Chriſtianorum Principum Aula viri paſſim plurimi Idololatriæ palam munera miniſtrarent? Quantum verò ut Idololatriæ profeſſio honoſque publicus ubique reſtitueretur, operam, auctoritatemque ſuam impiè contulit Iulianus Auguſtus? Mirum etiam quantum pro ea re in media Urbe Roma, & apud Aulam Conſtantinopolitanam Senator Symmachus laboraverit: adeout vix illud veriſimile videri poſſit Idololatras omnes poſt Conſtantini ævum pœnarum metu, utque ſuperſtitionibus clam vacarent, in Pagos aufugiſſe, indeque Paganorum nomen ſibi peperiſſe: quid igitur de ea re ſtatuendum? Dicam ipſe, quod ſentiam: Si enim Paganorum ſignificatio eodem fere Ævo apud Ethnicos uſurpata, quo apud Chriſtianos, ad ipſos Ethnicos in univerſum ſignificandos adhiberi cœpit, ſpectetur, fortaſſe rem, uti fuerit, compertam habebimus. Et ſane qui militiam non ſequerentur, olim *Pagani* dicebantur, quod in juris paſſim libris non ſolum occurrit, quorum loca congeſſit Briſſonius, qui peculii Pagani a Caſtrenſi expreſſam quoque differentiam ex legum verbis adducit, verum etiam in aliis antiquitatis Scriptoribus ſæpè legimus: Sic miles ab Appiano στρατιωτης, Paganus verò ἀπόλιτος vocatur l. 1. De Bell. Civ. & homines *cultu Pagano* cunctis *Armatis* diverſos faciens Plin. l. 7. ep. 25. *Sunt* (inquit) *ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris plures cultu Pagano quos cinctos, & armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio invenies*: Juvenal. Satyr. ult.

> . . . . . *citiùs falſum producere teſtes*
> *Contra Paganum poſſis, quam vera loquentem*
> *Contra fortunam Armati* . . . . .

Svetonius denique c. 25. Auguſtum admiſsâ turbâ Paganorum apud milites concionantem referens, atque in Galba c. 19. Equites in Urbe dimotâ Paganorum turbâ equos adegiſſe ſcribens, univerſam præter milites, civium multitudinem uno *Paganorum* vocabulo appellavit;

juxta primævam vocabuli vim non in Urbe ipſa, ſed in agro ſuos lares ſtatuebant (*a*) : atque his quidem, qui ſibi *Communes* erant, ideſt è quorum ipſi numero, cœtuque erant, Porticu cum Apparatorio, & Compito excitatis, beneficentiam ſuam Naſellii præclarè probarunt : De Porticu clara res eſt ; quod *Compitum* vero attinet, ædem heic planè intelligi datur, quæ ſimul cum Porticu a Naſelliis extructa fuit : fuere enim ſine tectis aliquando Compita, ut rectè obſervat Philargyrius (*b*) : *Compitum* [inquit] *ut Trebatio placet, eſt locus ex pluribus partibus in ſe, vel in eaſdem partes ex ſe via, atque itinere dirigens ; ſive is cum ara, ſive ſine ara, ſive ſub tecto, ſive ſub dio ſit, ubi Pagani agreſtes buccina convocati ſolent inire conſilia ; Hinc & lares Compitalitii, & Feriæ Compitalitiæ* : Ædificii formam nobis exhibet vetus interpres Perſii in illud Satyr. IV. *Pertuſa ad Compita ; nam Compita* [inquit] *ſunt loca in quatriviis, quaſi Turres, ubi Sacrificia finita agricultura ruſtici celebrabant ; merito pertuſa, quia per omnes quatuor partes pateant* (*c*) : At noſtro Compito Porticum adjeciſſe Naſelliis haud ſatis fuit, qui, ut omnimodæ Paganorum communium commoditati conſulerent, Apparatorium quoque conſtruendum curarunt : Apparatorii ſignificationem ad Uſtrinum tranſtulit Reineſius Claſ. 17. n. 14., quòd *adparatus mortuorum funus* appelletur a Servio : at Reineſio, ut de aliis pluribus, de hac re litem intentavit Fabrettus cap. 3. pag. 232., palmamque tuliſſe videtur ſubſidio hujuſmet noſtri lapidis, quem integrum affert, Reineſiique ſententiæ opponit ; *per hanc enim*, inquit, *epigraphen Apparatorium, ædificium aliquod ſepulcro annexum, porticoque junctum, ad luſtrationem ſepulcri, & cœnas ſociales paratum videtur* : at recte quidem, niſi quod ad ſepulcrum rem omnem deducens, a lapidis fide parumper abſcedit, qui non ſepulcri, ſed Pagi luſtrationem memorans ipſum Apparatorium, ac Porticum non cum ſepulcro aliquo, ſed Compito adjungit, ubi Paganica luſtratione nonis Juniis peractâ, celebratiſque *ſequentibus diebus* ab ipſis Paganis *ex conſuetudine ſua cœnis*, tunc demum VI. Id. Junii (*d*) ſtatutis annuis denariis CXXV. adhùc ut ibidem Pagani epulari pergerent, Naſellii juſſerunt.

Sed ex agro in Urbem iterum redire præſtat, ubi magnificentior omnibus, quas hactenus ſpectavimus, Porticus occurrit : ejus magnificentiam tum titulus, tum auctor, tum demum Ædes, cujus gratia excitari debuit, præclarè oſtendunt. Lapis igitur elegantibus inſculptus literis ſic ſe habet.

BENE-

vit : atque quum certam vocabuli ſignificationem habeamus, non æque illius ratio conſtare videtur, niſi quod ab iis, qui reipſa Pagos incolerent, ad eos appellatio translata fuerit, qui militiam Romanis Civibus univerſis ſtatutis ſtipendiis obeundam detrectantes, quietam, inertemque ruſticorum, ſeu Paganorum vitam, moreſque in media Urbe æmularentur : quæ quum ita ſint, jam illud intelligimus, cur poſteriore Ævo, Chriſti lege ubique recepta, Paganorum vocabulum ad Idololatras ſignificandos uſurpari cœperit, qui quum Chriſti militiam (ut Chriſtiana religio vulgò audiebat) abnuerent, Chriſtianis ipſis Chriſto militantibus, veteri more opponebantur, quod quum contra rectam rationem, ac Principum edicta facerent, hinc fuit, ut quæ prius huic vocabulo aberat, acceſſit quoque invidia, itaut jam Pagani ipſi pro dæmonum cultoribus, ac Chriſti hoſtibus acciperentur : id autem omne, quod de hujus vocabuli ratione diximus, non metaphoricè tantum probari videtur, ſed reipſa verum quodammodo aſtruit Lex 21. Cod. Theod. De Pagan., ubi Impp. Honorius, & Theodoſius an. 416. hæc publica ſanctione mandaſſe leguntur : *Qui profano Pagani ritus errore, ſeu crimine polluuntur, hoc eſt Gentiles, nec ad militiam admittantur, nec adminiſtrationis, vel Judicis honore decorentur* : Ubi primum vides Paganos (quorum veteri ſignificatione ſpectata, dubia videri poterat ſignificatio) ad ipſos Gentiles, (quorum, ut Idololatras ſignificaret, jamdiu obtinebat appellatio) indicandos in ea lege transferri ; nuperrimè ſiquidem, exeunte videlicet quarto ſæculo, Gentiles ipſi Paganorum nomine vocari cœperant, ut ex ejuſdem Codicis legibus rectè patet : quum vero hi a muneribus tum militaribus, tum civilibus, latâ ea Lege, omnino arcerentur, cum ipſo nomine vetus etiam Paganorum ſignificatio eiſdem adhæſit, ut a Chriſtianis, quibus ſolis militaria munera, honoreſque omnes patebant, diverſi haberentur.

[*a*] Feſtus : Pagi dicti a fontibus, quod eâdem aquâ uterentur ; aquæ enim dorica lingua πάγαι appellantur : neque aliter Servius Georg. 2. v. 382. Villas, quæ Pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν appellantur, ideſt a fontibus, circa quos villæ conſueverant condi ; unde & Pagani dicti ſunt, quaſi ex uno fonte potantes : Vid. Voſs. in lex. Etymol. v. Pagus.

[*a*] In Georgic. l. 2. v. 382.

[*a*] Unde etiam *ramoſa compita* dixit idem Perſius Satyr. v. pulcro ſane, & ſatis proprio epitheto : nam ſi quis in Compito conſiſtens oculos circumvolvat, plures ex eo vias, quaſi ramos effundi ſtatim cernit.

[*a*] Mendum in hac numerali nota adeſſe videtur, nam quum inter nonas Junias, & diem VI. Idus unus tantummodo interſit dies, qui erunt ii *ſeqq. dies*, quibus a Paganis ex conſuetudine ſua cœnandum eſſet ?

Digitized by Google

BENEVENTI
PORTICVM SVA PECVNIA F
OMNE CVLTV EXORNATVM
COMMODVS PIVS FELIX ET
PRAETORIO DEDICAVIT

Ac quod Auctorem ſpectat, nolim profecto, importunam Malvaſiæ (*a*) admirationem, meam facere, quod Commodi monumentum ad ſeros nepotes evaſerit, ejus, inquam, Principis, in cujus memoriam diriſſimis, quas conceptis verbis refert Lampridius, imprecationibus, univerſo Populo Romano conclamante, adhùc abolendas ejus ſtatuas, nomenque ex omnibus publicis privatiſque monumentis eradendum cenſuit Senatus, Pontificumque Collegium confirmavit: An enim extra Urbem huic Senatus Conſulto illicò obtemperandum fuit, itaut toto Orbe Romano Commodi monumenta comminuta, aut deleta? Haud ita quidem probant etiamnum ſuperſtites, ubique locorum, lapides, quos apud Gruterum, & Gudium, alioſque legimus; nonne etiam huic Senatus Conſulto ſtatim interceſſit Imp. Severus, a quo amplius ipſe Commodus inter Deos fuit relatus? itaut præter alios lapides viventi Commodo, honoris cauſsâ, inſcriptos, incolumem adhùc ſepulcri titulum, quò Commodus illatus fuit, Romæ extantem afferat Gruter. pag. 262. num. 6.: Illud potius mirari ſubit, Principem nunc primum intueri, quem nequidem [quod Nero, aliique peſſimi Principes ſibi cavere viſi ſunt] ſolicitudo ulla tetigit, publicorum operum magnificentiâ ſcelerum invidiam veluti obtegere, non Porticum modo, ſed etiam Thermas Beneventi exædificaſſe: Certe in publicis operibus excitandis Commodi negligentiam eò perveniſſe refert Lampridius, ut ne is quidem (inquit) *Patris ſui opera perfeciſſe curarit*, nam de *Lavacro*, quod ſolum *Commodi nomine* (ut idem Lampridius refert) Cleander ejus Libertus Romæ conſtruxit, nihil eſt, quod ipſi Commodo præter inſcriptum nomen tribuamus, ſed ad Liberti ambitum, qui ad Imperii uſque ſpem proceſſerat, opus ipſum omnino referendum, qui (ut tradit Herodianus) *Gymnaſium maximum quoque exædificavit, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum ineſcaret*: Singulare igitur illud cenſeri debet, quod neque olim Lampridio, neque aliis hactenus obſervatum, ut ſola Beneventana Urbs ejus Principis beneficentiam publicis exædificatis Operibus jactare potuerit: Cur autem, quod neque alibi, neque in ipſa Urbe Roma præſtitit, unam Beneventum ſibi demerendam curaverit Commodus, qui præter Thermas, de quibus mox agemus, haud ſatis fuit Porticum excitaſſe, ſed amplius *omni cultu exornatum* eſſe voluit, itaut ſplendidiſſimum Opus auctore Principe dignum probaretur? ac quod ad ejus operis magnificentiam, ipſo titulo teſtatam, attinet, promptum erit eam Romanarum Porticuum exemplo quodammodo demonſtraſſe; inter quas Apollinis Porticum, Ovidio, Propertio, aliiſque paſſim celebratam, marmoreis ſuffultam columnis, quas alternæ marmoreæ ſtatuæ internectebant, ſibi fortaſſe æmulandam ſuſcepit Commodus, qui in una Beneventana Porticu, quam *omni cultu exornatam* ipſe titulus prædicabat, aliarum omnium magnificentiam contineri curavit; ſed ut de hujus rei cauſſa, quam inquirere incœpimus, aliquid dicamus, nihil eſt, quod certum affirmem; conjectare tantum erit, peculiari Beneventanorum erga ſe ſtudio permotum Commodum (in cujus aſſentationem Beneventanos effuſos plura monumenta ſatis probant) hiſce publicis operibus eorum Urbem exornaſſe: veriſimile illud quoque erit, eandem Urbem a Commodo frequentatam, quod ex eodem lapide non obſcurè colligimus, in quo Porticum ab ſe factam, *Prætorio dedicaſſe* commemorat.

Prætorium ſanè (quod inter publica Beneventanæ Urbis Opera ex eodem lapide obiter ſe prodit) haudquaquam heic pro Caſtrenſi Tabernaculo accipiemus, quod, ubi Exercitibus certo loco conſiſtendum erat, in Caſtrorum medio Imperatorum manſioni parabatur, ſed Ædes illa in noſtro lapide omnino ſignificatur, quæ in illuſtrioribus Provinciarum Urbibus Romanorum Magiſtratuum habitationi patebat; Hinc inter Opera publica Prætorium erat, quod in privatos uſus, privatorumque habitationem convertere nefas fuit, ac ſi quando id factum eſſet, *publico juri, atque uſui vindicari* oportere mandarunt Conſtans, & Conſtantius Auguſti:

[*a*] Marmor. Felſin. ſect. 4. c. 4. ubi de ſuperſtite eidem Auguſto inſcripto lapide agit, quem titulum, aut reliquiam eſſe putat illius Arcus, quem Bononienſes Commodo dedicarunt.

Digitized by Google

gusti (*a*): Harum Ædium magnificentiam tum Romani Magistratus conditio probat, cujus majestas Ædium quoque amplitudine enitere debuit, tum illud maxime, quod plerumque ejusmodi Ædes, ipsæ olim Regum Aulæ fuerint, quæ unà cum Regnis in populi Romani potestatem redactæ, ejusdem Populi Magistratibus, qui in eadem Regna, Romanis Provinciis adjecta, cum Imperio mittebantur, ordinariam habitationem, Prætorii nomine appellatam, præbebant: Hinc Acta Apostolorum [23. 35.] *Prætorium Herodis* vocant Aulam illam, ab eo Rege Cæsareæ constructam, ubi tum Felix Romanus Præses considebat; sic etiam Cicero (*b*) Syracusis adjectam Insulam refert, *in qua domus Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti solebant*, Prætorium paulo ante ab eodem Cicerone appellata: Has autem publicas supremorum Magistratuum Ædes, sive Prætoria, nequaquam eadem cum iis fuisse, quæ Palatii nomine insignes Augustorum mansioni constructæ erant, ex binis Auggg. Arcadii, Honorii, & Theodosii legibus discere est (*c*), in quarum altera quibuscumque etiam magni nominis, summæque dignitatis viris ejusmodi Palatiorum, quæ alterno vocabulo *Sacræ Domus* ibi quoque cognominantur, xx. librarum auri multâ sancitâ, interdicta fuit habitatio, quam postea solis Judicibus ordinariis patere voluerunt, quibus *si Prætoria non adessent, metu legis adempto, quæ de Palatiis lata est, in Ædibus, etiamsi Palatii nomine nuncuparentur*, commanere fas erat. Nunc, quod rem nostram attinet, constat jam Beneventi fuisse Prætorium, quo Romani Magistratus uterentur, de Palatio vero, ubi Principes considere solerent [nam & Neronem ex Taciti testimonio *Beneventi consedisse*, & alios plerosque Augustos, peculiari dissertatione latè probavimus.] incerta omnino res est; adeout, velut olim, ubi Prætoria non essent, manere in Palatio Magistratibus licebat, ita quum nullum Beneventi fortasse fuerit Palatium, unum ipsum idemque Prætorium, & Magistratibus, qui assiduè præessent, & Augustis, qui aliquando adventarent, communem habitationem præbuisse videatur; Hinc igitur singulare illud Commodi Imperatoris studium, qui Beneventi aliquando moratus, Prætorium ipsum, quod Palatii loco sibi esset, magnificentissimâ excitatâ Porticu, exornandum curavit: *Dedicasse* autem se *Prætorio Porticum* dixit Commodus eâdem significatione, qua Constantius, & Maximianus apud Gruter. pag. 178. num. 4. *Thermas ornaverunt, & Romanis suis dedicaverunt*; nam in utraque dedicatione nihil sacri, aut religiosi invenire est, sed utriusque Operis inchoatus tum primùm usus, *dedicationis* vocabulo ab antiquis scriptoribus passim expressus.

Sed ex Romanis, quas obiter memoravimus, ad Beneventanas Thermas gradum faciamus, quarum etiam auctorem Commodum disertè facit noster principalis Lapis huic Dissertationi præfixus; Inter alia enim Beneventanæ Urbis opera publica, quæ tum fuerunt restituta, inter alias quoque, quas mox videbimus Thermas, etiam *Thermæ Commodianæ reparatæ* dicuntur; ac ex adjecto Commodianarum cognomine nihil erit, ut opus ipsum ad ejusdem nominis Augustum referendum dubitemus; nam ex Porticu illa, quam Beneventi ab eo factam jam liquet, ubi semel Beneventanis insuetam in publicis Operibus excitandis Principis liberalitatem demeruisse contigit, optimè comprobatur Thermas pariter ibidem ab eodem Commodo fuisse ædificatas: neque Thermis jucundius opus aliud Principis genio esse poterat, quem septies, aut octies per diem lavare, & in ipsis Balneis edere consuesse tradit Lampridius: Illud tamen mirabimur, quod tam sera ætate, qua eæ Thermæ reparatæ fuerunt, *Commodianæ* adhùc, ex auctoris sui nomine appellarentur; non hùc invidiam refero, quam, ut antea observatum fuit, Commodi nomini nefarii mores invexerunt, potior enim Beneventanis beneficii memoria esse debuit, qua Thermis auctoris sui nomen etiam post obitum servatum voluere: Sed ne ipsa quidem aut rerum vicissitudine, aut temporum intervallo cognomen amissum? Certè nullo adjecto cognomine novæ Beneventi Thermæ in hoc lapide habentur.

SATRIVS

[*a*] In l. 8. Cod. Theod. De Oper. Pub.
[*b*] In Verr. IV. n. 28. & 53.
[*c*] L. 1. Cod. Theod. Ne quis In Palatiis maneat: & l. 2. eod. tit.

Digitized by Google

SATRIVS CRESCENS
V. C. CVR. R. P. BN. EX
LOCIS ABDITIS
VSVI ADQVE SPLEN
DORI THERMARVM
DEDIT

Atque hæ quidem Thermæ a *Commodianis* distinctæ omnino videntur; quumque alias præterea hoc alterius lapidis fragmento demonstratas habeamus.

. . . . . .
BALNEVM VIRIL . . .
ET MVLIEBRE . . . .
TABERNAM . . . . . .
. . . . . .

jam de servato ad extremam ætatem *Commodianarum* Thermarum cognomine certa patet caussa, quod nempe a reliquis, quæ Beneventi extarent, Thermis, eo cognomine nosci, distinguique possent.

Plures autem Beneventi extitisse Thermas explorata res est, tum ex allatis nostris lapidibus, tum ex ejus Urbis situ, conditioneque, quorum alter perpetuis fontibus irriguus, binis etiam fluviis utroque mœnium latere prope alluitur, altera vero ornamentis omnibus floruisse planè constat: Cur vero plures Beneventi non essent Thermæ, quarum numero, magnificentiaque sanè quàm delectabatur Antiquitas? Adde illud, quod antiquis familiarissimus, quotidianusque fuerit Balneorum usus, quibus corporis, animique vires non sine voluptate refici, experientiâ ipsâ persuasum erat (*a*). *Infinitum* Romæ Thermarum fuisse numerum, ait Plin. Senior. IV. 8., easque *in modum Provinciarum extructas* dicit Ammian. XVI. 6.: Satis audax, elatumque utriusque dictum, sed quod facile extorquere poterant, tum octingentarum, quas P. Victor recenset, Thermarum numerus in sola Urbe, tum earum laxitas, quæ, teste Olympiodoro, in Antonianis *sellas ad usum lavantium e polito marmore mille sexcentas continebat*, in Diocletiani autem *Bis tantum*, ideſt ter mille ducentas; His adde Cellas, Solia, Piscinas, Porticus, Xistos, Nemora, Sphæristeria, Bibliothecas, cæterasque partes, quas quum enumerasse nos tædeat, construxisse tamen, ampliorescque in dies effecisse peculiari studio Romani Principes decertabant; quæ vero fuerit Thermarum elegantia, in quibus exornandis tum ipsorum Principum, tum Privatorum studium tantopere exardebat, ut ejusmodi luxum descriptione solâ satis increpasse, Senecæ visum fuerit (*b*): Privatas dixi personas ad Ther-

[*a*] Ituri ad cœnam veteres de more lavabant, unde Artemidorus Balneum nihil aliud suo ævo fuisse scribit, quàm *transitum ad Cœnam*: Itaque qui sæpius etiam cibum capiebant, sæpiùs lavabant: De Commodo jam observavimus, quod *septies, aut octies in die laverit*; etiam inter Christianos Sisinnius quidam Episcopus bis in die non sine suspicione intemperantiæ, & voluptatum lavabat: Sed ille dicterio culpantes illusit, rogatusque, *cur Episcopus cum esset*, bis lavaret? *Quia*, *ter*, inquit, *non possum*: Significabat bis se comedere, bis igitur lavare, tertiò non ferre valetudinem. Quid quod apud ipsas Ecclesias Balnea quoque constituta essent, quibus Sacrorum Ministri, antequam sacra ipsa operarentur, ex instituto lavare consuebant? At rem hanc egregiè illustravit V.C. de me, ac universa Rep. litteraria optimè meritus Paulus Maria Pactaudius præclaro edito libello *De Sacris Christianorum Balneis Venet.* 1750. Spicilegii loco illud etiam observasse fas erit, usque ad XIII. sæculum eum morem obtinuisse apud Græcos, nam sub Michaele Palæologo Azatinus Sultanus Constantinopolim veniens cum Arsenio Patriarcha summam iniit consuetudinem, ut propterea ipsi, ac comitibus permiserit sæpius lavare in Balneo Ecclesiæ, quod quum inter alia Arsenio crimini verteretur, non una ratione se defendit, subdens in profanis etiam Balneis Crucis Signa, sacrasque imagines effingi: *Si autem* (inquit) *id non obstat, quominus iis quantumvis veræ Religionis expertibus usus permittatur aliorum Balneorum, quid est, quod repellantur ab Ecclesiæ Balneo*? Ita Georg. Pachymerus, & Niceph. Gregoras l. 4. c. 3.

[*a*] Seneca ep. 86. Balneum, quo olim Scipio in sua villa utebatur, describens, sequutæ ætatis de ea re mores taxandos suscipit: *Balneolum* (inquit) *angustum, tenebricosum, ex consuetudine antiqua . . . . . magna ergo me voluptas subit contemplantem mores Scipionis, ac nostros: In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet*

ad Thermas ornandas ſtudium quoque ſuum contuliſſe, nam id certe diſcimus ex noſtro lapide, quem paullo ante exhibuimus, ubi *Satrius Creſcens ex locis abditis* uſui, atque ſplendori Thermarum novum opus dediſſe dicitur: Sic etiam Romæ in ſtatuæ baſi titulus hic apud Gruter. eſt pag. 177. num. 6.

IVLIVS FELIX CAMPANIA
NVS VC PRAEFECTVS VRBI
AD AVGENDAM THERMA
RVM TRAIANARVM GRATIAM
CONLOCAVIT.

Neque aliò pertinere hunc alterum noſtrum lapidem arbitror, quem etiam Gruterus habet pag. 193. num. 2.

CLODIVS
OCTAVIANVS
V. C. DE PROPRIO
ORNATVI DEDIT

Quid vero a tribus hiſce clariſſimis viris Thermarum *uſui*, *ſplendori*, *gratiæ*, *atque ornatui* datum fuerit, ſilent nunc lapides, qui olim, quum Baſis, ac Titulorum vice fungerentur, rem ipſam, cui affixi, vel ſubjacentes erant, manifeſtè loqui videbantur; ſolebant enim veteres, qui verborum brevitate in publicis inſcriptionibus utebantur, ſupervacaneam ejus rei mentionem reiicere, quam titulus ipſe manifeſtam demonſtrabat, quod ſexcentis exemplis probari poteſt: ac de Romano lapide, quandoquidem Baſis formam prætuliſſe dicitur, pronum illud eſt, ut ſtatuam a Campaniano Præfecto Urbi ad augendam Thermarum Trajanarum gratiam in ea collocatam credamus; obſcurior vero in noſtris lapidibus res erit: nam neutrius formam ſpectare licuit, quodque Satrium Creſcentem attinet, non *ſplendori* tantum, ſed Thermarum quoque *uſui* proſpexiſſe eum legimus; unde omnis de ſtatua aliqua conjectura corruit, quæ nullo uſui Thermis eſſe potuit; De quapiam igitur re alia cogitabimus, ſive Vas, ſive Balneorum inſtrumentum aliquod fuerit, quo ſimul & lavantibus commodior uſus, & Thermis ſplendidior ornatus accederet; Octavianus autem *de proprio*, Creſcens vero *ex abditis locis* dediſſe dicuntur; ac de priore quidem facile intelligimus, *ære ſuo* [nam id *de proprio* fuiſſe jam patet] ornamentum aliquod, ut ſtatuam, vel ſignum, vel etiam ædificium Thermis addidiſſe: De poſteriore vero quid illud ſit, ut *ex abditis locis* dediſſe memoret, intellexiſſe ſe palam negat Fabrettus pag. 280. num. 173. ubi plures eandem, vel fere eandem formulam præferentes lapides (*a*) congerens in ejus perquirenda ſignificatione *Crucem* curioſis ſe figere fatetur: quam vero

debet, quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum . . . at nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? Pauper ſibi videtur, & ſordidus, niſi parietes magnis, & pretioſis orbibus refulſerint: niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint: niſi illis undique, & in Picturæ modum variata circumlitio prætexatur: niſi Vitro condatur Camera: niſi Parius, & Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo Templo ſpectaculum, Piſcinus noſtras circumdederit: niſi aquam argentea epiſtomia fuderint: & adhùc plebejas fiſtulas loquor: quid cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum, & impenſæ cauſſa? Quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eò deliciarum pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus.

[*a*] Lapides a Fabretto relati, ſive eorum verba hùc pertinentia hæc ſunt: *Signa translata ex abditis locis* &c. *Translata ex obſcuro loco* &c. Præter Fabretti lapides, noſtrumque, de quo tamdiù egimus, Satrii Creſcentis lapidem, adeſt etiam inſignis alterius noſtri lapidis aliqua parte detriti exemplum, ubi eadem formula occurrit ſic.

. . . INVICTISSIMI
. . . THEODOSII
. . . DVS RVFINVS
. . . ERRIMI ORD
STATVAM
IN ABDITIS LO
CIS REPERTAM AD PRIVATVM ET
PVBLICVM . . . . . CELEBER
RIMO CONSTITVENDAM
CVRAVIT INSISTENTE VL
FIRMO.

De hoc lapide agetur alias: nunc quod attinet; quæ ſint *abdita loca*, intelligere promptum eſt; Triphoninus *in l. 63.*

Digitized by Google

vero Crucem? ficulneam, aut etiam ſambuceam irridet V. C. Mazochius, qui in *Addit.* ad Amph. Camp. pag. 170. *Legiſſe* [inquit] *memini in Cod. Theod., quem nunc ad manus non habeo, titulum unum,* [*an plures?*] *De ſignis, aliiſque id genus publicorum ædificiorum ornamentis non tranſferendis: ne contra eas leges peccatum videretur, additum expreſſe fuit ex abditis locis, aut ex obſcuro loco*: *Leges* autem non *Titulos* in eodem Codice reperire eſt, quarum *in Tit. de Oper. publ.* Conſtantini altera eſt n. 1. altera vero n. 14. a Valentiniano de ea re lata; At leve hoc; neque enim ad haſce leges Mazochio confugiendum erat, ut Crucem a Fabretto fixam refigeret; quid enim? nego primum, hiſce adjectis in titulo formulis, legis pœnas de transferendis ſignis vitare voluiſſe homines illos, ſed, quod ab aliqua loci injuria eadem ſigna vindicaverint, atque ad publicum ornatum reſtituerint, peculiarem gratiam omnino promereri fategiſſe: Uno verbo dicam: nihil olim frequentius [an hodiedum?], quàm ædificiorum ruinis, hoſtium incurſionibus, hominum etiam negligentiâ, dolo demum malo, aliiſque, quas in ſubjecta nota obſervavimus, cauſſis, ut ſtatuæ, ſigna, aliaque id genus publicorum operum ornamenta, humi, aut inter rudera, aut in abditis, obſcuriſque locis neglecta deliteſcerent, quæ, quum quis in loca publica tranſtuliſſet, ibique collocanda curaſſet, id, quod laude dignum videbatur, teſtatum in lapide, expreſſeque commemoratum volebat.

Antea verò quam a Beneventanis Thermis diſcedamus, poſtremum, quod ad eam rem protulimus lapidis fragmentum obſervatione digniſſimum cenſebimus: In eo ſiquidem, etſi *Balneum virile*, ac *Muliebre* tantùm legantur, exiguum hocce, quod verborum ſupereſt, magnæ laudis monumentum veteri Beneventano adhuc ſervat, ubi propria pro alterutro ſexu, diverſaque inter ſe fuiſſe lavacra jam conſtat. Veterum Bononienſium ſuorum juſtas laudes extollit Caponius apud Malvaſiam (*a*), dum ex Bononienſis Balnei marmoreo titulo (ubi *T. Aviaſius HS CCCC teſtamento legaſſe* dicitur, *ut ex reditu ejus ſummæ in perpetuum viri, & impuberes utriuſque ſexus gratis laventur*) promiſcuas apud Bononienſes lavationes nuſquam permiſſas probat, eique optimo mori ſervando ampliùs Aviaſii legato conſultum addit, qui, ne impudentiſſimo Romanæ Urbis exemplo cives ſui corrumperentur, ſolos viros, ac præterea utriuſque ſexus impuberes, ob quorum ætatem nullum fuiſſet pudoris periculum, gratuitæ lavationis beneficio cumulavit: Sed quod Romanorum ea de re morem ſpectat, non tam cito impudentiæ damnandos crediderim, ut nuſquam in ea re pudoris leges ſervaverint: Fuit enim aliquando (quod per omnem ſtantis Reip. ætatem pro certo affirmaverim), ut alia pro viris, alia pro fœminis lavacra adhiberentur, nefaſque omnino eſſet utriuſque ſexui communibus Balneis uti: Innumeris monumentis res iſthæc probari poſſet, quorum ſelectiora tantum proferam; ac primùm lapis eſt apud Fabrettum pag. 242., quem is ex cognominis defectu ad antiquiora Reip. tempora omnino refert, ubi *M. Valerius M. F. Æd. Dict. Præf. Juventutis . . . . . Balnea Virilia utraque, & Muliebre de ſua pecunia refeciſſe* dicitur: Sic etiam Varro de l. l. 8. 42. *Ibi conſedit* (inquit) *ubi bina eſſent conjuncta ædificia lavandi cauſſa, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur*: Inſignem quoque Gracchanæ orationis de legibus promulgatis ſervavit nobis A. Gellius (*b*). *Nuper* (ait C. Gracchus) *Theanum Sidicinum Conſul venit, uxorem dixit in Balneis virilibus lavari velle; quæſtori Sidicino a Manlio datum eſt negotium, uti Balneis exigerentur qui lavabantur &c.* En igitur virilia

in l. 63. D. De acq. rer. dom. agens de Theſauro invento a ſervo, in quo uſusfructus alienus eſt: *Finge* (inquit) *terram fodientem inveniſſe, ut hoc dicatur fructuarii eſſe; quod vero ſubito in abdito loco poſitum nihil agens, ſed obiter ambulans invenit, proprietatis Domini ſit*: De debitore ſpeciei loquens Ulp. in l. XI. D. Ad exhiben.: *Si forte* (inquit) *proponas data opera eum in locum abditum res contuliſſe, ut actori incommodior eſſet exhibitio &c.* In locorum igitur *abditorum* intellectu ab ipſa verbi ſignificatione non recedemus; quî vero fieri poterit, ut ex hiſce locis ſtatuas transferri contingeret? Ad rem facere videtur illud Plinii H. N. 34. 8. qui Herculis tunicati ſtatuæ tres hoſce inſcriptos titulos refert: *Unus L. Luculli Imp. de Manubiis: alter: Pupillum Luculli filium ex S. C. dedicaſſe: Tertius: T. Septimium Sabinum Ædilem Curulem ex privato in publicum reſtituiſſe*: Herculis igitur ſtatuam publico primum loco poſitam, dein in privatæ ædis ornatum per nefas fortaſſe adhibitam, in publicum denuò reſtitutam habemus: ad hæc, Ciceronem audire præſtat, qui inter alia ita in Verrem loquitur. III. *Simulacra Deorum, quæ non modo ex ſuis Templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris ab iſto retruſa, atque abdita, conſiſtere ejus animum ſine furore, atque amentia non poſſunt*: Quid plura? notiſſimum eſt ejuſmodi inſignium monumentorum fatum, quum ſequiori ætate ejuſmodi Cimeliorum haud æqui æſtimatores homines eadem paſſim perire, atque ſuo loco disjecta vel imâ terrâ abſcondi, vel inter rudera ſordeſcere, vel cuique impune rapi pro minimo habebant: Hinc ſollennis eadem ætate formula, ut Viri Clariſſimi iiſdem Cimeliis (ut par erat) pretium facturi, ſe ex *abditis, obſcuris, privatiſque locis*, in publicis, ac celeberrimis collocanda curantes, egregiam, quam ea de re præſtitiſſent operam, jure, meritoque commemorare conſuebant.

[*a*] Marm. Felſin. ſect. 3. c. 4.

[*b*] Lib. x. cap. 3.

Digitized by Google

Balnea, en Muliebria, cuique ſexui ſeorſim parata ; quumque Conſulis uxori in Balneis virilibus lavari aliquando libuiſſet, abire ſtatim, qui lavabantur, viri a quæſtore juſſi ſunt: non ſolum autem utriuſque ſexus promiſcua lavatio olim vetabatur, verum etiam (quæ antiquis moribus ſanctitas inerat) non omnes virilis ſexus, inter quos ſanguinis, aut affinitatis neceſſitudo vigegat, lavari unà ſinebantur : *Mos vetus* [inquit S. Ambroſius *(a)*] *in Urbe Roma, & pleriſque civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel Generi cum ſoceris non lavarent, ne paternæ reverentiæ auctoritas minueretur* : At hæc, uti dixi, *moribus antiquis*.

Quum vero Romana Reſp. Principum Imperio, atque nutu adminiſtrari cœpiſſet, amiſsâ veteri illa libertate, qua civium animis ſola virtus dominari olim videbatur, nova tum libertas, ſervitute ipſa deterior, civium moribus in præceps jam ruentibus penitus fræna laxavit: Hinc inter alias pudoris peſtes, promiſcuus etiam Balneorum uſus ſenſim obtinuit, quem Bonorum Principum cura ſummotum, mox malorum exemplo, ac permiſſu, alternante veluti pro Cæſarum moribus ejus rei licentia, denuo invaluiſſe legimus: ac prior quidem Hadrianus, virtutibus æquè ac vitiis inſignis plane Imperator, pluribus aliis, quæ Cenſuram ſpectabant, egregiè conſtitutis, id etiam præcipuè curavit, ut *lavacra pro ſexibus ſepararentur*, teſte Spartiano *(b)*, ut jam illud conſtet, ſaltem poſt Cæſaris, Auguſtique ævum, qui inter alios Principatus titulos, etiam *Præfecti morum* dici, viderique voluerunt *(c)*, ſenſim promiſcuorum Balneorum ſub ſequutis primi ſæculi Auguſtis, uſum fuiſſe invectum, quem *ſeparatis lavacris* abolere Hadrianus conatus eſt; ſed & poſt Hadrianum, vel eo adhùc vivo rurſus ejuſmodi malum viguiſſe, vel graſſari denuo cœpiſſe videtur, nam paullo poſt, M. Antoninum Philoſophum, compoſitis diffluentibus matronarum moribus, *lavacra mixta ſubmoviſſe* memoriæ prodidit Capitolinus *(d)*, quod neque diù ſervatum; nam rurſus imperante Heliogabalo impudentiſſimam rem haud carptim, furtimque inoluiſſe ſolum, ſed planè permiſſam, deinde ab Alexandro Severo ſublatam ſcimus ex Lampridio *(e)*. Poſt Alexandri vero ætatem haud melior fuit temporum, morumque continentia, qui inter flagrantes adhùc perſecutionum faces (ut ex Eccleſiaſticis monumentis aliquid hùc quoque afferamus) Chriſtianorum animos eam quoque invaſiſſe labem locuples eſt medii tertii ſæculi teſtis Cyprianus, qui in *de Habitu Virginum* hoc ab hiſce, quod pro more haberent, malum amoliri ſtudens luculenta oratione ita inſectatur : *Quid vero, quæ promiſcuas Balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis pudori, ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ cum viros, atque a viris nudæ vident turpiter, ac videntur, nonne ipſæ* illecebram *vitiis præſtant ? Nonne ad corruptelam, & injuriam ſuam deſideria præſentium ſollicitant, & invitant ? Viderit (inquis) qua illuc mente quis veniat, mihi tantum reficiendi corpuſculi cura eſt, & lavandi : non te purgat iſta defeneſio, nec laſciviæ, & petulantiæ crimen excuſat : Sordidat lavatio iſta non abluit, nec emundat membra, ſed maculat. Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudicè : oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris: ſpectaculum de lavacro facis : Theatra ſunt fœdiora, quò convenis ; verecundia illic omnis exuitur, ſimul cum amictu veſtis honor corporis, ac pudor ponitur, denotanda, & contrectanda virginitas revelatur ; Jam nunc conſidera, an cum veſtita eſt, verecundia ſit inter viros talis, quæ ad inverecundiam proficit audacia nuditatis: ſic ergo Eccleſia frequenter Virgines ſuas plangit &c.* Hactenus Cyprianus, qui pari elegantiæ ſplendore, Chriſtianique pudoris ſervandi zelo rei turpitudinem depingit: quid quod florentibus Chriſtianorum rebus, adhùc inter Græcos, inque ipſis Eccleſiaſticis viris nefarium promiſcuorum Balneorum mos obtinuiſſe videatur ? Certè acrioribus pœnis, quæ gravitatem æquè, ac frequentiam criminis docere poſſunt, reos perſtringendos ſancivit Conventus Trullanus Can. LXVII., cujus verba audire præſtat : *Non oportet ſacris initiatos, vel Clericos, vel* Aſcetas *lavari cum mulieribus, nec omnem Chriſtianum, aut Laicum : Hæc eſt enim prima condemnatio apud Gentes : Si quis autem in hoc deprehenſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus deponatur, ſin autem Laicus ſegregetur* : Primam autem apud gentes eam fuiſſe condemnationem dixere Trullani Patres, qui quantum in promiſcuorum Balneorum abolendo more Ethnici Principes adlaboraverint, non ignorabant: nobis itaque ſatis erit eo lapidis fragmento, *quo Balnei virilis, & muliebris* mentio ſupereſt, certum attuliſſe monumentum, quo lavacra pro ſexibus ſeparata Beneventi olim haberentur, ut exinde corruptiſſimos aliarum gentium mores, qui ſequiori ætate adeo invaluerant, nunquam Beneventanos pervaſiſſe affirmemus, qui tot Thermarum, quas

[a] De Offic. lib. 1. cap. 18.
[b] Cap. 19.
[c] Cic. Epiſt. l. 9. 15. Sveton. c. 76. n. 2.
[d] Cap. 23.
[e] In Alex. Sev. c. 24. *Balnea mixta Romæ prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiſerat.*

Digitized by Google

quas hactenus recenſuimus, numerum non ſolius voluptatis cauſſa, ſed quò expedita magis ſua cuique ſexui Balnea præſto eſſent, habuiſſe exiſtimandi ſunt.

Nunc de Regionibus, in quas vetus Beneventana Urbs diſtribuebatur, opportunè agendum monet principalis Lapis huic Diſſertationi præfixus, in quo *Regio Viæ novæ* dicitur *reſtaurata*; quo illud ſanè intelligimus, immaniorem in ea regione hoſtium vim, furoremque fuiſſe, quibus omnino vaſtata, mox in priſtinum ædificiorum ſplendorem fuit reſtituta: Quod itaque Regiones ſpectat, haud diu laborandum nobis erit, ut rem notiſſimam illuſtremus; nihil enim præclaris Urbibus uſitatius, quod in parvis etiam oppidis fieri ſolet, ut eæ pluribus diſtinguerentur Regionibus, quæ proprio nomine appellatæ propriis etiam Curatoribus, ac Vicomagiſtris gubernarentur. Tres initio Romæ fuiſſe conſtat a Romulo inſtitutas, quibus quartam Servius adjecit, poſtremo ad quatuordecim, aucto cum Civium numero etiam Urbis ſpatio, diviſit Auguſtus: Regionum, quas olim Beneventana Urbs complecteretur, numerum ignoramus, quem tamen pro ejus Urbis amplitudine haud exiguum fuiſſe conjicimus: Duarum tantum nomina ex antiquis monumentis hactenus prodiere, quarum altera *Viæ novæ*, ut modo diximus, appellatione gaudebat, altera autem *Eſquilinam* vocatam diſcimus ex inſcripto ſtatuæ titulo, quam *Anicio Baſſo* REGIO ESQVILINA *rectè factorum omnium memor locavit*. De *Albana* quoque Regione, quæ Beneventi ita appellaretur, non levis conjectura eſt ex alio inſigni noſtro lapide ſepulcrali, quem M. Ennius Enniæ Jucundillæ filiæ elegantibus ſanè verſibus dedicavit (*a*): Ex quibus etiam animadvertiſſe ſubit Veterum Beneventanorum ſtudium, qui ex Principe Urbe, cujus inſtituta, magnificentiam, cæteraque quæ poſſent omnia æmulari curabant, nomina etiam vel locorum, vel Regionum in ſuam Coloniam derivabant: Sed de hac re haud plura; nam quum de Operibus publicis heic differere propoſitum fuerit, ad eadem redibit ſermo, quæ tandem ex Beneventano Amphitheatro ſatis dignam Coronidem ſibi præſtabunt.

Amphitheatris, ſi de perpetuo ædificio agatur, ſeram fuiſſe originem ſatis conſtat: Vetuſtus tamen ludorum, venationumque mos, quibus celebrandis, edendiſque temporaneum opus, & è ligno parari conſuebat. Primum e lapide Amphitheatrum, Auguſti ſuaſu, Statilii Tauri opibus, & ſumtu in Urbe extructum, mox exemplo, imo incitamento fuit, ut paſſim Urbes aliæ in extruendis Amphitheatris nulli ſecundæ videri vellent, imo ejus publici Operis magnificentiâ inter ſe quodammodo decertaſſe, ægreque ferre, ſi vincerentur, ſatis docet Placentini Amphitheatri conflagrantis fatum, cujus inter alias cauſſas, illam etiam addit Tacitus (*b*): *Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta credidiſſe a quibuſdam vicinis Coloniis invidiæ æmulatione, quo nulla in Italia moles tam capax eſſet*: Haud temere igitur affirmavit Lipſius (*c*) raram aliquam in Italia (nam de Græciæ, Africæ, Aſiæ, Hiſpaniæ, Galliæ Provinciis nemo dubitaverit) ſive Coloniam, ſive Municipium fuiſſe, in queis jamdiu receptæ ludorum voluptati perpetua dein ſedes acceſſerit: itaut pleræque etiamnunc Italiæ Urbes inveniantur, in quibus Amphitheatrorum veſtigia, quædam obſcura, & fugientia longo ævo, quædam clarius ſtantia, & viva in parte conſpicere eſt, ac mirari: In eorum indice, quem texit Lipſius Beneventanum Amphitheatrum deſideramus, neque enim id a Viro doctiſſimo expectandum erat, qui in eo indice non accuratè ſe egiſſe, paucorumque tantum memoriam ſubjeciſſe fatetur: Illud potius nobis permoleſtum, fruſtra in vetuſtis monumentis, aut Scriptoribus Beneventani Amphitheatri mentionem quæſiſſe: ſed quod de præclariſſimo opere Arcus Trajani accidit, qui nullius, ullo ævo, memoriâ celebratus, mole tamen ipſe ſua adhùc præſens, atque vivus poſteritati ſe commendat, idem profecto de noſtro Amphitheatro dicendum eſt, cujus fidem, atque famam alieno teſtimonio carere vix querimur, dum ejus aliquando præſentiam digito oſtendere, oculiſque comprobare poſſimus. Reliquias igitur ejus operis, quæ inſigniores adhùc extant, æreâ tabulâ exprimendas curavi, ut ita ſaltem ſervari poſſent, neque aliarum partium extremum fatum ſubire, quæ non tam temporis injuriâ, quàm civium in ea Urbis Regione degentium operâ, vel in privatarum ædium uſum mutatæ, vel ſolo æquatæ, ipſam fugientem ſaltem operis faciem inviderunt: mirum autem, quantum ruderum eo loci, quantum lapidum, præter immanes Columnarum Baſes, earumdemque Columnarum fragmenta, atque ea omnia vix aliquid putaveris, ſi alia compares, quæ in privatarum ædium extructiones hactenus abſumpta, quæque pro maxima parte ſuperjecta humo jacent conſepulta: Hæc tamen ipſa ruta, & cæſa ſpirant etiam Beneventum ve-

[*a*] Hunc lapidem in noſtro Theſauro habes, etiam a me ſuppletum Claſſ. IX. n. 139.

[*b*] Hiſt. 2. [*c*] De Amphith. extr. Rom. c. 1.

Digitized by Google

tus, & velut ſcintillas emittunt priſci ſplendoris: Ex parietinis autem iſtis, & ex lapideis fornicibus, quos ſuperior Tabula tibi exhibet, vides jam, quæ Amphitheatri magnificentia fuerit, cujus ſuperior pars lateritio, ut nunc apparet, opere, ſed marmorea, ut planè indicat, ſuperficie olim adſtructa, ſublimis exurgit, inferior verò integra e marmore ſubſtat, nam fornices ipſi, quorum ſummitas tantùm e ſolo emergit, ex ingentibus lapidibus ſolidi, partem ipſam inferiorem, quæ humi nunc penè deliteſcit, marmoream totam manifeſtè demonſtrant: Per hos marmoreos fornices ad conſimiles alios interiores, qui æque marmorei ſuccedunt, aditus etiamnunc patet, hique (ut in ærea tabula videre eſt, ſed ſpectantibus rem ipſam oculis manifeſtius conſtat) longe ex utraque parte in ambitus formam excurrunt, ipſamque interiorem Amphitheatri partem, quæ aream ſeu arenam ſpectabat, in ovati circuli formam præſeferunt: Ad hæc, quantum cavearum eo loci ſub ima terra in plures ramos effuſarum inveniatur, quæ lapideis ſtratæ pavimentis, ac latericiis fornicibus ſubſtructæ ad ſummam Dominorum commoditatem in vinaria receptacula verti ſolent: quibus etiam fit, ut præter inſignes ædificii reliquias humo ſeſe attollentes, hæc ipſæ ſubterraneæ ſubſtructiones in cavearum amphitheatralium formam extantes, ipſius Amphitheatri adhùc teſtes, atque manifeſti indices habeantur: His enim caveis Amphitheatro opus erat, quæ partim ad Cloacarum uſum adhibebantur, partim ad receptum, & cuſtodiam ferarum, partim denique ad ſervandam aquarum copiam, quæ in arenam occultò, & ſubito emitti ſolebat ad Naumachias; Hinc ex hujuſmodi cavearum numero quæ per omne Amphitheatri ſuperius exurgentis ſpatium infernè ſubſtruebantur, Amphitheatro ipſi *Cavea* nomen ſequiori ætate eſſe cœpit, ut ex Tertulliano, aliiſque diſcimus (*a*). Sed ecce Beneventani Amphitheatri reliquias, quas ex informioribus aliis ſelectas, hac ærea tabula adamuſſim incidendas curavi.

Atque ex hac tabula luculentiùs ſeſe prodit noſtri Amphitheatri tum amplitudo, tum magnificentia, quàm ut de utraque verba faciam: Illud potiùs mihi erit exequendum, quo ſcilicet tempore, quove auctore hæc moles Beneventi extructa fuerit: Gladiatorios ludos veteribus Beneventanis familiares fuiſſe docet non modo ejus ævi mos, quo homines præcipuam voluptatis partem in ejuſmodi ſpectaculis ponebant, verum etiam Taciti de ea re teſtimonium, qui (*b*) narrat, Neronem *Beneventi conſediſſe, ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur*: At ne illud ſibi Beneventani blandiantur, ut vel ex hac conjectura eorum Amphitheatrum, quod antiquitatem attinet, cum Romano certet, Italica alia vincat. Scimus enim omnes, Amphitheatra è lapide ſerò conſtructa, primumque omnium, ut diximus, Statilium Taurum celebrari, qui, Auguſti ſuaſu, ſuis vero opibus ac ſumptu ejuſmodi Amphitheatrum in Campo Martio ædificavit, cujus conflagratio, quæ ſub Nerone accidit, Veſpaſiano novum in media Urbe magnificentius extruendi occaſionem dedit, quod Titus poſtea dedicavit, hodieque Romæ ſemirutum licet, magnificentiâ ſuâ ſatis ſe commendat: Itaque ante id tempus nullibi Amphitheatra niſi temporaria, atque e ligno, ubi ludi, venationeſque ederentur: *Venatorium quoddam theatrum e lignis ſtructum* Cæſari adtribuit Dio l. 43., ac poſt Auguſtum, cujus ævo Taurianum Amphitheatrum excitatum fuit, quod Caligula ſtruere cœperat apud Septa, Claudius omitti voluit, Svetonio narrante in Calig. 21., & quod Nero ipſe poſtea in eodem Campo Martio fecit, e ligno fuiſſe teſtatur id. Sveton. c. 12. *Munere* [inquit] *quod in Amphitheatro ligneo in Regione Martii Campi intra anni ſpatium fabricato dedit, neminem occidit*. Quod ſi Romæ in ſuo munere ligneum Amphitheatrum adhibuit Nero, haud aliud certè Beneventi eſſe potuit tum, cum eo præſente gladiatorii ludi a Vatinio ederentur: Itaque ad Veſpaſiani, ſeu Titi ævum deducenda res erit; Poſtquam enim magnificentiſſimum illud opus Romæ excitatum fuit, mox ejus exemplo excitatæ quoque celebriores Italiæ Urbes, ut in celebrandis ſpectaculis, quorum jamdiu receptus uſus tunc maximè fervebat, Amphitheatra è lapide ſibi ædificarent: Perpetuam enim ita haberent ludorum ſedem, quam prius multis impenſis temporariè comparatam una dies cum ludorum fine abſumebat; extructum autem opus æque civium voluptati, ac Urbis ornatui futurum viderent: Sed poſt dictum ævum quis Beneventanum Amphitheatrum condiderit, latet adhùc, niſi quod ex hiſce literatis fragmentis, quæ inter ejuſdem Amphitheatri rudera non multos ante annos reperta ſunt, domique Canonici Riccii, in eodem Amphitheatro ſuperſtructæ affixa ſunt, aliquid elucet, quod conjecturis quibuſdam locum dare videatur.

Lite-

[*a*] Contra Marc. 1. 27. *Non frequentas voluptates Circi furentis, & Caveæ ſævientis, & ſcenæ laſcivientis*: Alios dat Lipſius De Amphit. c. 2. quem vide.

[*b*] Annal. xv.

Digitized by Google

PA

Joa. Bapt. Natale delin.



Caultior. scul.

Digitized by Google

ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ...
...GIÆ



Digitized by Google



Literata hæc fragmenta, [quæ præter locum, ubi simul reperta sunt, ob idem marmoris genus, simillimamque sculptoris manum, unius Inscriptionis reliquiæ, seu frusta manifestè dignoscuntur] nullimode ad privatum opus pertinuisse videntur; etenim illa S. C., quorum forma cæteras literas sequentis lineæ duplo excedit, malim pro *Senatus Consulto* explicanda, quàm ut dictionis in S desinentis, alteriusque in C incipientis conjecturam ullam faciant; quod enim majoris dignitatis nomen fuerit, cui major literarum forma deberetur, quàm quæ longe minores in exprimendis Augustorum nominibus fuerunt adhibitæ? Et quidem illud VGGG N, quod in sequente linea reliquum est, nemo profecto dubitaverit, quin *tres Augustos* ibi inscriptos ostendat, sequensque litera N *Nostros*, sequioris ætatis receptâ formulâ, appellet: Igitur si hæc fragmenta Amphitheatri fuisse titulum, suspicari liceat, *Senatus Consultum* pro Decurionum decreto de ædificando, aut instaurando Amphitheatro, intelligendum velim, *Augustorum* vero auctoritatem, munificentiamque accessisse, *Populum* tandem [quod altero fragmento legitur] Amphitheatrum demum *dedicasse*, hoc est, editis post extructionem, aut instaurationem ludis, ejus usum solenniter inchoasse: At quinam hi tres Augusti? Sanè, postquam Rom. Resp. duobus Antoninis æquo jure Imperium administrantibus parere cœpit, plures exinde eodem tempore Augusti rerum summam aliquando obtinuisse leguntur, nam Pupienum, Balbinum, & Gordianum simul Augustos fuisse tradit Eutropius l. 9.; Septimium quoque Severum Bassiano, & Getæ filiis cum Augustorum titulo, atque insignibus *Imperium participasse* refert Herodianus; In Diocletianeo Imperio, si Constantium Constantini Patrem excipias, quot Augustorum monstra in Remp. simul eruperunt? quæ tandem, quum Constantino cessisset, mox tres ejus Augustos filios, inter quos Imperium obiens partitus fuit, dominantes accepit: De Theodosiano ævo clara denique res est, quam noster quoque lapis testatam facit:

DDD NNN THEO
DOSII ARCADII
ET HONORII

Atque ad hos quidem Augustos, quandoquidem huic lapidi fragmenta illa & locutione, & literarum formà manifestè respondent, rem deducendam esse conjectabam; suadebatque haud omnino eodem ævo neglecta operum publicorum cura, quam Augusti, Constantinopoli licet degentes, Romæ, atque alibi in Italia gessisse probantur in l. 50. Cod. Theod. *De oper. publ.*; sed quum hæc verisimilia videri possint, ad posteriorem tamen Beneventani Amphitheatri instaurationem pertinebunt, nunquam vero ad primævam illius extructionem, de cujus tempore, atque auctore licet nihil certi hactenus compertum habeamus, tutò tamen originem ipsam tum Theodosiano, tum etiam Constantiniano ævo antiquiorem affirmare fas erit.

Hactenus Beneventano Amphitheatro dedimus, ut ejus memoria, quæ nedum ex veterum silentio, qui nihil de eo scriptis mandarunt, sed ex posterorum etiam negligentia, qui propè in cineres abire passi sunt, disperierat, ex ipsis suis ruderibus, quoad fieri potuit, illustrior reviviscceret; at infelicior omnino Beneventani Capitolii fors fuit, cujus quum nihil sit reliquum spectandum oculis, locum etiam, ubi fuerit, indicasse negatur: uni dumtaxat Svetonio debemus, ne perpetuam omnimodamque oblivionem subierit: Hæc itaque de Beneventano Capitolio Svetonius, cum de Orbilio Beneventano Grammatico agit (a): *Statua ejus Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea*: Atque ex luculenta hujus locupletis testis fide de Beneventano Capitolio egisse sufficiat, nam quum illud Beneventi fuisse nemo jure dubitare queat, de ejus quoque magnificentia pro ædificii conditione, Urbisque dignitate, quam cæteris publicis operibus adeo excelluisse probatum fuit, facili conjectura quisque poterit judicare. Ad

[a] De Illustr. Gramm. cap. 9.

Digitized by Google

Ad Lapidem modo redeam, quem huic Diſſertationi præfixum exhibui, fidemque liberare meam enitar, ut ſummi Viri in publicis Beneventanæ Urbis operibus reſtituendis præclarè meriti nomen, quod poſterorum memoriæ tempus invidit, prioribus lineis detritis tandem reſtituam: non alium itaque, quam Narſetem eo lapide celebratum ajo; itaut eædem lineæ tam verè, quam facile ſupleri poſſint ex Inſcriptione Romana Pontis Salarii ab eodem Narſete reſtituti apud Grut. p.161. n.1.

NARSETI . VIRO . GLORIOSISSIMO . EX . PRAEPOSITO . SACRI PALATII . EX . CONS. ATQVE . PATRITIO.

Conjecturam hanc meam, aut potius de reſtituendo Narſete judicium omnibus probatum iri confido, qui, quæ mihi præſto fuerint argumenta, ſeriò perpendant: Ac primùm ipſa locutionis, literarumque ruditas eum lapidem ſequioris ævi fœtum nobis manifeſtum exhibet, Juſtinianeæ ætatis faciem, ac Gruterianæ, quam indicavimus, Inſcriptionis ſtilum referentem: Adeſt præterea in ipſo lapide præclara ejuſdem temporis nota, ob Urbis *mœnia*, quæ tum *condita* memorantur, ipſamque *totam prope civitatem vaſtatam per hoſtile incendium*, quæ tum etiam *condita* dicitur: quæ quidem omnia nonniſi ad Gothicam incurſionem referenda ſunt, qua præſertim Beneventanorum res furentis Totilæ immanitate maximis calamitatibus obnoxiæ fuerunt; Is enim [ut refert Procopius (a)] *amne Tiberino tranſmiſſo ad Campanos, & Samnites divertit, Beneventum inde munitiſſimum oppidum facile in poteſtatem redegit, ejuſque muros ad ſolum mox diruit, ne forte exercitus aliquis ex Byzantio eò ſe conferens, ut e loco munito in Gothos impetu facto negotium his exhiberet*: Quum igitur nulla ante id tempus ætas (nam olim Beneventanorum res maximè floruiſſe conſtat) tam miſeram Beneventanæ Urbis, ut in lapide ſpectavimus, faciem habuerit, quam mox in veterem ſplendorem revocatam lapis ipſe teſtatur, jam certum illud videri poteſt, ſoli Gothico furori vaſtationem, uni vero Narſeti reſtitutionem eſſe tribuendam: Habemus enim in lapide mœnium ruinam Procopii teſtimonio comprobatam; cui id tantum retuliſſe ſat fuit, ex quo triſtia alia in lapide commemorata eveniſſe nemo dubitaverit, dum, Urbe mœnibus ſpoliata, hoſtes jam videat in eam ruere, hoſtes inquam, qui, quum Gothi eſſent, tum primum e patrio ſolo erumpentes, ipſius barbariæ nomine appellari queunt. Scimus autem eam Narſetis laudem fuiſſe, ut poſt ejectos, profligatoſque nefandiſſimos hoſtes, in id etiam incubuiſſe, ut operum publicorum, in quæ illi ſæviiſſent, ſplendor reſtitueretur; quod ex laudata Pontis Salarii Inſcriptione ſatis conſtat; nihil autem mirum, quod is præſertim erga Beneventanam Urbem munificentiam ſuam ea de re tam præclarè probaverit, nam quæ majores ſubierat calamitates, æquum fuit, ut ampliora etiam beneficia ſentiret; quæ quidem ut Narſes præſtaret, aliæ quoque cauſſæ fuerunt; fidiſſimam enim Romano Imperio Urbem, eamque in Italia Romani Imperii propugnaculum, Beneventum tum fuiſſe ex recitatis Procopii verbis ſatis colligitur, addamus etiam Narſeti acceptiſſimam; quippe qui Beneventum non ſemel inviſit, imo & ibi moram traxiſſe indicant vetuſta Acta S. Arthelaidis ejus Neptis (b), quæ Conſtantinopoli Beneventum, ubi Narſes morabatur, adveniens, eandem Urbem, reliquæ ſuæ vitæ ſedem delegit.

Sunt demum in lapide alia, quæ ſoli Narſeti conveniant: quum enim vir ille, cujus nomen in eodem lapide deſideratur, *Juſtitia admirabilis, ac caſtitate conſpicuus* celebretur, virtutes hæ nonniſi Narſetem ipſum nobis repræſentant, qui quantum utrâque excelluerit, Procopii, Agathiæ, Evagrii teſtimoniis ſatis conſtat (c): Ad has etiam, quæ maxima ad Deum eſſet

[a] De Bell. Gothic. lib.III.

[b] Acta Sanctæ Arthelaidis habentur penes Bollandiſtas ad diem 3. Martii, ſed breviora iis, quæ adhùc ſervantur in MSS. Codice caractere Longobardico exarato IX. ſæculi ætatem præferente, cui titulus, *Acta Sanctorum*, extante in Bibliotheca Beneventana: Græca primum a coævo auctore eadem acta fuiſſe ſcripta conſtat ex his, quæ in ejus fine habentur: *Ego Ylarius indignus Diaconus ſervus Chriſti non ſum paſſus tegi ſilentio quæ audivi, & vidi oculis meis de Beata Virgine, ſed ſcripſi ea, & poſui libellum ſcriptum græco famine ſuper Altare S. Io. Baptiſtæ in Civitate Theſſalonica: Obiit autem Beata Arthellays in Civitate Beneventana tempore Narſi Patrui ſui* III. *die Menſis Martii*: Sanctæ Arthelaidis celebris Beneventi fuit olim memoria, dicatâ etiam in ejus honorem ſacra æde ad Portam Rufinam, ubi ejus exuviæ quieſcebant: quâ tandem ex Terræmotu diruta, ac Lypſanis in Ædem majorem tranſlatis, Eccleſiaſtico tantùm Officio ad prædictam diem ejus memoria ab univerſo Clero recolitur.

[c] De Narſete hæc primùm deprædicat Agathias l.I. *Fuit nimirum Narſes ſui admodum compos, induſtriaque pollebat, ac fortis, & incidenti fortunæ æquare ſe percallebat, tametſi non magnam haberet literarum peri-*

Digitized by Google

eſſet virtus, Pietatem præcipuè Narſes adjunxit, nam licet militaribus copiis, ſuique animi robore ſat eſſet inſtructus, *adeo tamen* [ut Agathias inquit l. 2.] *divino præſidio confidebat, ut in committendis prœliis, aliiſque belli rebus gerendis ad eas procederet longe ante præcognitas*: precibus etiam, & aliis pietatis officiis Divinum Numen placare ſolitus, itaut Sanctam Virginem Dei Matrem ei apparuiſſe teſtetur Evagrius (*a*), *planèque tempus præſcripſiſſe, quo bellum cum hoſtibus gereret, atque ut non prius ad bellum committendum ſe accingeret, quam cœlitus ſignum acciperet*: Hinc factum, ut Gothicum bellum, quod ad decimum octavum annum exarſit, haud ſatis felici ſucceſſu per Beliſarium antea adminiſtratum, biennio ſolo Narſes ipſe confecerit, Totilâ prius, mox Tejâ, in ejus locum Rege a Gothis ſuffecto, cæſis, Gothiſque ipſis in Italia omnino deletis.

Mirabimur certè virum Cælo charum, atque hominum bono verè natum, cui Italia debet, ne diutius barbarico jugo premeretur, ſuæque tandem libertati, dignitati, ſplendori reſtitueretur: at, quis credet? adeo valuit aliquando apud poſteros unius Scriptoris fides, ut ingentem viri gloriam, tot virtutibus partam, binæ faces, Avaritia, & Proditio non maculaſſe ſolum, ſed etiam extinxiſſe crederentur; Quod primam igitur attinet, Paulus Diaconus ingentem auri argentique vim in ciſterna a Narſete reconditam refert, viris omnibus, quorum opera ad id uſus fuerat, mox interfectis, uno tantum ſervato ſene, qui ne cui diceret, ſacramento obſtrictus, poſt Narſetis obitum Tiberio Auguſto rem manifeſtavit (*b*): Diaconi narrationem inter fabulas recenſendam ipſa Diaconi lectio, quam in ſubjectam notam retuli, manifeſtè oſtendit, qua enim de cauſſa ſenem illum Narſes ſervaſſet, qui rem aliorum morte omnino latere volebat, aut ſi Senex ille tum fuerit, putabimuſne poſt annos ferè triginta, quæ a Belli Gothici exitu ad Tiberium effluxere, adhùc illum in vivis egiſſe? Quibus etiam addi

peritiam, aut eloquentiæ ſtuduiſſet, ſed naturæ dexteritate in his tam clarus evaſerat, ut vel confirmare cum ratione ſat poſſet, quæ in conſultationem veniſſent, etſi apud Principes fuiſſet per delicias enutritus: erat autem ſtatura is corporis brevi, exilique, ſed alioquin eam fuerat ſtrenuitatem, & in rebus gerendis magnitudinem animi jam conſecutus, ut credi vix poſſet: Cæterum (ita Procopius Bel. Goth. l. 3.) *in largiendo profuſior erat, ad beneficiaque in indigentes conferenda promptiſſimus, & ad ea intrepidè exequenda, in quæ ante hoc forte animum intenderat, miro ſtudio utebatur: qua ex innata liberalitate plerique Principum beneficio hujus erga ſe uſi fuerant: unde adverſus Totilam, Gothoſque Narſes ubi Imperator eſt declaratus, libenter omnes ſub hoc militare jam velle, idque enixè ſatagere*. Paulus demum Diaconus in hiſtoria Eutropii, quæ Miſcella vocatur edit. Romanæ 1471. hoc Narſeti texit elogium: *Hic Narſis quidem primum Chartularius fuit, deinde propter virtutem merito Patriciatus honorem meruit: erat autem vir piiſſimus in Religione Catholica, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſtudioſus ſatis, vigiliis, & orationibus intantum ſtudens, ut plus ſupplicationibus ad Deum perfuſis, quàm armis bellicis victoriam obtineret.*

[*a*] L. 4. cap. 23.

[*b*] Binas habeo Pauli Diaconi editiones ejus operis, cui Hiſtoriæ Miſcellæ eſt titulus, quam ejus genuinum fœtum eſſe teſtatur Leo Oſtienſ. in Chr. l. 1. c. 15., unam Romanam antiquiſſimam an. 1471. ubi poſt cap. 8. libri X. hæc notantur: *Hucuſque hiſtoriam Eutropius compoſuit, cui tamen aliqua Paulus Diaconus addidit jubente Domina Adilberga Chriſtianiſſima Beneventi Ductrice conjuge Domini Archi* (Arechi) *ſapientiſſimi Principis, & ideo quæ ſequuntur idem Paulus ex diverſis auctoribus proprio ſtylo connexuit*: Alteram Baſileæ an. 1569.: In poſteriori hac, quæ integrior, ac correctior eſt, lib. XVII. quem a Tiberii effuſa in pauperes liberalitate orditur, rem ita narrat Diaconus: *Narſis quoque Patricius Italiæ cum multis Theſauris ab Italia ad ſupramemoratam Urbem advenit, & ibi in domo ſua occulte Ciſternam fodit magnam, in qua multa millia centenariorum auri, argentique depoſuit: Interfectis autem omnibus conſciis uno tantummodo ſeni hæc pro juramento ab eo exigens commendavit. Defuncto quoque Narſete ſupradictus ſenex ad Tiberium Cæſarem veniens ..... Theſaurum* [*inquit*] *Narſetis reconditum habeo, quem in extremo vitæ poſitus celare non poſſum: Tunc Tiberius gaviſus mittit uſque ad locum pueros ſuos, præcedente vero Sene, hi ſequuntur attoniti, perveniente ſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur, in qua tantum auri, argentique repertum eſt, ut per multos dies vix a deportantibus poſſet evacuari: quæ ille pene omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiflua diſpenſavit egenis*: Romana editio a Baſileenſi initio ſic diſcrepat: *Narſes quoque Patricius Italiæ cum in quadam civitate intra Italiam domum magnam haberet, ad ſupramemoratam Urbem advenit, ibique in domum ſuam occultè ciſternam magnam fodit &c.*: Sed cum utrobique narratio ipſa fabuloſa ſit, nemo tamen non videt veriſimiliorem eſſe Baſileenſem lectionem; unde importunè ſatis doctus P. Manſi Pagium reprehendit (in Ann. Baron. edit. Lucen. tom. x. pag. 278.) quod is falſi arguat Diaconum, quaſi ſcripſerit, Narſetem Conſtantinopoli ciſternam effodiſſe: nam præterquamquod Baſileenſis editio Pagio favet, ſi alias lectiones, quas P. Manſi affert, attendamus, commenta commentis addemus; quæ enim iſta fuerit Italiæ Urbs, in qua Narſes domum magnam haberet? aut quomodo Tiberius ad effodiendum Theſaurum in eam Italiæ Urbem ſuos miſiſſet, qui, ut in utraque editione habetur, nullum iter dicuntur aggreſſi, ſed vicinus plane Ciſternæ locus, atque in ipſa Urbe Conſtantinopoli indicatus videtur. At Diaconus, inquies, Narſetem in Italia defunctum diſertè alibi narrat; ac proinde in alterutra re falſus eſſe debebit: Ita quidem; ac, quod nunc attinet, Theſauri narrationem pro commento habere jam licebit.

Digitized by Google

addi poteſt ipſiuſmet Pauli teſtimonium in ſuperiore nota pro Narſete recitatum, quem is *virum piiſſimum, in pauperes munificum, in reparandis Baſilicis ſtudioſum ſatis deprædicat*: Audi etiam Evagrium [l.4. c.29.]: *Erat porro tam largus in pecunia eroganda, ut multa ſancta, & magnifica Templa in multis locis extrueret, aliaqe ſacra ædificia, quibus tum viri, tum mulieres, & ætate tenera, & exacta, tum qui variis morbis vexabantur ſedulo accurarentur, ædificaret, magnamque ſeorſum colligeret a ſuis pecuniarum vim, unde iſta perficerentur, alia denique infinita exequeretur opera*: En igitur Ciſternam illam humano ſanguine obſignatam, in qua Theſauros ſuos Narſes condiderit, ſeu potius vides Narſetis opes, in cæleſtes Theſauros Pauperum manibus, aliiſque pietatis operibus deportatas.

De Proditione autem, qua Longobardicæ irruptionis auctor Narſes inſimulari ſolet, idem Diaconus teſtis habetur: Quum enim Narſes ab Romanis apud Juſtinum in crimen adductus, Imperatricis Sophiæ contumelioſis literis ad lanarum penſa, ut Eunuchum decebat, redire juſſus eſſet, talem ſe illi telam ordiri reſpondit, quam nec ipſa, neque vir ejus unquam retexerent, atque ita Longobardos miſſis nunciis, qui etiam *multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt* ſimul ferrent, ad eam invadendam excivit; inde Romam regreſſus *ibidem non poſt multum tempus ex hac luce ſubtractus eſt; cujus corpus poſitum in Locello plumbeo cum omnibus ejus divitiis Conſtantinopolim eſt perlatum* (*a*). Summi hujus criminis invidiam prior a Narſete amoliri ſtuduit doctiſſimus Baronius (*b*), contra quem tamen Pagius pro ſueta ſibi contradicendi libidine ſtetit (*c*): Baronii momenta hæc ſunt; quod omnium Græcorum, qui res ejus ævi geſtas ſcriptis mandarunt, adſit ſilentium, imo Chorippi (*d*) ejuſdem Narſetis Conſtantinopoli adhùc ſub Juſtino vivi mentionem laudeſque exequentis, auctoritas patratæ antea proditionis ſcelus omnino falſum oſtendit; ad hæc, Diaconus ipſe Narſetis Romæ mortui cadaver Conſtantinopolim perlatum aſſerens, alibi vero vivum Conſtantinopolim reducem faciens, ubi Theſauros in ciſterna recondendos curavit, alterutrâ re ipſe falſus, utrâque tamen criminis falſitatem detegere videtur; ſive enim vivus, ſive mortuus Conſtantinopolim redierit Narſes, quis ſibi perſuaſerit aut viventis præſentiæ, aut mortui cineribus poſt immane facinus honores delatos? Pagius verò Græcorum ſilentium nihil moratus, ſed Latinorum, *apud quos res geſta*, ſequendam fidem ratus, quaſi Italia nihil ad Græcum Imperium pertineret, cujus legibus, ducibus, armis jam tum regebatur, Diaconi narrationem ab Anaſtaſio, Fredegario, Sigeberto, Mariano Scoto, Hermanno Contracto, aliiſque Scriptoribus latinis comprobatam, veram affirmat: De Narſete, qui Juſtini tempore florebat, ac Chorippi carminibus celebratus fuit, alium fuiſſe pronunciat a noſtro Narſete, cujus ductu Gothicæ in Italia res fuerunt everſæ: ac Pagio quidem præivit Petavius (*e*), qui plures per ea tempora Narſetes in Conſtantinopolitana Aula floruiſſe ex Procopio, Theophane, & S. Gregorii PP. epiſtolis probat, quorum poſtremus ab Imperatore Phoca ob proditionis crimen an.605 vivus fuit concrematus: Hanc ſanè de pluribus Narſetibus ſententiam haud ego invitus amplector, ac Chorippi Narſetem a noſtro diverſum non abnuerim: at nullo pacto latinorum ſcriptorum, ſive potius unius Diaconi fidem de Narſetis noſtri proditione admiſerim; unum itaque Diaconum refellendum mihi video, nam poſteriorum Scriptorum non me movet auctoritas, qui ab uno Diacono: rem oſcitanter, uti fit, exceperunt.

Ac primùm, teſtis rei geſtæ is eſt, qui eandem duobus, & amplius ſæculis ſuo ævo anteriorem, non ex veterum ſcriptis, aliiſque indubiæ fidei monumentis, ſed potius levi fama ductus, verbis illis, *fertur*, & *dicitur*, narrandam ſuſcepit: mitto ejus antilogiam a Baronio animadverſam de Narſetis obitu, quem Romæ prius, dein Conſtantinopoli defunctum aſſerit: Notabimus potius ipſius Pauli ſilentium, qui quum omnia, quæ in de Rebus Longobar-

[*a*] Paul. Diac. de Geſt. Longob. l.2. c.v. & XI.
[*b*] Ad ann. 567. n.v. & 568. n. IX. ad XV.
[*c*] Ad an. 567. n. IV. & ſeqq.
[*d*] De Laud. Juſtini l.3. & 4.
[*e*] In Rationar. Temp. Part. I. lib.VII. cap. X. edit. Colon. 1720. Sed mirum illud quidem, nihil de Narſetis proditione in Miſcellam ſuam Diaconum retuliſſe, qui in eodem opere, non ſecus ac de Geſtis Longobardorum præſtiterat, omnia quæ ad Narſetis laudem pertinent iiſdem verbis iteravit, quin etiam de Longobardorum irruptione mire ſibi conſtans, quum eo priore opere de Pannonia egreſſos narret *Menſe Aprili per Indictionem primam alio die poſt Paſcha, cujus feſtivitas eo anno juxta calculi rationem, ipſis Kal. Aprilibus fuit, cum jam a Domini Incarnatione anni quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti*; in Miſcella quoque totidem ferè verbis eandem rem narrat, nam Juſtini, inquit, Imperii an. XI. qui eſt *annus divinæ Incarnationis* DLXVIII. *Indictione prima in ipſis Kal. April. egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia, & ſecunda Indictione cœpere prædari in Italia*: De eiſdem vero Longobardis ad Italiam invadendam invitatis nullum omnino verbum invenire eſt in dicta Miſcella editionis Baſileenſis.

Digitized by Google

gobardorum de ea re conſcripſerat, in Miſcellam poſtea contulerit, a Narſetis tamen recenſenda proditione omnino abſtinuit, quam propterea ipſemet, re melius animadverſa, commenti loco habuiſſe cenſendus eſt: & ſane manifeſta facie in narratione ipſa commentum ſe prodit, dum Narſes Legatos ad Longobardorum gentem direxiſſe dicitur, *mandans ut paupertina Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis poſſidendam venirent; ſimulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenus ad veniendum eorum animos poſſet illicere.* Quid enim? Non his opus erat, ut feliciſſimas Italiæ regiones Longobardi tum primùm argumentari poſſent, qui diuturno antea tempore in Italia morati ejus felicitatem jam noverant: Rem ex ipſiuſmet Diaconi verbis probare juvat: *Igitur cum circumquaque frequentes Longobardorum victoriæ perſonarent, Narſis Chartularius Imperialis, qui tum præerat Italiæ, bellum adverſus Totilam Gothorum Regem præparans, cum jampridem Longobardos fœderatos haberet, Legatos ad Alboin dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis, auxilium miniſtraret. Tunc Alboin electam e ſuis manum direxit, qui Romanis adverſus Gothos ſuffragium ferrent, qui per Maris Adriatici ſinum in Italiam tranſvecti, ſociatique Romanis pugnam inierunt cum Gothis; quibus uſque ad internecionem deletis pariter cum Totila ſuo Rege, honorati multis muneribus victores ad propria remearunt*: Hactenus Paulus in de Geſt. Long. l. 2. c. 1. qui iiſdem verbis rem ipſam narrat in Miſcell. l. XVI. p. 478. Intereſt autem Diaconi locum recitaſſe, in quo uno, præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, perſpicuam ſanè, ſed nondum aliis obſervatam, commenti cauſſam reperio, quâ facile vulgo deinceps fuerit, Narſeti Proditionis crimen affingere.

Primum igitur conſtat, priore hoc in Italiam Longobardorum adventu, nedum cognitam Longobardis Italiam, ſed longâ morâ Regionis felicitatem expertos, omnibus ejus bonis, ut ſocios belli decebat, qui pro Rep. ſtrenuè dimicarent, ad delicias uſque frui permiſſos; quæ etiam beatiora ſecum record abantur tum, quum ad Pannoniæ ſedes regreſſis patrii ſoli infelicitas horridior, quam olim, apparere cœpiſſet; Hinc nullimode Narſetis *pomis, & ſpeciebus*, nullo etiam Narſetis ſuaſu, aut legatione opus fuit, ut ipſi in Italiam redirent, quos patrii ſoli omnium aſperrimi pertæſos, felix, quam nuper incoluerant, ac dulcis Italia ipſa revocabat. Fateor quidem poſterioris hujus adventus, ſeu irruptionis cauſſam priori adventui tribuendam, neque omnino Narſetis conſilium probaverim, qui ad delendos in Italia Gothos, alios æquè barbaros ſibi ſocios adjunxerit: Sui enim conſilii ipſummet Narſetem pœnituiſſe animadverto, qui poſt Gothicam victoriam, ut Procopius inquit (a), *Longobardorum in primis nefanda facinora ſe in expeditionem ſequentium vindicare primum, & expiare curavit; Illi namque ad cæteram vitæ, factorumque impietatem, & ſcelus vel ædificia ipſa, in quæ forte diverterent, injuſſi cremabant, ſtuprumque fœminis, & vim inferebant ſacras in ædes refugientibus: unde magna pecunia hos primùm donatos ad proprios redire penates permiſit, Valeriano, Damianoque ſuis cum copiis ducibus traditis, qui eos tamdiù deducerent, quod in Romanorum confinia perveniſſent*: Quum igitur prioris hujus Longobardorum in Italiam adventus Narſes auctor fuerit, ex eoque, ſi victoriam Gothicam excipias collatis illorum viribus comparatam, haud fortaſſe minores, quàm Gothi intuliſſent, calamitates etiam tum perpeſſa fuerit Italia, majorum etiam præſagia, quæ ex poſteriore irruptione proprio conſilio in notas regiones factâ paullo poſt accepit, nihil tam facile poſteris, ut, qui Longobardos a Narſete in Italiam aliquando perductos ſcirent, poſterioris illorum adventus, qui ſequutarum calamitatum mole celebrior fuit, eundem Narſetem auctorem putarent, cui prior dumtaxat erat tribuendus; atque ita factum fuit, ut Narſes, qui haud optimo, at verò neceſſario conſilio Longobardos in Italiam defendendam, atque a Gothis expurgandam olim exciverat, indiſtinctâ rerum geſtarum ſerie, ad eandem invadendam invitaſſe creditus ſit.

Atque his, dum noſtro lapidi Narſetem reſtituimus, reſtituendum quoque Narſeti decus, vindicandamque ab immanis criminis invidia ejus memoriam curavimus, ut qui Beneventanis propriam Urbem, Gothico furore vaſtatam, in priſtinum ſplendorem reſtituit, eoſdem etiam nunc beneficii memores, ejuſque tuendæ famæ ſtudioſos haberet.

[a] De Bell. Goth. l. 3. prope fin.

Digitized by Google

DISSERTATIO XI.

De Monumentis Veterum Christianorum Beneventi extantibus.

† HIC REQVIESCIT MAMER
CIVS MARCELLINVS VIS CVRA
TOR QVIS VIXITS ANNS PM XXX
DEPOSITVS SDS JIII NONAS NOVEMBRS
FLAVIIS SVMMACHO ET BOETIO VV
CONSS

D Res Christianorum me tandem recipio funestas licet, sed quæ nihil triste de fidelibus dormientibus, monente Apostolo, afferunt, immo verò longo itinere jam defessum ea voluptate me afficiunt, ut alacriùs, quàm unquam postremam hanc Operis partem percurram, cui ingens ex Ecclesiastica Antiquitate inest pretium, maximumque ex sacra eruditione accedit emolumentum. Lapidem itaque Christianorum veterum huic Dissertationi veluti titulum inscripsi, qui titulus & ipse fuit illustris Viri sepulcro inscriptus; Prodiit is ante sex annos ex ima terra refossus, dum ampliandis Domini Principis Morræ Ædibus fundamenta jacerentur: Tripalmaris quòquo versus e candidissimo pario marmore Tabula erat, quæ lateritio sepulcro operculum præbebat, ubi & humana ossa inventa sunt: Pavimenti vestigia eidem subjacenti sepulcro ita adhærebant, ut nihil altioris operis in eo fuisse indicaretur, sed pavimento affixa tabula omninò æquaretur. Rem oculis spectanti suspicari mihi subiit, Sacram ibi olim fuisse veterum Christianorum ædem; quod & ingentes ruderum, qui undique ex ea loci parte egerebantur, acervi commonebant: Tum ejusdem sepulcri inscriptionem dictæ Tabulæ inscriptam seriò animadvertens, ac diligenter describens, dignam censui, quæ peculiari commentario illustraretur, atque sui forma, situ, locique conditione, de vetusto Ecclesiæ more, quo defuncti fideles apud ædes sacras tumularentur, differendi occasionem pro re nata suppeditaret: quod, post sepulcralem titulum prius explicatum, mox sequenti capite mihi erit exequendum.

CAPUT PRIMUM.

Mamercii Marcellini VIS *Curatoris Sepulcralis Titulus explicatur.*

DE Mamercii Marcellini munere, quod lineâ secundâ sic legitur VIS. CURATOR, omnia, quæ mihi præsto erat, jamdiù heic in *Dissert. de Vet. Magistrat. Benev. p.*147., ubi loci, & materiæ opportunitas tum postulabat, fuere observata; nihil igitur de ea re, quam longa exercitatione semel explicuisse satis est, sed reliqua dumtaxat illustranda suscipiens, a Crucis signo, quæ felix, faustumque lapidi principium præbet, exordium etiam sermoni meo faciam.

Nihil

Digitized by Google

Nihil antiquiùs ab Eccleſiæ primordiis Chriſtianis fuit, quàm religioſam erga Crucis ſignum venerationem exhibere, quippe quæ præcipuum fuerit inſtrumentum, ex quo Dei Hominis morte conſecrato, vita, atque ſalus in humanum genus promanavit: Hoc itaque quum probe ſcirent, ſpectarentque Chriſtiani, nequicquam eos ab colenda Cruce retrahebat vel ejus infamia, quæ vulgo omnium mentibus plane inſidebat (*a*), vel Ethnicorum calumniæ deterrebant (*b*): Augebat autem, ac plane eorum religionem confirmabat non ſemel probata ſalutaris ſigni virtus, qua non modo præſentem ſibi tutelam aſſiduè comparari, verum etiam hoſtium conatus, falſæque Religionis myſteria everti conſpicerent (*c*).

Hinc mos ille fuit, non ſolum in ſacris ædibus, aut cryptis, & cœmeteriis, quò Perſecutionum tempore, Chriſtiani Religionis ergo conveniebant, Crucis effigies imprimis extollere, aut parietibus pingere, aut ſaxis inſculpere, ut maximum propriæ religionis myſterium meritâ veneratione proſequerentur, verum etiam privatis ſuis ædibus, perſoniſque ſervandum, imponendumque curabant: *Impoſitas ſuis frontibus Cruces Chriſtianos geſtaſſe* locuples teſtis eſt Lactantius, cujus verba inferius recitavimus, huncque morem, quum demum nullum eſſet Chriſtianæ Religionis diſcrimen, ampliùs inoleviſſe colligitur ex S. Auguſtino, qui inter Catechumenorum inſignia Crucem recenſet, quam illi fronte portarent: *Si dixerit* (inquit (*d*)) *Catechumeno: Credis in Chriſtum? Reſpondet: Credo, & ſignat ſe Cruce Chriſti: portat in fronte, nec erubeſcit de Cruce Domini ſui.* Cur verò erubeſceret, quando jam [ut idem Auguſtinus præclarè ajebat] *Crux ipſa de locis ſuppliciorum tranſiit ad frontes Imperatorum*; quum ſcilicet in eorum coronis aſſurgens, ſplendidiores, glorioſioreſque coronas ipſas efficeret: unde etiam intelligimus, Chriſtianos quoſcunque, qui ſuis frontibus de more imponerent, non fronte ipſa depictam, aut ſtigmate impreſſam Crucem prætuliſſe, ſed interiore pilei, aut galeri parte quæ fronti inſideret, effictam, aſſutamve geſtaſſe.

Partâ itaque Eccleſiæ pace, fauſtiſſimo quidem ipſius Crucis Imperatori Conſtantino, non naturæ vi, ut Heterodoxorum aliqui contendunt (*e*), ſed prodigioſè apparentis auſpicio, quan-

[*a*] Omnium acerbiſſimum, ac probroſiſſimum ſupplicium Crucem fuiſſe jam conſtat; *Summum* ſupplicium κατ' ἐξοχὴν apellatur a I. C. Paulo lib. v. ſentent. & ab aliis paſſim. Hinc Crux ipſa *Infelix Arbor*, *Infamis ſtipes* vulgo audiebat: liberâ Reſ. ſolis ſervis ſervatum ejuſmodi ſupplicium præclare docet (ut alios mittam) Ciceronis locus, dum C. Rabirium Perduellionis reum defendens, poſtquam majorum, ac ſua, quum Conſul eſſet, operâ, Carnificem de foro, Crucem de campo ſublatam, omniaque in libero populo Crudelitatis Regiæ veſtigia deleta affirmaſſet, mox T. Labienum Trib. Pleb. (qui Rabirio diem dixerat) ita inſectatur: *Hæc vero ſunt, quæ te hominem clementem, popularemque delectant*: I LICTOR COLLIGA MANVS: *Quæ non modo hujus libertatis, manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ, ſed Tarquinii ſuperbiſſimi, atque crudeliſſimi iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo levis, ac popularis libentiſſime commemoras*: CAPUT OBNUBITO. ARBORI INFELICI SUSPENDITO: Quam eandem formulam, ſive *Horrendum carmen* ab Hoſtilio Rege iiſdem conceptis verbis in Horatium ſororis interfectorem, proclamatum refert Livius l. 1.; ſed legendus idem Cicero Verr. v. c. 64. ubi Verri exprobat, quod P. Gavium, qui ſe civem Romanum eſſe clamabat, Cruci affigendum juſſiſſet in Meſſanæ portu e conſpectu Italiæ, *quæ Alumnum ſuum ſervitutis extremo, ſummoque ſupplicio affixum videret*: Memini: hujus Ciceroniani loci Lactantius, qui lib. IV. c. 18. poſt narratam Chriſti Cruci affixi mortem, *quid ergo heic* [inquit] *in tanto facinore deplorem? Aut quibus verbis tantum nefas conquerer? Non enim Gavianam Crucem deſcribimus, quem M. Tullius univerſæ eloquentiæ ſuæ nervis, ac viribus, velut effuſis totius ingenii fontibus proſequutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, civem Romanum contra omnes leges in Crucem eſſe ſublatum*. Atque hæc haud Lipſio obſervata in De Cruce l. 1 c. 17. ubi alia de ſervili hoc ſupplicio, quo liberos etiam homines aliquando affectos docet *cap. ſeq.*

[*b*] Accuſabant Ethnici Chriſtianos paſſim de Crucis divino cultu, quaſi ipſas Cruces peculiares ſibi Deos adoptaſſent. Sed ignorabant profecto Ethnici, quo quidem modo, quaque ratione Cruces adorarentur, quarum cultus non in ipſum lignum, ſed in Chriſtum, qui eidem affixus fuit, referebatur; Horum igitur calumnias jamdiù propulſarunt Juſtinus, Tertullianus, Minucius Felix. Videſis de hac re Cl. Mamachium Orig. Chriſt. lib. 1. cap. 3. §. 8.

[*c*] Præclare hoc argumentum proſequitur Lactantius l. IV. c. 27. cujus hæc inter alia ſunt: *Quanto terrori ſit Dæmonibus hoc ſignum ſciet, qui viderit . . . cujus rei non difficilis eſt probatio; nam quum Diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant: nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates: & hæc ſæpe cauſſa præcipua juſtitiam perſequendi malis regibus fuit: quum enim quidam miniſtrorum noſtrorum ſacrificantibus Diis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno Deos illos fugaverunt, ne poſſent in viſceribus beſtiarum futura depingere . . . . . ſed quoniam neque accedere ad eos poſſunt, in quibus cæleſtem notam viderint, nec iis nocere, quos ſignum immortale munierit tanquam inexpugnabilis murus, laceſſunt eos per homines, & manibus perſequuntur alienis . . . . . neceſſe eſt enim veram eſſe hanc Religionem, quæ & rationem Dæmonum novit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritalibus armis domitos, ac ſubactos, cedere ſibi cogit.*

[*d*] Tract. XI. in Evangl. Johann.

[*e*] Io. Alb. Fabric. tom. VI. Bibl. Græc. lib. v. c. 3. Kettnerus Diſſert. de reliquiis miraculorum &c. p. 227. Miſcell. Lipſ. tom. VIII.; ſed Phariſaicæ perfidiæ genus eſt,

quantus eidem Signo, ejuſdem Auguſti operâ, honos acceſſerit, planè conſtat; nam ſublatis ab ſuo Exercitu ſuperſtitioſis ſignis, quæ *Legionum numina*, *Bellorumque Deos* appellavit Tacitus (*a*), præcipuum caſtrorum ſignum Cruce ipſa conſtitutum voluit, quam & militum galeis ſupernè imponi juſſit: præterea hoc ſupplicii genus ex Orbe Romano ſuſtulit, nolens ſalutare Signum ſubſervire ad perniciem, & colendum illud, atque eximium pœnis vileſcere damnatorum (*b*). Hinc illud eruditioribus Juris Interpretibus (*c*) jamdiù obſervatum, nullibi in Libris Legum Crucis ſupplicium memorari, non quod, dum leges illæ conderentur, illud in uſu non fuiſſet, ſed quum in unum corpus a Triboniano digererentur, non modo deſueverat, ſed planè Conſtantini lege, imo ipſius Chriſtianæ Religionis ſuadente reverentia nefas haberetur, itaut, etiamnum leges eædem, quæ olim, pro *Crucis* tamen vocabulo, ubi occurreret, *Furcæ* nomen a Triboniano uſurpatum fuerit, ſubſtitutumque ſupplicium.

Atque ex hac ubique recepta, ferventiùſque adhibita Crucis veneratione (quod aliis non ſatis obſervatum invenio) illud poſteriore ævo paſſim obtinuit, ut ubicumque libuiſſet, Crucem ipſam Chriſtifideles aut ſculperent, aut extollerent, quaſi, uti nullum ſine Genio locum olim Ethnici ſuperſtitiosè putabant, hanc ſaniore ipſi conſilio tutelam locis quibuslibet ſubſtituere ſatagerent, quod cum pie admodum, religioſeque geſtum videretur, ipſa tamen [ut aſſolet] immoderata veneratio, Crucis honori quodammodo detrahebat, cujus dignitati ex quorundam locorum, ubi appoſita eſſet, conditione, non ſatis conſulebatur: Hinc in Trullana Synodo ſanctio illa conſtituta legitur cap. 73. *Crucis figuras, quæ a nonnullis in ſolo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur: Eos igitur, qui deinceps Crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari mandamus*: quod etiam jamdiù ab Imp. Theodoſio vetitum, cujus lex illa adhùc legitur (*d*), *ut nemini liceret ſignum Salvatoris Chriſti vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere*, inſculptum autem, pictumve tolleretur. Leonis etiam Imperatoris adeſt conſtitutio (*e*), qua vetatur, in ædes *publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem Crucem inferri*: Exemplo etiam ſuo Imp. Tiberius confirmavit, qui cum Crucem pavimento inſculptam tolli juſſiſſet, ingens conſilii ſui, quo illius honori proſpectum voluit, præmium retuliſſe traditur (*f*).

Sed

eſt, cujus, quum illud conſuetum manifeſta ſigna alia inficiari, hæc etiam (ut ajebat Beda) promptum eſt calumniari, & dicere ex occultis, & variis aeris paſſionibus accidiſſe.

[*a*] Annal. II. ubi Lipſ. n. 47.

[*b*] De his ſelecta omnia late congeſſit Lipſius in De Cruce l. 3. c. 14. 15. & 16.

[*c*] In l. 38. §. 2. D. De Pœnis hæc modo leguntur: *Auctores ſeditionis, & tumultus populo concitato pro qualitate dignitatis, aut in Furcam tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in Inſulam deportantur*. Quæ quidem ex lib. v. ſententiarum Iulii Pauli deſumta ſunt, ubi *tit. 22. De ſeditioſis* adhùc legitur, *in Crucem tolluntur*: quam quidem *Crucem* in *Furcam* commutavit Iuſtinianus, ſive Tribonianus, qui ſola ejus vocabuli commutatione contentus, nihil de verbo *tolluntur* ſollicitus fuit, quod ut Cruci olim, non ita recte Furcæ deinde conveniebat. Sic in l. 28. §. 15. ubi ex Calliſtrato hæc leguntur: *Famoſos Latrones in his locis, ubi graſſati ſunt Furca figendos compluribus placuit*: jam ex Iuriſconſulti manu *Crux* non *Furca* illic erat, cui poſtea *figendi* verbum remanſit appoſitum, quod Crucis proprium, inepte omnino Furcæ adhæſit, ad quam *appendi, adſtringive* damnati dumtaxat: Iſidor. l. 5. c. ult. *Furca dicta, quaſi ferens caput. Patibulum vulgo Furca appellatur: Sed patibuli minor pœna, quàm Crucis, nam patibulum appenſos ſtatim exanimat, Crux autem ſuffixos diù cruciat*: Vide Briſſon. de V.S. v. Crux. Antonium Contium Lection. ſubſeciv. l. 1. c. 13. Cujacium obſerv. l. 16. c. 1.

[*d*] In Codic. Iuſtin. Leg. 1. tit. VIII. Dat. XII. Kal. Iun. Hierio, & Ardaburio Coſ. i. e. an. 427.

[*e*] In leg. 26. Coſ. Juſtin. *De Epiſc. & Cleric.* in qua tamen ferenda non omnis, ſed qualiſcumque Crucis honos in cauſſa fuit. Etenim mos illo ævo fuit, quem diſcimus ex lege Theodoſii Imp. 25. *Cod. Theod. de Pagan. Sacrific.* Paganorum Fana, Templa, Delubra *conlocatione venerandæ Chriſtianæ Religioni ſigni expiari*; Si igitur in ædes publicas, vel in loca populi voluptatibus fabricata Crux inferretur, ea quodammodo conſecrari, ac fieri religioſa videbantur, itaut non ibi deinceps ſpectacula, aut profanum aliquid exerceri fas eſſet: Id autem reſpexit Leo, dum addidit, *religioſas ædes non deeſſe*, ubi Crux poſſit collocari, *neque occupari ea loca* opus eſſe, *quæ vel ad publicas cauſſas, vel ad populi oblectamenta conſtructa eſſent*. Quod ſi non id Leo intellexerit, manſiſſentque adhùc loca illa poſt Crucis collocationem profanis rebus, ut olim parata, jam illarum conſpectu præſentis Crucis honori detractum noluiſſe videtur: Non enim, niſi alterutrum ſtare poſſe, illuſtre Ethnici Imperatoris exemplum monebat apud Lampridium in Alexandro, qui, quum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, uſurpaſſent, contrà Popinarii dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit: *melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus coleretur, quàm popinariis dederetur*.

[*f*] De Imp. Tiberio II. hæc tradit Paulus Diaconus Hiſt. Miſcell. l. 17. *Quadam die deambulans per palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat Crux Domini ſculpta, & ait: Cruce Domini noſtri*

Digitized by Google

Sed veteribus Chriſtianis, ne contra ejuſmodi leges commiſiſſe viderentur, facile concedendum erit, quandoquidem fas ſibi ducebant titulis ſepulcralibus, quibus eorum corpora humi condita tegebantur, Crucem inſculpere; nihil enim eo ſigno manifeſtius, quo ſe ſe in Chriſtianæ Religionis profeſſione, ſocietateque defunctos declararent; quamque illius virtute animæ comparandam ſperarent, corpori etiam quietem tutelamque quodammodo conſtitutam recte arbitrarentur (*a*): Hinc præter Chriſti monogramma, aliaque quamplura ſymbola ex Divinis Libris in pium Veterum Chriſtianorum uſum derivata, quibus ſuos tumulos ornarènt, ac veluti conſecrarent, præcipuum omnium Crucis ſignum uſurpabant, ut in noſtro lapide aſpicimus, cujus initio Crux adeſt inſculpta, quod etiam in alio apud Cl. Lupum (*b*) iiſdem penes conceptis verbis inſcripto, itemque apud Cl. Oliverium (*c*) in ſepulcrali latina Inſcriptione literis græcis exarata, ubi bini utriuſque Angeli frondeam coronam manibus ſuſtinent, in cujus medio Crucis ſignum effulget, atque in aliis innumeris Veterum Chriſtianorum monumentis apud Aringhium, & Boldettum (*d*) paſſim ſpectare licet, quæ utpote in re trita, ac ſatis obvia, hùc referre, ac commemorare non eſt opus.

Ex quo quidem ſigno certa mihi, atque conſtans inſedit ſententia, ubi ſepulcrali cuipiam titulo, ſuetâ ſuâ formâ, indubiâque effigie inſculptum occurret (*e*), promptum eſſe, atque omnino tutum videri, ut idem titulus ad Chriſtianos pertinere judicetur. Etſi enim ejuſmodi ſignum alicubi ab ipſis Ethnicis uſurpatum ſciamus (*f*), itaut etiam aVoluſio Mæciano pro nota *dimidiæ ſextulæ* hoc ſignum † repræſentatum inveniatur (*g*) atque ex literis T & I, vel I & T eum nexum efficere veteres conſueſſent, ut conſpicua nota † etiam in ſepulcralibus titulis Ethnicorum etiamnum inſculpta cernatur, teſte Pierio Valeriano (*h*); nullimode tamen in eorundem Ethnicorum mentem unquam venit, ejuſmodi ſignum ad propriam ipſius Crucis ſignificationem, indiciumque referre, quippe quæ apud eos univerſos infamiæ erat, atque horrori, ut jam ſuperius obſervavimus; Summo certe probro ii duxiſſent teterrimi ſupplicii

noſtri frontem noſtram, & pectora munire debemus, & ecce eam ſub pedibus calcamus: & hoc dicto citius juſſit ipſam tabulam auferri, defoſſaque tabula, atque erecta, inveniunt ſub terra aliam hoc ſignum habentem; qui & ipſam juſſit auferri; qua amota, inveniunt & tertiam; Juſſuque ejus cum hæc fuiſſet ablata, inveniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria: ſublatumque aurum pauperibus adhùc abundantius, quàm conſueverat, largitur.

[*a*] Atque hùc faciunt carmina S. Paulini Nolani Epiſcopi, quæ ipſe in tumulo B. Felicis inſcripſiſſe refert in epiſt. 12. ad Severum edit. Colon. pag. 173. quæ ſic clauduntur.

Quam bene junguntur ſigno Crucis oſſa piorum:
Pro Cruce ut occiſis in Cruce ſit requies.

[*b*] In epit. S. Sever. p. 147.

[*c*] Marmor. Piſaurenſ. n. CLXXI.

[*d*] *Oſſervazioni ſopra i ſacri Cimiteri lib.* II. *cap.* III. ubi pluribus rem illuſtrat, variaſque Crucis formas in Chriſtianorum ſepulcris appoſitas exhibet.

[*e*] Nam ſi aliqua formæ diverſitas appareat, prudens adhibendum erit judicium, quod adminicula alia, aut conjecturæ confirment; ſic in ſepulcrali lapide Veſontionenſi Aſciæ effigies quatuor in locis appoſita, quod ad Crucis ſignum propius accederet, eamque referre videretur, de Chriſtiano homine ibi condito, ejuſque propterea oſſibus in locum ſacrum transferendis temere judicari cœpit; quæ res celebri illi Cl. Mabillonii Epiſtolæ *de Cultu Sanctorum Ignotorum* occaſionem dedit; qui rem narrat §. 22. ejuſque Aſcæ formam exhibet *edit. Venet. p. 573.*

[*f*] Inter Hieroglyphicas Ægyptiorum literas Crucem habuiſſe locum teſtatur Ruffinus Hiſt. Eccl. l. 2. c. 29. & Sozomenus l. 2. c. 15. Hùc alluſit Tertullianus Apolog c. 16. *Dicimus origines Deorum a plaſtis de Cruce induci; ſed & Victorias adoratis, cum in Tropæis Cruces inteſtina ſint Tropæorum; Religio tota Caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit: omnes illi imaginum ſuggeſtus, in ſignis monilia Crucum ſunt.*

[*g*] In libello de Aſſe poſt Cod. Theod. edit. Pariſ. 1596. & in Grævii Theſauro tom. XI. cujus libelli lectionem juris ſtudioſis vehementer commendat Jac. Cujacius ad l. 21. §. 2. *D. De Ann. Legat.*

[*b*] In Ecloga 1. Virgilii v. 69. ubi hæc notat: *Ita etiam in T litera, ſive* T *præcederet, ſive ſubſequeretur animadverti inſeri ſolitam hoc pacto* †. *Id enim ſignum tam* TI, *quam etiam* IT *ſignificat: cujus rei, etſi alibi etiam exempla inveniuntur, id unum ponam quod ab Urbano Valeriano Patruo meo harum Antiquitatum indagatore diligentiſſimo exſcriptum accepi: id quod Polæ etiamnum inſpicitur.*

D. M
AVRELIA
CRESCEN
† NA CONIV
GI VE . . . .
PRODITO
CON QVO VI
XIT ANNIS
XI. DE. SVO
POSV †. B. M

In quo monumento non pigeat tria notatu digna deſignare CRESCEN † NA *pro* CRESCENTINA, *verſo vero modo* POSV † *pro* POSVIT *&c.* Affert etiam hunc lapidem Gruterus pag. 760. n. 8. & quidem ex Pierio, ita ſubſcribens: *E Pierii Vergilianis, qui habuit a Patruo ſuo*: Sed binos eos nexus non habet, ut mirum videatur tantum oſcitantiæ fuiſſe, ut nondum exemplum ipſum, quod Pierius ſuppeditabat, verum etiam Pierii obſervationes non fuerint animadverſæ.

Digitized by Google

plicii ſimulacrum ſuis rebus intermiſcere, quod nonniſi raro, atque etiam fortuito quodam conſilio ad diverſas longe res ſignificandas aliquando adhibuiſſe jam videntur. Sola igitur, ac ſatis perſpicua Chriſtianorum illa fuit nota, qui non modo Crucem non erubeſcerent, imo vero gloriandum ſibi planè exiſtimarent, ſi Crucem ipſam, qua humanæ ſalutis pretium exolutum, veræque religionis myſteria dedicata fuerant, vivis ſibi, mortuiſque ſociatam oſtentarent.

Certiſſimum igitur de noſtro Lapide erit judicium, etſi alia argumenta deeſſent, ex ſolo Crucis ſigno, quod initio inſculptum habet, ad Chriſtianum hominem pertinuiſſe; Id quod etiam plura alia manifeſte confirmant, nempe *Requieſcendi* verbum cum adjectione *Nonarum*, præterea *Depoſitionis* vocabulum, ac demum temporis nota, quæ *Conſulum* nominibus deſignatur: quæ omnia, eodem noſtro Lapide duce, ſigillatim percurremus.

Ad priora duo quod attinet, haud longum faciam, quandoquidem de poſteriori re, ideſt de diei e mortualis enunciatione in Chriſtianorum tumulis de more adhibita, fusè, eruditèque actum invenio a Cl. Lupo (*a*), qui de eadem re eruditorum ſententias expendens, morem quidem ipſum Chriſtianis receptum, ſed Ethnicis quoque in ſuis ſepulcralibus titulis (quorum plurima exempla affert) non omnino ignotum probans, ita rem definire videtur, ut inde nos conjecturam potius, qnæ alio argumento confirmari egeat, quàm certam Chriſtianiſmi notam habeamus; Idem ego de priore re, ideſt de *Requieſcendi* verbo judicandum crediderim, quæ pro ſolenni veluti formula in Chriſtianorum tumulis uſurpata inter eas notas a Mabillonio recenſetur (*b*), quæ Paganorum tumulos diſtinguat: Nihil enim verius, quàm ad perpetuum Chriſtianorum uſum ejuſmodi vocabulum referre, qui Divinis Libris præeuntibus, (*c*) ſuos defunctos *requieſcere* dicebant, itaut nullus fere ſepulcralis veterum Chriſtianorum titulus ſine eo vocabulo occurrat, quod barbarè aliquando inſcriptum (*d*), rariſſime tamen deſideratur: At non illud Ethnicis omnino inſolens, qui ſuis ſepulcralibus titulis pari modo adhibebant; mitto heic de iis formulis dicere, quibus defuncti diras imprecationes in ſuis tumulis inſcribebant adverſus eos, qui ſepulcrum violare, oſſaque perturbare auſi fuiſſent, (*e*) ipſis quoque Chriſtianis aliquando uſurpatas (*f*), qua quidem re nihil aliud, quàm ſuæ requieti proſpectum volebant; Certe familiare ipſis Ethnicis *Requieſcendi* vocabulum fuiſſe liquet, tum ex lapidibus (*g*), in quibus non ſemel ſepulcrum ipſum *Requietorium* appellatur (*h*), tum etiam ex frequentibus Scriptorum, Poetarumque locis (*i*), quibus inſignem noſtrum lapidem adhùc ineditum addimus, quem habes in Claſs. IX. num. 139. ubi elegantibus verſibus Puella præcoce fato extincta ſuas querelas ſic claudit

NVNC ITA IN AETERNA REQVIESCO ſede ſepulta
ET FINEM FATI CONQVEROR IPSA MEI.

Ad *Depoſitionis* igitur vocabulum gradum citò faciam, quandoquidem in noſtro lapide Mamercius Marcellinus dicitur DEPOSITVS SD' J'' NONAS NOVEMBR'; in quo quidem vocabulo certiſſimam omnium Chriſtianiſmi notam, nunquam Ethnicis in Re Funerea uſurpatam, ſed ſolis Chriſtianis peculiarem agnoſcendam cenſeo. Scio, ex Heterodoxorum numero non

[*a*] In Epitaph. S. Sev. §. XI.

[*b*] De Cultu SS. Ignot. §. VI. & X.

[*c*] Pſal. IV. 9. XV. 9. Eccleſ. XXXVIII. 24. Apocalyps. VII. 11. & paſſim alibi.

[*d*] Nam *Requiſio* pro Requietio: *Queſce* ac *Ceſque* pro Quieſcit, & alii conſimiles Idiotiſmi fœtus, ſeu monſtra paſſim occurrunt, apud Aringhium, Boldettum, Lupum, alioſque Chriſtianorum monumentorum Collectores, atque illuſtratores.

[*e*] Sic apud Gruterum pag. 826. 7. *Illi Deos iratos, quos omnes colunt, ſi quis de eo ſepulcro violarit*; & pag. 594. 3. *Rogo per Deos ſuperos, Inferoſque ne velitis oſſa mea violare*: & alia id genus, quæ habebis in Indicis Gruteriani cap. 17. in fin.

[*f*] De his vide lapides apud Fabrettum c. II. p. 110. & ſeq

[*g*] Quos plurimos tibi dabit Index Gruter. cap. XVI.

[*b*] Gruterus p. 954. & vid. Kirchmannum De Funer. Rom. l. III. c. X.

[*i*] Meretur primum locum Poeta ille vetus, cujus carmina refert Cicero Tuſcul. I. in hæc verba.

Neque ſepulcrum, quod recipiat, habeat portum corporis
Ubi remiſſa vita corpus requieſcat a malis

Tibullus lib. II. eleg. 4. v. 49.

Et bene, diſcedens dicet, placidèque quieſcas.

Cui Poetæ jam defuncto eâdem formulâ cecinit Ovidius Amor l. III. Eleg. 9. v. 67.

Oſſa quieta, precor, tuta requieſcite in urna.

Virgilius Eglog. ult. v. 33. . . . *mihi tum quam molliter oſſa quieſcant*. Tacitus in vit. Agricol. c. 46.: *Si quis piorum Manibus locus, ſi, ut ſapientibus placet, non cum corpore extinguantur magnæ animæ, placidè quieſcas &c.*

Digitized by Google

non defuiſſe quempiam (*a*), qui communem quoque Ethnicis eandem vocabuli ſignificationem fuiſſe contenderit, quaſi id quoque pigeat, ut ſuæ ſtent Chriſtianis peculiares loquendi formulæ, Pietatis ac myſteriorum plenæ, nihilque iis per ſummam calumniam impune relinquatur, quod non ex profanis Ethnicorum moribus, ac ſermone in ſe derivaſſe dicantur: Locus itaque Ovidii affertur ex Triſtium lib. III. eleg. 3. quem audire præſtat:

Non mea conſueto langueſcent corpora lecto,
Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit.
Nec Dominæ lacrymis in noſtra cadentibus ora
Accedent animæ tempora parva meæ.
Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos condet amica manus.

At *Depoſiti* vocabulo, quod verſu ſecundo legitur, *Mortui* ſignificationem perperam attribuit Heterodoxus Interpres, cujus hallucinationem imprimis redarguit Ovidius ipſe ſequentibus verſibus, in quibus adhùc optat Naſo Uxoris lacrymis vitalem ſuum ſpiritum in corpore jam jam morituro aliquantiſper retineri, prætereaque abeſſe queritur, quibus ſuprema mandata daret; quæ quidem inania vota eſſent, poſteaquam *depoſitum* i. e. mortuum ſe dixiſſet; nec ob ambiguam vocabuli ſignificationem præpoſteræ loquutionis Poetam damnabimus, qui tandem, ſervata totius rei ſerie, poſt eadem morientis, non vero mortui vota, jam ſuum obitum ſubſequentem adnectens ſic pergit

Jam ſine funeribus caput hoc ſine honore ſepulcri
Indeploratum barbara terra teget.

Sed non *ambiguam* vocabuli ſignificationem ex integro Ovidii animadverſo loco appellare debuimus, quandoquidem Poeta ipſe jamdiu uſu receptam, probatamque vetuſtis Scriptoribus ejuſdem vocabuli ſignificationem omnino ſervans (*b*) certiſſimam nobis exhibuit. *Depoſitos* enim eoſdem ac *Deſperatos* dicebat Antiquitas; Ita plane S. Iſidorus Etymol. l. x. *Deſperatus vulgo vocatur malus, & perditus, nec jam ullius proſperæ ſpei: dicitur autem per ſimilitudiuem agrorum, qui affecti, & ſine ſpe deponuntur*: Conſuetudo autem erat apud veteres, ut deſperati ante januas collocarentur, vel ut extremum ſpiritum redderent terræ, vel ut poſſent a tranſeuntibus forte curari, qui aliquandò ſimili laboraverant morbo (*c*): In hanc poſteriorem ſignificationem, quam Ovidio vindicavimus, diſſertiſſimè *depoſitum* uſurpavit ejuſdem ævi, ſed præſtantioris ingenii Poeta alter Virgilius, qui de Japyge, medicinam ab Apolline edocto, ſic canit Æn. XII. v. 395.

Ille ut depoſiti proferret fata Parentis,
Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit . . . . . .

ubi jam vides *depoſitum Parentem* appellari, ideſt extremo fato jam proximum, cui *proferendo*, ſeu diutius, ne accideret, repellendo, avertendove Natus medicinæ vim adhibebat: Sed Servium audire libet: *Ut Depoſiti, ideſt Deſperati; nam apud veteres conſuetudo erat, ut deſperati ante januas ſuas collocarentur, velut extremum ſpiritum redderent terræ, vel ut poſſent a tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laboraverant morbo*: Cicero: *Ægram, & prope Depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe* (*d*): Statius in Thebaid. *Ferte Depoſitis opem*. Hactenus Servius, cui illud quoque debemus,

[*a*] Jacobus Baſnagius in Hiſt. Judaica . . . . . : quem obiter refellit V. C. Dominicus Georgius in Diſſert. de Monogrammate Chriſti edit. Rom. an. 1738., cui plura, quæ Baſnagium omnino conficerent, modo adſtruximus.

[*b*] Ita locum hunc Ovidii rectè interpretatur Jo. Hartungus. *Locorum memorabilium ex optimis quibuſque Scriptoribus exſcerptorum Decuria* III. *c.* 8. §. 29. immo præter ſuperius dicta ſeipſum profecto interpretatur Ovidius in *l.* 2. *De Ponto eleg.* 2. *v.* 47. ubi Meſſalinum rogans de concilianda ſibi Auguſti gratia ſuas ærumnas ſic exponit:

Jam prope depoſitus, certe jam frigidus æger
Servatus per te, ſi modo ſervor, ero.

Non enim mortuo profuiſſet Auguſti indulgentia, ſed cui vitæ licet deſperatæ aliquid tamen adhùc ſupereſſet.

[*c*] Huic mori medicinæ (ei ſcilicet, quæ Empirice nuncupatur) initium attribuit Max. Tyrius orat. XI. ubi hæc ſunt: *Medicinæ vetuſtiſſimum inventum his initiis ortum conſtans fama eſt. Eum, qui vexaretur a morbo, domeſtici exportantes in frequentiſſimo vico deponebant, ut tranſeuntibus viſus de qualitatibus morbi rogaretur: Itaque qui tulerat, depuleratque ſimilem morbum, aut tolerantia ſitis, aut cauteriis, aut medicamentis ſumptis, prodito remedio laborantem juvabat: Similitudo igitur morbi remediorum colligens memoriam, ſummam ejus, quam ex iis hominum congreſſibus acceperat, ſcientiam fecit.*

[*d*] Verba Ciceronis a Servio relata, habentur in Verrina II., ſeu in Verrem lib. I. cap. 2. ubi hæc ad rem noſtram notat Aſconius: *Et prope depoſitam: Deſperatæ ſalutis. Sic & Virgilius &c.* Vetus etiam Scholiaſtes

mus, ut Ciceronis locum nobis patefaceret, atque etiam Statii, quorum aliorumque (*a*) auctoritate vocabuli significationem exploratiſſimam habemus; quid, quod ex vetuſtiore Latio in ſequuti florentis ævi Auctores, quos jam numeravimus, idem vocabulum eademmet prorſus ſignificatione manavit? En Lucilii verſus, quibus rem conficiam, ex lib. III. Satyr. (*b*)

Symmachu' præterea jam tum depoſitu' bubulcus
Expirans animam pulmonibus æger agebat.

Placuit rem hanc pluribus confirmare, ut in meridiano veluti lumine collocata alienum errorem, ſeu perpetuam Chriſtiana quævis ſuſque deque vellicandi libidinem detegat.

Itaque *Depoſiti* vocabulum, probum ipſum quidem, ex Gentili Latio in Chriſtianiſmum manavit, ſed a Chriſtianis in ſuis ſepulcralibus titulis uſurpatum diverſam ipſiſque Ethnicis omnino alienam, ignoratamque ſignificationem recepit. Non enim, qui morbi vi longioris vitæ ſpem amiſiſſent, ac veluti inter mortis fauces mox extinguendi verſarentur, ſed vitâ jam defunctos, ac morte conſumtos, *depoſitos* ita appellabant Chriſtiani, neque tamen quum illi extremum diem obiiſſent, ſed quum demum in ſepulcrum inferrentur, *depoſiti* dicebantur: Animadvertendum mihi diſcrimen hoc fuit, nam video de hac re a Scaligero erratum, qui in Indice Gruteriano cap. XXIV. *Depoſitionem* in monumentis Chriſtianorum, eandem, ac *Diem mortis* explicavit, veterum lapidum auctoritate manifeſtè repugnante, dum [ut Eduardus Holtenus notat] apud ipſum Gruter. pag. 1054. num. 8. mulier *nomine Matrona* dicitur *receſſiſſe Die Mercurii ora* VIII. *& Depoſita die Jovis Iduum Majorum*: Cui etiam addo lapidem apud Mabillonium (*c*) *Puer Victorinus deceſſit de ſeculum* VII. *Idus Junies* DP. [i. e Depoſitus] v. *Idus Junias*: in quo Epitaphio vir doctiſſimus recte notat, *Victorini obitum diſtingui ab ejus depoſitione, quæ poſt biduum ſucceſſit*: Qua in re luculentiùs confirmanda binos alios lapides ex Cl. Boldetto in ſubjecta nota exhibemus (*d*). Neque aliter *Depoſitionem* accepiſſe videtur S. Ambroſius, dum ait (*e*): *quid eſt depoſitio, non illa utique, quæ ſepeliendis in terra membrorum reliquiis Clericorum manibus procuratur; ſed illa, qua homo vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad Cælum terrenum corpus exponit: Ipſa planè eſt depoſitio, in qua concupiſcere abjicimus, ceſſamus delinquere, peccare deſinimus, & totum quicquid ſaluti eſt grave, quaſi abjecta ſarcina oneris, exponimus*: novam enim Depoſitionis vocabulo ſignificationem tribuere cogitans S. Ambroſius, receptam ipſam, vulgatamque ibidem audiendus eſt: *Et prope depoſitam*, inquit; *in ultimo poſitam, deſperatam, ut recreari non poſſit; Sic & Virgilius &c.* nam uterque eodem, quem ſuperius retulimus, Virgilii verſu, traditam *Depoſitæ* explicationem confirmat: ut jam mirari jubeat Manutium in notis ibidem paullo aliter ſentiiſſe, dum inquit: *Prope non addidit ſine cauſſa, ſed ut ſpem tamen aliquam oſtenderet ſervandæ Reip., nam ſi depoſitam ſimpliciter dixiſſet, interitum demonſtraſſet*: quaſi parva res fuiſſet, in ſtatu depoſitæ i. e. deſperatæ (ut uno ore graviſſimi Scriptores, adhibita etiam Virgilii auctoritate, declaraverant) verſari Remp., niſi jam ipſa interiiſſe debuerit: quod etiam contra Ciceronis eſt mentem, atque verba, cui, ſi Reſp. jam interiiſſet, nullæ adhùc partes ſuſcipiendæ ſupereſſent, quæ reliquæ dumtaxat erant, illâ ægrâ, ac prope depoſitâ, i.e. ad extremum vitæ redactâ, nondum tamen mortuâ, vel extinctâ.

[*a*] Senecæ locum ex Epiſt. XII. recte hùc referre poſſumus, qui ſic habet: *quis eſt iſte decrepitus, & merito ad oſtium admotus; foras enim ſpectat: Unde iſtunc nactus es? Quid te delectavit alienum mortuum tollere? At ille, non cognoſcis me? inquit; ego ſum Felicio, cui ſolebas figillaria afferre*. Scio, Lipſium tum ad hunc locum, tum uberrimè *Electorum* l. 1. c. 6. in hiſce Senecæ verbis ritum illum agnoſcere, quo veteres mortui cadaver ad oſtium collocabant facie pedibuſque in publicum verſis: Sed vir ſummus omnino falſus; Vivebat adhùc hic Felicio ad oſtium admotus, qui Senecæ interroganti, quis eſſet, proprio ore repoſuit: ſed *mox ita locandus & afferendus* inquit Vir ſummus: Fateor; ſed nondum tamen; itaque altero ritu qui Lipſium fugit, ad oſtium admotus, nempe ut *depoſitus*, & *deſperatus*; Ita certe Senecam intellexit Franciſcus Douſa in notis Lucilianis, probavitque Kirchmannus de Funerib. l. 1. c. 12.

[*b*] Ex C. Lucilii Satyrarum, quæ ſuperſunt reliquiis a Franciſco Douſa collectis Lugd. Bat. 1743. poſt Cenſorinum de die nat. pag. 281. ubi Nonii verba Lucilianis verbis adjecta ſunt, qui ita Lucilium interpretatur: *Deponere eſt deſperare, unde & Depoſiti deſperati dicuntur*. Ex Douſæ autem notis hæc ſunt: *Conjungebat cum his Lucilii verſibus Paullus Merula alium verſum, a Nonio item ex tertio Satyrarum Lucilii citatum*

Non, ut opinor, is a leto jam longiter errat.

Sed impoſuit viro doctiſſimo corrupta Nonii editio, non enim Lucilii, verum Lucretii verſus eſt iſte, apud quem l. III. *ita legitur*:

Non, ut opinor, ea ab leto jam longiter errat.

[*c*] De Cultu SS. Ignot. §. 6. ex quo in ſuum Theſaurum retulit Cl. Muratorius p. 384. n. 2. lapis Turonis extat, quò ex Cœmeterio Calliſti cum S. Victorini corpore translatum fuit.

[*d*] Hi ſunt Lapides Chriſtianorum apud Cl. Boldettum l. l. p. 396. & 398.

DOMINO FILIO DVLCISSIMO CHALLOTI
VIXIT IN PACE ANN. N. III. M. VIIII. D. I
DEFVNCTVS PRIIDVS IAN DEPOSITVS XVIIII.
KAL. FEBR. SALVIANV PATER

ASVRIO VICTORI FILIO DVLCISSIMO BENE
MERENTI QVI VIXIT ANNIS IIII MESES
II. DIES XXV. DORMIT IN PACE DECESSIT
XI. KAL. APR. DEPOSSONE X. KAL. APRI.

[*e*] Sermon. II. De S. Euſebio.

Digitized by Google

gatamque ſignificationem præmiſit, non utique illam eſſe ajens, quæ jam habebatur in cadaveris tumulatione, ſed quæ ipſi animæ feliciter contingere videbatur tum, quum carnis nexibus exoluta, corpus ipſum, in quo vitiorum ſemina, peccandique pericula aderant, læta depoſuit: atque inde fuit, ut diſertiſſimus Eccleſiæ Doctor, qui probè vim ejus vocabuli norat, novam, quam tradere inſtituerat, ſignificationem non conſtanter retinuit, ſed eodem loco, quam *Depoſitionem* appellavit, etiam *Natalem* promiſcuè dixit, quo præcipuè vocabulo jamdiù in eandem rem recepto illud ipſum ſignificabatur, nempe ipſius animæ morte corporis liberatæ, in novam melioremque vitam immortalis, atque æterna nativitas (*a*): Veriſſimam, quam S. Ambroſii verbis hactenus dedi interpretationem ſynchronus ipſe Ambroſii auditor, mox ſanctitate, doctrinâ, munere æqualis tuetur S. Auguſtinus, qui de funere piæ Matris Monicæ agens, *quum corpus* [inquit] *elatum eſt, imus, & redimus ſine lacrimis; nam neque in eis precibus, quas fudimus, quum offerretur pro ea ſacrificium pretii noſtri, juxta ſepulcrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet* (*b*): Deponi igitur cadaver duntaxat dicebatur, illaque propriè *Depoſitio* erat, quæ ſepeliendis in terra membrorum reliquiis Clericorum manibus curabatur (*c*).

Sed quid intereſt, inquis, utrum ad ipſam corporis mortem, vel tumulationem potius,

[*a*] Ex hoc Ambroſii loco recte colligit Florentinius in Martyrol. Occid. Admonit. IX. *Depoſitionis* vocem, quamvis frequentius Confeſſoribus tribuatur, Martyribus etiam non incongrue accommodari poſſe, uti contra, *Natalis* vocem, quæ Martyrum uſitatior eſt, pari ratione ad Confeſſores pertinere. Idem plane probari poteſt ex libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, ubi, præter S. Euſebium, de quo S. Ambroſius agit, duorum tantum Confeſſorum orationes in Miſſa recitandæ habentur, nempe S. Leonis Papæ, & S. Auguſtini Epiſcopi, atque utrobique inſcribitur: NAT. S. Leonis Papæ, & NAT. S. Auguſtini Epiſcopi. Tom. 3. part. 1. opp. S. Greg. ed. Ven. p. 111. & p. 125. Sed diverſam in utriuſque vocis ſignificatione ſtatutam a V. C. Mazochio in luculentiſſimis commentariis ad Kalend. Marmor. Neapolitanum invenio regulam, ut inter *Depoſitionem*, & *Paſſionem*, & *Natalem* [quæ voces paſſim in eodem Kalendario Sanctorum nominibus præeunt] diſcrimen perpetuum illud ſit, quo *Depoſitio* ad Confeſſorum, *Paſſio* ad Martyrum diem θανάσιμον [emortualem] indicandum, diſtinguendumque adhibeatur, *Natalis* vero tunc demum utriſque conveniat, atque attribuatur, quum in alium diem tum Confeſſorum *depoſitionem*, tum Martyrum *Paſſionem* anniverſario feſto celebrandam, transferri contigerit. De *Natalis* ſignificatione recte ſe habent Viri doctiſſimi obſervationes, modo is ſeram ejuſdem Kalendarii ætatem reſpiciat, nam qui prioribus Chriſtianiſmi ſæculis *Natalis* de vero obitus die dicebatur, poſtea de die non ſuo uſurpari cæpit; qua de re factum eſt, ut de eodem Sancto bis eodem anno *Natalis* aliquando ſignetur, alter de Feſti translatione, alter de obitu, aut etiam de nativitate, qui natalis genuinus appellabatur, quod ad diem XXI. Januarii de Feſto S. Agnetis *ſecundò* fusè, eruditeque Vir ſummus notat. Cur vero poſteriori tempore in alium, quam obitus diem rejicerentur Sanctorum feſta, hanc inter alias præcipuam fuiſſe cauſſam arbitror, quod quum Sanctorum, quos publica veneratione rite donatos, ſolenni quoque celebritate coli placuiſſet, numerus excreverit, facile in eundem diem plurium Sanctorum natales incidebant, quorum aliqui proinde die ſuo moti, quem dignioribus concedebant, in alium transferendi erant: ſed & de *Natali* id quoque ſtatuo, ideo de Martyribus frequentius dictum inveniri, quod de ſolis Martyribus primitus ſolennes agerentur memoriæ, ut liquet ex Canone Miſſæ, ubi illorum duntaxat nomina recenſentur; dum vero poſt reddltam Eccleſiæ pacem martyria non amplius eſſent, idem Sanctitatis, cultuſque honos [invectâ etiam Martyrum, & Confeſſorum differentiâ, quæ vocabula ad eoſdem ipſos, qui Fidem ſanguine confeſſi eſſent, pertinebant] ad ſolos Confeſſores, qui in Chriſtiana Pace virtutibus inclaruiſſent, derivari cæpit, quorum, ut olim Martyrum, Natalis pari, ut dixi, ratione, appellabatur. De *Depoſitione* autem quæ habet Mazochius, non omnino certa conſtare video; ac primum eandem notam DEP. quam in anteceſſum ſatis prompte certiſſimam ad diem ipſum emortualem demonſtrandum, invito fortaſſe Kalendariographo, fuiſſe regulam ſtatuit, mox ad diem 11. Januarii falſam agnoſcit, & tum alibi paſſim, tum præſertim ad diem XXVII. ejuſdem menſis, ubi, quod bis in Kalendario depoſitionem S. Jo. Chryſoſtomi animadverterat, alteram ad diem obitus, alteram ad injuſtam illius exauctorationem, Eccleſiaſtico *Depoſitionis* vocabulo expreſſam, referendam arbitratur, ingeniosâ quidem explicatione, qua tamen veriſimilior altera fortaſſe erit, ibidem prænotata, ut *ſi quando verum obitus diem majori aliquo feſto occupari contingeret, tum vero illud ipſum Depoſitionis feſtum diei alteri firmiter affigebatur. Id ubi accidit, illic non Depoſitionis diem, ſed Depoſitionis feſtum decet intelligere*: quod perinde eſt, ac *Depoſitionem* cum *Natali* jam demum æquiparari. Sed neque illud omnino verum, quod Depoſitio ad ipſum emortualem diem demonſtandum uſurpari ſoleret, quandoquidem veterum lapidum, quos ſuperius attulimus, teſtimonio, Ambroſii etiam, atque Auguſtini auctoritate ſatis conſtat, non ipſam corporis, animæque diſſolutionem, ſed corporis duntaxat in ſepulcrum illationem, *Depoſitionem* propriè ſignanterque fuiſſe appellatam.

[*b*] Confeſſ. lib. IX. cap. 12.

[*c*] Ad hanc rem omnino pertinere videntur, quæ Guiliel. Durandus in Rationali Divin. Offic. lib. VII. c. 1. n. 19. de Joannis Apoſtoli depoſitione notavit: *Depoſitio* [inquit] *proprie dicitur depoſitio B. Joannis Evangeliſtæ, qui, ut præmiſſum eſt, locum ſepulturæ vivus intravit, & ita ſeipſum depoſuit*: quamquam enim haud tuta ſit fides ejus *legendæ*, cujus ipſe Durandus meminit ibidem n. 10. quæ refert *Joannem Dominica die poſt Miſſarum ſolennia deſcendiſſe in foſſum ſepulturæ ſuæ locum*, juvabit tamen, quæ propriè ſit depoſitio, ex Durandi etiam ſententia confirmaſſe.

Digitized by Google

Depoſitionis vocabulum pertineat? Magni quidem; magnum enim Chriſtianæ Religionis myſterium in ejuſmodi vocabulo, quo, veluti ſolenni formulâ, ſuorum defunctorum corpora ſepelientes veteres Chriſtiani utebantur, contineri animadverto: norunt omnes quantum ii mortuorum Reſurrectionem, quam ex veræ Religionis dogmatis certa fide jam didiciſſent, teſtatam voluerint: *Hinc* (Prudentius is eſt, qui quum alia, tum hæc pulcherrima, ac præclara cecinit in Hymn. 10. De Exeq. Defunct.

Hinc maxima cura ſepulcris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit Artus,
Et funeris ambitus ornat .....
Quid nam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulcra volunt monumenta?
Res, quod niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno:
Hoc provida Chriſticolarum
Pietas ſtudet, utpote credens
Fore protinus omnia viva
Quæ nunc gelidus ſopor urget.

Hinc mos ille, atque perpetuum ferè ſtudium, ſigna illa ex ſacris literis, vel aliundè, uti etiam ſymbola, & argumenta in ſaxis ſepulcralibus effingendi, quæ Reſurrectione n repræſentarent: qua in re illuſtre nuper detectum mihi fuit Sacræ Antiquitatis monumentum, quod inter alia marmorei Sarcophagi fragmenta domi Leonardi Carapelleſii affixum, mox ab eodem Carapelleſio, cujus opera in aliis id genus pluribus uſus ſum, deſcribendum, ac demum ligno incidendum curavi.



Jonam heic repræſentatum vides, Reſurrectionis (ut inquit Tertullianus) *documentum idoneum, quum incorruptus utraque ſubſtantia, carne, atque anima, de alvo Piſcis evolvitur* (a). At præter

[a] Vir enim ille nudus, quem Piſcis inſculptus ſubſequitur, omnino Jonam demonſtrat, qui (ut rurſus ait Tertullianus in de Reſurrectione cap. 32. & 57.) *devoratus a Bellua maris, triduo poſt incolumis expuitur*: hancque explicationem ſuadent etiam alia ejuſdem Sarcophagi fragmenta, quæ Chriſtianum hominem ibi ſepultum comprobant. Placuit ſanè veteribus Chriſtianis hoc præ ceteris ſymbolum Reſurrectionis in ſuorum monumentis frequentiùs adhibere, utpotè ipſius Chriſti Domini ore conſecratum, tum quum poſcentibus Phariſæis ab ſe ſignum videre, nonniſi Jonæ ſignum eis dandum reſpondit, *nam ſicut* [inquit Matth. XII.] *fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ*: qua re non ſolum, ſed aliis etiam pluribus Jonas Chriſti figuram geſſit, ut egregiè demonſtrat doctiſſimus Huetius *Demonſtr. Evang. Propoſ.* IX. *cap.* 170. *num.* 29. e Piſce tamen prodeuntis Jonæ exemplum, uti Chriſtus triduo poſt

præter ſymbola placuit vocabula etiam in inſcriptis titulis adhibere, illud idem confirmantia, inter quæ defunctos ſuos *dormire* ajebant, vel in *ſomno pacis quieſcere*, a quo tandem reſurrecturi excitari deberent, dum res [ut ſuperius ajebat Prudentius] non mortua, ſed data ſomno ſepulcris *creditur*: Hùc itaque vocabulum quoque illud retuliſſe omnino videntur Chriſtiani, qui Defunctorum ſuorum humationem *Depoſitionem*, humatoſque ipſos *Depoſitos* de more appellabant.

Atque Cl. P. Aringhius [quem adhùc ſcio (*a*)] rem longe, obiterque aſpexit; nam poſt aſſertam, pluribuſque exemplis comprobatam, quam priſci Fideles oſtendere ſatagebant, Reſurrectionis Fidem, *jure igitur merito* [inquit] *Fidelium ſepulcra defunctorum, haud domus, ac manſiones æternæ, ſed conſono potius ipſimet rei vocabulo Depoſita nuncupari conſueverunt*: Recte quidem; niſi ad eam rem ejus vocabuli exemplo uti maluiſſet, quod nunquam veteribus Chriſtianis, immo neque ſequiori Latio uſurpatum (*b*), ſed plane novitium eſſe conſtat, quo nos Itali non ſine idiotiſmi vitio ſepulcra quæpiam ſingularia appellare ſolemus *gli depoſiti*; & mirum profecto ad id vocabulum, quo rem confirmaret, Virum doctum confugiſſe, cui ex ſexcentis, de quibus ex inſtituto agebat, lapidibus promptum erat, recepta Chriſtianis *Depoſitionis*, *Depoſitique* adjectivo nomine uſurpati vocabula illuc afferre; ex quibus ſuam Reſurrectionis Fidem [ut modo dicebam] amplius teſtabantur Chriſtiani.

Quod adeo mihi certum videtur, ut ad eam rem non congrue ſolum, verum etiam proprie ſignificandam ſatis probis iiſdem vocabulis uterentur: *Depoſitionem* appellavit Ulpianus (*c*) actum illum, quo quis rem aliquam alterius fidei cuſtodiendi cauſſa committit: quid? quod ad rem, de qua agimus, Chriſtianorum more quodammodo loquutum J. C. Paullum invenio? Certe is de temporaria cadaveris aliò transferendi humatione differens, *Si quis* [inquit] *eò animo corpus intulerit, quod cogitaret inde aliò poſtea transferre, magiſque temporis gratia DEPONERE, quam quod ibi ſepelire mortuum, & quaſi æterna ſede dare deſtinaverit, manebit locus prophanus* (*d*):

poſt reſurrecturus ſibi palam aſſumpſit, pari modo Chriſtiani poſthac luculentiſſimum omnium Reſurrectionis quoque ſuæ teſtimonium eſſe maluerunt: quod non ex Tertulliano ſolum, aliiſque Patribus diſcere eſt, verum etiam ex aliis Veterum Chriſtianorum Sarcophagis, ac Picturis Cœmeterialibus apud Aringhium, Bolpellatos docet Tertullianus in *de Baptiſm. cap.* 1. *Sed nos* (inquit) *Piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur, nec aliter, quàm in aqua permanendo ſalvi ſumus*. Sed hanc rem poſt Fabrettum, Bonarotium, Boldettum, uberius illuſtratam habes ab eruditiſſimo Mamachio Orig. Chriſt. lib. 1. c. 1. §. 6.

dettum, Bottarium &c. quibus noſtri Sarcophagi fragmentum modo addimus, ac præterea Veterum Chriſtianorum lapidem apud Muratorium p. 1821. n. 7, ex cujus dextero latere cœtum extat inſculptum, hominem vomens: quæ quum rectè conſtent, non abſimile etiam veri putabimus, eodem ipſo Piſcis ſymbolo, quod noſtrum Toreuma exhibet, aut ipſummet Chriſtum, aut quempiam Chriſtianum hominem repræſentatum videri: Ac de Chriſto quidem, quod Is paſſim apud Veteres Chriſtianos ΙΧΘΥΣ, audiret teſtes inter alios ſunt S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 18. *c.* 23. & S. Proſper *De Promiſſ. par.* 2. *c.* 39.; in quo nomine myſticè Chriſtum intelligi docet Auguſtinus, *eò quod in hujus mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate vivus, hoc eſt ſine peccato eſſe potuerit*, vel potius, uti S. Proſper inquit, quod ICTIS [quem latinè *Piſcem* dicimus] ex initialibus græcis litteris, quæ ſybillina Carmina præferunt [quibus ΙΗCΟΥC ΧΡΙCΤΟS ΘΕΟΥ ΥΙΟC ΣΩΤΗΡ, id eſt Ieſus Chriſtus Dei Filius Servator celebrantur] a Majoribus noſtris collectus fuerit: Certè S. Hieronymus in epiſt. ad Chromatium [lib. 1. ep. 37. ed. Rom. 1731.] Bonoſum laudat, quod *quaſi filium ἰχθύος, id eſt Piſcis* ſe gereret: Piſcemque, uti Anchoram, inter alia ſymbola, in anulis ſignatoriis à Chriſtianis exprimenda monet S. Clemens Alex. Pedagog. lib. III., uti in oniche anulari Chriſtiana ſpectare eſt, quem ex Muſeo Kircheriano exhibet Cl. P. Lupus in epit. S. Severæ p. 64., ac binis aliis anularibus gemmis: quas inter ſua cymelia recenſuit Cl. Fabrettus p. 568. Ad Chriſtianos verò quod attinet, & ipſos quoque *Piſces* ſeù *Piſciculos* aputi etiam quibus aliis de cauſis Piſcem pro ſuo peculiari ſymbolo adhiberent Chriſtiani, latè obſervat Aringhius l. v. 19. & lib. VI. c. 38. quumque hæc, ut diximus, veriſimilia videri poſſint, congruentior tamen illa, quam ex Jonæ e Piſce prodeuntis, Reſurrectionemque repræſentantis exemplo primo loco dedimus, noſtri Toreumatis erit interpretatio.

[*a*] Rom. Subterran. l. 1. c. 1. n. 4. De Depoſitionis voce obiter diſſeruiſſe quoque audio Jac. Gutherium de Jure Manium l. 1. c. 18. & Juſtum Fontaniuum in Comment. Italico S. Columbæ c. 29. quos ad manus non habeo.

[*b*] Certè Kirchmannus de Funer. Rom. l. III. c. 10. ubi ex inſtituto de pluribus noviſque ſepulchri ſynonimis fuſe agit, *Depoſitum* omnino ſilet, & merito, nam neque apud Cangium in Gloſſario mediæ, & infimæ Latinitatis occurrit, ubi Depoſitum adjective, ac Depoſitio eâdem, de qua agimus, ſignificatione [quam tamen alterutri rei, nempe obitus Diei, aut humationi ipſe Cangius attribuit] tantummodo legitur, nunquam vero Depoſitum ſubſtantive pro ipſo ſepulcro invenire eſt: Depoſitum etiam inter ſepulcri Synonima, quæ congeſſit, non agnoſcit Boldettus l. l. pag. 584. & ſeq.

[*c*] In Leg. 1. §. 1. Dig. Depoſiti.

[*d*] In Leg. 40. D. *De Religioſ. & ſumpt. Funer.* ubi notanda illa formula eſt *Sedis æternæ*, qua, Ethnicorum more, Juriſconſultus ſepulcrum appellat: At nonne Chriſtianis quoque uſurpata? Ita quidem: atque ſi Cl. Mabillonium audimus in Itin. Ital. p. 73. vel 141. hæc apud Chriſtianos *Domus æternæ* pro ſepulcro uſurpata appellatio, uti etiam *Deorum Manium* enunciatio ad pri-

Digitized by Google

quod igitur, aliud profecto cogitantes, definienteſque Juriſconſulti loquebantur, iiſdem vocabulis, eademque quidem ſignificatione, ſibi veriùs, explicatiùſque vindicabant Chriſtiani; nam quum propriè *deponi* corpus illud dixerit Paullus, quod ad tempus, ac veluti precariâ cuſtodiâ certo loco conditum, mox in deſtinatam ſedem transferri oporteret, meliori ſenſu *deponere* ajebant Chriſtiani ſuorum corpora defunctorum, quæ aliquando reſurrectura, ſuis ſepulcris, *Depoſiti* veluti jure mandabantur, inde, Divino nutu, eadem ipſa, & non alia, [quæ Depoſitionis, ſeu Depoſiti natura eſt] in priſtinam vitam revocanda (*a*). Sed de his jam ſatis.

Supereſt nunc de poſtrema Chriſtianiſmi nota dicere, quæ *Temporis* eſt, ſepulcrali titulo adjecti; in qua quidem diſcrimen ſtatuendum videtur inter Dierum, ſeu Nonarum, Iduum &c. enunciationem, ac Anni per Conſules expreſſionem; Priorem enim, ut ſuperiùs obſervavimus, etiam Ethnicis familiarem fuiſſe conſtat; de poſteriore autem ſecus judicandum video; quamvis enim in ſepulcralibus Ethnicorum titulis Conſules etiam aliquando notati inveniantur (*b*); non tamen ex ſola Conſulatus expreſſione rei ratio repetenda erit, ſed quod ex ipſorum Conſulum ſignatis nominibus certa annorum ſeries nobis liqueat, tempuſque illud planè innoteſcat, quo, exciſis Idololatriæ viribus, res Chriſtiana ubique floreret; hinc quum raro Ethnicorum monumenta poſteriori ætate dicari fas eſſet, neque enim, quæ adhùc ſciam, modo legere ſit, non levis illa erit conjectura, ut ex Conſulum notatis nominibus, qui ad Chriſtiana tempora pertineant, de Chriſtianorum monumento certò dijudicare jam liceat.

Id vero haud Chriſtianorum vitio verti debet, quod, quum celeberrimam, fauſtiſſimamque ſacræ Religionis Epocham non ſolum haberent, ſæd redditâ Eccleſiæ pace tutò adhibere poſſent, adhùc tamen ſignandorum temporum morem ex Ethnicorum inſtituto retinerent; nam nihil ea in re, quod Pietati, aut Religioni obeſſet, continebatur, quam etiam, præeunte

ad prima illa tempora referenda videntur, *quum cruda adhuc quorundam in cordibus Chriſtiana religio aliquid de paganici ritus ſuperſtitione retinebat*; contra vero Cl. Fabrettus Inſcr cap. II. p. 112. & cap. VIII. quan quam *facile tunc fuiſſe fatetur ex inextinctæ gentilitatis phraſibus, poetico præſertim ſtilo aliqua imitari inconſideratè potius, quàm impiè, quæ adultæ jam veræ Religionis temporibus reſecata ſunt*, hanc tamen *Domus æternæ* commemorationem non a gentilitate, ſed a ſacra potius pagina deſumptam cenſet allato tum Eccleſiaſtici loco 12. 5. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, tum Pſalmi 48. 12. *Sepulcra eorum, domus illorum in æternum*; quamquam & illud recte addat, diverſam ab Ethnicis Reſurrectionis ignaris hanc loquendi formulam accipere potuiſſe Chriſtianos ex Sanctorum Patrum ſententia, qua P. Cornelius A' lapide Eccleſiaſtici locum explicavit: Atque ita quidem ſe res habet; non ſolum ex Patribus, quorum unus ſufficiat Auguſtinus, qui in ejus Pſalmi explanationem non *æternum* ſtrictè, ac propriè, ſed *quaſi æternum* interpretatur, verum etiam ex ipſo Hebraico textu, quem Franciſcus Vatablus ita vertit: *Domus illorum in perpetuum*. Sed illud mihi veriſimile haud fit, ad utramque rem Chriſtianos advertiſſe, aut ſi animadvertiſſent, tam facilè eos dubium admittere voluiſſe vocabulum, quo Reſurrectionis fides quammaxime læderetur, vel rudibus, & idiotis incerta efficeretur: Potius igitur illud erit, ac plane conſultius, ad Ethniciſmi reliquias in Chriſtianorum aliquot ore, aut etiam animo adhuc manentes rem deduxiſſe, ut ii ſcilicet, [pauci admodum, nam pauca Chriſtianorum monumenta cum *Domus* æternæ expreſſione numerare licet] eam formulam ſi non Ethnicorum religione, quam reſpuiſſent, ſaltem conſueto ſermone uſurparint: Id quod de *Deorum Manium* enunciatione in ſepulcralibus titulis a Chriſtianis uſurpata judicandum cenſeo: Vera enim contra Fabrettum ſenſiſſe Mabillonius obſervavit. P. Lupus in Epit. S. Sev. p. 105. & ſeq. qui ex Muſeo Kircheriano lapidem Chriſtianum exhibet, ubi integris verbis, atque uncialibus notis inſcriptum eſt: DIS MANIBVS: ac ne exempla omnia ex vetuſtis tantum lapidibus repetamus, addam quoque teſtimonia ex Juris libris. ubi non moror Juliani legem, quæ eſt V. Cod. Theod. De Sepulcr. violat., ubi *pœnam Manium vindicem* contra ſepulcrorum violatores is ſancivit, neque enim mirum, eo vocabulo uſum impiiſſimum Cæſarem Idololatriæ inſtauratorem, ſed plane idem vocabulum uſurpaſſe legimus tum Imp. Conſtantinum, qui in l. 4. eod. tit. ſepulcra ipſa *Manium ædificia* appellat. tum Impp. Theodoſium, & Valentinianum in Novell. *de Sepulcris* poſt Cod. Theodoſ. p. 591. qui inter alia hæc habent: *Quis neſcit quietos ſollicitari funeſtis auſibus Manes*? ut jam fruſtra ſit, ſigla illa D. M. vel D. MA. quæ in Chriſtianorum monumentis aliquando occurrunt, *Deo Magno* vel *Deo Maximo* cum Fabretto interpretari, ſed potius ad paganici ritus reliquias nondum a recentium Chriſtianorum maxime idiotarum ore revulſas, deducenda videri: quod ſi ſuperſtitioſum aliquid in iis ſiglis probè animadvertiſſent Chriſtiani, inveriſimile prorſus eſt, ut diverſa ſignificatione adhuc utentes, Deo Magno injurioſi fierent, quem iiſdem, quibus ſuos Deos Manes Ethnici. ſiglis indicatum vellent.

[*a*] Huc referri poteſt Lapis Piſaurenſis apud Clar. Oliverium n. CLXVII. characteribus partim græcis, partim latinis, utriſque vero horridam barbariem exhibentibus

ROMANA DVLCISSIMA
HIC REQVIESCIT IN DIEM IVD
DEP. III. KAL. MAR. VAR. TERTV

[i. e. Varrone, ſeu Varari, & Tertullo Coſ. A.D. CCCCX., ut recte interpretatur Oliverius] ubi ſecundæ lineæ illud: IN DIEM IVDICII, non tam ad præcedens REQVIESCIT, quam ad ſequens DEPOSITA referri videtur; itaut ad diem uſque judicii *depoſita* ibi Romana dicatur.

[*a*] Horum exempla plura affert Cl. Lupus in Epit. S. Sev. p. 84. & ſeq.

Digitized by Google

præeunte Evangeliſta ex Imperii Tiberii Cæſaris annis Chriſti vitam, reſque geſtas metiente, ſervandam duxit Eccleſia, tum in Pontificum Sanctionibus, tum in Conciliorum Actis, ne de gravioribus quibuſque rebus, quarum tempus intererat certò ſciri, novâ temporum invectâ ſupputatione dubitatio ſuboriri poſſet; Atque hoc profecto [niſi mea me fallit opinio] in cauſſa fuit, ut ſerò admodum Chriſtianæ Æræ anni in publicis monumentis ſignari tandem cœperint; nam mirum certè illud videri poteſt, poſteaquam extinctâ jam a ſæculo VI. Conſulari Dignitate, vetuſta illa, ac communi more recepta annorum numeratio defecerat, haud ſtatim Chriſtianæ Religionis Æram [uti opportunum, atque omnino æquum tum fuiſſet] exordium habuiſſe: Sed quare id factum fuerit, quis etiam facti auctor [rem enim aliis, quod ſciam, indictam reperio] paucis obſervaſſe jam libet.

Facti itaque auctorem Juſtinianum deprehendo ex ipſius Novella XLVII., in qua primus omnium in Judiciis, publicis actis aliis, documentiſque omnibus per Tabelliones conſcribendis, Imperii annos commemorari, eoſque conſuetis aliis temporum notis præſcribi ſancivit: *Sequatur vero* (inquit) *Conſul, & Indictio, atque Menſis & Dies, ſecundum quam geruntur, & conſcribuntur, quæ adduntur; . . . . . nos enim auferimus quidem priorum nihil, Imperiali vero additamento cauſſam augemus; & inchoetur mox auctore Deo a præcedente prima Indictione: ita quodammodo eis ſcribentibus: Imperii Juſtiniani ſacratiſſimi Auguſti, & Imperatoris an.* XI. *poſt Conſulatum Fl. Beliſarii V. C. ann.* II. *die tot. & tot. Kal.*: Æquiſſimam putabimus hanc Juſtiniani Conſtitutionem, niſi quod iniquæ rei, quam is mente agitaret, ſubſervituram præmiſerit; notiſſimum quippe eſt, orto Principatu, quantum imminuta fuerit Conſulum auctoritas; ſublatis enim paulatim Comitiis, deligendorum Conſulum arbitrium penes Auguſtos eſſe cœpit, quibus etiam rerum potitis, nullam Reip. adminiſtrandæ partem obire Conſules permittebantur: nulla itaque tanti olim Magiſtratus niſi umbra & inane nomen ſupereſſe videbatur, ac honorarium quoddam dignitatis ſimulacrum: Vigebat illud quidem, non tam ut veteris Reip. imaginem præferret, quam ut ex annuorum Conſulum nominibus numerandi temporis mos ſervaretur, quem, eâdem manente Rep., in Principatum tamen translata, ſine publico incommodo, temporumque perturbatione mutari nefas eſſet: Hinc ſunt illa Theodorici apud Senatorem (a): *Admonet nos conſuetudo ſolennis dare Faſtis nomen, ut per annorum numerum decurrat gratia dignitatum: Felix a Conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus, tempus introeat* (b): At, quum annua Conſulum creatio in poteſtate Principis eſſet, ut jam dixi, placuiſſetque ad ſervandam utriuſque Imperii Occidentalis, & Orientalis parem dignitatem alterum Conſulem in Occidente, alterum in Oriente deſignari (c); Res vero Occidentis, præſertim in Italia, Barbarorum tyrannide in maxima perturbatione poſita, veterum inſtitutorum omnium obſervantiam paulatim amiſiſſent, ille ipſe Juſtinianus, *qui nihil veterum auferre velle* inquiebat, abolendi omnino Conſulatus occaſionem ſtatim arripuit, idque non conſtitutione, ſeu verbis, ne invidiam ſibi crearet, ſed facto, reque ipſa exequi maluit. Res clara eſt; Satis enim Juſtiniano fuit, poſt Baſilii Conſulatum, qui poſtremus omnium Conſul fuit An. Ch. 542. haud alium (quæ res in ſua poteſtate eſſet) Conſulem delegiſſe; atque ita nullo deinceps Conſule annum aperiente, jam demum Annos Imperii (quod is antea ſtatuerat) pro ſola, ac præcipua temporis nota adhibendos reliquit.

Verum

[a] Variar. lib. II. 1. ubi agitur de Conſulatu Felicis an. Ch. DXI. a Rege Theodorico tradito.

[b] De eadem re licet protrita, adhuc teſtem dabo Salvianum in De Gubern. Dei lib. VI. cap. II. *Nunquid non Conſulibus, & pulli adhuc gentilium ſacrilegiorum more paſcuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur, ac pene omnia fiunt, quæ etiam illi quondam pagani veteres frivola, atque irridenda duxerunt? & cum hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni ipſi exordium ſumunt, credimus nobis bene annos poſſe procedere, qui a rebus talibus ordiuntur?* Atque hæc quidem eò etiam retuliſſe libuit, ut ſuperſtitionis reliquias in formulis ſepulcralibus adhuc ab iis Chriſtianis retentas non miremur, qui ſolennes olim ſuperſtitioſos ritus non omnino in Conſulibus inaugurandis abjeciſſent.

[c] Haud tamen licebat iis, qui in Imperio Orientis degebant, Occidentalis Conſulis nomen publicis monumentis inſcribere, niſi ab eodem Orientis Imperatore publicatus fuiſſet; eo autem non publicato poſt nomen Orientalis Conſulis ita ſcribebant: *& qui fuerit nunciatus*: Hæc ſignandi formula primum occurrit in Leg. un. Cod. Theod. De Luſor. quæ dicitur *Dat. v. Kal. Febr. Conſtantinop. D. N. Theod. Aug. v. & qui fuerit nunciatus*. Initio Actorum Synodi Chalcedonenſis dicitur: *Conſulatus piiſſimi, & amatoris Chriſtiani Imp. Fl. Marciani PP. Aug. & ejus qui fuerit nunciatus.* Item Novell. 3. ejuſdem Marciani de Prædiis Civitatum ſcribitur: *Marciano Aug. I. Coſ.* prætermiſſo Adelphio Conſule Occidentali, quem ejuſdem Marciani Collegam in dicto primo Conſulatu, nempe anno 451. Faſti recenſent: At Epiſtolæ S. Leonis eod. anno ſcriptæ ſignantur: *Adelphio V. C. Conſule*, Imp. Marciani Conſulis Orientalis nomine omiſſo, quamvis plures earund. Epiſtolarum ad ipſum Marcianum ſcriptæ ſint: ex quo facilè illud conjiciemus, in utroque Imperio utrumque Conſulem, ut in publicis monumentis ſignari poſſet, ſolenni publicatione indiguiſſe.

Digitized by Google

Verum quidem eſt, Juſtinum Juſtiniani ſucceſſorem de inſtauranda Conſulari Dignitate, quæ per quinque, & viginti annos eo, quod jam aperui, Juſtiniani conſilio, defecerat, deliberaſſe; idque ſibi laudi imprimis ducebat Juſtinus ipſe, quem ſic loquentem facit Choripus lib. II.

Ditabo plebes opibus, nomenque negatum
Conſulibus Conſul poſt tempora multa novabo,
Gaudeat, ut totus Iuſtini munere mundus:
Dona Kalendarum properant vicina mearum,
Vos veſtris adſtate locis, properate, parate.
Promiſſaque die noſtros ſperate Curules:
Expavit gaudens inopino nomine vulgus
Conſulis audito. . . . . .

At hæc Poetarum ſomnia facile cenſebimus, dum poſt primum Conſulatum, quem ſolus geſſit Juſtinus, nihil ipſe idem neglectius habuit, quàm ſeipſum deinceps, vel alios in poſterum Conſules creare: Hinc poſt ejuſdem Juſtini Conſulatum, qui occurrit in ſepulcralibus aliquot lapidibus (*a*), mox publica monumenta ejuſdem *Poſtconſulatus* annis per ſolum biennium, aut triennium ſignari cœperunt, ut præter vetuſtos lapides promptum eſt ex ejuſdem Juſtini conſtitutione (*b*) didiciſſe, quæ legitur *Dat. Kal. Mart. C. P. Imp. D. N. Juſtino PP. Auguſt. anno 5. poſt conſulatum ejuſdem D. N. anno* 2. Luſiſſe propterea Juſtinum tam nobis certum videri debet, quàm tunc omnibus perſuaſum fuit, qui eo ſpreto Conſulatu, iterum Poſtconſulatum Baſilii pro nota temporis uſurpare paſſim cœperunt; de qua re hùc noſtrum lapidem Chriſtianum opportunè referam (*c*).

HIC REQVIESCIT
IN PACE AMPELIVS
QVI VIXIT ANNVS *ſic*
X. INDICTIONE SEXTA
P. C. BASILI. V. C. †

Et mirum quidem, tandiù ſervatum morem per Baſilii Poſtconſulatum annos ſignandi, ut ad annum uſque 587. i. e. ſex & quadraginta annis poſtquam Baſilius Conſul omnium poſtremus fuerat, adhùc ejus Poſtconſulatus pro nota temporis adhiberi conſueſſet: id ſcimus ex inſigni lapide Arelatenſi apud Card. Baronium, Petavium, Gudium, & Muratorium extante:

[*a*] Muratorius pag. CDXXVIII. & ſeq.

[*b*] Poſt Novellas Juſtiniani edit. Gothofredi ſub tit. De Filiis Liberarum. Secundi Conſulatus Juſtini etiam meminit Diploma Ann. 572. apud V. C. Marchionem Maffejum in Hiſt. Diplom. p. 163. cui nota temporis hoc facit exordium: *Imp. d. n. Juſtino pp Auguſto an. ſeptimo, & p c ejus ſecundo &c.* Adeſt etiam in eodem opere p. 165. Diploma alterum an. 591. cum mentione Poſt Conſulatus Mauricii Auguſti, ſic: *Imp. dnn. Mauricio Tiberio pp. Aug. anno nono p. c. ejuſdem anno octabo.* At hi ephimeri Conſulatus, nullo etiam Collega adlecto, per tam longa, & rara intervalla temporum, pro figmentis haberi debent, habuitque certè illa eadem ætas, quæ paſſim, ut dixi ſuperius Poſt Conſulatum Baſilii in monumentis uſurpabat.

[*c*] Nullus in hoc lapide notatur annorum numerus, qui Poſt Conſulatum Baſilii ſequatur, ſed ex adjecta Indictione ſexta rectè deducitur, fuiſſe annum ſecundum poſt dictum Conſulatum, qui incidit in an. chr. 543. quod nedum ex Indictionum ſupputatione probatur, ſed etiam liquet ex antecedentis, ac ſequentis anni monumentis, nam lapis apud Murator p. 425. n. 6. relatus ad an. 542. ſignatur P. C. BASIL. V. C. IND. V. At Annus 544. apud Card. Baronium ſignatur per Indictionem ſeptimam in Cod. MMS. Bibl. Vatic. Actuum Apoſtolorum, quæ ab Aratore R. E. Subdiacono carmine lucubrata, in Eccleſia S. Petri ad Vincula, jubente Vigilio Papa, publicè, omnibus plaudentibus, recitata memorantur *Anno* 3. *poſt Conſulatum Baſilii V. C. Indiction.* VII.

Digitized by Google

te (*a*): At quoniam poſt ea longiſſima annorum intervalla nulli amplius Conſules eſſent, immo Conſulatus ipſe interiſſe jam probaretur, Baſilii autem Conſulatum pro certa epocha perpetuò duratura adhibere neque commodum, neque dignum videretur, obtinuit tandem Juſtiniani conſilium, ut Anni Imperii, qui ſimul cum Conſulibus ſignari deberent, ſoli deinceps in publicis monumentis certam, legitimamque temporis notam conſtituerent.

Sed quàm æquum tum fuiſſet, extincta jam Conſulari Dignitate, qua, more majorum, anni numerari ſolebant, Æram ipſam Chriſtianam ſubſtituere, quæ per eadem tempora, Dionyſio exiguo auctore ſtatuta fuerat; quod a Beda (*b*), atque aliquot aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus factum invenio; in publicis vero monumentis ſatis rarò legere eſt, nam præter lapidem a Cl. Oliverio nuper editum (*c*), non alibi fortaſſe occurrit: Sed Juſtiniani Conſtitutio, ſive potius exemplum in cauſſa fuit, ut nihil de Chriſtiana Æra cogitatum tunc fuerit, non ſolum in Imperio ipſo, ſed in aliis mox Principatibus, qui ab Imperio divulſi in aliorum dominium pervenere: Res ſatis nota, ac protrita ex inferioris Ævi Diplomatibus, quæ ad faſtidium uſque exhibet Muratorius in *Antiquitatibus Medii Ævi*: aliunde mihi domeſticum ex Beneventanis Longobardorum ſæculis exemplum ſuppetit, quod ſolum proferam: Siquidem ab Arechi I. qui poſt Zottonem An. Ch. 591. Beneventanum Principatum adeptus eſt uſque ad An. 1077. quo Landulphus VI. cum ipſo ſimul Principatu extinctus eſt, perpetua hæc fuit, ac ſolennis tum in eorum Diplomatibus, tum in aliis publicis monumentis ſignandi temporis nota: *Datum, vel Actum Beneventi in ſacratiſſimo Palatio Ann. Domini Arichis Glorioſiſſimi Principis menſe Novemb. Ind.* XIII. (*d*) Manifeſtum id, præter alia, argumentum ſupremi Beneventanorum Principum juris, qui nullum ſuperiùs ſibi dominium neque in Imperatoribus, neque etiam in ipſis Longobardis Italiæ Regibus agnoſcebant; id quod ex aliis Beneventanorum Archiepiſcoporum Diplomatibus æquè conſtat, ubi nullius, niſi ſui Principis anni ſignabantur. Sic in Diplomate Landulphi Archiepiſcopi an. 975. *Anno* XXXII. *Principatus Domini Pandolphi eximii Principis, &* XVI. *anno Domini Landolphi Glorioſi Principis Filii, Martio* III. *Indict. nec non &* VI. *Anno Domini Landolphi Ven. Epiſcopi, quo Domino favente Beneventanæ, & Sipontinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ordinatus eſt* (*e*).

Atque

[*a*] Lapis ſuperiori parte detritus eſt, ut hæc, quæ nunc habet, verba ſatis monent,

MENSIBVS ET GEMINIS CONCLVDENS TEMPORA VITAE
VIVIT IN AETERNVM NVLLVM MORITVRA PER AEVVM
ISTA VALENS FIERI FLETV MANANTE ROGAVIT
IVRA SACERDOTII SERVANS NOMENQVE IVGALIS
OBIIT BONAE MEMORIAE CAESARIA MEDIVM NOCTIS
DIE DOMINICA INLVCESCENTE VI. ID. DECEMBRIS
QVADRAGIES ET VI. P. C. BASILII IVNIORIS V. C. C.
ANNO XII. REGNI DOMNI CHELDEBERTI REGIS.

Hunc itaque lapidem Card. Baron. refert ad an. ch. 587. ſed Muratorius p. 431. n. 2. ad annum præcedentem 586. pertinere contendit, *quo decurrere jam cæperat Septembri menſe Indictio quinta, & dies* VI. *Idus Decembris Dominicus fuit*: At Petavius, qui de Chronologica diſciplina magis ſaplit, annum 587. cum Baronio retinet in *Rat. Temp. par.* 3. *p.* 121. *edit. Colon.* 1720. atque *ex hac Inſcriptione Arelate reperta lucem aliquam Francicæ Hiſtoriæ afferri poſſe fatetur*, ſequutuſque videtur in geſtis dicti Regis Childeberti I. I. part. 1. p. 418., ſed quod lapidem ſpectat omiſit Petavius ſuperiora carmina, uti etiam Gudius p. 366. n. 5. qui tamen Authographum accuratius deſcripſiſſe videtur; nam lin. 5. pro *Bonæ* habet BN. lin. 7. in fine pro c. c. habet cc. ut videtur legendum.

[*b*] In Rebus Brittanicis ſæc. VII. Æra Chriſtiana uſum Bedam obſervavit Cl. Mabillonius Præf. ad ſæc. II. Benedictin. §. 57.

[*c*] In marm. Piſaur. n. CLXV. ubi habetur inſculpta ERA CCCCCLI. ad quem lapidem Cl. editor recte notat, ſingulares cenſendas eſſe illius ævi Inſcriptiones, quæ Chriſtiana, ſeu vulgari Æra ſignantur: ac proinde ex binis Gruterianis lapidibus, quorum alter p. 1049. 5. Æram DIII. alter p. 1054. n. 4. Æram DXLVIII. exhibet, priorem mendoſum exiſtimat, propterea quod eo tempore nondum Dionyſius vulgarem æram inſtituiſſet: ſed vir doctus non animadvertit, haud in Gruterianis lapidibus de Æra Chriſtiana agi, ſed de Æra Hiſpanienſi, nam Hiſpanienſes hi lapides ſunt, ut ex eorum titulo liquet, in quibus peculiaris Hiſpanorum Æra inſculpi ſolebat, ut ex aliis Hiſpanienſibus Saxis mox patebit: Hinc ſingularem omnino Piſaurenſem lapidem dicemus, in quo Æra, nullo licet adjecto nomine, Chriſtiana intelligi poſſit.

[*d*] Apud Ughellum Ital. Sac. to. VIII. edit. Rom. tum in Archiepiſcopis Beneventanis, tum ex Chronico MSS. S. Sophiæ in Bibl. Vaticana aſſervato, quod ad calcem dicti Tomi exhibetur.

[*e*] Apud eundem Ughell. l. l. pag. 98.

Digitized by Google

Atque in hac quidem ſignandi temporis ratione ſupremi dominii, ſuæque majeſtatis jura comprobari rectè norant Principes, haud proinde de inſtituenda Æra Chriſtiana ſolliciti; Hinc illud facile intelligimus, cur Carolus Magnus [ne a domeſticis exemplis diſcedam] eam duntaxat conditionem a Grimoaldo Beneventano Principe, integris aliis omnibus Principatus juribus, accepiſſe ſatius habuit, ut nempe in illius aureis nummis, ac publicis præterea monumentis, ac diplomatibus ſuum nomen inſcriberetur (*a*): Sed de his alias: Illud interim monuiſſe præſtabit, quod ſummos Romanos Pontifices ſpectat, illorum Nomen, ac Pontificatus annos, ſerò quidem in publicis monumentis, ac Diplomatibus ſignari cœptos, nullimode tamen ejus rei eandem, quam aliorum fuiſſe probatum eſt, ſolam cauſſam agnoſci debere: non enim audiendus eſt Cl. Petrus de Marca (*b*), qui Juſtiniani conſtitutionem a Romanis Pontificibus uſque ad Caroli Magni inaugurationem ſervatam dicit, ac ſubinde Orientalibus Occidentalium Imperatorum annos ſubſtituiſſe, non adhibitâ ſui Pontificatus annorum computatione, quâ tandem, utpote *jure Regio*, poſt ſæculum nonum uti cœperunt; *Etſi enim* [inquit] *Judæorum Pontifices ea prærogativa fruerentur, ut eorum nomina in actis publicis adnotarentur, idemque jus obtinerent olim Sacerdotales Nicopoleos, ut docet Arrianus, attamen penes Chriſtianos ſolis Imperatoribus hoc dabatur, donec Pontifices Romani hoc quoque jus ſibi vindicarunt, poſtquam ſoli ſupremo Romanæ Urbis dominio potiti ſunt*: De quæſiti dominii tempore non eſt hujus loci diſſerere; ſed quod rem attinet, falſum illud eſt, ſolis Imperatoribus penes Chriſtianos datum, ut eorum nomina, atque anni in publicis monumentis adhiberentur: nullam profecto de hac re habemus Chriſtiani populi legem, qui potius Romanorum morem ſequutus per ſæcula fere VI., uti in aliis rebus pluribus politicis, quæ Chriſtianæ Religioni non obeſſent, ita ſolam Conſulum mentionem, nunquam vero Imperatorum pro nota temporis uſurpavit: quum igitur a Juſtiniani Novella Imperatorii Nominis, ejuſque temporis ſignandi certum initium repetatur, ſerò admodum penes Chriſtianos res obtinuit, quam non ubique, neque ſemper ſervatam jam probavimus, etiam in ipſo Romano Orbe, ubi varii mox Principatus exorti ſuorum Principum nomina, atque annos, neglectis Imperatoribus, adhibuerunt; quod ex noſtrorum Principum Longobardorum diplomatibus jam docuimus, manifeſtumque habemus ex relato ſuperius Arelatenſi lapide anni 587., ubi tantum abeſt, ut Imperatoris nomen, atque anni inſcriberentur, quin potius, præter Cheldeberti Francorum Regis nomen, ejuſque Regni ſignatos annos, dum veterum Romanorum inſtitutum ſimul ſervari placuiſſet, potius Baſilii Poſtconſulatum, quam Imperatoris nomen, annoſque adnotatos legimus: quid? quod apud Hiſpanienſes nonniſi per propriæ Æræ annos publica monumenta omnia ſignarentur: Habemus apud Gruterum (*c*) tres lapides Chriſtianorum, binos apud Boldettum (*d*) eâdem Ærâ duntaxat ſignatos, quam falsò Viri doctiſſimi (ut ſuperius in notis animadvertebam) pro Chriſtiana Æra acceperunt; ſed & falſiſſimum illud eſt, quod a dominii jure ſignandi nominis, annorumque ratio pendere omnino debeat: Licuit certe Landolfo Beneventano Archiepiſcopo Annos ſui Archiepiſcopatus in Diplomatibus inſcribere; Fas non fuerit ipſi Maximo Pontifici, citra ullius dominii rationem, tum nomen, tum Pontificatus annos adhibere? Id quod ipſe *Marca*, niſi præſumpta opinio prævaluiſſet, ex Judæorum, atque etiam Gentilium Pon-

[*a*] Vid. Erembertum in Chron. pag. 27. *In aureis ejus nomen* [*i. e. Caroli*] *aliquandiù figurari placuit, ſchedas ſimiliter aliquando juſſit tempore* (i. e. ejuſdem Caroli annis) *exarari*: quod *tamen* Grimoaldus mox neglexit, vindicata ſibi ejuſmodi juris, ut olim, poteſtate.

[*b*] De Concord. Sacerd. & Imp. Lib. III. cap. XI.

[*c*] Pag. MXLIX. n. 5. Lapis eſt *Nebriſſæ* Beticæ Urbe cum Æra DIII. Pag. MLIV. n. 4. Lapis eſt *Eboræ* cum ÆRA DXLVIII. Ibid n. 5. Lapis eſt *Majoronæ* in Bætica cum Æra DCXIIII. Jam norunt eruditi Æram Hiſpanienſem, Solidis ann. XXXVIII. Æram Chriſtianam antecedere: itaut prior lapis Gruterianus, qui præfert Æram DIII. ad an. Ch. 465. referri debeat, quæ etiam de aliis, ſi ad Æram Chriſtianam deduci velint, computatio ſtatuenda erit. De Hiſpanienſi Æra vid. Petavium in Rationar. Temp. II. lib. III. cap. XIV.

[*d*] *Oſſervazioni ſopra i cimiteri*. Lib. II. c. 20. pag. 639. ex Hiſpalenſi Cœmeterio binos hos lapides refoſſos teſtatur an. 1566. ut videas, Hiſpanis id ſolenne jam fuiſſe, ut propriâ Ærâ annos ſignarent.

PAVLA CLSA FAEMINA FAMVLA XPI
VIXIT ANNOS XXIIII. MENSES DVOS
RECESSIT IN PACE DIE XVI. KAL. FEBRV
ERA DLXXXII.

CERVELA CLA FAEMINA FAMVLA XPI
VIXIT PLVS MINVS ANNOS XXXV. RECESSIT
IN PACE COR. 6. TRANSFIXIT III KALEN
FBVS. ERA. DC.

In priore lapide illud CLSA lineæ primæ fortaſſe eſt CLARISSIMA; uti CLARA erit illud CLA poſterioris lapidis; ſed in hujus linea tertia quid ſit, COR. 6. TRANSFIXIT, nondum capio.

Digitized by Google

Pontificum exemplis, quæ ultrò memoravit, rectè noviſſe poterat; neque enim his deteriores cenſendi fuerint Romani Pontifices, quorum dignitas, ſepoſito etiam temporalium rerum dominio, tantum alios omnes munere, juriſdictione, majeſtate præſtat, quantum præ ceteris omnibus optimo jure ſibi vindicat collata divinitus auctoritas illa, quæ non unius Gentis, aut Regionis, ſed univerſi Chriſtiani Orbis finibus continetur.

Sed redeo ad noſtrum lapidem, ubi Symmachi, ac Boethii inſcriptus Conſulatus in longum diverticulum nos ſenſim abduxerat. De eo Conſulatu, qui in Ann. Ær. Chr. DXXII. incidit, nihil ſupereſt obſervandum, neque etiam de Conſulibus ipſis dicere opus erit, quorum res, ac nomina frequentiſſimis monumentis celebrantur: quid ſit in noſtro lapide nota illa $\overline{VV}$ eorundem Conſulum nominibus adjecta, paucis obſervare libet; numeralem eſſe, quæ utriuſque quintum Conſulatum indicet, opinari ineptum eſt, vetantque omnino Faſti, ubi neutri tam numeroſi Conſulatus attribuuntur: extitiſſe aliquid poſt eam notam, haud oſtendit lapis, qui ea parte nihil prorſus detritum oſtendit: Hinc ad Quadratarii oſcitantiam referendam rem arbitror, qui poſt ipſum $\overline{VV}$. i. e. *Viris* omiſit ſigla cc, i. e. *Clariſſimis*: quod ejus ætatis, quam Barbaries undique obruerat, non erat tam grave peccatum, dum in ipſo Boethii nomine præter H aſpirationis defectum graviora occurrunt, itaut VOETIVS apud Gudium pag. 373. A. BOITHIVS, ut etiam SEMMACHVS apud Murator. pag. 419. n. 1. inſculpta legantur. De communi autem *Flavii* prænomine (*a*), quo uterque Conſul nuncupatur, quamquam nullum Boethii prænomen libri præferant, ut notavit Bertius (*b*), de eo tamen dubitari non ſinunt, præter Acta Eccleſiaſtica ab eodem Bertio recitata, tum noſter Lapis, tum Gudianus alter ſuperius relatus, & quidem tum Boethii, tum etiam Symmachi commune id prænomen fuit, itaut ignorare fatear, unde V. C. Gorius in Indice Doniano cap. XXII. *Q. Aur. Anicium Symmachum & Boethium* habeat, nam in lapide Donii n. 20. Claſ XX., quem citat, nihil ejuſmodi occurrit, ſed brevis tantum ante Symmachi, & Boethii nomina lacuna extat.

Sed antequam manum de hac noſtra marmorea Tabula; voluptas inceſſit, velut pro coronide formulam illam PM, i. e. *Plus Minus*, quæ vitæ annis noſtri Mamercii adjecta legitur, paucis illuſtraſſe; qua in re nequaquam me deterruit Caſſianum illud *cui Bono*? aut quod rem *obtrudam antiquiorem Cælo, & Chao*; quæ olim V. C. Mazochius Cl. Sabatino objecit, dum de eadem formula in Romana Inſcriptione *Hilari* aliter explicata, ingeniosè potius, quàm verè decertavit (*c*), quid enim? nihil frequentius eâ formulâ in ſequioris ævi, ac præſertim Chriſtianorum monumentis occurrit: quod etiam Viris doctis animadverſum; at neminem invenio, qui rei cauſſam [quod alicui fortaſſe bono fuerit] quærendam ſibi duceret. Hæc ergo cauſſa ut pateat, ſtatuenda primùm erunt ejuſmodi formulæ initia: atque ea quidem in quartum Chriſti ſæculum conjecit Sponius (*d*), *ſed falli, ut ſæpe, Sponium*, clamat Fabrettus (*e*), *quia in ipſo* (ait) *primo ſæculo invaluiſſe videmus in Grutero pag.* 590. 2. ac mox Gruteriano lapidi aliquot alios accumulat: quibus ego non ineptè locum Evangeliſtæ adderem, qui in ætate Chriſti indicanda eâdem formulâ uſus videtur, dum ait (*f*): *Ipſe erat, quaſi annorum triginta incipiens*: Certè Juſtinus Martyr locum Evangeliſtæ eadem omnino formula, *Plus minus*, interpretatur in Dial. cum Tryph. n. 88.: καὶ τριάκοντά ἐτη ἢ πλείονα, ἢ ὀλίγον ἐλάσσονα μένας, ideſt ex verſione Monach. S. Mauri: *Sicque annos plus minus triginta permanens*: Græcis enim eadem formula haud fuit ignota, quam per ΠΛΕΟΝ ΕΛΑΤΤΟΝ exprimebant, ut in græco titulo apud eund. Fabrettum l. l. n. CIII. At licet verum id videri queat, eandem formulam ante ipſum ſæculum IV. fuiſſe aliquando uſurpatam, quum nempe certi nihil de exacta alicujus defuncti vita haberetur, id tamen per quam rarò factum docent tum Gruterianus lapis, tum

[*a*] Flavii prænomen ſerò admodum apud Romanos obtinuit, non a Conſtantini, ſed multo ante a Veſpaſiani ævo, qui ex Gente Flavia Reatini Municipii, obſcurâ ſanè [ut tradit Sveton. c.] ac ſine ullis Majorum Imaginibus, ad Imperium pervenit: Frequentatum exinde honoris cauſſa prænomen; Auguſti prius exemplo, ac mox Antonini, quæ olim cognomina Principibus adhæſere, ſed Antoninos vicere Flavii, qui diutius permanſere, immo & eodem prænomine ornari non Auguſti tantum, ſed etiam Principes Barbari gaudebant. Nam Autharim Regem, Longobardi *ob dignitatem Flavium appellarunt, quo prænomine omnes, quæ poſtea fuerunt Longobardorum Reges, feliciter uſi ſunt*: Ita Paul. Diaconus *de Geſt. Longob. lib.* III. *cap.* 16. Affectarunt etiam id prænomen Privati Homines, ſed qui ſummo loco in Rep. eſſent, ut de Symmacho, & Boethio, aliiſque pluribus ſatis conſtat.

[*b*] In Præfat. ad Lib. de conſolat. Philos. edit. Patav.

[*c*] Actorum Recenſio in cauſſa Hilari Fide conſtituti &c. ed. *Neap.* 1745.

[*d*] In lib. inſcripto *Recher de Lion.* p. 150.

[*e*] Inſcript. cap. VIII. p. 588.

[*f*] S. Luc. cap. III. v. 23.

Digitized by Google

Fabrettiani alii, quorum incertam ætatem Fabrettus ipſe non diffitetur, itaut ex iis paucis monumentis, immo ex uno Gruteriano lapide audacter is eandem formulam a primo ſæculo *invaluiſſe* ajat: invaluiſſe autem poſt quartum ſæculum [quæ Sponio fuit cauſſa, tum primum ortam formulam opinandi] omnia fere illius, ac poſterioris temporis monumenta probant; cur verò tum invaluerit, jam mihi cauſſa erit oſtendenda.

Antiquiſſimum ſane fuit Romanorum inſtitutum, ut natalis ſingulorum civium dies in Publica Acta referri deberet: neque audiendus Capitolinus rei hujus initium M. Aurelio attribuens, quem *Liberales cauſſas ita muniiſſe*, ait, *ut primus juberet apud Præfectos Ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine impoſito, ad hæc per Provincias Tabulariorum publicorum uſum inſtituiſſe, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarii*. At, ut dicebam, longe antiquiora fuere ejuſdem inſtituti initia, ad ipſum uſque Romanorum Regem Servium Tullium referenda, qui, ut civium numerum, atque ætatem in promptu haberet, primus omnium juſſit, ut Parentes, Propinquive, natâ prole, certum nummum in Ærarium *Junonis Lucinæ*, in *Juventutis* vero, dum virilis Toga ſumeretur, ac tandem, ſequuta morte, in Veneris Libitinæ inferrent (*a*): exoletum poſtea morem lata lege Julia, & Papia in pueris natis revocavit Auguſtus; poſt quem plura ejus rei exempla in Svetonii Cæſaribus legere eſt, qui Tiberii (*b*), & Caligulæ (*c*) natales dies, immo natalium dierum horas ex publicis Actis didiciſſe teſtatur: Sic idem Capitolinus in Gordianis, *Filium*, inquit, *Gordianum Antonini nomine, & ſigno illuſtravit, cum apud Præfectum Ærarii, more Romano, profeſſus filium, publicis actis ejus nomen inſereret*: Ac ne id in Principum gratiam dumtaxat factum, quorum natales dies etiam ſolennibus ludis, aliiſque publicis lætitiis celebrari mos erat; ſed apud privatos quoſque, ſinguloſque, ut dixi, cives Romanos eandem legem viguiſſe, præter Apulejum (*d*), & Juvenalem (*e*), locuples teſtis eſt Virgilius (*f*); neque id in Urbe tantum, ſed in univerſo Romano Orbe obtinuiſſe liquet tum ex aliis, tum præſertim ex M. Aurelii lege, qui, ut ex Capitolino jam audivimus, per Provincias Tabulariorum publicorum uſum inſtituit, *apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarii*: notiſſima autem res eſt ex Juris libris, non ipſis tantum Juſtitiæ, ſed fidiſſimis etiam Antiquitatis fontibus, ubi Profeſſionum duæ ſpecies occurrunt, quarum altera *natalis*, altera *cenſualis*: De natali, quæ hùc attinet, ſic Scævola (*g*): *Mulier gravida repudiata, abſente marito, filium enixa, ut ſpurium in actis profeſſa eſt*. Impp. etiam Diocletianus, & Maximianus ad Lucidum, qui amiſſis natalibus Actis de ſua libertate timebat, ita ajunt (*h*): *Statum tuum, natali profeſſione perdita, mutilatum non eſſe, certi juris eſt*. Quæ quum ita ſint, jam illud conſtat, cur tam exacte prioribus illis ſæculis vitæ tempus deſcribatur, quod defunctus tranſegiſſet: Sat enim erat publica Acta, ſeu Tabularia conſulere, ex quibus promptum erat, nondum annos, menſes, atque dies, ſed etiam horas vitæ ad calculum revocare, ut de horis teſtatur Svetonius l. l., ac plures docent vetuſti lapides apud Fabrettum p. 181.

At neglecta paulatim poſteriore ævo ejuſmodi publicorum Tabulariorum cura, quam neque urgerent præſentes Auguſti, jamdiù Conſtantinopoli degentes, factum inde fuit, ut facile natalis cujuſque dies memoriâ dilaberetur, ejuſque incertitudine, vitæ ſpatia haud certo tempore ſupputari valerent; tunc fere fuit, ut cuique illud Juvenalis aptari poſſet:

Facies tua computat annos;

Jamque demum ea formula *Plus Minus* annis vitæ fuit adjicienda, vel earum dictionum alterutra,

[*a*] Dionyſius lib. IV.

[*b*] Sveton. in Tiber. cap. V.

[*c*] Id. in Galigul. cap. VIII.

[*d*] Apolog. I. *Pater* (inquit) *natum ſibi filium cæterorum more profeſſus eſt*.

[*e*] Satyr IX.

Tollis enim, & Titulis Actorum aſpergere gaudes
Argumenta Viri ....

[*f*] Georg. II. verſ. 501.

..... *nec Ferrea Jura*
Inſanumque Forum, aut Populi Tabularia vidit.

Ubi Servius: *Populi Tabularia: ubi Actus publici continetur: ſignificat autem Tectum Saturni, in quo & Ærarium fuerat, & ubi reponebantur Acta, quæ ſuſceptis liberis, faciebant Parentes: Juvenalis &c.*

[*g*] *In leg.* 28. *ff.* I. *D. De Probation.*

[*h*] In leg. 6. Cod. *De Fide Inſtrumentorum*; unde coniicere licet, quare ante ſæc. IV. aliquando dicta Clauſula *Plus minus* in ſepulcrali aliquo titulo occurrat: De Tabulariis perditis nedum d. lex teſtatur, ſed etiam Cicero *pro Archia cap.* IV.; ubi incenſa Heraclienſium publica Tabularia affirmat, in quibus Archias inter cives Romanos cenſebatur: ſed & negligentiores aliqui eſſe poterant, qui in perquirendis Defuncti annis, menſibus, diebus publica Tabularia conſulere omittebant, quod tamen ante dictum ſæculum perrarum eſt, ut ſuperius dixi; poſtea vero ipſorum Tabulariorum defectus in cauſſa fuit, ut poſt ſæc. IV. incertæ Civium ætates redderentur.

Digitized by Google

tra, quæ ſola expreſſi numeri dubietatem oſtendebat; Sic apud Murator. pag. 1869. n.1. Exumeus Chriſtianus dicitur *Vixiſſe* PLVS ANNOS C. At nonne, inquis, & annos, & menſes, & dies ejuſdem poſterioris ævi monumenta habent? Privatorum quorundam diligentiâ fortaſſe id fiebat; qui in domeſticos commentarios natales ſuorum dies referebant; quibus tamen monumentis crebriora illa ſunt, quæ eandem formulam *Plus Minus* paſſim nobis exhibent, itaut ad Publicorum Tabulariorum defectum rem ipſam omnino deducendam ſuadeant.

Fuit etiam in Chriſtianis cauſſa altera, quam ex conſtanti fere apud illos dictæ formulæ uſu percipio. Etiamſi publica adfuiſſent Tabularia, haud magni tamen apud eos natalis ille dies ducebatur, quo in hanc mortalem vitam editi eſſent, ſed contra, celebrior dies alter habebatur, quo in æternam ingrederentur; ille enim peregrinationis initium, hic ad Patriam acceſſus; ille laborum, ac certaminis, hic quietis, & coronæ: unde & Chriſtianorum ſolus hic *natalis* erat, ac dicebatur: Atque hinc patet, cur ſolum diem Mortis, & Depoſitionis certo *Conſule & die*, tuàm diligenter, ac ex ſolenni more ſignarent Chriſtiani, qui contrà in defuncti ætatis certo tempore indicando negligentiores ſeſe haberent; dum meritò ejus natalis diei monumentum ſperneretur, qui non Cælo, ſed Terris genuiſſet.

CAPUT SECUNDUM.

Vera, atque conſtans Eccleſiæ Diſciplina oſtenditur de ſepeliendis apud Ædes Sacras Chriſtianis defunctis.

REM aggredior pertractandam, quam ex Heterodoxis plerique pro piaculo nobis exprobant: Ex noſtris etiam nonnulli veteri Eccleſiæ mori contrariam, ac vix tolerandam contendunt. Diverſa utriſque mens, ac diſpar ratio, ſed ſtudium idem, quo cadaverum humatio in S. Ædibus Chriſtianorum damnanda decernitur. Jam exinde rei gravitas oritur, cui ſatis neque olim Cl. Muratorius, ſecundis licet curis, feciſſe videtur (*a*), minus ego conſuluiſſe viderer, ſi noſtrum dumtaxat Mamercii tumulum, olim ædis ſacræ pavimento ſubſtructum, Muratorii *Diſquiſitioni* teſtem ineuntis ſæculi VI. adderem, ac quoddam veluti adminiculum adſtruerem. Plura mihi [ut fere contigit] ex antiquitatis latebris accuratiùs perluſtratis præſto fuere, eademque tanti, ut poſteaquam ſuis momentis Muratorius animi adhùc hærens, *tot tumulos in Domo Dei non commendet, quum non Templa, ſed Cœmeteria ingredi ſibi videatur, modumque in re, quam improbare non audet, optare ſe dicit*; meis ego obſervationibus fretus, quibus meliori, ac verè ſuo nativo in lumine res collocabitur, id maxime enitar, ut nihil in ea immoderationis licentiæ, nihil, quod Ædium ſacrarum aut honeſtatem, aut religionem lædat, ſed plena Pietatis omnia, ac Chriſtianis digna facile oſtendam.

Primum itaque certum illud ſtatuo, prioribus illis Eccleſiæ ſæculis, quibus dominatrix Idololatria in Chriſtianos admodum infenſa ſceptrum teneret, eorundem Chriſtianorum ſepulcra extra Urbem conſtitiſſe; Faciendum ita fuit ab iis hominibus, qui vel ex Gentilibus, vel ex Hebræis ad Chriſtianiſmi profeſſionem vocati, inter ſuos vivebant, quorum mores, leges, inſtituta, quæ πολιτειαν ſpectarent, neque impiè, neque omnino invitè ſervabant: conſtant autem nihil antiquius apud utramque Gentem fuiſſe, quàm ſepulcra ab Urbibus arcere, mortuoſque in ſuburbanis agris ſepelire: De Hebræis divini libri paſſim docent (*b*). De Græcis autem, mitto legem XII. Tab. ab iis ad Romanos derivatam, *qua mortuum in Urbe ſepeliri, urive vetabatur*; libet tantum Platonis legem recitare, qua is, Cicerone interprete,

[*a*] De Antiquis Chriſtianorum ſepulcris Diſquiſitione III. inter Anecdota Græca edit. Patav. 1709.

[*b*] Longum eſſet, ac omnino otioſum teſtimonia è ſacris libris hùc afferre: Ex uno vel altero res ſatis liquere poterit; nam neque viris Sanctitate præclaris intra Urbem ſepulcrum datum, ut de Eliſeo conſtat, cujus oſſium contactu projectum in eandem ſepulturam cadaver revixiſſe dicitur *Reg.* IV. 13. 21. neque viris Principibus id permiſſum uſque ad Regem Davidem, qui prior in Urbe Regia cognomine, ab ſe ædificata, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus ſepulcrum conſtruxit, quò tamen non omnes defuncti Reges illati, ſed qui probè regnaſſent; ut colligo ex *Paralipom.* II. *cap.* 21. 20. ubi de Rege Jora hæc ſunt: *Ambulavitque non recte, & ſepelierunt eum in civitate David; verum tamen non in ſepulcro Regum*: Ex Evangeliis tandem illuſtre eſt Joſephi ſepulcrum in horto extructum, quò Servator noſter illatus fuit; quodque ſatis aptè *Cepotaphium* dixeris, quo nomine ſepulcra in hortis poſita appellavit antiquitas, de quo vid. Fabrett. Inſcr. cap. II. p. 114.

Digitized by Google

vetat (*a*) ex agro culto, eoque *qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro; ſed quæ natura agri tantummodo efficere poſſit, ut mortuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſſimum compleatur; quæ autem terra fruges ferre, &, ut mater, cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus*. Adeo parca, atque avara erga mortuos, ſibi uni conſulens vivorum providentia! De Romanis demum nihil dicam, quorum exemplis, uti olim agri omnes, viæque publicæ, ſic modo nobis Litteratorum trivia redundant. Inter has igitur Gentes cognatum ipſum Chriſtianorum Genus morem eundem ſervaſſe oportuit, moris tamen cauſſas, rationeſque, quæ Idololatriam olerent, reſpuiſſe dicendum eſt (*b*).

Quum vero extra Urbem ſuorum cadavera ſepelirent Chriſtiani, cum Ethnicorum tamen tumulis ea commiſceri nolebant, recte ab eorum ſocietate abhorrentes, quorum mors impiam vitam ſequuta omnem æternæ ſalutis ſpem præcidebat. Inter alia Martialis Epiſcopi crimina, quæ a S. Cypriano recenſentur, illud animadverſione dignum viſum fuit, quod præter gentilium turpia, & lutulenta convivia, in Collegio frequentata, *filios in eodem Collegio exterarum gentium more, apud profana ſepulcra depoſitos, & alienigenis conſepultos voluerit* (*c*). Hinc illud conſilium, ut ſibi ſubterraneas caveas vindicarent, quas in Agro Romano ex lapidum, arenarumque, ad Ædificiorum extructiones adhibendarum, egeſtionibus Gentiles olim ipſi excavaſſent; Hæc quidem veriſimillima cenſeri debet Chriſtianorum *Cœmeteriorum* origo (*d*), quo nomine caveæ illæ ab initio donatæ, dum illic defunctorum Chriſtianorum corpora conderentur, magnum illud Chriſtianæ Fidei dogma præferebant, quæ mortuos aliquando reſurrecturos, jam tum in ſomno pacis *dormientes* docebat: Sed non mortuorum tantùm ibi requies, ſed viventium quoque Chriſtianorum, ſive Aſylum, ſive domicilium: nam eò convenire, aut verius abdere ſe conſuebant, non tam ut Ethnicorum furorem, mortiſque periculum declinarent, quàm ut ibi, procul a profanis, quibus arcana ſuæ religionis myſteria eſſe volebant, ſua ſacra peragerent; quæ res occaſionem Ethnicis præbuit Chriſtianos *Latebroſam*, & *Lucifugam nationem* appellandi (*e*), iiſque Thyeſteas cœnas, OEdipodeos concubitus, aliaque id genus nefaria, quæ clam ſub terra agerent, exprobandi (*f*): quas calumnias quum Chriſtiani ejus ævi Patres quamplures præclarè propulſaſſent, id ſimul nobis certum tradidere, eundem locum ipſum tum fuiſſe, qui Chriſtianis, mortuis ſepulcrum, viventibus vero ſacros

[*a*] De Legibus lib. II.

[*b*] Nam non ſolum civilis aderat cauſſa, *ne fœtore ipſo corpora viventium contacta conficerentur*, ut ait S. Iſidor. Orig. l. 14. cap. 11., ſed etiam ſuperſtitioſa, de qua audire præſtat J. C. Paulum Recept. ſentent. lib. I. Tit. 23. *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra civitatis, & qui contra ea fecerit extra ordinem punitur*: & mox: *neque juxta monumentum, neque ſupra monumentum habitandi jus eſt; adtactu enim converſationis humanæ piaculum admittitur*: quibus duplex explicatur ſuperſtitio, altera nempe, qua viventes cadaverum contactu, aſpectuve, vel etiam aſſociatione pollutos ſe credentes, aquâ, expiationis gratia, abluebantur; altera, quod Sacrorum publicorum Religio contaminari putaretur, ſi mortui intra Urbis mœnia ſepulti eſſent; quam diſtrictius vetandi intra Urbem ſepulcri rationem attulerunt Impp. Diocletianus, & Maximianus in l. 12. Cod. De Relig. & ſumpt. Fun. *Ne Sanctum municipiorum jus polluatur*. Addam & tertiam; nam quum Sanctus & religioſus ſepulcri locus cum area ex Ethincorum religione efficeretur, ac proinde extra hominum commercium conſtitueretur, ſi ſepulcra intra Urbem locarentur, paulatim totam Urbem occuparent, viviſque ſecedentibus fierent mortuorum potius Urbes, quàm vivorum; atque ex his quidem abſurdam Ethnicorum ſuperſtionem videbimus, qui quam rem Sacram, & religioſam colerent, adeò Diis, ſibique infeſtam, inviſamque haberent, ut non ſine illorum ira, ſacra contaminari, ſeque pollui credebant, horrebantque. Longe igitur a noſtris primævis Chriſtianis rationes hæ fuiſſe dicendæ ſunt, quibus ſuos mortuos extra Urbem tumulantibus facile fuit a communi eorum more ſuperſtitioſas ejuſmodi rationes ſecernere.

[*c*] Lib. I. Epiſt. 3. edit. Lugd. 1537.

[*d*] Haud veri profecto ſimile videri poteſt, Chriſtianos tantum opus, ſpectantibus Gentilibus, moliri potuiſſe: caveis igitur, quas Gentiles excavaſſent, primùm uti cœperunt, quas tamen aucto fidelium numero [nam non pro tumulandis tantum defunctis, ſed in ſacris conventibus celebrandis cœmeteria adhibuerunt, ut ſuperius dixi] paulatim amplificare, ac perpetuo opere munire deinde aggreſſi ſunt; quod facile, atque impunè iis fuit, qui in ima terra tacitum opus proſequebantur: qua in re etiam ſolertiam, ne eorum molitiones proderentur, adhibebant, dum eâdem terrâ, quam in novis conſtruendis cuniculis egerebant, alios cadaveribus refertos opplebant; ut obſervavit Cl. Boldettus, qui de hac re pie eruditeque agit in Opere, cui Titulus: *Oſſervazioni ſopra i Sag. Cimiteri Lib. I. cap. II.*

[*e*] Minucius in Octavio. Edit. Cellar. p. 8. Huc referri ſolet lapis Alexandri martyris, quem poſt Arringhium, Boldettum, Mabillonium vulgavit etiam Cl. Mamachius Orig. Ch. l. I. §. 14. ubi inter alia: *Genua enim flectens, vero Deo ſacrificaturus ad ſupplicia ducitur. O tempora infauſta! quibus inter ſacra, & vota, ne in cavernis quidem ſalvari poſſumus &c.* Verùm non Martyrem, ſed ejus Martyris ſuppoſititium hunc titulum non leviter ſuſpicabimur; in eo enim alterutram rem omnino deſideraveris, aut gravitatem, & elegantiam, aut, ſi mavis, ſimplicitatem, & idiotiſmum.

[*f*] Id. Minucius ibid. pag. 9. S. Juſtinus Dial. cum Triph. num. X. Apolog. I. n. 21. & Apolog. II. n. 12. Athenagoras, Tertullianus in ſuis Apologiis &c.

Digitized by Google

ſacros ſuæ Religionis conventus præſtitiſſet (*a*) : Sed ſupervacua erunt aliorum teſtimonia, dum res ipſa adhùc loquitur : ſpectantur namque in ipſis Cœmeteriis etiamnum *Cubicula*, ſeu Ædiculæ quædam certis locis diſtributa, in quibus Divina Myſteria a ſacrorum miniſtris peragebantur (*b*), itidemque Altaria ſupra alicujus Martyris tumulum ſtatuebantur ; quod ex uno Prudentii loco, quum de S. Hyppolito Martyre in viæ Tiburtinæ Cœmeterio ſepulto piè canit, confirmaſſe ſufficiat (*c*).

Talibus Hyppoliti corpus mandatur opertis
Propter ubi appoſita eſt Ara dicata Deo :
Illa Sacramenti donatrix, menſa eademque
Cuſtos fida ſui Martyris appoſita :
Servat ad æterni ſpem vindicis oſſa ſepulcro
Paſcit item Sanctis Tibricolas Dapibus.

Atque hanc rem probè animadvertiſſent, velim, non Heterodoxi modo, verum etiam noſtrates quidam, qui id pro piaculo habent, ut in Chriſtianorum Eccleſiis ſint Chriſtianorum ſepulcra, & querentes adhùc audies *de Laicorum ambitione, & Clericorum cupiditate, quibus factum eſt, ut diſciplina antiquitus religiosè obſervata de non ſepeliendis mortuis in Eccleſiis, quaſi ad interitum deſcenderit* (*d*) : De legibus illis Eccleſiaſticis poſterioris ævi, quibus temerè Eccleſiaſticam Diſciplinam probari contenditur, mox viderimus ; Interim illud mihi ſatis probatum arbitror, ad ſæculum uſque IV. haud ſibi Chriſtianos nefas duxiſſe eodem loco pro Eccleſia, & Cœmeterio uti : qua in re non modo ab Ethnicorum erroribus diſcedebant, qui cadaverum contactu, aſpectuve, aut etiam aſſociatione ſe pollui exiſtimabant, quorum etiam leges ex communi viventium cum mortuis *converſatione piaculum coercitione dignum admitti* ſtatuebant (*e*) ; verum etiam, quæ tum fuerit Eccleſiæ diſciplina, Chriſtianæ Poſteritati manifeſtam tradidiſſe videntur ; quam quidem diſciplinam, alieniſſimis illis Reip. Chriſtianæ temporibus, non ulla neceſſitas, ſed potius mortuorum æque, ac vivorum fidelium favor invexit ; itaut fovendæ pietati, immo Chriſtianæ Religioni apprimè conſentanea, uti inferius demonſtrabimus, ſequutis poſtea ſæculis jure merito ſervata fuerit.

Et ſane, reddita tandem Eccleſiæ pace, qua factum eſt, ut ſacræ Ædes publicè ædificari cœpiſſent, quod ipſa Cœmeteria ſpectat, nihil reperio de priſtina diſciplina mutatum, adeo-ut eadem ipſa & pro fidelium ſepultura, & pro ipſis, ut olim, ſacris Ædibus haberentur : Sæculo VI. Johannes PP. III. poſteaquam illa reſtauraſſet, multiſque redditibus atque oblationibus ad ſacra myſteria peragenda locupletaſſet, *habitavit ibi multum temporis, ut Epiſcopos conſecraret ibidem* : Sæculo autem VII. Sergius Papa *impigrè per Cœmeteria diverſa Miſſarum ſolemnia celebrabat* : quæ duo ex pluribus ab Anaſtaſio paſſim memoratis, exempla ſatis ſint ; nam miſſis Cœmeteriis, ex quibus veræ diſciplinæ primordia ſatis certa ſtatuta ſunt, jactaque ſolidiſſima fundamenta, ad novas Ædes, ſeu Eccleſias Chriſtianorum progredior, quæ ſæculo IV. publicè, ac ſatis magnificè ædificari cœperunt.

Ab ipſo Conſtantino exordiar, a quo felix Chriſtianæ Pacis exordium, Eccleſiarumque ædificandarum permiſſus, atque exemplum. Atque is quidem *ſano conſilio, & provida diſpenſatione* [ut inquit Euſebius (*f*)] in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, quam ædificavit, ſepulcrum ſibi conſtituit, eò quod ſperaret fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibi eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur, ſicque quamplurimum utilitatis illorum memoriam animæ ſuæ conciliaturam. Quamquam vero non in ipſa Eccleſia, ſeu interiori Templo id ſepulcrum conſtiterit, ſed in ejus limine, ſeu veſtibulo, ut quoque de ſequutis mox Principibus ſervatum legimus, haud tamen novo jure aliquo Eccleſiaſtico vetari

[*a*] Audire præſtat Johannem Kirchmannum de Funer. Rom. lib. II. cap. 27. : *Non poſſum* (inquit) *hic de Chriſtianorum Cœmeteriis ſilere, quæ neſcio annon & ipſa pluribus originem dederint, nam præterquam quod in iis corpora ſuorum ſepeliebant, certo Perſecutionum tempore ibi omnes ſacras cæremonias, quæ, quidem in Templis ſolent, celebratas, poſſem hic pluribus monſtrare, niſi ab Onuphrio in Appendice ad Platinam ea res jampridem eſſet explicata.*

[*b*] Vid. Boldett. l. l. cap. IV. & VIII.

[*c*] Aur. Prudentius Periſteph. Hymn. XI.

[*d*] Bernardus Van Eſpen Juris Eccleſiaſtici Part. II. Tit. XXXVIII. De ſepulturis n. 34. & pergit ad huc n. 35. his verbis : *Verum Eccleſia eodem ſemper ſpiritu animata, licet pro temporum, & circumſtantiarum conditione nonnumquan de externa Diſciplina aliquid remittat, prout indubie in hoc puncto multum remiſit ; ſatis tamen oſtendit, quod & in hoc articulo diſciplinæ eodem ſpiritu agatur ; neque a priſtina diſciplina recedat : neque de ea remittat, niſi neceſſitate, & conditione temporis quodammodo cogente.*

[*e*] Ex J. C. Paulo Recept. Sent. lib. I. Tit. 23. cujus verba ſuperius recitavi.

[*f*] In Vit. Conſtant. lib. IV. cap. 60.

Digitized by Google

vetari fortaſſe cœpit, ne intra Eccleſiam ſepelirentur, immo vetus mos, de quo ſuperius egimus, rem planè probabat; neque etiam novæ diſciplinæ jure inſtitutum id cenſeri debet, quod Chriſtianæ Humilitatis cauſſa geſtum fuiſſe conſtat: unde præclara illa ſunt S. Chryſoſtomi: *Imperatores pro magno habuere, ſi juxta Apoſtolorum ſaltem veſtibula ipſorum corpora ſepelirentur, fierentque Reges janitores Apoſtolorum* (*a*). Dum itaque reliqui omnes inferioris ordinis homines paſſim intra Eccleſiam ſepelirentur, hunc tamen invenio morem a viris Principibus ſerâ etiam ætate frequentatum, ut in Eccleſiarum Atriis ſibi tumulos locari vellent; Exempla hùc non addam, quæ apud ſingulorum Regnorum Chronographos paſſim invenies, ſed domeſtica meminiſſe tantum præſtabit, dum ipſum idem ab omnibus fere noſtris Longobardis Principibus factum conſtat (*b*); ut & ipſi hac etiam re Regium morem ſervarent: Iſthæc corporis demiſſio, dum non amplius animo, & corpore elatos eſſe liceret, Summis Viris placuit, quo tandem fiebat, ut qui viventes Dignitatis faſtigio ſupra alios extollerentur, tum demum, cum mortui jam eſſent, poſt alios omnes, loci humilitate, conſiſtere gloriarentur.

Eandem Humilitatis rationem ſæpiſſimè etiam tenuere Eccleſiaſtici ordinis Antiſtites, ut non intra Eccleſiam, ſed in ejus atrio tumulari vellent: De Romanis Pontificibus pluries teſtatur Anaſtaſius; quorum exemplum nonnullis in locis Epiſcopi alii ad ſeram uſque ætatem æmulari ſtudebant. Epiſcopus Dunhelmenſis [ut Willelmus Malmesburienſis narrat] audito Præsbyterorum ſecreto conſilio, qui eum in Eccleſia tumulare ſtatuerant, humiliter de ſe ſentiens, interceſſit, ne id fieret: *non placeat Deo*, inquit, *ut pro me mutetur, vel minuatur Domini mei S. Cuthberti reverentia, pro cujus honore nullus Anteceſſorum meorum in Eccleſia unquam humatus eſt: Sed in Capitulo me ponite*. Ab Ottone Epiſcopo Friſingenſi, cui par nobilitati virtus, atque doctrina, cautum teſtatur Radevicus non alibi tumulari ſe voluiſſe, quàm *extra Eccleſiam in loco humili, ubi ab homnibus fratribus calcari debuiſſet*. Sed poſt ejus mortem hanc ejus juſſionem ſervari non placuit. Pluribus haud opus erit, ut quæ ejus rei vera fuerit cauſſa, jam demum liqueret: Animi nempe demiſſio, quàm in mortui corporis ſepultura adhùc profiteri Viri illi verè Eccleſiaſtici avebant: Præſtat S. Ephremum Syrum audire, qui a ſæculo IV. luculentum ejus humilitatis exemplum reliquens, hiſce verbis in ſuo teſtamento uſus eſt: *ne ſinatis me in domo Dei poni, aut ſub Altari; ſi quis vero fallacibus rationibus nefas fecerit ſub Altari me collocare, ſupernum ac cæleſte Altare talis non videat*: atque poſt alia, ejus rei cauſſam mox reddit: *nam peccator ego ſum, & minimus, & propter inſipientiam, ac ſtultitiam meam ipſis Sanctis appropinquare metuo &c. non quidem iſta dico, quod ſocietatem, & conjunctionem illorum reſpuam, ſed infinitam, atque immenſam peccatorum meorum multitudinem inſpiciens exhorreſco, & contremiſco*. Verùm neque aliorum vulgaris virtus habenda, qui intra Eccleſiam ſibi mortuis ſepulturam mandabant; ſcimus enim, S. Remigium Remenſem Epiſcopum, & Hadoindum Cenomanenſem in ſuis teſtamentis [quorum integra exemplaria doctiſſimus Briſſonius exhibet (*c*)] id ſibi ſpeciatim proſpexiſſe: *Baſilica* [inquit Hadoindus] *Domni Victorii, ubi ipſe Dominus requieſcere dignoſcitur, & ſi meruero, inibi ſepulturam habere deſidero &c.*: quam exemplorum intra earundem Galliarum fines diverſitatem ſi accuratius advertiſſet Cl. Thomaſſinus (*d*), haud certè *ad vetuſtiſſimam, & pluribus ſæculis jam religioſiſſimè obſervatam conſuetudinem* tam promptè rem retuliſſet, cujus cauſſam ex una humilitate repetendam contraria aliorum æquè graviſſimorum, & Sanctiſſimorum Virorum exempla, qui in Eccleſiis ſepeliri maluerunt, manifeſtè docebant: Quid enim? Exprobabimus ne hiſce Viris, quod vetuſtiſſimam, & pluribus ſæculis jam religioſiſſimè obſervatam conſuetudinem confregiſſent, auctoreſque ſuo

[*a*] S. Jo. Chryſ. Hom. 26. in Ep. II. ad Corinth.

[*b*] Ante Portam Ædis majoris, id eſt, in illius Atrio tum Sico, tum Radelchis, tum alii plures Beneventani Principes ſepulti fuerunt, quorum tumuli ad ſæculi XIII. initium uſque, ibidem conſtiterunt, donec Card. Rogerius Archiepiſcopus eandem Ædem magnificentius inſtauraturus, tumulos prædictos temporis injuriâ non nihil labefactatos omnino disjecit, ac titulos omnes in exterioris aſpectus marmorei, ut modo viſitur, extructionem potiùs, quàm ornatum adhibuit, nam pluribus hiſce titulis litterata facies pro parte diſſecta fuit, vel etiam deleta: Integros ex antiquis MSS. edidit Camillus Peregrinus, quos ex authographis, qui ſuperſunt, emendatos, ac commentariis illuſtratos dabimus, quum de Longobardicis rebus agemus; Ad rem quod attinet, jam dixi, haud omnes Longobardos Principes in Atrio ſepultos, uti neque alios Imperatores, aut Reges omnes: nam a Conſtantini ævo ſequutorum Auguſtorum corpora intra Urbanas Baſilicas ſepeliri conſueſſe paſſim probant certiſſima monumenta apud Du-Freſnium in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. IV. p. 108. & ſeq.

[*c*] De Formulis lib. VII. cap. 160. & ſeq.

[*d*] De Benef. Part. III. lib. I. c. 68. n. XI. qui jam antea l. l. cap. 65. n. 3. plurima Regum, & Epiſcoporum Galliæ exempla retulit, qui intra Eccleſias fuere ſepulti; ut mirum ſit contrariis tantum exemplis poſtea rem definire voluiſſe.

Digitized by Google

ſuo exemplo facti eſſent, ut ab aliis paſſim violaretur? Sed de vetuſtiſſima hac, religioſiſſimèque obſervata conſuetudine nugæ ſunt: quandoquidem res, ut dixi, ita ſe habuit, ut alii ſepulcrum in Eccleſia parari ſibi nollent, propterea quod eo loco ſe indignos reputarent; cujus rei tota ratio Humilitas fuit: alii verò diverſa, ſed æque piâ ratione ſepeliri ſe in Eccleſia curabant, ut ex ipſa loci conditione ampliùs ſuæ animæ ſaluti conſulerent, atque id demum faciebant, quod non ſolum jure facere ſibi liceret, ſed etiam ex antiquo tùm alibi, tùm præſertim *in Galliarum Regionibus in Eccleſiis ſepeliendorum mortuorum uſu*, quem Capitula Hincmari Epiſcopi Remenſis diſertiſſimis verbis teſtantur: At quid jure ſancitum, mox dicam: quid facti fuerit, in anteceſſum obſervaſſe libuit, ut eos refelleremus, qui ſummorum Virorum extra Eccleſias tumulatorum exemplis Diſciplinam probare contendunt: Fruſtra enim ad Diſciplinam id revocant, quod peculiari, privataqne humilitatis ratione fieri aliquando contigit; quod ſi exemplis res tranſigenda foret, plura certè præſto ſunt, quæ contrà ex omnium ordinum, omniumque ætatum fidelibus paſſim intra Eccleſias ſepultis, hanc ipſam quam modo vindicamus, fuiſſe Eccleſiæ Diſciplinam manifeſtius probarent.

Venio itaque ad Eccleſiaſticas Sanctiones: ac primum ſæculi IV. initio S. Marcellus I. viginti quinque titulos, ideſt Eccleſias in ipſa Urbe inſtituit, *propter Baptiſmum, & Pœnitentiam, nec non ſepulturam Martyrum* (a), ubi rectè notat Cardinalis Baronius (b), tunc primùm intra Urbem Martyrum corpora ſepeliri cœpiſſe; quod mirum videri debet eo tempore, quo Urbana ſepulcra non ſolum civilibus legibus vetabantur, verum etiam Chriſtiani, quos nuper dira Diocletiani perſecutio divexarat, publico adhùc odio apud Idololatras non carerent. Sed illud potius ex S. Marcelli inſtituto præcipuè obſervandum erit, non intra Urbem tantum, verum etiam intra ipſas Urbanas Eccleſias Martyres ſepeliri tum cœptos, qui olim extra Urbem in Cœmeteriis, quæ Eccleſiarum loco eſſent, tumulari ſolebant; neque dicas S. Marcelli inſtitutum ad ſolos Martyres pertinere, qui non ſolum digni, ut in Eccleſiis ſepelirentur, ſed etiam ex ſua ſepultura ipſis Eccleſiis *Martyriorum* nomen fecere, unde mos ille ſanctiſſimus rite obtinuit, ut nullam deinceps Eccleſiam ſine eorum reliquiis dedicari liceret; nam dum Fideles *apud memorias Martyrum* [ut ajebant] ſepeliri pergerent, non equidem illorum honori detrahebant, ſed propriæ ſaluti conſulebant, immo vetuſtum morem rectè ſibi retinendum cenſebant, ut in Urbanis Eccleſiis æquo jure ſepelirentur apud ipſos Martyres, quorum extra Urbem communis ſemper fuerat ſepulcri locus. Id itaque, quod in Cœmeteriis olim licebat, deinceps in Urbanis Eccleſiis ſervari placuit ex ipſo majorum inſtituto, cujus locupletiſſimum ſæculi IV. & ineuntis V. teſtem, haud aliis obſervatum, invenio S. Maximum Taurinenſem Epiſcopum, cujus locum longiuſculum licet, ut qui tamen rem in aperto lumine ponat, ac planè definiat, audire præſtat (c): *Ideo hoc a Majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Chriſtus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat: cum Sanctis ergo Martyribus quieſcentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate* . . . . . & in fine: *& ideo fratres veneremur eos in ſæculo, quos defenſores habere poſſumus in futuro: & ſicut eis oſſibus parentem noſtrorum jungimur, ita & eis fidei imitatione jungamur: In nullo enim ab ipſis ſeparari poterimus, ſi ſociemur illis tam religione, quàm corpore*. Vides igitur, quæ fuerit ſæculi IV. ac progredientis ſæculi V. Eccleſiaſtica Diſciplina, certa illa quidem, atque omnino manifeſta, ac perſpicua, quæ a prioribus ſæculis derivata, manſit deinceps, itaut a *Majoribus proviſum* id fuerit, ut in iiſdem Eccleſiis, ubi Martyrum corpora eſſent, reliqui etiam fideles omnes ſepelirentur: quod & ſub ejuſdem ſæc. IV. exitum Concilii Carthaginenſis IV. Canone 81. confirmatum conſtat his verbis: *Mortuos Pœnitentes Eccleſiæ afferant, & ſepeliant* (d). Quo ex canone illud etiam certum evincitur, univerſos fideles indiſcriminatim, dummodo *in Pace* Eccleſiæ obiiſſent, intra Eccleſias tumulari conſueviſſe, non ipſis etiam Pœnitentibus exceptis, nam quos viventes, ſaluberrimo rigore utens Eccleſia, nonniſi poſt varios, ac diuturnos Pœnitentiæ gradus intra Sacrarum Ædium adyta revocabat, mortuos tamen Pœnitentes, mox in illarum penetralibus ſepeliri permittebat.

Hanc

[a] Ex Libro Pontificali S. Damaſi Papæ.

[b] Ad Ann. 309. n. 4.

[c] Inter Homilias De Sanctis. Homil. XIX. quæ inſcribitur: *In natali SS. Tauricorum Martyrum Octavii, Adventitii, & Salvatoris*: edit. Venet. an. 1741. poſt opp. S. Leonis PP. pag. 361.

[d] Conc. Carthag. IV. a. 398. apud Labbeum tom. II. p. 1444. edit. Venet. 1730. ubi ad oram ejus Canonis ad verbum *afferant*, notatum eſt *fort. efferant*. Et quidem efferri propriè dicebantur defuncti, cum ad locum ſepulcri ducerentur; Vid. noſtrum Theſaurum Cl. IX. n. 1. ſed *afferri* non omnino impropriè fuerit, ſi ſequiorem ætatem Concilii attendamus.

Digitized by Google

Hanc præterea ſæculi IV. diſciplinam maxime illuſtrat egregium ſanctitatis, & ſapientiæ par, Ambroſius, & Auguſtinus, quorum prior præter propria, quæ nobis ſuppeditat ejus diſciplinæ exempla (*a*), rem adhùc ipſam cum Chriſtiana Religione ortam, ſuoque ævo communi more receptam teſtatur, dum de veteri Hebræorum, aliarumque gentium more agens, *nondum* [inquit (*b*)] *erant hujuſmodi Dei Templa, in quibus fidelium Domino reliquiæ conduntur*; Auguſtinus vero eandem rem præclariùs probat; nam interpellatus a S. Paulino Nolano Epiſcopo (qui Viduæ precibus hujus filium in Baſilica S. Felicis ſepelierat) utrum proſit alicui poſt mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur, non tam reſcripſiſſe, quàm inſignem librum *De Cura pro mortuis agenda*, lucubraſſe voluit, ubi de propoſita quæſtione uberrime agens, totus in eo eſt, ut demonſtret, *an proſit*, plurimumque prodeſſe oſtendit; nihil verò tangit, an *liceat*; nam licere neque Paulinus dubitabat, qui Viduæ jam permiſerat: ipſeque Auguſtinus æquè certum habebat, qui inter alia, ſupremum hunc honorem Chriſtianorum corporibus recte exhiberi cenſuit, *quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt Spiritus*; non mediocria verò eſſe bona affirmat, quæ illorum Spiritibus ex Eccleſiaſtica ſepultura comparari videbantur.

Sed ad poſteriora ſæcula jam erit progrediendum; atque ex Magno Gregorio, qui a ſæculi V. exitu exorſus, ſeptimi quoque initia incomparabili ſanctitate, ac ſapientiâ illuſtravit, continuâ adhùc ætatum omnium ſucceſſione ſervatam ſepeliendi in Eccleſiis diſciplinam didiciſſe jam licet. Non autem heic moror argumenta illa, quæ ad ejuſmodi diſciplinam probandam piiſſimus Pontifex in ſuis Dialogis ſuppeditat (*c*), ubi ex pluribus exemplis, quæ narrat, eorum, qui ob ſua peccata, nullâ pœnitentiâ ante mortem diluta, ab ſepulcro, quod in Eccleſiis obtinuerant, divinitus ſunt exturbati, mos ille palam evincitur, quod defunctos fideles in Eccleſiis ſepeliri paſſim permitteretur; Potius illud erit, quod ſapientiſſimus Pontifex ſtatuiſſe probatur: quum enim Joannes Epiſcopus Urbevetanus inter alia gravamina, quæ Abbati S. Georgii inferebat, in ejus monaſterio *Miſſas celebrari, ſepeliri etiam ibidem mortuos* prohiberet, Pontificia Gregorius auctoritate uſus, *ſi ita eſt* [inquit ad Epiſcopum (*d*)] *a tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Miſſas nulla ulterius habita contradictione, permittas*: Quibus verbis quum Miſſarum celebratio, & mortuorum ſepultura ſimul conjungantur, hæc utique in illius Monaſterii Eccleſia, ubi ſolum Miſſas celebrari fas eſſet, fieri quoque debuit, factamque oſtendit mos ille, quem Gregorii ævo ſervatum, ex ejus Dialogis jam obſervavimus: ſed & alibi (*e*) Januario Epiſcopo Calaritano Gregorius ipſe diſtricte prohibet, ne pro ſepultura intra Eccleſiam concedenda pretium exigere audeat: *Sed ſi quando* (inquit) *aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi, vel hæredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus: peti vero, aut aliquid exigi omnino prohibemus*. Sepeliri in Eccleſia non vetat Gregorius, ſed omnino probare videtur; Pretium pro ea ſepultura peti, aut exigi tantummodo damnat & prohibet.

Liceat nunc mihi, antequam ad poſteriora ſæcula deſcendam, hæc ipſa ſimul omnia, quæ ab Chriſtianæ Religionis exordio uſque ad ſæculum VII. tam fidè, ac dilucidè expoſui, doctiſſimo viro objicere, qui a Gregorii ævo ortam ſepeliendi in Eccleſiis conſuetudinem, ſeu, ut vocat, *perverſitatem* contendit: *His* (inquit) *Gregorii verbis* (ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis) *aperte innuitur origo hujus perverſitatis; Cum necdum uſus invaluiſſet, ut in Eccleſiis ſcpeliretur quiſquam: qui ejus privilegii cupidiores fuere, ut participes fierent precum, & hoſtiarum a proximis ibi ſuis offerendarum, oblata ingenti pecunia id emercari cœpere* (*f*). Jam dixi id, quod Gregorii verba dicere nos cogunt, non damnatam a Gregorio Eccleſiaſticam ſepul-

[*a*] Epiſt. 55. hæc de ſeipſo ſcribit: *Succedant Victimæ Triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt, ſed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt; iſti* (*Martyres*) *ſub Altari, qui illius redempti ſunt paſſione: Hunc ergo locum prædeſtinaveram mihi: Dignum eſt enim, ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit: ſed cedo ſacris victimis dexteram portionem; locus iſte martyribus debebatur*: Sed & Marcellina ejuſdem Ambroſii ſoror juxta ipſum inhumari voluit, qui antea fratrem ipſe ſuum Satyrum juxta Victorem martyrem ſepeliens, ejus quoque memoriam his verſibus celebravit.

Uranio Satyro ſupremum Frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius:
Hæc meriti merces, ut Sacri Sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Hùc Hieronymi de Paula, Nazianzeni de Cæſario fratre, Nyſſeni de Macrina Matre, aliaque plura referre poſſem, ſed ab accumulandis exemplis ſupersedeo, in quibus etſi optimis diſciplinæ teſtibus, haud primum tamen propoſitæ rei momentum collocandum volui.

[*b*] Lib. I. De Abraham cap. 9. n. 80.

[*c*] Lib. IV. cap. L. & ſeq. tom. II. opp. edit. Patrum S. Mauri.

[*d*] Epiſtol. lib. I. epiſt. XII. d. edition.

[*e*] Lib. IX. epiſt. III.

[*f*] Thomaſſinus dicta Part. III. lib I. cap. 65. n. 2.

Digitized by Google

ſepulturam, ſed vetitum dumtaxat, ne illius occaſione pretium ſolveretur. Quid autem facilius Gregorio fuerit, ſepulturæ locum, ſi novi inſtituti res eſſet, aut tum perverſus uſus invaleſcere cœpiſſet, ad antiquum morem revocare, quandoquidem ſacrorum miniſtrorum avaritiæ occaſionem jam præſtare videretur; ſed, quod ex veteri diſciplina, imo è Chriſtiana Rep. erat, ut mortui in Eccleſia ſepelirentur, retinendum voluit Gregorius; ſatius vero habuit, ne quid pro ea penderetur, dumtaxat prohibere.

Potius illud fuerit pro adverſa ſententia [cui rationes omnes etiam adverſariis indictas adſtruere non piget] ex Gregorio obſervaſſe; quod nempe is numquam novas Eccleſias ædificari permiſerit, niſi adjecta conditione, *ſi ibidem nullum corpus conſtet humatum*, quam conditionem iiſdem conceptis verbis pluries uſurpatam legimus (*a*), ut jam pro ſolenni formula, certâque lege in novarum Eccleſiarum conſtructione ſervandâ adhibita videatur: quod ſi ita eſt, mortuorum in Eccleſia ſepulturam haud permiſiſſe videtur Gregorius; Si enim locus, ubi quis ſepultus antea haberetur, impedimento erat, ne ibidem Eccleſia ædificaretur, eò magis vetandum fuit, ne intra Eccleſiam jam ædificatam mortuus inferretur. Adde quod ex his recte conſtat, alibi quàm in Eccleſia ſepeliri corpora tum conſueviſſe. & planè profanis in locis, quibus ex cadaverum illatione major adhùc profanitas, quæ Eccleſiæ ædificationem impediret. At non iſtam fuiſſe Gregorii mentem, qui hanc in Eccleſiis ædificandis conditionem poſtulabat, jampridem obſervavit Cl. Guſſanvillæus (*b*); *qui enim* (inquit) *fierit potuiſſet, ut nulla hic jacerent corpora, cum alium ad ſepeliendos fratres ſuos locum Monachi non haberent: Imo ipſis in Eccleſiis, ſive Oratoriis, quæ ſine Reliquiarum ſacris pignoribus non conſecrabantur, nihil vetabat, quominus fidelium mortuorum corpora humarentur, ut conſtat ex lib.* IV. *Dialogorum*. Cur vero in ædificandis Eccleſiis cautionem hanc adhibuerit Sanctiſſimus Pontifex, quærit Guſſanvillæus, ac duplicem a docto Monacho S. Mauri rationem datam invenio: Primò, quòd humana corpora loco moveri non ſinebant leges (*c*); ſecundo quod cum profanis oſſibus, atque impiorum reliquiis non erant miſcenda Martyrum Lypſana, ſine quibus Eccleſia, vel Oratorium non conſecrabatur: Sed potior illa demum cauſſa cenſeri debet, quod ſcilicet manifeſtum adeſſe videbatur periculum, ne cultus Sanctis Martyribus debitus corporibus jampridem illo in loco ſepultis reddi putaretur. Jamdiù enim, ut ſuperius memini, novæ ſacræ Ædes ſupra Martyrum tumulos extrui ſolebant, ut inter alios Ammianus Marcellinus tametſi profanus Scriptor præclarè teſtatur (*d*). Jure igitur, atque merito Gregorius expreſsè cautum voluit, ne in loco, *ubi corpus humatum conſtaret*, Eccleſia ædificaretur, qui etiam, cujus eſſet illud corpus non adjiciens, vel ex ipſa loci conditione aut infidelis, aut ejus, de cujus religione non omnino liqueret, corpus intellexiſſe videtur; itaut non ibi certè ædificanda Eccleſia fuit (*e*), quæ etiam, poſteaquam ædificata eſſet, ob ſequutam hujuſmodi corporis illationem, pollui, ac violari cenſebatur.

Age nunc, quid Juris, ſeu Diſciplinæ fuerit poſt Gregorii ævum, in re, de qua agimus, perſequamur; Novum Jus novamque diſciplinam tunc primum invectam, pari ſententia, ſed diverſa ratione arbitrantur viri doctiſſimi Hugo Menardus (*f*), & Emanuel Gonzalez (*g*). Nam uſque ad ſæculum VIII conſtans utriuſque ſententia eſt, fas, juſque ubique fuiſſe, ut Chriſtiani intra Eccleſias ſepelirentur: *Ante Concilium* I. *Bracarenſe* [inquit Menardus] *liberum fuit Chriſtianis intra ſepta Eccleſiarum ſepeliri*. Haud ſecus Gonzalez, qui etiam novam ejus

[*a*] Lib. I. epiſt. 54. lib. II. epiſt. 5. & epiſt. 12.

[*b*] In Not. ad epiſt. 54. lib. I.

[*c*] Julianus Aug. l. 6. Cod. Iuſtin. De Sepulcr. viol. *Pergit audacia ad buſta defunctorum, & aggeres conſecratos: cum & lapidem hinc movere, & terram ſollicitare, & ceſpitem vellere, proximum ſacrilegio majores ſemper habuerint*: ſed hanc cauſſam ineptè opinabimur a Sanctiſſimo Pontifice cogitatam.

[*d*] Lib. XXII. cap. 11. *Dilaniata* (inquit) *cadavera peremptorum camelis impoſita vexit ad littus* [gentilium turba], *iiſdemque ſubdito igne crematis, cineres projecit in mare* [nempe Dracontii, & Theodori] *admetuens, ut clamabat, ne collectis ſupremis Ædes eis conſtruerentur, ut reliquis* (nempe Martyribus). Hinc apud eundem Auctorem ibidem Baſilicæ Chriſtianorum a Gentilibus *ſepulcra* appellabantur. Vidi Mabillon. in Præfat. ad ſæc. V. Benedict. n. 98.

[*e*] Hanc Diſciplinam adhùc poſt S. Gregorii tempora ſervatam docet decretum Concilii Agrippinenſis, relatum a Gratiano Diſt. 1. De Conſecrat. cap. XXVIII. in hæc verba: *Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet; ſed ſi apta videtur ad conſecrandum, inde evulſis corporibus, & raſis parietibus, vel lignis ejus loci reædificetur: ſed ſi hæc conſecrata ante fuerit, miſſas in ea celebrare licet; ſi tamen fideles fuerint, qui in ea ſepulti ſunt*: quibus poſtremis verbis etiam diſciplinam, quam ſuperius tantopere aſſerere laboramus, de ſepeliendis in Eccleſia fidelibus confirmaſſe licebit.

[*f*] In notis, & obſervationibus ad Lib. Sacramentorum S. Gregorii not. 680. in fin. edit. Venet. Monachorum S. Mauri tom. III. pag. 484.

[*g*] In lib. III. Decretal. cap. 1. De Sepulturis n. 8.

Digitized by Google

rei cauſſam, rationemque afferre nititur. *Sed poſtea* (inquit) *ob miros caſus a D Gregorio relatos, quorundam pravorum hominum in Eccleſiis ſepultorum, qui inde divinitus ejecti ſunt, Eccleſiaſticis legibus cautum fuit, ne quis in Eccleſia ſepeliretur*. Teneo interim graviſſimorum, atque eruditiſſimorum virorum ſententiam, de ubique recepta Chriſtianorum intra Eccleſiam ſepultura uſque ad ſæculum VII.; id, quod ſuperius probandum mihi propoſui, probatumque jam certiſſimis monumentis extitiſſe arbitror contra Van-Eſpen, ac Thomaſſinum. quibus adhùc laudatos Menardum, ac Gonzalez opponere licet. At horum quoque momenta modo expendamus, ut quid poſt ſæculum VI. ſtatuendum ſit, pari, qua de anteacta ætate demonſtravimus, fide, diligentiaque diſpiciamus.

Primùm autem falſam eſſe ajo, vel ſaltem ineptam cauſſam, quam novis de Eccleſiaſtica ſepultura ferendis legibus miri caſus a Gregorio relati præſtitiſſent: non ſolus Gonzalez ex proprio ingenio id obſervavit, ſed plane Concilium Triburienſe anni 895. can. 17. hanc definitionis ſuæ cauſſam indicavit: *Secundum ſtatuta Sanctorum Patrum, & experimenta miraculorum prohibemus, & præcipimus, ut deinceps nullus Laicus in Eccleſia ſepeliatur*; ac in fine ejuſdem Canonis, poſteaquam caſus a Gregorio relati propriis ejus verbis recitati fuiſſent, ita concludit: *Sancta Synodus dixit: Mira res, & multis expaveſcenda: Ideoque per futura temporum curricula ab omnibus obſervanda*. Sed falli omnino eos oſtendit Gregorius ipſe, qui, quum eoſdem caſus non ſolum probè ſciret, verum etiam ſuis ipſe literis vulgandos curaſſet, haud tamen [quod primus omnium opportuniùs, atque efficaciùs etiam feciſſe potuit] ſepulturas in Eccleſiis unquam vetuit, immo etiam ſua auctoritate permiſit, ut ſuperius demonſtravimus; & ſane in utraque re Sanctiſſimi Pontificis ſapientia æque enituit: nam docere iis caſibus voluit, nullam Chriſtianis peccatoribus ſpem ſupereſſe, ut ſibi in peccato morientibus opem aliquam, aut quoddam veluti aſylum Eccleſiaſtica ſepultura eſſet allatura, quaſi Chriſtianos omnes moneret, ut viventes Juſtorum mortem obire ſatagerent, ſi demum mortui Juſtorum ſedem promereri, ſibique illam prodeſſe cuperent; nemini tamen eam ſepulturam deinceps interdicendam cenſuit: nam ineptum, aut etiam iniquum putavit, propter aliquorum improbitatem divinitus manifeſtatam, reliquos omnes ab Eccleſiaſtica ſepultura arcere, de quorum ſalute nihil certi conſtabat, immo ſpes omnis eſſe debebat: An enim ſepulturam (quod minus eſt) his omnibus negare poterat Eccleſia, quibus ad extremum uſque vitæ tempus Sacramentorum perceptionem permiſit? An etiam, quos dignos cenſet, ut pro iis jam mortuis oret, alioſque orare permittat, ac mandet Eccleſia, indignos exiſtimabit, ut in ſuis adytis ſepulcri locum obtineant. *Quamvis* (inquit S. Auguſtinus l. l.) *orationes non pro quibus fiunt omnibus proſint, ſed iis tantum, quibus dum vivunt comparatur, ut proſint: Sed quia non diſcernimus, qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant pervenire*: Eadem de ſepulcri loco, ac de orationum ſuffragio ratio eſſe debet; dum etiam ferventius, atque utilius ex ipſo loco orandi ſtudium excitatur; *Etenim* (ſunt ejuſdem Auguſtini verba) *proviſus ſepeliendis corporibus apud memorias Sanctorum locus bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum, quoniam ſi nonnulla religio eſt, ut ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando, ubi ſepeliant, attenditur: ut dum recolunt, ubi ſunt poſita eorum, quos diligunt, corpora, eiſdem Sanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adjungendos orando commendent*.

Sed de iis tandem Sanctionibus videamus, quæ poſterioribus ſæculis, ne deinceps mortui intra Eccleſias ſepelirentur, ſtatuerunt: atque in eam rem utriuſque Poteſtatis tum Eccleſiaſticæ, tum Sæcularis conſtitutiones afferuntur, quas ſeorſim obſervabimus.

Ad Eccleſiaſticas ſanctiones quod attinet, Pelagii II. decretum, quod de ea re ab aliquibus circumferebatur, apocryphum eſſe jamdiù Viri docti obſervarunt (*a*), itaut illud ipſum non Pelagii, ſed Concilii Bracarenſis Canon videri debeat: Ab hoc itaque Concilio an. 563. in Hiſpaniis celebrato Chriſtianorum intra Eccleſiam ſepultura prohiberi cœpta videri poteſt. id quod cuique facile perſuaſum eſſe debet, tum quod nullæ ante idem Concilium antiquiores Eccleſiæ Leges reperiantur, tum quod in ipſius Concilii verbis rei initia ſtatui videantur: *Placuit*

[*a*] Placet heic Muratorii verba deſcribere, ut ſua cuique integra ſint: *Loaiſa in notis ad Concilium Bracarenſe, decretum MS. Pelagii II. P. M. an. 580. promulgatum, ſe vidiſſe in S. Laurentii Bibliotheca teſtatur, in quo cautum, ut corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam, ſed ſi neceſſe eſt, foris circa murum Baſilicæ ſepelirentur: quantum a veritate hæc abſint, Gregorii Magni, qui Pelagio in Pontificatus munere proximè ſucceſſit, lucubrationes luculenter produnt: Sanctiſſimus enim Vir piorum ſepulturam intra Baſilicas omnino probat, facile non facturas, ſi contra hujuſmodi ritum pronuntiaſſet illius deceſſor. Itaque Loaiſam vitiato codice, aut apocrypho monumento uſum merito ſuſpicamur*.

Digitized by Google

Placuit (hæc ſunt Concilii verba), *ut corpora defunctorum nullo modo in Baſilica Sanctorum ſepeliantur; ſed ſi neceſſe eſt, de foris circa murum Baſilicæ, uſque adeo non abhorret; nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc retinent Civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum, cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere?* Nonnullas Eccleſiaſticas leges de ea re vigentes memorat Concilium, non morem affert, quem quum tollere ſtudet, contrarium apud Chriſtianos tum obtinere ſatis oſtendit; ſed tota decernendi ratio non tam Martyrum reverentiâ, quàm Civilium Jurium ſanctionibus nititur, quibus firmiſſimum privilegium uſque tunc retinebant Civitate, *ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus humetur*.

Non equidem ſapientiſſimos ejuſdem nationalis Concilii Patres refellere auſerim: Mirari tamen ſubit, eos Leges XII. Tabularum, aliaſque Ethnicorum Principum (*a*) appellaſſe in ea re, quam juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam hactenus ſervatam, receptumque Chriſtianorum morem, SS. Patrum judicio confirmatum, definire, aut accuratius diſquirere debuiſſent: Certe haud Martyrum reverentiæ detrahebatur, quibus potius honorem comparabat Chriſtianorum Religio, atque fides, qui eos tanti apud Deum meriti rectè putabant, ut

. . . . . *Sacri Sanguinis humor*
Finitimas penetrans adluat exuvias (*b*)

Atque ad hoc quidem Concilium *Statuta Sanctorum Patrum*, aut *Majorum inſtituta*, aut *ab antiquis Patribus conſtituta* referenda ſunt, quæ ſubinde tum Concilium Arelatenſe VI. anni 813. tum Triburienſe anni 895., tum demum Nannetenſe ejuſdem circiter temporis ſectari conſtitentur, ut de non ſepeliendis intra Eccleſiam mortuis decretum inſtaurarent; unius inquam Bracarenſis Concilii Sanctionem Arelatenſis, ac præterea Bracarenſis, & Arelatenſis Triburienſe, horum vero omnium Nannetenſe reſpexiſſe tantum dicendi ſunt; alioqui falsò Auguſtini, Ambroſii, Gregorii, Maximi, aliorumque SS. Patrum auctoritatem generatim adhibuiſſent, quos omnes Eccleſiaſticam ſepulturam non ſolum non prohibuiſſe, ſed potius probaſſe jam certo novimus: quod ſane Triburienſibus ipſis, ac ſimul Nannetenſibus Patribus haud omnino ignoratum videtur, dum Concilii Bracarenſis Sanctionem temperaſſe potius, quam renovaſſe probantur. Etenim Triburienſe can. XV. ſuadet, ut juxta Cathedralem Eccleſiam ſepeliri ſe curent; quod ſi deterreat locorum diſtantia, monet, ut eligant Collegium aliquod Canonicorum, vel Monachorum, vel Sanctimonialium, *ut eorum orationibus Iudici ſuo commendatus occurrat, & remiſſionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum interceſſionibus percipiat*: quod ſi & hoc ineptum, & difficile æſtimetur, uti decimas perſolvebat vivus, ſepeliatur mortuus: Rurſus vero can. 17. poſt interdictam laicis in Eccleſia ſepulturam *ob experimenta* miraculorum, permittit tamen, *ſi forte talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit*: quæ verba ex Capitulis Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis an. 797. editis deſcripta fuerunt. Amplius vero Nannetenſe indulgere voluit, ut ex ejus verbis planè noſcitur: *Prohibendum etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut extra Eccleſiam. Infra Eccleſiam vero, aut prope Altare, ubi corpus Domini, & ſanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam ſepeliendi*: ubi vides, non tam ſepulturas intra Eccleſias, quàm eaſdem infra, aut prope Altare prohiberi, licentiamque, quam poſteriore caſu omnino interdicunt, priori non omnino adimunt, alioquin ſatis fuiſſet, ſepulturas ab ipſis Eccleſiis generatim arcere: adeo ut Nannetenſis Concilii decretum relatum a Gratiano (*c*) libenter

[*a*] Lex 12. Tab. apud Ciceronem lib. II. de Leg. *Hominem mortuum in Urbe ne ſepelito, neve urito*: Servius Æneid. XI. Senatus Conſultum memorat Duillio Coſ. circa an. Urb. 490. quo cautum fuit, *ne quis in Urbe ſepeliretur*. Principum ævo Imp. Hadrianus pœnam 40. aureorum in eos ſtatuit, qui in Urbe ſepeliſſent, quod & in Municipiis omnibus vim habere ait Ulpianus in leg. 3. §. 5. D. De ſepulcr. viol. De Imp. Antonino teſtatur Capitolinus; Diocletiani tandem, & Maximiani vulgata Lex eſt in Cod. Iuſtin. De Religioſ. & ſumpt. Funer.

[*b*] Carmina ſunt S. Ambroſii, quæ integra in ſuperioribus notis recitavimus, ab eo lucubrata in obitu Satyri fratris, quem juxta S. Victorem Martyrem tumulavit: etiam id egit, ac ceciniſſe voluit S. Paulinus in carmine de obitu Celſi pueri, quem ait curaſſe ſe, inferri Baſilicæ SS. Martyrum Complutenſium:

Ut de vicino Sanctorum ſanguine ducat
Quo noſtras illo purget in igne animas.

Hùc etiam pertinet inſignis locus S. Maximi, quem ſuperius jam recitavimus.

[*c*] Cauſ. XIII. quæſt. II. can. XV. falsò tamen ſub nomine Concilii Varenſis, ſeu Vaſenſis, nam hoc decretum in duobus Conciliis Vaſenſibus deſiderari jamdiù obſervavit Cl. Menardus l. l. Decretum autem a Gratiano relatum iiſdem conceptis verbis legitur in dicto Concilio Nannetenſe can. VI.

Digitized by Google

benter admittamus, probemuſque, juxta veram diſciplinam. ſeu ritum Eccleſiæ, quo cadavera prope Altaria ſepeliri vetantur, ut ex Rituali Romano Pauli PP. V., & Concilio Mediolan. IV. S. Caroli, id quod reverentiæ ratio poſtulat, præcipuè vero cauſſa illa ita faciundum monet, quam ſuperius obſervavimus in decretis S. Gregorii Papæ, qui nullam Eccleſiam ædificandam eo loco permiſit, ubi cadaver humatum fuiſſet.

Eodem temperamento circa perſonas, quas deinceps in Eccleſiis ſepeliri fas eſſet, uſi ſunt, tum Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis in Capitulis ſuæ Eccleſiæ editis ann. 797. (*a*) tum Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis in aliis ſuæ Eccleſiæ Capitulis ann. 852. (*b*) Prioris verba ex Concilio Triburienſe paullo ante audivimus; Poſterioris vero hæc ſunt cap. XII. *Ut nemo Presbyterorum quemquam in Eccleſia ſepeliat ſine conſultu Epiſcopi, exceptis dumtaxat perſonis, quas ſingillatim, & privatim in Synodo ſignificavimus*: Remiſſiùs ſe habuit Concilium Moguntinum ſub Carolo Magno hiſce verbis: *nullus mortuus infra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici*; a quo quidem decreto interpretationem recipiunt ejuſdem Caroli Capitularia eodem anno publicata, in quibus hæc leguntur: *ut mortui non ſepeliantur in Eccleſia, niſi Epiſcopi, & Abbates, vel fideles, & boni Presbyteri*: ut ſcilicet laici etiam modo *fideles* eſſent, ut loquitur Concilium Moguntinum, quia non expreſſe memorati, non cenſerentur excluſi a dictis Capitularibus, quæ a dicto Concilio majoris fidei, auctoritatiſque digno, interpretationem, aut certe veram lectionem recipere debent.

Habes igitur omnia, vel certe celebriora, ac graviora particularium Eccleſiarum decreta a ſæculi octavi exitu ad noni finem de non ſepeliendis intra Eccleſiam mortuis promulgata. Atque ſi eorum tempus inſpiciamus, ſerò quidem ad veterem, ac communem totius Eccleſiæ diſciplinam abolendam, aut aliquantum immutandam prodierunt; ſi vero auctoritatem conſideremus, quod in una, vel altera Eccleſia conſtituendum placuit, haud novam Eccleſiæ diſciplinam invexiſſe potuit, quam Romana Eccleſia veteris diſciplinæ adhùc retinens non admiſit: ex Gregorii loco Cl. Thomaſſinus parum ſibi conſtans (*c*) colligi affirmat, *liberum Laicis in Italia fuiſſe, ut ſepulturam ſibi in Eccleſia deligerent, cum in Gallia non alii in ea ſepelirentur, quam quorum Epiſcopus mores, vel Parochus ad examen vocaſſet. Itaque in Italia Laici ſuo judicio ſinguli permittebantur, ut ipſimet dignoſcerent, an tumulo ſibi in Eccleſia deſignato novas ſibi damnationis pœnas accumularent: In Gallia eas judicandi partes Epiſcopi, & Presbyteri ſuſtinebant*: Id etiam mox repetit poſt relatum Nicolai I. de eadem re reſponſum ad Bulgarorum conſulta: Fatetur itaque Vir doctus, quid omni ævo in Italia ſervaretur, id eſt, quæ fuerit Romanæ Eccleſiæ diſciplina, quam ſanctiſſimi, ſapientiſſimique tum Pontifices, tum Patres omni ævo probarunt, at non video, quid in ejus mentem venerit, dum Gallicanam Eccleſiam ex eo præcipue commendandam putarit, quod noluerit morientium arbitrio Eccleſiaſticam ſepulturam permitti, *atque hoc diſcrimine diſſenſiſſe Italos a Gallis, quod in Italia utiliter ſepeliri in Eccleſia eos omnes conſiderent, qui Chriſtianæ pietatis ſectatores fidi fuiſſent, nec ab ea prorſus deſciviſſent; cum in Galliis nefas eſſet quemquam a Parochis, & Epiſcopis permitti in Eccleſia humari, niſi ſingulari quadam ſanctitate præcelluiſſet*: quaſi de fidelibus quibuslibet mortuis in Sanctorum album referendis agendum eſſet, non vero de iiſdem Eccleſiaſtica ſepultura dumtaxat donandis, quam ſinguli Chriſtiani in pace Eccleſiæ defuncti, niſi publica graviorum criminum, quorum pœnitentiam obſtinate detrectaſſent, infamiâ notarentur, ſuo ſibi jure vindicabant; itaut *quibus communicabatur viventibus, communicandum eſſet jam defunctis*, ut Innocentius III. ajebat (*d*). Quid etiam fuerit, aliorum examen, ac judicium requiri, niſi illorum avaritiam fovere, qui quum de permiſſa omnibus ſepultura pretium accipere perſæpe auſi fuerint (*e*), amplius ex permittendi auctoritate ſibi tradita, extorquendæ pecuniæ occaſionem arripuiſſent?

Sed præter temporis rationem, auctoritatiſque vim, quæ tandem verior earundem ſanctionum fuerit cauſſa, paullo diligentius obſervemus. Dum igitur liberum cuique ſemper fuit, mortuos in Ædibus ſacris ſepelire, non nihil apud Chriſtianos priſca illa majorum ſuorum religio deferbuit, quâ illi, ut ſuperius a me probatum eſt, pro piaculo ſibi ducebant communem cum Ethnicis ſepulcrum habere; hinc poſt redditam Eccleſiæ pacem, ædificataſque

[*a*] Habes apud Labbeum tom. IX. pag. 187. atque item ſub nomine *Incerti Auctoris* tom. XI. pag. 1378. edit. Venet. an. 1730.

[*b*] Apud eundem Labbeum tom. X. p. 3.

[*c*] l. l. cap. 67. n. 12.

[*d*] In Cap. ex parte. De Sepulturis.

[*e*] Quod vitium in hac re maxime invaluiſſe apud Epiſcopos, & Presbyteros ſatis conſtat ex pluribus Epiſtolis S. Gregorii, ex S. Hieronymo, & Decretis Concilii Triburienſis, & Nannetenſis, relatis a Gratiano dicta Cauſ. XIII. quæſt. II. can. 12. 13, 14. & 15.

Digitized by Google

taſque ubique Chriſtianorum ſacras Ædes, abuſus irrepſit, ut ſimul cum Chriſtianis ipſis in eorum ſepulcra etiam Gentilium, ſeu profanorum cadavera aliquando inferrentur: Id initio ex eo factum putaverim, quod, quum ejuſdem familiæ, vel etiam loci homines non ſimul omnes Chriſtianæ Fidei nomen dediſſent, qui inter paganorum errores adhùc verſarentur, ex ſanguinis, civiliſque vitæ conjunctione etiam commune ſepulcrum facile obtinebant; ſicque apud Chriſtianos potior erat neceſſitudinis ratio, quàm religionis: certe circa ſæculi IV. finem hunc errorem inter Chriſtianos plurimum inoleviſſe diſcimus ex græci anonymi cujuſdam Poetæ carmine, apud Cl. Mabillonium, ex cujus verſione ita Poeta adverſus eos Chriſtianos invehitur:

Ter morte digni, primum quidem miſcuiſtis corpora profanorum
Sanctis; & ſepulcra profanorum
Sacerdotum Chriſtianorum in medio ſtantem habent (a)

quod jam antea S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus contra Chriſti Domini monitum eſſe affirmavit (b), illudque addidit, non ſolum eos infideles eſſe, qui Idololatriam ſectarentur, verum etiam eos, *qui extra Deum vivant*, i. e. improbos, ac ſolo nomine Chriſtianos, qui ipſis infidelibus deteriores, dum extra Deum, ejuſque Eccleſiæ communionem vixiſſent, mortui demum, haud commune piorum fidelium ſepulcrum mereri poterant: At ita res ſe habuit, quam ſequuta Ætas vitioſiorem progeniem ferens inter ſuos pravos mores retinuiſſe videtur: Quæ fuerit eorum temporum infelicitas, ex Sanctionibus eiſdem, quæ mortuos intra Eccleſias ſepeliendos vetabant, intelligere ſatis erit; certè in Galliis eadem Capitula Theodulphi, quæ cap. IX. defunctos intra Eccleſiam ſepeliendos prohibuere, antecedente cap. VIII., quò Eccleſiarum contemptus vulgo proceſſerit, palam faciunt hiſce verbis: *Videmus crebrò in Eccleſiis meſſes, & fœnum congeri; unde volumus, ut hoc penitus obſervetur, ut nihil in Eccleſia præter veſtimenta Eccleſiaſtica, & vaſa Sancta, & libri recondantur: ne forte audiamus a Domino: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Quam autem ſpeluncam latronum? Sequenti capitulo Theodulphus explicaſſe videtur, nam quum prius Eccleſias pro horreis, ſtabuliſque haberi doluiſſet, mox eaſdem Eccleſias quibuslibet ſepeliendis mortuis patere conqueritur, ideſt illis etiam, qui Infideles, aut Hæretici, aut Excommunicati, aut demum publici peccatores eſſent, quibus omnibus ea tempora redundabant; Hos itaque ſolos intelligit, hoſque ſolos ab Eccleſiaſtica ſepultura arcet, dum eadem Sanctione mox quoſlibet alios juſtos homines intra Eccleſiam *ex antiquo uſu* ſepeliendos permittit; *niſi forte* [inquit] *talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit*: eoſdem etiam aut Religione, aut moribus a Chriſtiana Fide alienos plane intellexit Concilium Moguntinum, dum a prohibita in Eccleſiis mortuorum ſepultura excipit non ſolum Epiſcopos, Abbates, aut dignos Presbyteros, verum etiam *Fideles laicos* (c): Si enim præter ſacros miniſtros omnes generatim Fides laici in ejuſdem Eccleſiaſticæ ſepulturæ jure, ac poſſeſſione ſervantur; nulli alii erant, qui a Concilio ſepeliri vetabantur, niſi ab Eccleſiæ corpore extranei, aut divulſi. Habes igitur cauſſam (ni fallor), cur tot Eccleſiaſticæ Sanctiones per ſæculum IX. mortuos in Eccleſiis ſepeliendos interdixerint: non de defunctis quibuslibet latæ eæ leges cenſeri debent, ut plerique hactenus inconſultò atque temerè affirmarunt, ſed, uti ea temporum conditio poſtulabat, indignos dumtaxat, quos paſſim in Eccleſiis humari mos erat, prohibendos ſanxerunt; itaut nihil de veteri diſciplina mutatum, ſed ea potius inſtaurata tum videatur, ut nempe *Fidelibus laicis* Eccleſiaſtica, ut ſemper olim, ſepultura permitteretur, quæ tamen infidelibus aut Religione, aut moribus, ex majorum inſtituto perpetuò ab Eccleſia ſervato, omnino eſſet deneganda.

Obſervatis jam, explicatiſque Eccleſiaſticis Sanctionibus, otioſum fortaſſe videbitur Civilium Conſtitutionum diſquiſitionem exequi, quippe quæ nullum nobis negotium faceſſere valeant ea in re, quam ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentem, ex ipſius Eccleſiæ auctoritate

[a] Anonymum Poetam dicit Mabillonius de cultu SS. Ignotorum §. IX. Sed inter carmina S. Gregorii Nazianzeni retulit Muratorius in Anecdot. Græc. n. 137. pag. 138., quem vide.

[b] In illa verba Chriſti: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*: Matthæi VIII. quæ ſic explicat: *Oſtendit Dominus, inter fidelem filium, patremque infidelem jus paterni nominis non relinqui: non igitur obſequium humandi patris negavit, ſed admonuit, non admiſceri memoriis Sanctorum mortuos infideles; mortuos autem etiam eos eſſe, qui extra Deum vivant.*

[c] Poſt ea verba *Fideles laicos* plerique etiam hæc addunt: *qui per vitæ meritum talem vivendo ſuis corporibus locum acquiſierint*: Sed Cl. Menardus poſteriora hæc verba in tom. 2. Conciliorum Galliæ non extare affirmat, quæ proinde a poſteriori manu ex Theodulphi capitulis ad dictum Concilium prius adnotata, dein pro ejuſdem Concilii verbis falsò accepta videntur.

Digitized by Google

ctoritate ſatis probatam, definitamque obtinemus: at quoniam maximum in iis momentum fieri video, præſtabit diſquirere. Celebris in eam rem affertur Imppp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Lex, quam pluribus, ut aſſolet, decurtatam, immo veriùs interpolatam Tribonianus in Juſtiniani Codicem retulit in l. 6. Tit. De Sacr. Eccl. his verbis: *Nemo Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem humandis corporibus exiſtimet eſſe conceſſam*: integram vero nobis ſervavit, exhibetque Codex Theodoſianus in leg. 6. Tit. De Sepulcr. violat. ſic: *Omnia, quæ ſupra terram Urnis clauſa, vel Sarcophagis corpora detinentur, extra Urbem delata ponantur, ut & humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem ..... Ac ne alicujus fallax, & arguta ſolertia ab hujus ſe præcepti intentione ſubducat, atque Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem humandis corporibus æſtimet eſſe conceſſam, ab his quoque, itaut a reliquo Civitatis, noverint ſe, atque intelligant eſſe ſubmotos. Dat.* III. *Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio, & Syagrio Coſ.* i. e. an. 381. Ambas utriuſque Codicis Leges recitaſſe opus fuit, ut non quid Tribonianus obtrudebat (*a*), ſed quid tandem Theodoſiana Lex diceret, penitus ſciremus. Demus autem Viris doctis pleriſque (*b*), quod falſum mox demonſtrabimus, ex poſtrema hujus Legis parte mortuorum ſepulturam in Apoſtolorum, vel Martyrum Baſilicis omnino interdictam videri, nonne tamen particularis fuit hæc Lex, quæ pro ſola Conſtantinopoli lata, non ejus Urbis mœnia prætergrederetur? Legis titulus, quæ data legitur ad Pancratium Urbi (utique Conſtantinopolitanæ) Præfectum, præclarius etiam legis verba id demonſtrant. Quidni igitur Imperatores privatorum ſepulturas a Conſtantinopolitana Apoſtolorum Baſilica arcendas voluerint, quæ non tam in ejuſdem loci, quàm in ſuimet injuriam frequentari cœperant, propterea quod jamdiù illa erat defunctorum Auguſtorum ſedes conſtituta (*c*)? ac, ne violandæ Legis occaſio ulla ſupereſſet, eadem de cauſſa neminem intra Urbem ipſam deinceps ſepeliendum edixerunt. Sic eorum opinioni commode ſatisfiet, qui utriuſque Legis haud ignari, Theodoſianam tamen oſcitantius attendentes, Juſtinianeam imprimis pro ſuæ opinionis fundamento ſibi arripiunt, quaſi Juſtinianus Theodoſianam legem non ſolum innovaverit, ſed etiam ex Urbe Conſtantinopolitana omnibus Imperii Urbibus ſervandam propoſuerit; quum tamen animadvertendum iis fuiſſet, poſteriorem legem non Juſtiniani, ſed Triboniani opus cenſeri debere, qui pro ſuo munere, [utinam non eadem ſubleſtâ fide, ut in aliis pluribus] Juſtinianeo Codici, ſervato Auctorum nomine, inſeruit: Siluiſſetne Juſtinianus ipſe, ſi unquam noſſet, ac probaſſet, hanc legem, qui in Novellis XLIII. & LIX. tam multa de mortuorum exequiis, earumque impenſis de publico arogandis in Conſtantinopolitana Urbe conſtituit?

Sed quam ferendæ Theodoſianæ legis cauſſam conjeci, nonniſi ex admiſſa, quæ viris doctis inſederat, ſententiâ probari tantum licebit: Cæterum falſum eorum eſſe judicium ajo; nam [quod ii certum, manifeſtumque ſtatuunt] neque ex verbis, neque ex mente Imperatorum illud apparet, ut nempè mortuorum ſepultura in Eccleſiis eâ Lege fuerit interdicta: id unum præcipuè ab Imperatoribus cautum fuit, ut ex majorum inſtituto ſepulcra extra Urbem eſſent. *Omnia* (ſic edicere incipiunt) *quæ ſupra terram urnis clauſa, vel ſarcophagis corpora detinentur, extra Urbem delata ponantur*. Idem deinceps ſervandum mandant, ac ne Conſtantinopolitani cives fraudem legi facerent, dum ſe in Urbanis Baſilicis, ſepeliri feciſſent, *ab his quoque* (ſubdunt Imperatores), *itaut a reliquo civitatis, noverint ſe, atque intelligant eſſe ſubmotos*; Urbana igitur, non Eccleſiaſtica prohibetur ſepultura, quæ ad illius prohibitionem omnimodè ſervandam nonniſi conſequenter vetari debuit. Res clara ſatis; nam ſi de Eccleſiis præci-

[*a*] Mirum, quantum negotii, imo nugarum occaſionem Tribonianus fecerit quibuſdam obeſæ naris interpretibus, qui Juſtinianei Codicis Legem, ignorato ejus fonte, explicare conati ſunt: adde novam ineptioris intellectus cauſſam inſigni ex mendo, quod in illam irrepſerat, dum pro *humandis corporibus* legebatur *humanis*.

[*b*] Hæc fuit ſententia Gretſeri de Funer. Chriſtian. l. 2. cap. 8. ac præter Gonzalez, & Thomaſſinum probata fuit Spondano de Cœmeter. Sacr. lib. 1. p. 3. c. 14., qui etiam cenſet, latam ab Imperatoribus in omnes Chriſtianos legem hortatu Sacrorum Antiſtitum, qui effrænem populorum licentiam in ſepeliendis omnibus intra Ædes Sacras coercendam exiſtimabant; quod ut facilius obtinerent, nullos excipi placuit, etiam dignitate, aut pietate præſtantes, qui æquo jure cum reliquis omnibus cenſendi deinceps eſſent: ſed hoc comminiſci potius eſt, quàm conjectari; nihil enim tale ex ea lege conſequitur, quæ etiam principalem ſententiam omnino reſpuit, ut ſuperius oſtenſum fuit.

[*c*] Sepulcra Conſtantinopolitanorum Imperatorum in Porticu Baſilicæ Apoſtolorum fuiſſe præclarè teſtatur Nicephorus Hiſt. l. 14. cap. 58. qui de Theodoſio juniore jam defuncto ſic habet: *Theodoſius in paterno monumento repoſitus eſt, in dextera ſublimi SS. Apoſtolorum Porticu, in qua Porticu, eodemque lapide Pater quoque Arcadius, & Mater Eudoxia, necnon avus Theodoſius ſiti ſunt: in ſiniſtra autem, quæ ex adverſo porticu ſacri ejus Templi, Jovinianus jacet.*

Digitized by Google

præcipuè actum fuiſſet, quum eadem ratio de iis, quæ intra Urbem, quam quæ extra Urbem eſſent, vigeret, idem de utriſque jus ſtatuendum fuiſſet; nihil tamen de Eccleſiis extra Urbem ſancitum: De Urbanis vero dictum eſt, non ut ſepulcra extra Eccleſias, ſed ut extra Urbem omnino eſſent: atque ad eam rem dumtaxat tradita ab Imperatoribus legis ratio refertur, dum ideo ſepulcra extra Urbem ponenda volunt, *ut & humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem*. Nullam vero de prohibita ſubinde Eccleſiaſtica ſepultura rationem adjungunt, quæ quidem nulla ſuppetere poterat, dum ipſamet Urbanorum ſepulcrorum prohibitio, prohibendæ etiam in Urbanis Eccleſiis ſepulturæ ſola fuit ratio.

Non aliud igitur Imperatores ea lege ſanxerunt, quàm ut nulla mortuorum ſepulcra in Urbe eſſent, ſed ii tandem extra Urbem ſepeliri deberent: Ipſum idem, inquam, conſtitutum ab iis eſt, quod Legibus XII. Tab., Senatus Conſulto, Hadriani, Antonini Pii, ac demum Diocletiani, & Maximiani ſanctionibus cautum olim fuerat. Res patet ex horum omnium conſentientibus legibus cum eorumdem Imperatorum Conſtitutione, patet amplius (quod piget dicere) ex tradita ejuſdem Conſtitutionis poſteriore, ac potiſſima ratione (*a*), *ut relinquant incolarum domicilio ſanctitatem*, quod ex Diocletiani, & Maximiani lege mutuati videntur, cujus hæc ſunt: *Mortuorum reliquias, ne Sanctum Municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jampridem vetitum eſt*. Fateor, ejuſmodi rationem non modo ab Ethnicis Auguſtis uſurpatam, ſed planè ſuperſtitionis, ac paganici ritus plenam, Chriſtianæ Fidei contrariam videri, quam proinde noſtri Imperatores jam tum Chriſtiani ejus legis conditores abhorrere debuiſſent; Hinc Cl. Muratorio in mentem venit, ut pro *Sanctitatem* veroſimilius *ſanitatem* in textu legendum opinaretur, ut nempe civium *ſanitati* conſuliſſe Legislatores voluerint, cui peſtiferæ cadaverum exhalationes, quibus Urbs inficiebatur, manifeſto detrimento eſſe videbantur: Sed non temere ſolum, ut ipſe Muratorius non abnuit, verum etiam ineptè id conjeciſſe fuerit, dum nullibi ex Urbanis ſepulcris funeſti aliquid viventium ſanitati unquam contigit. (*b*) Non erit igitur ejus vocabuli lectio ſollicitanda, quod revera Imperatores ſcripſiſſent. Præſtabit melius excuſationem parare: non, quod ii, diverſo a Gentilibus ſenſu, *ſanctitatem Civitatum violari credebant per corpora mortuorum, quod nimio ſuo fœtore Civitates inficerent*, quæ incongrua fuit Viri docti explicatio (*c*); ſed quod inconſultò eam rationem, quæ Ethnicorum propria fuit, ſuæ quoque Legi verbo tenus adjecerint; id quod toto ſæculo IV. in aliis Chriſtianorum Principum legibus, atque in pluribus Chriſtianorum monumentis ſæpe factum ſuperiore Capite docui, tum cum vel cruda adhùc (ut ait Cl. Mabillonius) Chriſtianorum Religio aliquid de Paganici ritus ſuperſtitione retineret, vel abjectæ ſuperſtitionis vocabula a recentium Chriſtianorum ore nondum abſceſſiſſent.

Conſultiùs fortaſſe ſe habuit Oſtrogothorum Rex Theodoricus, qui initio ſæculi VI. in ſuo Edicto (*d*), (quod a Viris doctis non invenio obſervatum) idem pro Urbe Roma ſervandum voluit, quod pro Conſtantinopoli laudati Imperatores conſtituerant, adjectâ identidem pœnâ, ut ab illis factum fuit, omiſsâ tamen, quæ utrorumque temporibus importuna erat, ferendæ

[*a*] Nam prior, ut *humanitatis inſtar exhibeant*, inepta erat ratio, dum ſepulcra extra Urbem poſita, non ita civium oculis, uti in Urbe obvia fuiſſent, ubi aſſiduè præſentem mortalitatis imaginem ſpectantibus incolis exhibentia, humanæ conditionis eos admonerent. Unde nec probari poſſunt illa Varronis lib. v. De L. L, *Sepulcra ideo ſecundum viam ſunt, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales*: Scimus enim, quid omnino cauſſæ fuerit, & ſepulcra extra Urbem eſſent, quod ex poſteriore Theodoſianæ legis ratione ſatis conſtat.

[*b*] Sblius enim Mezentii fuit, qui inter alia

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis
Componens manibuſque manus, atque oribus ora
Tormenti genus: & ſanie taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

neque etiam ullibi inhumata putreſcere corpora permittebantur, ſed vel humo altè defoſſa, vel Sarcophagis condebantur; quæ cura ſemper fuit, hodieque obtinet in Sacris Ædibus, ubi ex ſepulturis nihil putidi, nihil indecori (quæ ſruſtra ſibi plerique comminiſcuntur) oriri videntur: unde nec cauſſa inter alias admitti poteſt, cur ſepulcra extra Urbem arcerentur, quam attulit S. Iſidorus lib. 14. orig. cap. 12., *ne ſcilicet fœtore ipſo corpora viventium cantacta inficerentur*: neque enim veteres animadvertendam voluerunt eam cauſſam, quam nullam eſſe experimento probabant, aliam cauſſam ſepeliendorum extra Urbem mortuorum afferentes, quam ſuperius tam ſæpe commemoravimus.

[*c*] Hæc fuit explicatio Bernardi Van-Eſpen l. l. n. 4. & 5. ſed falſa, ut dixi; quid enim mortuorum fœtor ſanctitati viventium obeſſe poterat? nihil utrique rei commune, niſi quod mortuorum præſentia optima vivorum magiſtra, ac conſiliatrix morum ſanctitatem potius fovere videatur.

[*d*] Edictum Theodorici Regis continens capitula CL. quæ *ſalva juris publici reverentia, Barbari, Romanique ſequi debeant ſuper expreſſis articulis* ex vetuſto exemplari prior in lucem edidit Petrus Pithoeus, habenturque poſt Opp. Caſſiodori edit. Colon. an. 1656. pag. 650.

Digitized by Google

ferendæ Legis ratione : Sic enim habet Theodoricus cap.CXI. *Qui intra Urbem Romam cadavera sepelierit, quartam partem patrimonii sui fisco sociare cogatur, si nihil habuerit, cæsus fustibus civitate pellatur.* Unde vero in Theodorici mentem venerit, ut ejusmodi Legem pro sola Urbe Roma condiderit, non satis constat, nec refert noviſſe : nisi quod notari fortasse interierit, sepulcrorum effossiones, destructionesque sibi licere voluisse, qui ipsum idem capitale aliis edixerat (*a*).

Sed civilium harum Sanctionum scrupulos jam demum sustulit Imp. Leo sapiens, qui antiquis juribus abrogatis, generali edita Constitutione (*b*) non indulsit solum, sed planè mandavit, *ut cuique tam intra Civitates, quàm extra, mortuos sepelire liceret* : non Theodosianam legem, quæ ab una Constantinopoli mortuos expellebat, sed dumtaxat Hadriani legem (*c*), quæ in universis Imperii Urbibus id mandaverat, Leoni improbatam Muratorius ex eo arbitratur, quod is *legem* singulariter memoret, *Civitates* verò, aut Urbes multitudinis numero. An igitur, quod pro cæteris omnibus statuendum censuit, in una Constantinopoli adhùc fieri pateretur Leo, dumque Legem *iniquam, atque humanæ naturæ indecoram* clamaret, affirmaretque *a consuetudine recte contemptam*, adhùc tamen in ea Urbe, atque ob oculos, justam, ac sacrosanctam suo silentio probaret ? Cur vero Hadriani potiùs, quàm vel Antonini, vel Diocletiani, & Maximiani legem, respexisse debuit ? Immo potius horum omnium, ac in primis recentissimam omnium, in ipsa Urbe Constantinopoli, atque ab ipsis Constantinopolitanis Augustis ortam Theodosianam Constitutionem indicavit ; quas Sanctiones omnes, idem jus variis temporibus, variisque auctoribus statuentes, *Legem* generatim rectè appellavit, Urbemque Constantinopolitanam Theodosiana lege contentam cum reliquis Urbibus, quæ aliis legibus tenerentur, omnino comprehendit. Absurdior autem Thomassini opinio, qui ex hac Leonis Constitutione, *indulsisse eum* ait, *ut sepeliri fas esset in Urbibus, hoc est, in Ecclesiis, ita enim* (subdit) *promtum est de ejus mente conjectari* : nam non id ex Leonis mente, sed ex præsumpta Thomassini opinione conjectatum erit, qui, quum Theodosiana lege proscripta ab Ecclesiis sepulcra falsò crediderit, ut jam vidimus, restituta Leonis Constitutione sibi persuasit ; sed nihil de Ecclesiis in Leonis Constitutione, qui de Urbanis tantum sepulcris loquutus, dum vetusta, quæ de ea re hactenus fuerint jura reprobavit, ampliùs nos docet, Theodosianam Legem nullo modo de prohibendis intra Ecclesias, sed intra Urbem dumtaxat interdicendis sepulcris fuisse latam ; quod jam anteà luce clarius a me probatum fuit.

Civilibus juribus, quæ hactenus observavimus, addam quoque, quæ heic omnino pertinent, ex patriis antiquitatibus illustre monumentum : In Capitulari Beneventani Longobardorum Principis Arechis II. sæculi VIII. sic statuitur cap. XVII. : *Si quis hominum caussa temeraria* (*d*) *absque permissu Pontificis, vel custodum Ecclesiasticorum, mortuum in Basilica sepelierit, hac ratione perpendimus, componat sol. quatraginta ejusdem venerabili loci Rectoribus ; de sepulto quidem supradictis personis, ut libeat, conveniatur.* Plura autem in hac lege notari possunt ; ac primo quidem, haud illam pro omnibus generatim Ecclesiis, sed tantum pro Urbis Basilica, i. e. Æde majori latam videri : in qua quidem, vel ob sui excellentiam, vel quod in ejus Porta, seu Atrio ipsi Longobardi Principes, ut superius dictum est, tumulari solerent, haud aliorum sepulcra esse deceret ; fas tamen id fuisse dicitur, si Pontificis, i. e. Episcopi, vel custodum Ecclesiasticorum permissus accederet. Esto autem, quod Basilicæ nomine, non unam Ædem majorem, sed Basilicas quaslibet, omnes nempe Ecclesias intellexerit Arechis, non juxta Basilicam, aut in ejus atrio, sed *in Basilica* sepeliri mortuos tunc temporis fas fuisse satis constat : Id unum Lex postulabat, ac sancitâ solidorum XL. pœnâ servandum volebat, ut eiusdem Ecclesiæ ministrorum, in qua quis sepeliendus esset, adhibe-

[*a*] Sæculo IV. ac deinceps nimium grassari cœpit crimen effodiendi, destruendique sepulcra, in quibus aurum cum defunctis reconditum credebatur : Hinc tot leges in Cod. Theod. tit. *De Sepulcr. viol.* quibus id crimen gravissime coercebatur. Extant etiam Gregorii Nazianzeni plura carmina in sepulcrorum effossores : quibus accedit Theodorici Edictum cap.CX. in hæc verba : *qui sepulcrum destruxerit occidatur* : Idem Theodoricus apud Cassiodorum Variar. IV. 18. mandat inquiri contra Presbyterum, qui aurum quærebat inter cadavera mortuorum, atque aurum sibi vindicans Theodoricus, scelus *pro Sacerdotali honore relinquit impunitum.* Sed quod aliorum videbatur scelus, etiam capite luendum, fas sibi esse duxit, ut pro inveniendis thesauris sepulcra effoderentur, hasce rationes mandato prætexens : *Talenta* (inquit) *non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. Aurum enim sepulcris juste detrahitur, ubi Dominus non habetur, imo culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium.* Eod. lib. IV. 34.

[*b*] Quam habes inter Novellas ejusdem Augusti Constitutiones Const. LIII.

[*c*] Quæ relata est ab Ulpiano in l. 3. §. Divus Hadrianus D. De Sepulcr. viol.

[*d*] Legendum videtur : *ausu temerario* : quod miror a Cl. Peregrino in Hist. Long. ad hunc locum non fuisse animadversum : Sed de his suo loco latiùs, quum, Deo favente, Longobardica sæcula peculiari volumine illustrabimus.

Digitized by Google

adhiberetur permiſſus: quod tamen, an jure faciendum juberetur, atque e re Chriſtiana factum videretur, ſuperius obſervavimus.

Atque hæ ſunt utriuſque Poteſtatis tum Eccleſiaſticæ, tum Civilis Sanctiones, quas ſera ætate, a ſæculo VIII. ad IX. circiter, latas invenio: ex quibus, quàm infirma, ac male tuta, imo falſa, atque erronea eorum opinio ſit, qui Eccleſiaſticis ſepulturis bellum indicere conati ſunt, ſatis probatum arbitror; Res autem omnino confecta erit, ſi poſt agnitas (quod interim faciendum fuit), perpenſaſque ſæculi VIII. ac IX. Sanctiones, quæ veterem ad ſæculum VII. ſervatam Eccleſiæ diſciplinam labefactaſſe videbantur, cœptam ſemitam proſequamur, in qua, ut de laudatis Sanctionibus videremus, paullulum ſubſtitiſſe opus fuit; itaque poſt ſæculum VII. (quoùſque ab Chriſtianæ Religionis primordiis, legibus, exemplis, auctoritatibus Eccleſiaſticam de mortuis in Eccleſia tumulandis diſciplinam luculenter probaſſe cœpimus) probatam adhùc ſequuto tempore ex optimæ tum fidei, tum auctoritatis monumentis pergamus oſtendere.

Eodem ſæculo IX., quo tam variæ particularium Eccleſiaſticarum Sanctiones prodiere, contigit etiam, ut Apoſtolicæ Sedis judicium de eadem re perquireretur: Percontantibus enim Bulgaris, an Chriſtianos in Eccleſia ſepeliri fas eſſet, Nicolaus I. Papa ita reſpondit: *Si eſt Chriſtianus intra Eccleſiam ſepeliendus, inquiritis? Hanc Sanctus Papa Gregorius quæſtionem abſolvit, dicens: cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum, quorum ſepulcra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt: nam quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potius, quàm ad majorem damnationis cumulum, eorum corpora in Eccleſiis ponuntur*. Vides igitur, rem non ſolum ex vetere diſciplina licitam a Nicolao probari, Bulgariſque recens ad fidem converſis ſectandam proponi, verum etiam in maximam mortuorum utilitatem ceſſuram affirmari; monendos tamen Bulgaros voluit Sapientiſſimus Pontifex, haud iis Chriſtianis Eccleſiaſticam ſepulturam prodeſſe, qui dignam gravium peccatorum pœnam jam ſubiiſſent, ne in eum errorem facile inducerentur, ut merito ſepulturæ, in qua corpus quieſceret, æternam, quam anima meruiſſet, pœnam, aut vitari, aut minui poſſe ſperarent.

Poſt ſæculum X. paſſim occurrunt Summorum Pontificum Decretales Epiſtolæ, quas omnium manibus teri ſolitas, otioſum erit hùc referre: omnium loco Innocentium III. audiſſe ſatis ſit (*a*): *Qui relictis* (inquit) *antiquis Eccleſiis, & patrum, aliorumque parentum ſuorum ſepulcris, contra conſuetudinem Patrum veteris Teſtamenti, qui cum patribus ſuis ſepulti eſſe leguntur, ad nova, & minus religioſa loca ſe transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam conſuetudinem facere videntur, unde hoc non præjudicat rationi, & viribus carere debet*. Ubi primum antiquæ conſuetudinis, ſeu diſciplinæ, ut fideles mortui in Eccleſiis ſepelirentur, locupletiſſimum teſtem, aſſertoremque habemus Innocentium; præterea conſuetudo eadem adeo rationi conſona dicitur, ut privatæ morientium leges, qui ſe in loco minus religioſo ſepeliri mandaſſent, irrationabiles, ac proinde irritæ declarentur: Hinc licet jura omnia morientium voluntates pro Legibus haberi velint, liberumque ſit cuique ſepulturæ locum, quem libeat, eligere (*b*), ea tamen libertas ad locum quemlibet, modo religioſus ſit, dumtaxat extenditur, in loco autem minus religioſo ſepeliri nefas judicatur (*c*); quod quidem judicium non unius Innocentii, aut unius ætatis, ſed conſtans ac perpetuum ipſius Eccleſiæ fuit, vigebitque cum Eccleſia ipſa, *ut nemo Chriſtianus in communione fidelium defunctus, extra Eccleſiam, aut Cœmeterium rite benedictum ſepeliri debeat* (*d*): itaut eodem ſinu, quo vivos fovit, mortuos eadem Mater cuſtodiat; & quos ad certam ſpem reſurrectionis depoſitos ſervat, unà ſimul e ſinu ſuo reſurgentes exhibeat.

At, inquient, nonne ſatis rei conſultum ex Cœmeteriis, quæ & Chriſtiano ritu ſacrata eſſe debent, &, ut plurimum, Eccleſiis continentia? Abſit, ut de Cœmeteriis indignum quid ſen-

 tiam:

[*a*] In cap. Fraternitatem. *De Sepulturis*; quod tamen Innocentio II. attribuendum optimis rationibus Gonzalez arbitratur.

[*b*] Cap. Cum liberum. Eodem Titulo.

[*c*] Conveniunt Canoniſtæ (teſte Gonzalez in dicta decretali Innocentii, ac Van-Eſpen Part. II. tit. 38. cap. 3. n. 23.) prohibitam fidelibus fuiſſe ſepulturam in loco profano, quem *loci minus religioſi* vocabulo intellexit Innocentius, itaut illud *minus* negativè, ſeu privativè potius, quàm diminutivè appoſitum ſit: hinc Innocentii decretalem haud correxiſſe, ſed potius declaraſſe videtur Bonifacius VIII. in cap. 1. De ſepulturis in 6. dum ita edicit: *Si quis antiqua dimiſſa, novam etiam in loco minus religioſo elegerit ſepulturam, electionem hujuſmodi (licet jura ſuper hoc videantur eſſe diverſa) nequaquam volumus impugnari*: Apparet enim, quod Bonifacius per locum minus religioſum intellexerit Oratorium, vel Sacellum, ad Miſſarum ſolemnia, & ſepulturas dedicatum, in quo tamen non eſt *Religioſorum fratrum conventus, nec frequenter Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quàm defunctis* celebrantur, qualem locum deſideraſſe videtur Innocentius in dicto cap. 3.

[*d*] Sunt verba Ritualis Romani.

Digitized by Google

tiam : Probo ſiquidem , atque *ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in illis , retinendam , & ubi fieri poteſt , reſtituendam* non abnuo (*a*). At qui pro mortuorum in Eccleſia ſepultura hactenus decertans , Cœmeteria non improbo , eodem modo velim , ut ii , qui Cœmeteriis favent , adhùc conſuetas in Eccleſiæ penetralibus ſepulturas non ægro animo ferant , amariſque verbis inſectari jam deſinant .

Novit ſanè Dominus , qui ſunt ejus , eorumque oſſa non ſolum in Eccleſiis , aut Cœmeteriis , ſed etiam ubique cuſtodit , *non ideo tamen* (ut aj ebat Auguſtinus) *contemnenda , & abjicienda ſunt corpora Defunctorum , maximeque juſtorum , ac fidelium , quibus tanquam organis , & vaſis ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt Spiritus* . Sinamus ergo , ut in Eccleſia mortui fideles ſepeliantur , ubi plurimùm intereſt ſepeliri . Intereſt mortuorum , intereſt etiam vivorum (*b*) : Illis celerior requietis poſſeſſio , his frequentiùs impenſæ pietatis meritum comparatur . Non dedignantur Sancti mortuorum contubernium , qui etiam adjuvant , ut mortuis proſit ; nam quos communione ſepulcri propinquos ſibi vident , eodem quoque gloriæ conſortio citiùs ſociandos ſibi curant . Dabimus itaque operam , (quod S. Maximus paullo ante nos monebat) ut *ſicuti eis , oſſibus parentum noſtrorum jungimur , ita & eis fidei imitatione jungamur ; In nullo enim ab ipſis ſeparari poterimus , ſi ſociemur illis tam religione , quam corpore* .

[*a*] Ex eodem Rituali .

[*b*] Quam magna , atque multiplex ſit utilitas , ut mortui in Eccleſiis ſepeliantur , paſſim hoc capite ex multis Sanctorum Patrum locis ſuperius recitatis , aliiſque rationibus dictum jam fuit ; plura ad id videri poſſunt apud Spondanum De Sacr. Cœmet. part. 3. cap. 14. alioſque , quos rem late illuſtrans refert Gonzalez in dicto cap. III. De Sepulturis .

ADMONITIO

DUM huic Operi adlaborarem , deque veteris Anaglyphi Beneventi extantis explicatione ſuborta mihi dubitatio fuiſſet , res ad doctiſſimi , & Antiquitatis Conſultiſſimi Jo. Baptiſtæ Paſſerii judicium delata eſt , cujus , quum ſententia , pro Veteris Juris Conditorum more , vera quidem , atque certa , ſed brevi , dilucidaque Oratione concepta expectaretur , ſatis ſpiſſa advenit , ac ſelecta eruditione referta epiſtolaris Diſſertatio , qua Is Anaglyphum ipſum non explicat modo , ſed præclarè etiam , atque uberrimè illuſtrat . Sed jam ecce Beneventanum Anaglyphum alterum , ſeu Toreuma V. C. Paciaudius , qui a me habuit ex Archetypo deſcriptum , luculento Commentario ſatis copiosè illuſtratum , in publicam lucem edens mihi inſcripſit ; qua in re ſuæ Is erga me humanitati ſane nimium indulgens , ſummo tum honore , tum etiam gaudio me affecit propterea , quod tanti me , patriaſque Antiquitates feciſſe , eo præclaro , atque immortali tùm amoris , tum eruditionis monumento demonſtrarit . Quum itaque utramque Diſſertationem ad manus haberem , gratularerque mihi , quod Summi Viri ad Beneventanas Antiquitates illuſtrandas ingenii ſui vim tàm ſeria lucubratione contuliſſent , conſilium ſubiit , eaſdem Diſſertationes heic attexendi ; quod & materiæ conditio , & Auctorum præſtantia poſtulabat , qua etiam huic Volumini pretium accedet . Ad Diſſertationem Paſſerii pauculas obſervationes ſubjeci : Nihil verò ad alteram Paciaudii ; nam de poſteriore Anaglypho ſeorſim dictum a me perbreve quid reperies in Appendice hujuſmet Voluminis Claſ. III. n. 17. , ubi ejus ſimulacrum ære expreſſum , uti apud me erat , iterum exhibuiſſe libuit .

JOHAN-

Digitized by Google



JOHANNIS BAPTISTÆ PASSERII

NOB. EUGUBINI, PROTHONOT. APOSTOLICI, ET REGIARUM ACADEMIARUM LONDINENSIS, BLOMUCENSIS, ITALICARUMQUE FURFURATORUM, PISAURENSIS, CORTONENSIS, ET COLUMBARIÆ SOCII.

DISSERTATIO

De Anaglypho Beneventano.

Ad Doctiſſimum, & Religioſiſſimum Virum

PAULUM MARIAM PACIAUDIUM

CLERICORUM REGULARIUM PRESBYTERUM.

Cœpi nuper humaniſſimas literas tuas, Amicorum Sapientiſſime, quibus antiqui Anaglyphi Beneventani imaginem mihi oblatam commentariolo illuſtrare juſſiſti, ita præſertim poſtulante Clariſſimo De Vita Sanctæ illius Eccleſiæ Canonico, ut Patriarum Antiquitatum Theſaurum, qui in lucem prodire feſtinat, nova hac acceſſione cumularet. Quis vero ex vobis id officium non prætitiſſet luculentiùs, atque uberiùs, quum in omnigena eruditione verſati obſcuriſſima quæque, doctis Viris undique plaudentibus, in dies panditis, atque adornatis. At quantuluſcumque ſim, imperio tuo obſequar, & quid de hoc monumento ſentiam in medium proferam.

Audio eſſe, qui nihil ultra funebres cœremonias in eo deprehendant, muliebrem luctum, dolentem Genium, Canem de Domini morte mœrentem, Decurſiones, ac Venationem, ſuperborum funerum ornamenta, Equum ad animæ tranſvectionem diſpoſitum, Urnulam denique cineres

S s 2

De hujus Anaglyphi uſu anceps aliquando eram: quum enim pronum mihi, ante V. C. Paſſerii judicium, jam fuerit, Sarcophagum cogitare, non omninò tamen id mihi perſuaſum habui, tùm ex Parii marmoris reliquis ejuſdem generis candidioris, & lucidioris, atque ſculpturæ elegantia, qualem in aliis ſanè multis Sarcophagis apud nos extantibus, & variis etiam non ſpernendis ſculpturis ornatis nunquam adhibitam fuiſſe conſtat; tùm ex ejuſdem Anaglyphi forma, quæ Tabulæ inſtar parieti affixa præter ipſam frontem haud reliquas Urnæ partes oſtendit, quæ ſi unquam fuiſſent, vix intra parietem ipſum abdi paſſus fuiſſet juſtus ille hujus monumenti æſtimator (quicumque is fuerit), qui ejus incolumitati conſuluit: At doctiſſimi Viri judicium libens amplector, qui rei cauſſam ad ævi, hominumque injuriam refert, quâ monumento perfracto, frons tantùm ob inſigne artificium fuerit præſervata.

Digitized by Google

res e buſto expectantem; quæ quidem interpretatio, tanquam multiplici ſculptorum marmorum auctoritati innixa, facile confirmari poſſet, & ſi quæ unquam alia locupletiſſime expoliri.

Mihi vero aliquid ultra communes cæremonias in hoc marmore videre videor, fabulam nempe, ſi qua alia umquam famigeratiſſima; quamvis enim non diffitear antiquiſſimos Italos marmoribus aliquando conſignaſſe ſacras, civiles, & funebres cæremonias, quæ neminem reſpicerent, & nil niſi communes mores exprimerent, video tamen præ ceteris probaſſe fabulas, quæ moribus ſimul alluderent, & gentis primordia non obſcure teſtarentur (*a*). Hoc vero præcipuè in ſepulcralibus urnis præſtiterunt, quarum jam tantam copiam ob oculos habemus, ut veterum Italorum, Thuſcorum præſertim, & Campanorum indolem, atque mentem compertam habeamus. Omnium uno frequentiores in hiſce cinerariis funeſtæ fabulæ obſervantur, per quas ſapientiſſimæ gentes, vel ſuperſtitum triſtitiam exprimebant, vel naturam animarum, quas corpore functas ſanguine, & cædibus delectari, immo & compeſci reputabant. Quapropter cum in hiſce urnis ſigna apta concurrant, quæ peculiarem hiſtoriam exprimant, illis libenter acquieſcimus, atque ita nobis videmur ſentire cum antiquiſſimis ſculptoribus, qui hæc marmora exornarunt, & ſepulcris commendarunt, inter quæ id noſtrum accenſere non dubito, quum ejus forma, & moles, & quod caput eſt, fabulæ alluſio ceteris ſepulcralibus reſpondeat, quorum plurima ævo, & hominum injuriâ perfracta, & fronte tantum ob artificium præſervata, ſæpe nos in dubium ſuſpendunt, in quem uſum facta ſint.

Sed jam propoſita ſculptura ad ſe nos vocat, in qua triſte Meleagri fatum in duas veluti actiones diſtributum nobis videmur intueri. Utraque interpoſito muro, ſeu arcu diſcreta. In prima Apri Calidonii venationem deprehendimus; In poſtrema fatalem illius reditum, quem mors de proximo excepit. Hanc vero fabulam vulgarem fuiſſe oportet apud antiquos Italos, quum illam iterum iterumque expreſſam videamus in Etruſcorum urnis, præſertim vero Muſæi Etruſc. tom. I. Tab. 140. & tom. II. Claſ. 4. Tab. 4. & elegantiori ſtylo exculpta in altera jam æri inciſa, ſed nondum publicata, quam cum aliis plurimis litterarius Orbis expectat a Viro doctiſſimo, & noſtri amantiſſimo Antonio Franciſco Gorio.

1. Ut vero per partes Anaglyphum noſtrum excurramus, videas in primis ingentem Aprum a Diana excitatum ex imo erumpentem, qualem Metamorph. VIII. delineatum intuemur.

Concava Vallis erat, quò ſe dimittere rivi
Aſſuerant pluvialis aquæ; tenet ima lacuna
Lenta ſalix, ulveque leves, juncique paluſtres,
Viminaque, & longæ parva ſub arundine Cannæ;
Hinc Aper excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis,

Hunc vero immenſæ magnitudinis fuiſſe paſſim objiciunt nobis Scriptores. Hygin. fab. CLXXIV. *OEneus, quia ſacra annua Dianæ non fecerat, Aprum miræ magnitudine, qui agrum Calydonium vaſtaret, miſit*: Et Philoſtratus in Iconib.: *Cernis ut latitudo* (apri) *inceſſui proportione reſpondeat. quem certe inceſſum etiam veſtigia oſtendunt nihil a taurorum veſtigiis deficientia*: Quam ſimilitudinem ab Ovid. loco citato mutuatus eſt.

Inquit, & OEnejos ultorem ſpreta per agros
Miſit aprum quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus, ſed habent Sicula arva minores.

Quantus vero fuerit hic agri Calydonii Vaſtator dignoſcendum nobis indigitat a dentium magnitudine. Chil. 7. 102.

Hujus autem unuſquiſque dens cubito habuit amplius.

& huic deſcriptioni famulatur opinio, quæ Romæ invaluerat, alterum ex ejus dentibus in hortis Cæſaris oſtentari haud minorem unius pedis, & quadrantis menſura, ut refert Natal. Comes Mythol.

[*a*] Et ſane apud Veteres Beneventanos nihil antiquius eſſe debuit, quàm Apri Calydonii venationem monumentis omnibus quoquo modo celebrare: ex eo enim ſuas origines repetebant, quippe qui Diomedem Ætoliæ Regem Meleagri patruelem ſuum conditorem jactantes, apud ſe etiam ejuſdem Apri dentes a Diomede monumenti cauſſa relictos, quinto adhùc ſæculo ſervari affirmabant: At de hac re in Diſſert. I. fusè a me actum fuit.

Digitized by Google

Mythol. lib. VII. cap. 3. At nimis facilis erat bona illa gens in fabulis, atque hiſtoriis ſimul commiſcendis. Quapropter & oſſa Ceti a Perſeo confecti, & alia hujuſmodi portentoſa demonſtrabantur, quæ multam ferme partem cum fabulis, quæ minime extiterunt, habuere. Puto equidem Apri alicujus ferociſſimi venationem aliquando in Calydone ſolemniùs exercitam; in qua enim Græciæ parte tantundem geſtum non fuit? Cetera, quæ de ejus mole, atque origine decantantur, Poetis condonamus, & ne Romanos omnino falſitatis arguamus, ſuppetias feret Plinius, qui lib. VIII. cap. 52. hæc habet: *In India (Apris) cubitales dentium flexus gemini, & roſtro totidem a fronte, ceu vituli corna exeunt*. Et forſan ex his unus Meleagri fabulam benigne excepit. Sed ad marmor noſtrum redeamus, in quo ſculptor, ne tam grandis Apri mole aream occuparet, quam univerſæ hiſtoriæ deſtinaverat, induſtriâ occurrit initio, & caput tantum expreſſit veluti e lacuna prodeuntis, cetera prætermittens.

2. Contra adlatrat canis, qui etiam Meleagro domum reduci adſiſtit, ſed ibi veluti labore confectus, & virium expers humi cubat; hìc vero monſtrum obvium ferociter impetit. Canes vero adhibitos in ea expeditione teſtatur Homerus Iliad. I. verſ. 538.

Hunc autem (Aprum) *occidit Filius OEenei Meleager,*
Multis e civitatibus Venatores Viros congregans
Et canes.

Ovidius quoque citato loco illos circa Aprum deſcripſit.

Ille ruit, ſpargitque canes; ut quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu.

quin etiam in hac ſculptura utroque in loco collare ornatus eſt, quo loro transjecto a Cuſtode moderaretur, quod etiam notavit modo laudatus Poeta.

Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur
Signa pedum.

3. Meleager cum altero ex heroibus adverſus immanem belluam ex equo pugnat: Credibile enim fit univerſos equites proceſſiſſe, cum tales nobis deſcribat Caſtorem, & Pollucem idem Sulmonenſis Poeta.

At gemini, nondum Cœleſtia Sidera, fratres
Ambo conſpicui nive, candidioribus ambo
Vectabantur equis.

Sic Dido, & Æneas venatum proceſſerunt equitum caterva ſubſequente,

Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis;
Reginam in thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant, oſtroque inſignis, & auro
Stat Sonipes.

Quapropter Oppianus de Venatione lib. I. monet in ea adhibendos equos, & qua ratione de illis delectus habendus ſit, permultis tradit.

Equos autem venatum valde generoſos ducant,
Et mares, non ſolum quia deteriores ſunt pedibus
Femine ad conficiendum prolixum curſum in ſylvis,
Sed quia declinare neceſſe eſt cœtus appetentes
Equorum.

Ex noſtris vero Equitibus generoſior diſtento brachio Aprum ferit, qui, ut ait Statius Thebaid. II.

Te Meleagre ſubit, tibi demum cuſpide lato
Hæſit, & obnixo ferrum laxavit in armo.

Ejus vero lanceam tanti facinoris monumentum in templo Suadæ apud Sycionios dedicatam fuiſſe tradit Pauſanias lib. II.

4. Co-

Digitized by Google

4. Comes, qui unus ex tot heroibus cum Meleagro conjungitur, facile Peleus eſt, qui facinoris gloriam cum illo communem habuit. Itaque in Philoſtrati pictura hic unus Meleagro conjungitur: *Hi porro adoleſcentes ſunt Meleager, & Peleus, nam hoſce fuiſſe, qui aprum interfecerunt ſcriptum dicit*. At ceteri, qui

Immanem feram multa tellure jacentem
Mirantes ſpectant, neque adhuc contingere tutum
Eſſe putant,

inglorii penitus prætermittuntur.

5. Meleagrum ſequitur Atalanta, quæ dextro brachio elato, veluti emiſſo telo, arcum ſtringit ſiniſtrâ poſt Clypeum (*a*), quos etiam in venatione geſtatos exemplis oſtendimus in notis ad antiquas lucernas lib. III. Ipſa vero ſub hac imagine exprimitur, nam omnium prima Feram vulneravit. Ovidius loco citato,

Fixa ſub aure feri, ſummum diſtrinxit arundo
Corpus, & exiguo rubefecit ſanguine ſetas.

Ceterum illa ſubſiſtit, ut ait Philoſtratus, veluti *Oculorum radios ad eorum, quæ patrabantur, cognitionem intenderet*: Hanc vero contra votum ceterorum, qui femineam ſocietatem vitabant, Meleager amore captus, *in venationem ire compulit*: Verba Apollodori Bibl. lib. 1. Ejus vero cultum ita deſcribit præcitatus Philoſtratus, ut ſi cum icone hoc noſtro conferatur, apprime conſentire fatearis. Sic ille: *Atalanta* (hanc enim puellam eſſe putandum eſt) *cum ſagittam nervo paratam appoſuiſſet, jaculari cogitat. Accincta vero eſt veſte ſupra genu, ſoleis pedibus annexis, ac manus ad brachia, & humerum uſque nudæ, quod ſit ad agendum prompta, veſte ibi ad fibulas contracta.* Et Ovid. loc. cit.

Baſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem.

6. Diſcriminant utramque hiſtoriæ partem Urbis mœnia cum porta, nec enim adeo longe venatio habita eſt, quin a muris proſpectari non poſſet. Statius loco cit.

. . . . . Attonitæ tectorum ex culmine ſummo
Proſpectant Matres . . . . .

7. Sed Regiam Sedem adeamus, quam quiſque pro re bene geſta feſtivam fore ſibi promiſiſſet. En in primis OEneus ſenex ſceptro inſignis, qui ad oſtendendam lætitiam ferocientem adhuc Meleagri equum, & exultantem blande continet, & palpat, & illi quodammodo gratulatur.

8. Sequitur Meleager eodem fere corporis cultu, & habitu expreſſus, quo ſupra pugnantem vidimus, at non eodem animo, atque mente, qua ſupra dimicarat. Cum enim avunculos Alteæ Matris fratres Ideum, Plexippum, atque Lincæum, qui Apri Spolium Atalantæ attributum præripere attentarant, confodiſſet, id Alteæ Matris iracundiam concitavit in tantum, ut Matrem oblita filii necem ſibi propoſuerit. Ita Hyginus fab. 74.: *Atalanta cum Meleagri fidem imploraſſet, ille intervenit, & amorem cognationi antepoſuit, avunculoſque ſuos occidit: Id Altea Mater audivit, Filium ſuum tantum facinus eſſe auſum, memor Parcharum præcepti titionem ex arca prolatum in ignem conjecit.* Ita dum fratrum pœnas vult exequi, filium interfecit.

9. Hujus furiale modium nobis Homerus citato loco ob oculos ponit.

Non

[*a*] Anaglyphi fidem in Atalantæ effigie deſcribenda non exactè ſequitur eruditiſſimus Paſſerius: Etſi enim corporis cultus Atalantæ reſpondet, geſtus tamen ab ea omninò diſſentit; nam ſiniſtrâ quidem Clypeum geſtat, dextrâ tamen non ſpecie vulnerantis Aprum, ſed potius Meleagrum, ne Aprum interficeret, retinentis ſe habet; quin ut Meleagrum moretur, ejus dextro brachio apprehenſo enixiſſimum conatum oſtendit: atque ita profecto ſe res habet, ut in ærea tabula ad exactiſſimam Archetypi fidem expreſſa jam cernis: quid igitur? Potuit Atalanta fortaſſe Meleagrum remorari, non ut Aprum inultum abire ſineret, ſed ut ejus cædis gloriam ſibi præriperet: Quæ quidem niſi probetur conjectura, de Anaglyphi interpretatione jam dubitari continget.

Digitized by Google

. . . . . qua Diis
Multum dolens ſupplicabat propter fratris cædem
Invocans Plutonem, & gravem Proſerpinam
In genua conſidens, rigabatur autem lacrymis ſinus
Ut filio darent mortem. Hanc autem Ærivaga Erymnys
Exaudivit ex Erebo . . . . .

Et Ovidius loco citato

Ante ſepulcrales infelix adſtitit Aras,
Pœnarumque Dea triplices furialibus, inquit
Eumenides ſacris vultus advertite veſtros:
Ulciſcor facioque nefas, mors morte pianda eſt,
In ſcelus addendum ſcelus eſt, in funera funus
Per concervatos pereat domus impia luctus;
An felix OEneus nato victore fruetur,
Tertius orbus erit? Melius lugebitis ambo.

At contrà Meleagrum, veluti facinoris pœniteret, blandum obſervamus, & manu materno capiti admota illud veluti obteſtatur, & facinus dolens excuſat, quod illa manu protenta vehementer objurgat, & facinus objicit.

10. Altera interim ex Meleagri ſororibus dolens ſolatur cognatam in thalamo ſedentem. Ovid. loc. cit.

Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis
Ingeniumque capax, totumque Helicona dediſſet
Triſtitia proſequar miſerarum vota ſororum.

nempe omnes mœrore confectas fingit, & in aves, quas Meleagridas vocant, converſas.

11. Interim miſerabilis Alcione geniali thalamo innixa, qui Conopæo ſuperne adornatur, extremum dolorem exprimit, & fabulam claudit; Ipſa enim quum, charum ſibi caput, Meleagrum paulatim abſumi videret, dum fatalis ſtipes combureretur, paulatim deficiens e vita exceſſit. Hyginus: *Alcione mœrens in luctu deceſſit*: Hanc tamen Apollodorus Cleopatram nuncupat lib. 1. bibl.: *At Meleager Cleopatræ Ideæ, & Marpeſſæ filius*; & paucis interjectis: *poſt Meleagri interitum Althea, & Cleopatra ſeſe dilaniarunt*.

12. Ad ejus pedes lagenæ duo panniculis incumbentes jacent, quæ, ni valde fallor, ad futurum Meleagri funus, & ſepulturam alludunt; ſolebant enim ingenioſi ſculptores, ut tria fabulæ tempora exprimerent, parerga quædam addere, per quæ non ambiguo judicio futura etiam deſignarent. Itaque in Thuſcorum urnis, in quibus aliqua lugubris actio, ſed nondum completa deſignatur, ſæpe cinerariæ urnæ interponuntur, ìta exprimentes quò actio tenderet. Quapropter Muſ. Etruſc. tom. 1. fab. 84. ſub pueri equitantis imagine, atque ad tres Deas fortaſſe Inferas intendentis (quo typo facile animæ illius tranſvectio indicatur) urna cineribus continendis adparata obſervatur. Eamdem cæremoniam pari urna ſubjecta iterum videas tab. 169. In altera tab. 103. Eteocles, & Polynices mutuis vulneribus procumbentes ſauciati, ſed nondum extincti cernuntur, quorum alter cinerariam hydriam futurum ſepulcrum complectitur. Iterum tab. 146. Elpenoris funus nobis prodit, qui nondum exanimis in terram declinat, cui gemini vernulæ adſtantes totidem urnas extollunt, unam ad cineres concipiendos, alterum vero ad luſtrales aquas, ut noſtri amantiſſimus, ac doctiſſimus Illuſtrator opportunè demonſtrat; & revera Campanorum, & Etruſcorum ſepulcra, quæ in dies eruuntur, multiplicem hunc vacuarum lagenarum apparatum oſtendunt, quo non modo Goriana opinio fulcitur, ſed multiplicitas urnarum hujus noſtri marmoris explicatur. Forma etiam illarum apprime reſpondet innumeris illis, quas nuper erutas, vel contrectavimus, vel immenſo opere delineatas in lucem proferre contendimus, nam anguſto, & procero collo ſæpiſſime conſtant. Veſtes quoque quibus vaſa hæc inſiſtunt, non ſine ſignificatione abeunt, nam cineribus oppletæ velis circumdabantur. Sic Homerus Iliad.

Flentes autem ſocii pii oſſa alba
Collegerunt in auream phialam, & duplicem adipem
In tentoriis autem ponentes velo ſubtili operuerunt.

Digitized by Google

& in Hectoris funere Iliad.

Oſſa autem collegerunt fratres, ſociique,
Et hæc auream in urnam poſuerunt accipientes
Purpureis velis cooperientes mollibus,
Statim autem in concavam foſſam poſuerunt.

13. Unus reſtat Genius, qui mœrens, & lugens Alcionem, cui ille præſidebat, præ dolore deficientem plangit. Quid vero hoc ſymbolo mortis frequentius in veterum Italorum urnis, in Romanis, immo & in Chriſtianis. Nam vario geſtu, ſemper tamen aptiſſimo, vitæ finem, compreſſis facibus, & quæ ultra ſunt, funera perbelle ſignificant, ut luculenter in notis ad tom. III. Lucernarum, in quibus multiplices horum imagines occurrunt, oſtendimus, inter quas libenter & tuam, Optime Paciaudi, adjeciſſem, in qua Genius dolens cernebatur adjecto lemmate LUGEO, quod quidem ſphragiſma inter rariſſima computandum ſubtractum tibi & ipſe lugeo.

Hæc ſunt, Vir Ornatiſſime, quæ circa id monumentum in maxima temporis anguſtia notare datum eſt. Ut vero exercitatiuncula hæc mea dignitati collectionis, in quam feſtinat, quodammodo reſpondeat, ingenio tuo eam expolire, & exornare non abhorreas.

PAVLLI

Digitized by Google

PAVLLI M. PACIAVDI
CL. REG. PRESBYTERI
HISTORICI ORDINIS HIEROSOLYMITANI
DE
BENEVENTANO
CERERIS AVGVSTAE
MENSORE
ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

TOTIVS DIATRIBES CONSPECTVS.

§. I. *PRAELOQVIVM.*
§. II. *De Menſoribus Operum Publicorum.*
§. III. *De Menſoribus Agrariis.*
§. IV. *De Menſore Riparienſi.*
§. V. *De Menſoribus Domus Auguſtae in Vtroque Imperio.*
§. VI. *De Menſore Caſtrenſi.*
§. VII. *De Menſore Machinario.*
§. VIII. *De Menſoribus Cereris Auguſtae.*
§. IX. *Cur dicatur Anaglyptum Beneventanum Menſorem Frumentarium referre.*
§. X. *Menſorem illum manu arrigere Modium Italicum. Quid cautum ne ejus menſura violaretur.*
§. XI. *Modii publici Frumentarii capacitas, & pondus, ubi non nihil de Menſore Oleario, & Vinario; itemque de Mulctra.*
§. XII. *Quid Modiatio, ſeu μοδίσμον, & Beneventanum Modiaticum, ac Modiolus.*
§. XIII. *Quae Menſorum Frumentariorum Conditio, & Diviſio.*
§. XIV. *Frumentum Numeratum, Numerorum, Numeratorum quodnam fuerit.*
§. XV. *Domicilium ubi nam ſibi conſtituerent ejuſmodi Menſores.*
§. XVI. *Quae Numina ſingulari religione colerent.*
§. XVII. *Quae Jura his attributa, quaeve Actio adverſus illos a Praetore data.*
§. XVIII. *Menſoris, & Modii Symbola apud Veteres Chriſtianos. Diatribes Concluſio.*

V. CL. JOHANNI DE VITA
PAVLLVS M. PACIAVDIVS
Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

§. I.
PRAELOQVIVM.

AM dudum optabam vehementer, VIR ORNATISSIME, ut quoniam tanta in me es benevolentia, is mihi felix dies illuceſceret, quo meum erga Te ſtudium patefacerem, gratumque pectus, aliqua ſignificatione probarem. At quod multum, diuque expetiveram, hodierna luce, aventi animo gratulor accidiſſe. Nimirum id mandas atque a me curari jubes, ut Toreuma, cui iſtic vulgus *Santo Panaro* nomen fecit, interpreter, brevique aliqua commentatione explicem. Dicto lubentiſſime, atque impigre pareo, quo intelligas nullam per me moram eſſe, quin voluntati tuae, pro virili parte mea, obtemperem, officiorumque viciſſitudine, ἀντίδωρον προσφιλῶς exſolvam. Quamquam unum eſſet, quod abs ſuſcepto conſilio diſtraheret, atque avocaret, nempe quod ſcribis, epiſtolarem hanc Diatriben in THE-

Digitized by Google

SAVRO ANTIQVITATVM BENEVENTANARVM fore copulandam egregiis tuis lucubrationibus, in quibus ubique demiratus ſum doctrinae politioriſque litteraturae producta veſtigia, non preſſa leviter ad exigui temporis praedicationem, ſed duratura, dum litterae vigebunt, litterarumque ſtudioſi in pretio ſunt futuri; a quo aditu laudis me longiſſime diſſitum ſentio. Verum, ut ut res ceſſerit, Tibi petenti, aut potius imperanti, periculo meo, obſequi deliberavi. Conſpicienti igitur mihi marmoris iſtius ſpeciem, atque deſcriptionem, quam haud dudum per Tabellarium miſiſti, ſtatim ſubit cogitare, nil aliud referre praeter MENSOREM FRVMENTARIVM. Plures, ut probe noſti, fuere apud veteres, qui hoc uno nomine deſignabantur; utque ea, quae in ſcriptoribus ſparſa, & vage disjecta ſunt, in pauca contraham, inde exordium capiendum cenſeo, unde cumulatiſſima diſputatio exhibeatur, animadverſioneſque, τὰς προγνώσεις praemittam varias, quibus etſi ab aliis tradita retractare videor, ea tamen emendatius, & verius legenti proponam; hoc enim perpetuum conſuevi, ut mihi ex Ciceronè exemplum habeam, qui ajebat, ſe in ſingulis libris, quo eſſent deſcriptiores, uti ſemper prooemio, & argumentum ſcribendi, in univerſum, explicare ſolere. Porro quae duae res in eruditis litterarum ſtudiis libera quadam oblectatione animos recreant, atque ſuſtentant, novitas, & copia, ambae, ut haec a nobis ſcribantur, exſtimulant: ſcilicet aut nova, indictaque curioſe hic expendentur, aut ex variis ingeniis excellentiſſima quaeque libabimus, uberiorique oratione inſtaurata, explicataque tradentur.

§. II.

De Menſoribus Operum Publicorum.

Primo itaque quum caeca, ac temeraria animi dominatrix cupiditas Fabros Murarios ad turpem quaeſtum quandoque traduceret, Architecti conſtituti ſunt, qui opera publica, ac aedificia ab illis excitata, aut refecta ad menſuram exigentes, pretium aeſtimarent, & debitam pecuniae ſummam ſtructoribus ſolvendam, jure quodam aequabili, imperarent; dicebantur autem MENSORES, vel MESORES (utrumque enim, forſan Lapicidarum oſcitantia, in antiquis litteratis marmoribus legitur) AEDIFICIORVM. Inſigne eſt de illis apud Plinium teſtimonium in epiſtola ex Provincia Bithyniae ad Trajanum Auguſtum data. Verba apponam: *Diſpice, Domine, an neceſſarium putes mittere huc* MENSOREM; *videntur enim non mediocres pecuniae poſſe revocari a Curatoribus operum, ſi menſurae fideliter agantur* (a). Cui reſpondens Imperator, MENSORES *vix etiam*, inquit, *his operibus, quae aut Romae, aut in proximo fiunt, ſufficienter habeo; ſed in omni provincia inve-*

[a] *Epiſtolarum l.x. ep.xx. Lugduni Batavorum 1669.*

Digitized by Google

inveniuntur (*a*). Gruterus (*b*), Reineſius (*c*), Donius (*d*), Muratorius (*e*), marmora jamdiu protulere ad rem confirmandam aptiſſima. Hi etiam de pretio, & cenſu ſoli, quod aedificiis excitandis concedebantur, definiebant. Hinc Martialis quidam AVGG. LIB. teſtatur accepiſſe a Chreſto, pro podiſmo ſtructionis ſcalariae Seſtertios nummos centum *ſecundum renunciationem* MENSORVM *pro Arae paedatura* (*f*).

§. III.

De Menſoribus Agrariis.

Deinde quamvis homines, Vrbibus conſtitutis, fidem colere, & juſtitiam retinere didiciſſent, & legibus ſua voluntate parere jam conſueviſſent, fieri minime potuit, quin inter finitimos agrorum poſſeſſores controverſiae contraherentur, & alter alterum in jus vocaret; ferunt enim primas inter homines lites de limitibus exſtitiſſe. Tum judex, qui de limitibus cognoſcebat, MENSOREM AGRARIVM, ſeu AGRIMENSOREM mittebat, qui Fundum decempeda metaretur, fineſque conſtitueret, quare Ciceroni FINITOR dicitur (*g*), vel DECEMPEDATOR (*h*), qui pronuntiabat etiam *de ſervitutibus immittendis vel repellendis* (*i*). Exſtat Conſtantini conſtitutio in libr. *de Limitib. Agror. in L.* III. *C. Finium regund.* in haec verba: *Si quis ſuper invaſis ſui juris locis prior detulerit querimoniam, quae fundi cohaeret cum proprietate controverſiae, prius ſuper poſſeſſione quaeſtio finiatur, & tunc* AGRIMENSOR *ire praecipiatur ad loca, ut patefacta veritate litigium terminetur* (*k*). Quamobrem ſub AElio Hadriano Antonino reperitur ſententia lata a Bleſio Taurino MESORE Agrario, qui & LAPIDES TERMINALES poſuit (*l*). Cautum id etiam Gothorum aetate a Theodorico Rege ad dirimendam de Limitibus controverſiam, quae oborta erat inter viros ſpectabiles Leontium, & Paſchaſium (*m*). Sed Tullii locus, quem paullo antea recitavimus, indicio eſt duplicem fuiſſe horum Menſorum claſſem; alii ſcilicet privatorum agros, finium regundorum cauſſa, metebantur; alii adhibebantur a P. R. dimetiendis agris, qui devictis hoſtibus adempti fuerant, & ſubinde, aut plebi Romanae, aut militibus, aut ſociis Latini nominis dividebantur (*n*). Ad primum genus puto pertinere eas inſcriptiones, in quibus MENSORIS officium nullo addito verbo, legendum objicitur, quemadmodum penes Fabrettum (*o*), Doniumque (*p*). Menſor vero agri publici, adjecta nota MENSORIS PVBLIC. definiebatur (*q*).

[*a*] *l. c. ep.* XX.

[*b*] DCXXIII. 8. *Amſtelodami* 1707.

[*c*] *Claſſe* IX. 85. *Lipſiae* 1682.

[*d*] *Claſſe* VIII. 86. *Florentiae* 1731.

[*e*] *In Novo Theſaur. Claſſe* XII. *Mediolani* 1740.

[*f*] *Reineſ. Claſſe* VII. 16.

[*g*] *Orat.* II. *de lege Agraria*. XIII. *Verburgii*. *Amſtelod.* 1724.

[*h*] *Philippica* XIII. 18. *Cavebat etiam L. Antonio, qui fuit aequiſſimus agri privati, & publici Decempedator*. De agro publico mox dicam.

[*i*] Aggen. Vrbicus *de limit. Agrorum Amſtelodami* 1657. V. Cujacium *obſervationum lib.* X. *cap.* II. *Pariſiis* 1658. Herculis Dandini epiſtolas *de ſervit. Praediorum*. *Veronae* 1741.

[*k*] Adeat qui plura volet Briſſonium *de Formulis, & ſolemn. P. R. verbis lib.* V. *Pariſiis* 1583.

[*l*] Excellens illud ingenium Plato libro de *Legibus Dialog.* VIII. *Pariſiis* 1578. ajebat, Deum ipſum lapides terminales firmaſſe ad jurgia terminanda, & inimicitias averruncandas; hinc Deus Terminus pacis praeſes, & arbiter juſtitiae ab ipſo appellatur. Romulum quidem Imperii Rom. fundatorem terminos agro Rom. nullos poſuiſſe, ut cuilibet advenarum in nova Vrbe condenda diteſcere liceret, auctor eſt Plutarchus, *quaeſtion. Rom.* XIV. *Pariſ.* 1724. quod antea, Saturno Rege, factitatum fuerat. Quamdiu enim Italiam Saturnus incoluit, nihil privati juris fuerat, Macrobio teſte, *Saturnal. lib.* I. *cap.* 8. *Lugduni Batav.* 1670. utque Virgilius AEneid. I. accinit, aureo illo ſaeculo,

Nec ſignare ſolum, aut partiri limite campum
Fas erat.

Numa vero Pompilius Secundus Rom. Rex ſuos agros a vicinis, ſignis interpoſitis, diſtinxit ac ſeparavit. *Dionyſ. Halicarnaſs. Antiq. Rom. lib.* II. *Oxonii* 1704.; qui etiam Deo Termino aedem in monte Tarpejo excitavit, eamque *Jovi Terminali* dedicavit. Quae cauſſae effecerunt, ut antiqui lapides illos *Sacros*, ideſt inviolabiles, eſſe voluerint. De horum lapidum inunctione, dedicatione, ac cultu, conſule M. Andream Chriſtianum Eſchenbachium *de Vnctionibus Gentilium Rotterodami* 1700.

[*m*] Caſſiod. *Variar. lib.* III. *ep.* LIII. *Rotomagi* 1679.

[*n*] Sigonius *de Antiq. Jur. Italiae lib.* II. *cap.* 2 *Hannoviae* 1609. Manutius *in epiſt. ad Atticum lib.* II. *ep.* XV. *Venetiis* 1582.

[*o*] *Inſcrip. Domeſtic. cap.* V. *num.* 193. *Romae* 1699.

[*p*] *Claſſe* VII. 180.

[*q*] *Gruter.* MXXXV. 1.

Digitized by Google

§. IV.

De Menſore Riparienſi.

Neque nobis, quoniam id agitur hoc tempore, reticendus videtur vetus lapis, nondum quantum memoriae ſuccurrit editus, quemque, quarto ab hinc anno, legimus in Agro Vicetino. Loquitur ille de quodam MENSORE RIP. ut ipſi interpretati ſumus, RIPARVM vel RIPARIENSI (*a*). At quaenam erant hujus artificis partes? Dicam quod ſentio. Erat is Architectus Hydraulicus, qui doceret, atque praeſcriberet, qua ratione RIPAE, & fluviatiles ſubſtructiones eſſent aggerendae, ne amnis extra alveum procurreret, ac lateralem Fluminis impulſionem. & ripae renixum geometrice comparans, huic maximam tribueret ſtabilitatem, ad agrorum, finitimorumque incolarum tuitionem. Vulgari nomine *Giudici d'Argine* dicuntur. Viget etiamnum iſtorum Collegium apud Ferrarienſes, quorum agri circumfluentium fluminum alluvionibus obnoxii, quam qui maxime. Priſcis temporibus, ut arbitror, juſſa facere tenebantur, quae CVRATORES RIPARVM edixiſſent, quorum mentio non raro injicitur in antiquis epigrammatis (*b*). Eſt apud me opus manu auctoris exaratum, *Marci Mileſii Sarazani I. C. Romani de Tiberis Inundationibus*; quo uno in codice plures afferuntur lapides oculis ſubjicientes quid praeſtiterit, quid reſtaurarit, quid terminarit, ejuſmodi Magiſtratus, penes quem univerſa Tibridis Procuratio (*c*). Vel ad Menſorem Riparum ſpectabat quaeſtiones perſolvere, quae facile oriri poterant, ſive flumen alveum mutaret, ſive aliquid in Ripa aedificaretur, ſive ex flumine aqua deduceretur; quibus litibus proviſum in Digeſto *lib.* LXIII. *Tit.* XI. *de fluminibus* (*d*). Verum haec ita praetereamus, ut tamen intuentes, & ſpectantes relinquamus.

§. V.

De Menſoribus Domus Auguſtae in Vtroque Imperio.

Fuere praeterea MENSORES alii, nempe, qui Principem iter arrepturum praeibant, eique hoſpitium, manſionemve parabant, & quaſi metebantur, ceteriſque Domus Auguſtae familiaribus aſſignabant, ſingulorum nomina aedium poſtibus inſcribendo. Paucula de hujuſmodi MENSORIBVS AVGVSTORVM J. Gutherus (*e*). Fuiſſe autem inter Caeſarum Libertos quam plures, qui hoc fungerentur munere, teſtimonii locum obtinet inſcriptio Columbarii Servorum Liviae, & Caeſarum, quae DIADVMENI LIVIAE MENSORVM DECurionis meminit (*f*). At ubi Imperii ſumma, atque ſedes in Orientem devecta eſt, Menſoribus ejuſmodi praeerat *Magiſter Officiorum*: quicquid vero ab ipſis praeſcriptum, atque enotatum, ſancte inviolateque cuſtodiendum ſanxere Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius in Reſcripto ad Theodotum M. O. *Si quis Menſorum noſtrorum manu, qua deputatas ſingulis quiſque domus enotant, & poſtibus hoſpitaturi nomen adſcribunt, delere non dubitaverit, ad inſtar falſi reus ex hac auctoritate teneatur* (g).

§. VI.

[*a*] Milites, qui Fluminum Ripas per cuneos diſtributi tuebantur, & per certa intervalla extructis munitiunculis, hoſtium aggreſſionibus propulſandis excubabant, RIPARENSES, & RIPARIENSES dicti ſunt. In limitibus maxime Rom. Imperii conſtituebantur; ut in ripis Danubii ad tuendas Pannonias adverſus Sarmatas, in ripis Euphratis adverſus Parthos. Horum ope Aurelianus, teſte Vopiſco, rebelles compreſſit. Caſaubonus *in not. ad Script. Hiſtor. Auguſtae Lugdun. Batav.* 1671. multa de his diſputat. Item mentio fit in Corpore Juris *C. de re militari*, *L. de Caſtris Riparenſibus*. Adeundus Alciatus *lib.* XII. *Oper. tom.* IV. *Lugdun.* 1560.

[*b*] Vignolius ad calcem libri *De Columna Antonini Pii. Romae* 1705.

[*c*] De operibus pilarum, aliiſque in Tiberis ripis exſtruendis conſule Cornelium Meyer Batavum libro de Romulei Fluminis Navigatione *edit. Romae fol. majori* 1685.

[*d*] Multae quidem ex fluminum mutationibus ſuboriuntur controverſiae. Harum promptuarium habes in libro *de Jure Alluvionum Johannis Asmi Jenae* 1675.

[*e*] *De Offic. Domus Aug. lib.* II. *cap.* XV. *Pariſ.* 1628.

[*f*] In editione Italica Blanchinii num. LVI. *Romae* 1727. In Latina Gorii *titulo* XXVIII. *Florent.* 1732.

[*g*] *In Cod. Theodoſiano lib.* VII. *tit.* VII. *De metatis. Lugduni* 1665.

Digitized by Google

§. VI.

De Menſore Caſtrenſi.

His proximi MENSORES CASTRENSES, ſeu Militares, προπαρασκευαστὰι, de quibus Vegetius: *Menſores, qui ad podiſmum dimentiuntur loca, in quibus milites tentoria ſignant* (*a*). In Theſauro Novo Inſcriptionum legimus:

D. M.
CONDATI
ATTONIVS
QVINTIANVS
MEN. EX. CC. IMP.

Rectene, an pro libito ſuo notas illas C. C. in hunc modum interpretatus ſit Muratorius, *Menſor ex Caſtris aut Caſtrenſibus Imperatoris* (*b*), tuo judicio permittam. Horum certe in numerum cooptandos cenſeo binos illos Menſores DONACEM, & HERMETEM, quorum alter BELLONAE (*c*), alter VICTORIAE (*d*) aram dedicaverat. Qui autem ex Menſoribus in bellica expeditione Ducem agebat, inferiori aevo, dictus eſt *Primicerius*, ut eſt videre in C. T. lege ab Arcadio, Honorio, & Theodoſio lata X. Kal. Aug. Ancyrae, Stilicone II., & Anthemio Coſs. *Primicerius* MENSORVM, *ad inſtar Scriniorum, biennio expleto, agentis in rebus ultimi militiam ſortiatur* (*e*). Quid dicam iſtis opus eſſe doctrina? ſine qua, etiamſi quid bene agitur adjuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, ſemper paratum, & utile, & conſtans eſſe non poteſt. Praecepta a Menſoribus tenenda in caſtris movendis, in viis deligendis, in locis anticipandis, memoriae prodita ſunt ab Imperatore Leone Sapiente Baſilii Filio in Breviario Conſtitutionum militarium τῶν ἐν πολέμοις τακτικῶν σύντομος παράδοσις, ſive ut vertit Joannes Checus *de Bellico Apparatu* (*f*): quo in libro imitatus Mauritium domi, militiaeque ſtrenuum Imperatorem, vocat illos ANTECESSORES (*g*). Scripſit iſte, quemadmodum & Leo de diſciplina Caſtrenſi; ſed ſi Gabrieli Naudaeo (*h*) fides, uterque praeceptorum ſuccum traxit ex Onoſiandri *Strategetico*.

§. VII.

De Menſore Machinario.

Sed quoniam omnis hic ſermo noſter ſingulorum enumerationem deſiderat, addendus MENSOR MACHINARIVS (*i*), cujus meminit vetus inſcriptio Saturnino, & Gallo Coss. itemque praeclarus Papiniani auditor Domitius Vlpianus lib. XXIV. ad edictum L. *vel cujus* 7. ff. *ſi menſor falſum modum dixerit: Et, ſi Menſor Machinarius fefellerit, haec actio dabitur.* Hac una voce *Machinarius* decepti ſcriptores aliquot, edictum Praetoris mox relatum aptant, atque accomodant homini Machinis Bellicis tractandis occupato. Valde mihi videntur errare, & in hoc omnis eſt error, quod Juriſconſultos non adierint, a quibus perfacile doceri poterant, Menſorem Machinarium non eſſe diverſum a Menſore agrorum, vel operum publicorum, ſed τὸν ἐπίθετον ad alterutrum revocari oportere. Apertum omnibus id fiet legentibus Guillelmum Budaeum in adnotationibus ad Pandectas (*k*), quem ſequutus eſt pereruditus Gerardus Noodt, hoc titulo (*l*), Menſorem ſcilicet Machinarium dici, qui machinula, ſeu *Norma*, *Gnomone*, *Catheto* utitur, ſive ad probanda

[*a*] *De Arte Militar. lib.* II. *cap.* VII. Adi Godeſcalchi Stewechii adnotata in hunc locum *Veſaliae Clivorum* 1670.

[*b*] *In Novo Theſauro tom.* II. *Claſs.* XII. DCCCCXCV. *Mediolani* 1740

[*c*] Gorius *inſcrip. Etruſ. tom.* II. *Volater.*

[*d*] Gruterus CCXLIII. 1.

[*e*] C. Theod. *lib.* VI. *cap.* XXXIV. *de Menſoribus*.

[*f*] *Cap.* III. *num.* 23. *cap.* IX. *num.* 57. *Lugduni Batav.* 1612.

[*g*] V. Berger *Hiſtoire des grands Chemins de l' Empire Paris* 1622. Franceſco Patrizio *della Milizia Romana. Ferrara* 1583.

[*h*] *De ſtudio militari lib.* II. *Romae* 1637.

[*i*] CONLEGIVM MENSORVM MACHINARIORVM invenies in *Novo Theſauro Inſcrip.* Muratorii *Claſs.* VII. *Mediol.* 1739.

[*k*] *Commentar. in Pandectas ad num.* L. ubi plura de machinula, qua Menſores utebantur, de modo eam conſtruendi, adhibendique, *Baſileae* 1548.

[*l*] *Comment. in Pandectas Coloniae Agrippinae* 1732.

Digitized by Google

banda opera a Fabris materiariis facta, ſive ad deſignandum agrum quadratum aut trigonum, ſicut Menſor decempedator nuncupatur, quod decempeda ad hoc uti ſoleat, vel pertica; nam Geometrae, & Geodatae alias perticam, & decempedam, alias machinam, ſeu normam, vulgo *Quadram*, menſuris agendis uſurpant. Sed γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας qui ad Te haec: jam propius accedam ad ea, quae a Te requiruntur.

§. VIII.

De Menſoribus Cereris Auguſtae.

Quo ſtudioſius mutua hominum colligatio, atque ſocietas retineretur, id maxime cavendum videbatur, ut jurgia, ac diſſidia in mercimoniis amoverentur, & in emptionibus, & venditionibus, fraus, dolus, & πλεονέκτηματα prohiberentur. Quare conſulto magiſtratus, cujus haec eſt vis, ut recta praeſcribat, & utilia conjuncta cum legibus, publicae menſurae fuerunt decernendae, quibus ceterae forent conformes (*a*). Quamobrem Cajus Jctus, quem *Caſſium Longinum* vocat Pancirolus (*b*), *Titum* vero nominat Menagius (*c*) l. 35. ff. *de contrah. empt. Non tamen aliter videtur perfecta venditio, quam admenſa, appenſa, numerata ſit*. At quia omnium frequentiſſima, & maxime neceſſaria *Rei Frumentariae* negotiatio, delecti ſunt homines, qui Modio juſto, & adprobato, Frumenti quantitatem certo cognoſcerent, curarentque, ne cui in commercio fraus inferretur. Hi, quibus id officii demandatum erat, ſplendidiore vocabulo MENSORES CERERIS AVGVSTAE dicebantur. Inter cetera documento eſt Cippus Oſtiae effoſſus, quem quum aliquanto mendoſum edidiſſet Fabrettus, iterum cenſuit producendum V. Cl. Gorius. Dedicatus eſt lapis ad honorem CN. SENTII. CN. F. qui in Colonia Oſtienſi omnibus muneribus praeclare functus fuerat, diciturque PATRONVM ibidem fuiſſe MENSOR. FRVMENTARIOR. CERERIS

[*a*] Difficilis omnino controverſia, nec ejuſmodi, quae hic paucis dirimatur, quis hominum primus menſuras adinvenerit, moremque eas adhibendi induxerit; attamen percommode hoc loco me facere ſum ratus, ſi eam per capita decurram. Joſephus quidem a Caini uſque temporibus menſurarum originem repetit, *Antiquit. Judaic. lib.* I. *cap.* III. *Amſtelod.* 1724. τὴν ἀπραγμοσύνην μὲν ἔτι πρότερον συνέζων οἱ ἄνθρωποι μέτρων ἐπινοίᾳ καὶ σταθμῶν μετέστησαν. *Simplicem illam hominum vivendi hactenus rationem, excogitatis menſuris, ac ponderibus, immutavit*. Quae verba exſcripſit Freculphus ex Monacho Fuldenſi Epiſcopus Lexovienſis *in Chronico lib.* I. *cap.* IX. *Bibl. PP. Lugduni* 1677. Sed haec quam incerta! Nam etſi Cain Urbem Henoch condiderit, &

. . . . . Foecunda rudi ſulcavit aratro
Jugera; & inſperſo retulit de ſemine meſſes;

Attamen non ille Urbis, & agrorum omnium dominus, ita ut apud ipſum univerſa exſtaret annona: poterant cives reliqui agros libere excolere, & natis inde frugibus victitare, nec ea aetate adhuc erat opus venditione, aut rerum permutatione, cujus gratia menſurae, & pondera ſunt adinventa. Fabuloſe etiam plura narrantur de Mercurio, qui quum mercimoniis, & negotiatoribus, praeeſſet, menſuras hominibus quaſi a coelo demiſiſſe perhibetur. Indubia nos, aut ſaltem ſimillima veri quaerimus, non quae iis obvoluta ſunt figmentis. Quare ad commentitiarum fabularum numerum ea inſuper amandamus, quae ex ſpurio Eutropio recitat Gaſpar Waſerus *de menſuris Hebraeorum Tiguri* 1605. *Eutropius Sidonium menſuras adinveniſſe tradit tempore, quo apud Albanos Procas, apud Judaeos Aza regnabat*. Adulterinos eſſe libros illos, qui Eutropio a nonnullis tribuuntur, omnibus perſuaſum; quin probando cum Fabricio, & Glaſſero allaborem. Phidoni potius, aut Palamedi inventio adjudicanda. Audiendus Plinius *Hiſtor. Nat. lib.* VII. *cap.* LVI. *edit. Pariſ.* 1. *menſuras, & pondera Phidon Argivus, aut Palamedes, ut maluit Gellius*, invenit. Porro de Phidone decimo ab Hercule Rege ſcribit Strabo *lib.* VIII. *Amſtelodami* 1707. ἡ μίτρα ἰξιῦρι, τὰ Φειδώνεια καλούμενα. *Et menſuras invenit, quae Phidoneae vocantur*. Palamedem vero Nauplii Euboici Regis Filium multa inveniſſe dicunt; ſed de menſuris non omnino mihi certum exploratumque videtur. (*V. Wolphangi Lazii, Graecia antiqua lib.* II. *cap.* II. *Hannoviae* 1605.) Permirum tandem eſt, quod Ariſtoxenus apud Laertium, Pythagoram primum de hac re Graecos docuiſſe: nam *lib.* VIII. *de placit. Philoſoph. Londini* 1664. legitur: ἡ πρῶτον εἰς τοὺς Ἕλληνας μίτρα ἡ σταθμὰ εἰσηγήσασθαι κατάφησιν Ἀριστόξενος ὁ μουσικός. *Primum in Graeciam menſuras, & pondera induxiſſe ait Ariſtoxenus muſicus*. Sed ante Pythagorae tempora Graecos menſuras, ac pondera ignoraſſe putandum eſt? Nullum fortaſſe tunc in Graecia commercium? Apage iſtiuſmodi delautis, copioſis, exculti ſque jam antea provinciis opinionem. Mendum potius in latina Laertii verſione irrepſit incaute, quum verbo εἰσηγοῦμαι multiplex ſignificatio ſubjiciatur, neque εἰσηγήσασθαι hic reddendum *induxiſſe*, ſed *explicaſſe*; quod ſumptis ex Plutarcho, & Platone exemplis, ſi eſſet opus, facile comprobarem. Pythagoram proinde in Arithmetica ſatis exercitatum arbitror veterum menſurarum proportiones Graecis explanaſſe, certamque inter eas analogiam praefiniſſe. Quod autem ad inventionem ſpectat, probabilius reor, populorum ductores, rerumque publicarum adminiſtratores apud varias nationes menſuras propoſuiſſe, ab exteris mutuo accepiſſe, & pro re nata immutaſſe.

[*b*] *De Claris Interpretibus lib.* I. *cap.* XXVII. *Venetiis* 1587.

[*c*] *V. Amoenitates Juris Luteiae* 1677.

Digitized by Google

RERIS AVG. Itaque fidenter ajo, atque contendo, hominem, quem Toreuma Beneventanum exhibet, horum ex numero fuisse (*a*).

§. IX.

Cur dicatur Anaglyptum Beneventanum Mensorem Frumentarium referre.

Vsitatum id ac in more positum apud veteres, ut in sepulchralibus anaglyptis ea insculperentur symbola, quae de arte commonefacerent, quam mortuus aliquando factitarat, sive illa liberalis fuerit, sive mechanica & servilis. Eam ob caussam Normam, & Libellam referunt monumenta *Architecti*; Librum, & Stylum *Tabularii*; Serram, & Asciam *Fabri lignarii*; Incudem, & Maleum *Ferrarii*; Calceos *Sutoris*; Spatulam, & Vas unguentarium *Medici*; Tibias & Lyram *Musici*; Lituum viri collegii *Auguralis*; quemadmodum etiam observat Philostratus in eorum sepulchris Navem exprimi, qui *ναυπηγίαν*, id est navium structuram exercuissent. Liquet id legenti Boissardum, Gruterum, Reinesium, Fabrettum, Gudium, Donium, Sponium, Muratorium, alioque hujus generis scriptores. Jam vero nostro in marmore quid arrigit, apprehenso funiculo, vir ille, nisi MODIVM, cavae scilicet mensurae genus? Licet ergo huic monumento desit epigraphe, quae vel injuria temporum oblitterata est, vel exsecta ea aetate, qua gentes natione barbarae exitialibus bellis Italiam divexantes, bonas artes exulare jusserunt; Modii symbolum de hominis officio certiores nos facit. Modium esse, quod illic Calathus, vel Cista creditur, ipsius inspecta forma nulli dubitamus. Quamvis enim Modius nunc superne, nunc inferne, vel ore, vel ima sui parte paullulum latescat, vel a subjecta basi circulari ad parallelam, & aequalem in modum columnae, assurgat, facile internoscitur, si anaglypha, & nummismata oculis lustremus. Vbique tribus fulcris incumbit, ubique eamdem crassitiem, rotunditatemque praesefert, ubique uno, vel duplici circulo in orbem constringitur, extra unum illum Mediceum, de quo paullo inferius. Habes quin multa accumulem veterum Modiorum formam apud Gruterum (*b*), & Donium (*c*); in Monumento Gentis PHILOMVSAE, quod nos ipsi, undecimo ab hinc retro anno, evulgavimus inter *Antiquitates Cuprenses* (*d*); in nummis L. Livinei Reguli, Nervae cum lemmate PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO, Antonini Pii ANNONA AVG. &c.

At inquies fortasse ex tot eruditae vetustatis reliquiis nullum hactenus in lucem prodisse monumentum, in quo Modius hujusmodi manubrio instruatur. Ita plane; sed nec Mensor Frumentarius in ullo hactenus effigiatus prodiit. Sane quot quot in toreumatis, nummisque videmus Modios, hi annonam, ubertatem, alimenta populo data, aliaque id genus indicant, quae satis facile in mentem veniunt conspecto Modio, utcumque illic adposito. Sed in Beneventano anaglypho ob rei ambiguitatem, aliquid profecto addendum erat, ut Mensor, non alius Rei Frumentariae administrator sculptus crederetur, neve aliò Modium spectare dubitaretur. Quo autem gestu aptius id exprimi poterat, quam si homo effingeretur Modium reapse manu arripiens? Quo nam modo expeditius pro re nata, officiique sui ratione huc illuc deferre poterat, nisi immissa utrinque fune? Ergo manubrium consulte, optimaque cum caussa additum est, operisque proposito consentaneum videtur, ut nihil supra: alioquin qua ratione moles illa teres, & gravis attolli a Mensore, asportarique commodum posset non intelligo. Nec ullum Tibi injiciat scrupulum manubrium impedimento fuisse, quominus frumentum, frugesque aliae in Modio positae regula peraequarentur. Enim vero non ansulam ferream immotam, perpetuoque erectam hic sculptor apposuit; quae utique molestiam & fastidium attulisset; sed, vide quaeso V. Cl., quam sciens & prudens exstiterit; neque ansam plicatilem effinxit, sed puram putamque funem (ut cuivis contemplanti certissime apparebit), quae vix manu dimissa, intra Modii labrum sponte sua prolabitur, nec ullum negotium homini exhibere potest, dum frumentum admetitur. Nonne hac ipsa aetate Vicanos conspicimus Modios hac fune constrictos ad nundinas deferre, libereque tractare?

§. X.

[*a*] Frumentariorum nomine veniebant nedum, qui Annonae metiendae operam dabant, sed & milites, qui ad jussa Principis facienda mittebantur, Sicarii, Exploratoresque. S. Cyprianus Epistolam ultimam sic orditur: *Cum perlatum ad nos fuisset, Fratres charissimi, Frumentarios esse missos, qui me Vticam deducerent.* Oxonii 1682. Lampridius in Commodo narrat, Antero, instigante Praefecto Praetorii, *per Frumentarios* vitam ademptam. Demum Spartianus in Hadriano: *Et erat curiosus non solum domus suae, sed etiam amicorum, ita ut per Frumentarios occulta omnia exploraret.* Adeundus unus Salmasius ad hunc Spartiani locum. Vide *Scriptores Historiae Augustae Lugduni Batav.* 1671.

[*b*] CCLV. [*c*] *Class.* I. *Tab.* VII.

[*d*] *Dissertazione delle Antichità di Ripatransone Venezia* 1742.

Digitized by Google

§. X.

Menſorem illum manu arrigere Modium Italicum. Quid cautum ne ejus menſura violaretur.

At quemnam revera eſſe dicemus Modium Beneventano Marmore inſculptum? *Siculum* ne, vel *Macedonicum*, *Cyprium*, *Ponticum*, *Ægyptium*, *Syriacum*, *Babylonicum*, *Arabicum*, aut *Romanum*? Modium Italicum P. R. prae ceteris Beneventanos elegiſſe mihi ne in dubium quidem venit, & Beneventi, Coloniae Juliae, Auguſtae, Felicis uſuveniſſe ea omnia, quae Romae obtinuerant, argumentis bene multis ad credendum ducor, tum maxime, quod videam ea in Vrbe, Romano more inſtitutoque Pondera publico loco, AEdilis juri dicundo auctoritate & & impenſa, conſtituta, ut privati mercatores, & venditores ad illorum normam, atque praeſcriptionem annonam univerſam penderent. Debet vel hoc unum Tibi, VIR ERVDITE, Patria tua ſummo honore modo a Te augenda, exteriſque Theſauro Tuo ſplendidior futura, in quo videlicet nunc primum in lucem eductum legent marmor illud litteratum.

M. TANONIVS
FIRMIANVS. AED.
I. D. BASEM. CVM
STATERA. ET. PON
DER. AENEIS
DE. SVO. FECIT.

Romanum itaque Modium eſſe ajo parem atque conformem illi Archetypo, qui in Capitolio adſervabatur, atque curante Praefecto Vrbis ad civitates Italicas P. R. ſubjectas mittebatur, ut ad illius exemplum Modii omnes exigerentur (*a*). Quod vero de Modio dico, id de reliquis menſuris accipi volo. CONCIVM in Capitolio Veſpaſiano Imperante conſtitutum deſcribit Lucas Paetus (*b*): de AMPHORA vero Rhemnius Fannius, quem Romani adeo honeſtarunt, inquit (*c*);

. . . . . quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Quam in rem, ita cogitationes, & diligentiam contulere, ut ad fraudatorum malitiam explodendam, & Tribunitiae rogationes, & Imperatorum leges conſentiant, atque conſpirent (*d*). Referam de multis pauca. Eſt apud Feſtum vetus Plebiſcitum, Silis duobus Tribunis, in hunc modum. *Si. quis. magiſtratus. adverſus. hæc. d. m. pondera.* MODIOS*que. vaſaque. publica. minora. majorave. faxit, juſſitve. re. fieri. dolumve. adduit. quod. ea. fiant. eum. quis. volet. magiſtratus. multare. utei. dum. minore. patris. familias. taxat. liceto. ſive. quis. in. ſacrum. judicare. . . voluerit. liceto.* (*e*). Neque id ſolum in Vrbe illa aeterna, rerumque domina factum legimus, ſed per ſingulas civitates Modios aeneos, aut lapideos, cum ſextariis collocandos edixere Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius lege Conſtantinopoli lata (*f*), ne quis dolus adhiberetur,

[*a*] Etſi J. C. Scaliger, Montacutius, aliique critici Suidam male accipiant, & velut hominem aliorum laciniis, fabuliſque nectendis ſaepe occupatum traducant, hoc tamen non auſim negare, quod ab illo ſcribitur in voce Ὡρεῖον, fuiſſe nempe Conſtantinopoli, prope ad Romanorum conſuetudinem, ante horreum publ. columnam, cui impoſitus μόδιος χαλκοῦς *Modius aereus*, quo ceterorum deſumendum exemplar. *Suid. Lexicon Cantabrigiae* 1705.

[*b*] *De Menſuris lib.* III. *Venetiis* 1573. Iterum protulit Jo. Baptiſta Villalpandus *in Apparatu de Templo, & Menſuris Romae* 1604. Bernardus Lamy *de Tabernaculo Foederis in apparatu Templi Pariſiis* 1720., aliique.

[*c*] Gyraldus *Hiſtor. Poetar.* IV. *Leid.* 1696. Voſſius *de Poetis latinis cap.* IV. *Amſtelodami* 1699.

[*d*] Fuerat Athenis Magiſtratus Μετρονόμων. Hiſce menſurarum inſpectoribus & moderatoribus curae erat ὅπως δίκαια ἔσται τὰ μέτρα τῶν πωλουμένων ut *juſtae eſſent venditorum menſurae*. Porro ex his praefectis *quindecim in Piraeo, novem in Urbe*, teſte Suida, εἰ μὲν εἰς Πειραιᾶ ϑ' δὲ ἄστυ. V. μετρονόμ. *Cantabrigiae* 1705. De hoc magiſtratu vide Poterum *in Archaeologia Graeca lib.* I. *cap.* XV. *Venetiis* 1734.

[*e*] Feſtus *Verb. Publica Pondera. Amſtelod.* 1700.

[*f*] *Cod. Theod. l.* XII. *Tit.* VI. *De ſuſceptoribus l.* XXXI. Andreas Alciatus *Diſpunctionum lib.* VI. *Oper. Lugduni* 1660. multa Ictorum reſponſa de vaſis menſuriſque declarat.

Digitized by Google

beretur, poenaſque impoſuere unde improbi homines ab flagitioſa licentia compeſcerentur. AEneum prototypum Modii eiuſmodi oculis perſpici libet Florentiae in Muſeo Mediceo. Commemorant Reineſius (*a*), Fabrettus (*b*), Mabillonius (*c*), ediditque illius ſchema una cum inſcriptione viriculo caelata, vir veterum monumentorum in primis ſciens & gnarus A. Franciſcus Gorius (*d*). Quae quidem inſcriptio perſpicuis litteris oſtendit MENSVRAS ESSE ad exemplum earum, quae in Capitolio ſunt, PER REGIONES MISSAS. Menſuras vero iſtiuſmodi in Municipiis, Coloniiſve decernere, probare, improbare, conſtat AEdilium munus fuiſſe, cum ex multis, tum ex Doniano Marmore, ab eodem Cl. Gorio feliciter reſtituto (*e*), in quo legimus MENSVRAS ET INIQVA PONDERA ab AEdili P. AElio de medio ſublata. Quamquam non dubito Tibi eſſe perſpecta prima moris hujus primordia, & continuata exempla, quae poni poſſent. Illud igitur tantummodo exponam ſummatim, quod ſi tacitus omnino praeterirem, Tu ipſe vituperares. Porro cautum id a Deo o. M., qui in Levitico, ac Deuteronomio diris devovet malis menſuras iniquas, *Modium* aequalem ac verum adhiberi juſſit, & per Prophetas ſuos multa ac metuenda minatur ei, qui legi obtrectarit. Quam ſane ob cauſſam menſuras in Templo collocatas apud Hebraeos narrant Lightfootus (*f*), aliique rerum Judaicarum ſcriptores. Haec forte intuebatur Imperator Juſtinianus, qui novella conſtitutione edixit, *menſuras, & pondera in ſanctiſſima cujuſvis civitatis Eccleſia ſervari* (*g*) oportere; *idque*, ut ait Cunradus Rittershuſius, *majoris procul dubio religionis ergo, & ut tanto magis avertatur omnis ſuſpicio, & metus corruptelae, ac falſationis* (*h*). Juſtinianum imitati ſunt Theodoricus Gothorum Rex, & optimus Imperator Karolus Magnus. Ex epiſtolis Aurelii Caſſiodorii (*i*), atque Apollinaris Sidonii (k) menſuras publico loco, aut in aede ſacra Theodorici temporibus poſitas ſine controverſia cognoſci docet Johannes Savaro (*l*). Capitularia autem Regum Francorum a Baluzio collecta, verbis minime dubiis commonefaciunt Karolum M. ſanxiſſe, ut menſurae Modiique ſuis in aedibus, veluti tutiſſimo, ac ſacro loco adſervarentur (*m*). Mitto exempla alia percenſere, quibus evincitur, Reges omnes ſapientiſſimos id ipſum diligenter caviſſe, quod primum AEdiles Curules, deinde, immutata Reipub. forma, Praefectus Vrbis, ne Modii pub. menſura violaretur. Apparatiſſima de his tractatio eſt in libro Nicolai Myleri ab Ehrenbach, qui inſcribitur *Metrologia* (*n*).

§. XI.

Modii publici Frumentarii capacitas, & pondus. Vbi nonnihil de Menſore Oleario, & Vinario; itemque de Mulctra.

Duo hic exquirenda videntur; de quibus ſi pauca dixero, ut arbitror, neque ab utilitate eorum, qui legent, neque ab inſtituta diſputatione abhorrebit oratio mea; duo inquam exquirenda videntur de MODIO FRVMENTARIO (nam de Oleario, quem memorat Cato, dicam deinceps:) nempe, quae fuerit ipſius capacitas, quodve pondus? At quorſum exſcribenda, atque iteranda, quae jam Voluſius Maetianus Antoninorum temporibus diligenter, enucleateque litteris mandavit? Si quid tamen proferendum, illud in memoriam revocato, V. Cl., Modium Rom. quodcumque in univerſum ſui capacitate aequaſſe (*o*);

[*a*] *Claſſe* VI. *16.*
[*b*] *Cap.* VII. *num.* 18.
[*c*] *Iter Italicum, pag.* 185. *Pariſiis* 1724.
[*d*] *Inſcrip. Etruriae Tom.* III. *Flor.* 1743.
[*e*] *Claſſe* V. *num.* 26.
[*f*] *Horae Hebraic. in Lucam Oper. tom.* II. *Rotterodami* 1686.
[*g*] *Authent. coll.* IX. *Tit.* XI. *Novel.* 128. *Lipſiae* 1740.
[*h*] *Jus Juſtinian. part.* III. *cap.* XV. *Argentorati* 1629.
[*i*] *Lib.* I. *Ep.* 10. *lib.* XI. *Ep.* 16. *Rothomagi* 1679. V. Goldaſtum *Conſtit. Imperialium Tom.* III. *Offenbachii* 1610.
[*k*] *Lib.* V. *Ep.* VII. *cum Notis Savaronis Pariſiis* 1609.
[*l*] Adnot. ad hunc locum.
[*m*] *Baluzius Capit. Reg. Franc. tom.* I. *Pariſiis* 1677. *Capit. de Menſuris, & Ponderibus ad Ann.* DCCLXXXIX. *& Capit. de villis, Capit. Noviomagenſe &c.*
[*n*] *Hoc eſt de Jure ſtatuendi de Menſuris, & Ponderibus cap.* I. II. III. VII. *&c. Tobingae* 1668. Ne quid populis incommode accideret in Annonae commercio ne dum bonos Principes, ſed Eccleſiam ipſam providiſſe, non uno conſtat teſtimonio. Injuſtos Modios eſſe tollendos, Menſuras aequas retinendas nonne juſſere Concilium Calchutenſe Anno DCCLXXXVI I. can. XVII. Concillium Turonenſe An. DCCCXIII. can. XLV. Concilium Pariſienſe VI. an. DCCCXXIX. cap. III. Concilium Aenhamenſe an. MIX. can. XXII. ? Praeclarum etiam illud, quod eſt in Concilio Francfordienſi an. DCCXCIV. can. IV. *Stauit piiſſimus noſter* (Karolus M.) *conſentiente ſancta Synodo, ut nullus homo umquam carius vendat annonam, ſive tempore abundantiae, ſive caritatis, quam Modium publicum noviter ſtatutum. Labbe Concil. to.* VII. *Pariſiis* 1671.
[*o*] Tabellam paullo abſimilem dedit Michael Neander, ΣΥΝΟΨΙΣ *Menſurarum. Baſileae* 1555.

Digitized by Google

CHOENICES . . . . . VIII.
SEXTARIOS . . . . . XVI.
HEMINAS . . . . . XXXII.
ACETABVLA . . . . . CXXVIII.
CYATHOS . . . . . CXCII.
LIGVLAS . . . . . DCCLXVIII.

In libro de Ponderibus, & Menſuris (*a*), qui Galeno falſo adſcribitur (*b*), Auguſtino Gadaldino Mutinenſi interprete, *ὁ δὲ μόδιος ὁ αἰγύπτιος καὶ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας ὀ. Modius vero AEgyptius, & Italicus habet Choenices octo.* Si vero cum Graecorum menſuris adamuſſim comparetur, *Medimni Georgici* (quod diſtat a Medimno Attico proportione ſeſquialtera) ſexta pars eſt (*c*). Teſtem do Suidam, qui ſic ait: *μέδιμνον ἓν μοδίων ς'· ὡς εἶναι μέτρον ξεστῶν οβ', ἤτοι λιτρῶν ρκ'. Medimnus autem eſt Modiorum ſex; ita ut ſit menſura Sextariorum* LXXII. *ſive librarum* CVII. (*d*). Tradita haec ſunt copioſe ab Eduardo Bernardo (*e*), a Matthaeo Hoſto (*f*), & Caſpare Eiſenſchmidio (*g*). Sed ſi quis a me petat quanti ſingillatim ponderaret, libere reſpondeo, id tuto haud poſſe affirmari, quum Triticum aliud alio facile ſit ponderoſius (*h*). Si tamen de liquidis ſermo eſſet, lux aliqua affulgeret quaeſtioni exſolvendae ex jam recitato Plebiſcito. *Ex ponderibus . publiceis . quibus . hac . tempeſtate . populus . oetier . ſolet . utei . coaequetur . ſedolo . M. quadrantal . vinei . octoginta . P. ſiet. Congius . vinei . decem . P. ſiet . ſex . Sextarii . Congius . ſiet . vinei . duo . dequinquaginta . ſextarii quadrantal . ſiet . vinei . ſextarius . aequus . cum . librario . ſexdemquinque . librae . in . Modio . ſient* (*i*). In quo, ut quemadmodum ſentio loquar, vituperatione minime caret homo, ceteroqui doctus, Caelius Calcagninus, qui in epiſtola ad Bernardinum Barbulejum (*k*) totus in eo eſt,

[*a*] Georgius Agricola *de Menſuris lib.* I. *pag.* 73. *Pariſiis* 1533. Perottum reprehendit, qui affirmarat. Modium capere Sextarios XXII., Modiolos vero IV. At eam licebat Perotto afferre excuſationem, S. Epiphanium anteceſſorem ſe habere: nam libro *de Menſuris & Ponderibus* §. XXIII. diſertis verbis ait: *μέτρον ἡμῖν ἐγενήθησαν κβ' ξέσται: Modius menſura nobis eſt Sextariorum viginti duorum. Operum tom.* II. *Pariſiis* 1622. Nihilotamen minus, quia Modii pro variis regionibus inter ſeſe diſſimiles fuere, comprobari forte poterat ea ſupputatio de Modio aliquo, ad quem Epiphanius ſcribendo reſpiceret, numquam vero de Romano, de quo ſermo eſt. Quod ad *Modiolos* attinet, incerta profecto eorum capacitas, atque inconſtans: quare labans quaevis comparatio a Perotto inſtituta. Ceterum, qui hoc ſibi ſumit, ut alium in quopiam corrigat, legem ſibi ipſi indicit, ut eodem careat crimine; at Agricolam menſurarum initia ignoraſſe perſuaſum omnino fuit Latino Latinio, homini in hac re ſupramodum diligentiſſimo. *Latini Latinii Viterbienſis Ep. & Obſervationes tom.* I. *pag.* 385. *Romae* 1659.

[*b*] *Lutetiae* 1639.

[*c*] Leonardus de Portis Ic. Vicetinus *de Munſuris lib.* II. *Romae* 1524., ſic ſcribit: *Cicero mihi ſufficit in Verrina quarta: in qua pluribus locis computando, demonſtrat Modium eſſe ſextam partem Medimni. Nec ignoro in vita Pomponii Attici legi fuiſſe ſeptimam, ſed ibi locum eſſe corruptum auctoritate aliorum convincitur.*

[*d*] *In Lexico voce μέδιμνος.*

[*e*] *De Ponderibus & Menſuris antiquis lib.* III. *Oxoniae* 1688.

[*f*] *De Veter. Menſuris Lipſiae* 1692.

[*g*] *De Pond. & Menſ. Argentorati* 1738.

[*h*] Nihil ad me attinet, aut veterem Modii capacitatem, ſubductis rationibus, cum novis menſuris conferre; quandoquidem id praeſtitere plerique ſcriptorum, quos partim indicavi, partim tacitus praeterii: aut eorumdem ſupputationes extricare, atque corrigere: ſed aequi bonique facient, ut credo, ἀρχαιόφιλοι, ſi ex Latino Latinio experimentum Romae captum depromam, inque lucem nunc primum proferam. Scilicet ad calcem libri Lucae Paeti, huic noſtrae Bibliothecae S. Silveſtri addicti conſuta, atque compacta eſt chartula, manu Latinii Viterbienſis exarata, ex qua rem ſcitu dignam licet cognoſcre. Sic habet:

Anno Domini 1561. *die* XIIII. *Febr. Cum ex forma pedis Romani ex baſi quae eſt in hortis Vaticanis accepti; & ex* XI, *qui prolati a diverſis ſunt; cum* VIII *congruentes, quadrantal ex pedalibus ligneis quadros excitaſſem; compertum eſt ejuſmodi vas aquae fluviatilis defecatae libras octoginta Rom. ponderibus quibus civitas publice ſignatis utitur, omnino capere. Atque cum octo congiis antiquis ita congruere, ut neque minus quicquam, neque amplius inter utraque eſſet. Idem autem quadrantal tritico plenum, ita ut qua maxima potuit diligentia, leviſſime impleretur, quadraginta octo libras non exceſſit, aequatum tantum labrorum tenus, & radio eraſum. Quare ea ratione Modius, qui tertia quadrantalis pars eſt, non integras viginti libras, ſed paullo minus continet: ſi vero ſuccutiatur quadrantal capit libras* 64. $\frac{1}{2}$, *ita ut ſinguli Modii libras viginti unam ſemis capiant. Huic experimento adfuerunt R. D. Antonius Auguſtinus, nunc Epiſcopus Ilerden., Jo. Baptiſta Sighicellus Epiſcopus Faventinus, P. Octavius Pacatus. Achilles Maffejus. Achilles Statius. Benedictus AEgius. Fulvius Urſinus. Latinus Latinius. Quos omnes Antonius Auguſtinus invitarat ad coenam.*

Latinus Latinius.

[*i*] *Feſt. ubi ſupra.*

[*k*] Inter Opera ejuſdem *Baſileae* 1544.

Digitized by Google

eſt, ut probet, MODIVM antiquis in uſu *Aridorum*, nuſquam vero *Liquidorum* fuiſſe (*a*). Recitat ille ſcriptorum teſtimonia bene multa, quibus Modium a Latinis, Tritico, Hordeo, Nucibus, Oleis, Leguminibus, metiendis, pendendiſque uſurpatum dicitur, quod ad Graecorum conſuetudinem factum exiſtimat ex eo Suidae loco, *μέδιμνος μέτρον ἐςὶ ξηρῶν, Medimnus eſt menſura rerum ſiccarum* (*b*). Verum quod Barbulejo exprobat Calcagninus, id ei omnino vitio vertendum, nempe totam ejus argumentationem *ἀμφιβολίᾳ* laborare. Scriptores, quos denuntiat, verba faciunt de Modio Frumentario, aut Oleario, ſive quovis alio, pro aridis agrorum frugibus: numquid pernegant liquidis penſandis non adhibitum? Nihil hujuſmodi. Quare perperam a Calcagnino translati ſunt ad alterum negandum teſtes, qui nonniſi genus unum dicendo inſequebantur. Quid Plebiſcito reſpondet? Quid veteri menſurarum laterculo, quem paullo ante conſulto retulimus? Quumque in ea Modius in minores menſuras tum aridorum, cum liquidorum indiſcriminatim dividatur, nonne argumento eſt, Modium utriſque inſerviſſe? Quod ſi id ſibi dari poſtulat Calcagninus *aridis prius, quam liquidis menſuras fuiſſe adjudicatas*, facile concedimus, quod tenuiter, & nugatorie dicitur. Contra vero ſunt, qui animis opinionem imbiberunt, *Vas anſatum*, quod in veterrimis Graecorum nummis viſitur, menſuras liquidorum inventas, aut reſtauratas ſignificare; quapropter fluidis primum, deinde ſiccis rebus adaptatas exiſtimant. Sed nunquam in eam ſententiam traduci patiar, quum hodie nulli ſit ambiguum plerumque vaſa illa praemia agoniſtica denotare, ſive, ut Homerus ait, *ἆγλα ἄεθλα ſplendida certaminis munera*, quibus donabantur athletae, qui ludendo victores evaſiſſent. Sane inter haec recenſet Athenaeus *κυλίκια* (*c*), Pindarus vero *ὀινήρας φιάλας* (*d*). Atque haec quidem de Modio Frumentario (*e*). Quid jam Olearius? De eo ſcriptum legimus a Catone de R. R. cap. CXLIIII. *Omnem Oleam puram metietur Modio Oleario*; & cap. CXLVI. *Modio Oleario menſum dato unguinis pondo* $\overline{X}$, *ponderibus Modiiſque Domini dato iri colytas duas*. Nihil ad hoſce M. Catonis canones, qui difficiles explicatus habere videntur, attulere viri eruditi, quorum adnotationes collegit perdoctus Matthias Geſnerus (*f*). Verum id unum, mea ſententia, elicitur Oleae dividundae, aut vendendae certum, ac peculiarem Modium exſtitiſſe, qui etiam vindemiae pendenti pretio mutandae adhibebatur (*g*). Maximum apud Romanos *Olei Vinique* mercimonium, & emporema; quae duo Romam ex finitimis, aut longinquis regionibus, prout opus erat, advehebantur (*h*). Exinde factum, ut in antiquis marmoribus NEGOTIATORES OLEARII (*i*) & VINARII aliique (*k*) celebrentur. Fuiſſe haec in Portubus, in Emporiis, in Foris nundinariis diligenter admenſa nemo ambiget, niſi qui plane ignoret Romanos Annonae publicae ſupra fidem ſtudioſiores fuiſſe: quapropter creditu etiam proclive eſt, certos homines eos addixiſſe, qui in iis dimetiendis operam ſuam collocarent. Nunc quoniam e re frumentaria ad ceteras agreſtes gazas delapſa eſt oratio, mihi perſuadeo,

[*a*] Bartholomaeus Beverinus in Syntagmate *de Pond. & Menſ. Lipſiae* 1711. MODIVS *menſura Romana, erat tertia pars amphorae, ſexta medimni: continebat Sextarios* 16. *Heminas* 32. *aquae, ac vini libras* 26. $\frac{2}{3}$ *Frumenti* 20.

[*b*] Si quid in hoc minus acute vidit Calcagninus, in eamdem culpam vocandus Lucas Paetus, qui *loc. cit.* ait, *Modium eſſe tantum menſuram aridorum*. At ſi ita res eſt, eccur illum dividit in minores menſuras, quas pro liquidis certiſſimo ſcimus uſurpatas? Quid *calices Modiales* illos eſſe affirmat, qui Modio vini eſſent capaces? Nihil a Paeti ſententia diſtat opinio Petri Ciaconii *de Menſuris Romae* 1608, aliorumque: ſed rationes, non ſplendida nomina quaerimus. *Modia aquae duo* memorat Commentarius de geſtis Aldrici Cenomanenſis in *Miſcellaneis Baluzii tom.* III. *Pariſiis* 1670.

[*c*] *Lib* II. *Lugduni* 1657.

[*d*] *Nem. Ode* X. *Salmurii* 1620.

[*e*] Non in id ſane incumbo, ut libros omnes enumerem, in quibus argumentum hoc pertractatum; de Codicibus tamen Mſſ., quos nobis contigit vidiſſe, aliquid admonebo. Primus eſt libellus oppido elegans *de Ponderibus, & Menſuris*, in noſtro S. Silveſtri Archivo adſervatus, quem ſaeculo XVI. elucubravit Ordinis mei alumnus graece, & hebraice doctus, maximuſque rerum Biblicarum interpres Antonius Agellius Epiſcopus Acernenſis. Alter, qui etiam inſcribitur *de Ponderibus, & Menſuris*, exſtat inter Cod. Vatic. num. 3906. fol. 23., ſtudio Colotii Epiſcopi Nucerini. Operam omnem illum poſuiſſe, ut pleniſſime de hoc diſputaret, ex ſchedis ipſius conſtat; ac de eo Fridericus Ubaldinus diſerte narrat: *Latine, praeter epigrammata, occaſione Pedis, & Sextarii, quos apud ſe habebat, Angelus ſcripſit opuſculum de ponderibus, & menſuris, a Luca Paeto, & aliis laudatum*. (*Vita Angeli Colotii pag.* 74. *Romae* 1673.) Sed quod ſupereſt Opuſculum pro adverſariis potius habendum, quum nulla ex parte abſolutum, perfectumque videatur. Alius demum in Pluteis Vaticanis deliteſcit Codex num. 3896. *Miſcellanea de Ponder., & Menſur*, quae Fabio Calvo, & Jucundo, ut creditur, Veronenſi maxime tribuuntur.

[*f*] *Scriptores de RR. cum not. varior. Lipſiae* 1735.

[*g*] Cato CXLVII. *Hac lege vinum pendens venire oportet*.

[*h*] Conſule etiam Huetium: *Hiſtoire du Commerce des Anciens a Paris* 1716.

[*i*] V. Monumentum T. SENTI NEGOT. OLIARII editum a nobis inter *Antiquit. Cuprenſ.*

[*k*] Egit de his Blaſius Caryophilus in eleganti Diſſertat. *De Mercaturis Antiquorum Romae* 1718.

Digitized by Google

VIR CL. quod non modo facile patiare, ſed gaudeas eruditam a me exhiberi deſcriptionem aenei ſigni antiqui operis, quod huc praeclare facit; hocque mihi libentius aſſumo, quod monumentum hactenus non fuerit prolatum, & quae ſcribo ab aliis non ſint diſputata.

Cernis itaque Pecuarium vepreto inſidentem, caprina pelle corpori injecta, & ad dexterum humerum nodo religata, quae a tergo defluit, laevumque corporis latus partim obtegit. Extrema pellis pars, bifiduſque pes, & cauda inferne elegantiſſime decidunt, ut omnia concinne, & ad artis praecepta ſtatuarius effinxerit. Paſtor exertis bracchiis vas Cylindriforme circulis paullulum prominentibus revinctum complectitur, quod decuſſatis cruribus etiam ſuſtentat, atque ſuffulcit. Contuendum mihi humaniſſime obtulit P. Contucius S. J. in Romano Collegio Muſeo Praefectus, quem merito appellabo, quemadmodum Cicero L. AElium, antiquitatis, veterumque Scriptorum litterate eruditum. Equidem ea primo animum ſubiit cogitatio, Vas *Modium* eſſe, hominem vero *ruſticum Menſorem*, qui ſederet, operam locaturus Colonis, ſi ad oleam, ceteraſque fruges metiendas acciretur. Verum frontis capillitium, & veſtis paſtoritia, planeque montana admonuerunt de Mulctra potius, ac de Pecuario eſſe cogitandum. Igitur veroſimilius autumo vas eſſe *Mulctrale*, in quo nempe Vaccae, Capreaeque mulgerentur, & lac exciperetur; de quo Virgilius (*a*);

. . . . . *implebunt Mulctralia vaccae.*

& Horatius (*b*):

Illic injuſſae veniunt ad Mulctra capellae.

Graecis vas iſtiuſmodi dicebatur πέλλα, πέλλη, & πέλλις, accurateque deſcribitur ab Athenaeo in haec verba: πέλλα ἀγγεῖον σκιφοειδὲς πυθμένα ἔχων πλατύτερον, εἰς ὃ ἤμελγον τὰ γάλα. Ομήρος

. . . . . ὡς ὅτε μυῖαι
Σταθμῷ ἔνι βρομέωσι περιγλαγέας κατὰ πέλλας (*c*),

τοῦτο Ἱππώναξ λέγει πελλίδα. *Pella ideſt Mulctra, Vas eſt ſcypho ſimile latiore fundo, in quo lac mulgebant. Homerus*

. . . . . *veluti muſcae*

Cum in pecorum ſtabulis murmurant ad Mulctras lacte plenas (*d*). Sed veterrimus Homeri Scholiaſtes *Gaulum* appellat; γαυλοὶ ἀγγεῖα ποιμενικὰ σκαφοειδῆ εἰς ὃ τοιμένες ἀμέλγοντες δέχονται τὸ γάλα, *Gauli vaſa paſtoritia excavata, in quae paſtores mulgentes, lac excipiebant* (*e*). Neque moleſtiam hoc loco creat, quod Mulctrale πυθμένα ἔχων πλατύτερον *latius fundum* haberet; nam praeter quam quod in noſtro monumento Mulctrae epibaſim aliquanto capaciorem video, accidit profecto de ejuſmodi vaſis, quod de Modiis, quos non ſemper eadem, conſtantique figura exſtitiſſe, jam inter nos liquet. Sed quid, amabo, geſtu conficit Pecuarius? Num Mulctram ita aptat, ut inde hau-

[*a*] *Georgic.* III. *Venetiis* 1549.
[*b*] *Epodo* XVI. *Baſileae* 1595.
[*c*] Homeri carm., quae Iliados β leguntur, praeter mox ab Athenaeo recenſita, haec ſunt:

Ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλὰ,
Αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν
Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα φύρει,

Veluti muſcarum frequentium gentes multae,
Quaeque in ſtabulo paſtorali errant,
Tempore in verno, quando lac vaſa madefacit.

[*d*] *Deipnoſoph. lib.* XI. *edit. Caſaubonii Lugd.* 1657.
[*e*] *Baſileae* 1551.

Digitized by Google

hauſtum faciat? Ad vivum expreſſus mihi objicitur unus e numero Paſtorum, quos deſcribit Hipponax, eo quod poculis carerent,

Ἐκ πελλίδος πινόντες
Ex mulctra bibentes (*a*).

Non ergo in poſtremis habendum antiquum hoc ſignum, in quod Poetae narratio aptiſſime quadrare videtur. Haec dixi brevius equidem, quam res fortaſſe peteret, ſed ad id quod agimus, non fuit dicendum pluribus.

§. XII.

Quid Modiatio, μοδίσμον, & Beneventanum Modiaticum ac Modiolus.

Antequam ab nacti ſermonis materia abſcedo, pauca etiam libet afferre de MODIATIONE; ſunt enim haec ea, in quibus cum ſumma utilitas exſiſtit ad res ponderandas, tum maxime ingenua delectatio, digna ſapiente. Codex Juſtinianaeus (*b*), itemque Theodoſianus (*c*) Modiationem commemorant, quam nihil aliud fuiſſe, niſi menſuram, quae per Modios fiebat, liquido apparet: cujus cauſſa certa frumenti quantitas civibus, aut militibus diſtribuenda, hoc nomine, quaſi compendii gratia, appellabatur. Ita etiam *Ius Navale Rhodiorum*, evulgatum a Marquardo Frehero (*d*), μοδίσμον vocat: δεῖ εἶναι τὸν χιλίαδα τῷ μοδισμῷ χρυσίων πεντήκοντα, μετὰ πάσης τῆς ἐξαρτίας αὐτῶ. *Oportet Chiliadem Modiationis eſſe ſolidorum quinquaginta cum omnibus armamentis ſuis*. Quae quidem formulae non ſolum remotiſſimis a noſtra memoria temporibus communi ſermone uſurpatae reperiuntur, ſed in Chartis, aliiſque Medii aevi monumentis apud Du-Freſnium in Gloſſario. Sed in iſthac tua praeclara Vrbe Langobardorum aetate vocabulum diverſe efferebatur, & MODIATICVM dicebatur. Quorſum tamen haec oratione attingam? An virum alloquor, cui non cognitum perſpectumque *Capitulare* Sicardi Beneventani? Dum Vrbem ſummo cum imperio ille obtineret an. DCCXXCVI, notiſſimaſque conderet leges ad hominum rationes, fortunaſque tuendas, praeſcripta ſua, per ſumma capita digeſſit, quorum XXXIV. *de Modiatico*, XXXV. *de Reſponſatico*, *& Modiatico* (*e*). Poſtremo, quia qui ſingula diligenter non enodant, vera falſis quandoque confundunt, hoc certe vitio non carent Scriptores, qui vocis analogiae fidentes, MODIOLVM ad fruges minutas metiendas deputatum credidere, quum revera ſit Vas Menſarium potui paratum, ut phiala, & trulla; unde actor apud Plautum Vini Modiolum dare promittit (*f*). Hoc item nomen Vitruvius indidit vaſculis quadratis organo hydraulico aptatis ad hauriendam efferendamque aquam e puteo, vel lacu, vel flumine, eamque in caſtellum infundendam (*g*).

§. XIII.

Quae Menſorum Frumentariorum Conditio, & Diviſio.

Sed revertor ad illud, quod eſt in hac omni mihi diſputatione propoſitum, deque Menſorum Frumentariorum Conditione, Varietate, Domicilio, Religione, Immunitatibus, & Actionibus inquiramus. In duos autem ordines, ut mihi quidem videtur, tribuebantur; alii enim artem factitabant ſingulis vicibus mercede conducti a privatis perſonis, alii Sacro AErario P. R. inſerviebant, addictique erant annua ſtipe, ad frumentum metiendum, quod ex provinciis convehebatur, & in publica Horrea importabatur. Praefecto Annonae, ut Cujacio placet (*h*), vel alteri ex Curatoribus Frumenti dividundi morigerabantur: delato autem ad Orientem Imperio, ſub cura erant *Comitis Sacrarum Largitionum* (*i*). Imperatores Valentinianus, & Valens ad Voluſianum, dum ea conſtituunt, quae in erogatione Annonae, & Frumenti jam horreis inlati, erant praeſtanda, haec addunt: *Ad iſtud autem negotium, arbitratu, ac judicio tuo, nobilis, prudens,*

[*a*] *loc. cit.* [*b*] *Lib.* VI. *de Naviculariis*.
[*c*] *Lib.* XII. *Tit. eodem*.
[*d*] *Tom.* II. *Jur. Graec. Leunclavii cap.* XVI. *Francofurti* 1596.
[*e*] Camilli Pellegrini *Hiſtoria Langobardorum Principum Neap.* 1751. Muratori *Rer. Ital. Script. tom.* II. *Mediolani* 1723. Per ea tempora jus Ponderum & Menſurarum, quod inter Principatus jura recenſendum, aliquando ad privatos homines Principum munificentia translatum. V. Muratorium *Antiq. Ital. Medii Aevi Diſſert.* XIX. *tom* II. *Mediolani* 1732.
[*f*] *Ciſtellaria* VI. *Lugdun. Batav.* 1664.
[*g*] *Architect. lib.* X. *cap.* IX. *Amſtelod.* 1649.
[*h*] *In lib.* IV. *Priores Cod. Juſtin.* XLII. *de Offic. Praef. Annon.* V. etiam Pancirolum *in Comment. Notit. Dignit. Imper. Occident. cap.* V.
[*i*] *Traité des Finances des Romains Paris* 1740.

Digitized by Google

dens, fidelis, optime ſibi conſcius, pro integritatis meritis adponatur cuſtos ac MENSOR, *qui vel Frumenta Modio metiatur, vel juſtis aeſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito* (*a*). Quibus verbis in difficilem nos incidiſſe nodum fortaſſe videbitur. Menſores Frumentarios libertos ac ſervos exſtitiſſe (*b*) palam eſt ex iis, quae paullo antea diximus. Monet id etiam veſtimenti genus, quo Menſor Beneventanus induitur in hoc veteri marmore, nempe quod artifici maxime conveniens eſt. Qua cauſſa ergo *Nobilem* eſſe oportere edixit Valentinianus? Sed haec facile ad concordiam adducuntur a Juriſconſultiſſimo Jacobo Gothofredo (*c*); ſcilicet referenda Imperatoris verba non ad generis nobilitatem, ſed ad mores, quos integros, praeclaros, fraudiſque puros in Menſore publico requirit. Licet enim is nobilis maxime dicatur, qui clariſſimo patre eſt natus, hoc etiam vocabulo apud Latinos appellatur, qui in arte aliqua praeſtans, & excellens eſt, vel qui probitatis commendatione boni viri denominationem tuetur. Ab iis tamen excipio, libenterque ſecerno MENSORES operum publicorum, quos eruditis, & artium liberalium profeſſoribus accenſendos legibus erudimur. Nam quum crederent veteres inter tales perſonas locationem, & conductionem non intercedere, ſed (quemadmodum loquitur Dionyſius Gothofredus (*d*) in Julium Paullum) magis operam beneficii loco praeberi, hinc, quod illis datum, ad remunerandum dabatur, nec *Merces*, ſed *Honorarium* dicebatur. Cujacius vero erudite ſapienterque *Pulveraticum* appellat (*e*). Non clam me eſt, Jctum Germanum Chriſtianum Thomaſium, in ſcholiis ad Vlricum Huberum, ſcribere Menſores Agrarios non tantae dignitatis homines fuiſſe, ut ex locato conveniri non poſſent. Diſcrepat tamen ſententia Huberi, qui mediam inter artium eruditarum profeſſores, & mercenarios artifices conditionem illos obtinuiſſe rebatur (*f*). In qua opinionum varietate Hubero potius, quam Thomaſio, me judice, adjungenda fides, ſi de Menſoribus, quos initio hujus commentationis enumeravimus, ſermo ſit; verum ſi de FRVMENTARIIS quaeſtio erit, illos & infimo genere editos, & humillimae ſortis homines ſemper habitos affirmo.

§. XIV.

Frumentum Numeratum, Numerorum, Numeratorum, quodnam fuerit.

Aliud praeterea fuiſſe Menſorum Frumentariorum genus maximo eſt argumento inſcriptio, quae proſtat in veteribus Apiani Collectaneis (*g*):

D. M.
PRIMVLAE . COMITILLAE
QVAE . VIXIT . ANNIS . XX.
CIVES . MEDIOMATRIX
A . MATERNIVS . NEAMVSVS
STRATOR . COS. ET
L. LVCINVS . MENSOR
FRVMENTI . NVMER.

Cujus extremum verbum, vel NVMERATI, vel NVMERORVM, vel NVMERATORVM ſupplendum oſtendam. Cauſſas cur ita decernam, habe. Erat Frumentum *Numeratum* idem ac *Stipendiarium*, *Decumanum*, & *Imperatum* (*h*); quod ſcilicet ex agris vectigalibus exigebatur; nam ut a Plu-

[*a*] *Cod. Theod. lib.* XI. *Tit.* XIV. *de conditis in publicis horreis*. Lex deſumpta ex *C. Juſtin. l.* X. *Tit. eodem*.

[*b*] Hinc illud in lib. *de Nominibus propriis τῶν Παιδίων Florentini* cap. V. *Divus Marcus & Lucius Imperatores Flaviae Tertullae per Menſorem Libertum reſcripſere*. V. Everardi Ottonis Theſaur. tom. I. *Baſileae* 1741.

[*c*] *Adnot. in C. T. ad hunc Tit.* Nihil ego Gothofredi auctoritati detractum volo; quid tamen ſi proprietas illa nobilitatis non Menſori, ſed Cuſtodi fuerat tribuenda?

[*d*] *In Corpore juris ad banc L. Amſtelod.* 1663.

[*e*] *Lib.* IV. *Obſervationum cap.* XXVIII. *Pariſ.* 1658.

[*f*] *Schol. ad Hub. Praelud. ad L.* Si Menſor. *Lipſiae* 1735.

[*g*] *Ingolſtadii* 1534.

[*h*] Vix ullum eruditorum eſſe credo, cui non manifeſtum planius haec a Cicerone eſſe diſputata lib. III. contra Verrem, ubi explicat varia agrorum vectigalium genera. Erat veſtigal *Stipendiarium*, quaſi victoriae praemium, bellique poena. Aliud erat, quod ex agris veniebat, qui populis reddebantur, ſed *Cenſoriae locationi* ſubjiciebantur &c. Tullius Verrem carpit, quod haec omnia iniquiſſime perturbarit, injuriamque Siculis intulerit, lege Hieronica ſublata.

Digitized by Google

a Plutarcho ſcriptum legimus: *Ρωμαῖοι τὴν ἀσυγγενῶν χώρας, ὅσην ἐπεπόμοντο πολέμῳ, τὴν μὲν ἐπίπρασκον, τὴν δὲ ποιούμενοι δημόσιαν ἐδίδοσαν νέμεσθαι τοῖς ἀκτήμοσι καὶ ἀπόροις τῶν πολιτῶν ἀποφορὰν εἰς τὸ δήμοσιον τέλεσιν. Romani populorum vicinorum agros, quos bello acquiſiverant, partim vendebant, partim publicos faciebant, & dabant inopibus, & tenuibus civibus, exiguo impoſito vectigali (a).* Plura de varia agrorum vectigalium conditione ſcripta invenies apud Appianum (*b*), Livium (*c*), Aggenum Vrbicum (*d*), & Hygenum (*e*). Vectigal autem erat ejuſmodi, ut Coloni pro menſura jugerum, quae accipiebant, Decumas aerario P. R. inferrent, quae perpetuo Annonam Vrbi ſuppeditarent. Porro eae Decumae non pecunia, ſed Frumento pendebantur. Summa autem totius Frumenti, quod ex Decumis colligebatur, in Tabulis Pub. deſcribi conſueverat, itemque Aratorum numerus annotabatur, nec licebat Praetori, aut Quaeſtori quicquam immutare. Quare Frumentum illud vere, proprieque *Numeratum* communi ſermone dicebatur. Cumulatiſſime de his Burmannus in egregia Diſſertatione *De Vectigalibus P. R.* (*f*). Hoc igitur cognito, ajo L. LVCINVM Menſorem fortaſſe fuiſſe, qui Frumento Numerato, & Decumano metiendo erat praefectus. Praeterea neminem latere arbitror, Militum Cohortes, Legioneſve, Romana lingua, NVMEROS fuiſſe appellatos. Plinius, *Sacramento militari nondum diſtributi in Numeros erant* (*g*), h. e. in Cohortes; quo uno vocabulo ita delectabatur Tacitus, ut tum in Annalibus, cum in Hiſtoria, atque etiam in Agricolae vita, militum turmas *Numeros* jugiter dicat. Quod quam late deinceps patuerit, facile percipi poteſt ex Theodoſii reſcriptis Vicario Aſiae Romuliano P. V. & Stiliconi Magiſtro Militum de corripiendis, multandiſque Militibus, qui *relictis propriis Numeris vagari* deprehenderentur, *de revocandis ad ſuos Numeros*, *de uno Numero in alterum Numerum* transferendis (*h*). Hiſce autem Numeris, Legionibuſque nedum Panis, ſed omnes *Annonariae ſpecies*, aliquando etiam in ſingulos dies, diſtribuebantur; Frumentum nempe, Vinum, Oleum, Laridum &c. quae omnia *Diaria*, vel *Commoda* vocabantur; hinc Ovidius:

Romule Militibus ſciſti dare Commoda ſolus,
Haec mihi ſi dederis Commoda, Miles ero (i).

Quid autem eſt hoc evidentius vix legenti Titulum *de Erogatione Militaris Annonae* (*k*)? Ex quibus intellectum puto dubitari etiam poſſe LVCINVM FRVMENTI NVMERORVM erogandi praepoſitum exſtitiſſe. Poſtremo fac Tibi in mentem veniat id moris Romae ceteriſque Vrbibus, quae Romanis legibus vivebant, ut eſſent *Gradus* quidam publici, non amphitheatrales, ſed alii per Regiones conſtituti, e quibus populo, pro Annona civica panis confectus coctuſque diſtribueretur, dictus ea de cauſſa *Gradilis*; unde Prudentius:

. . . . . *quem panis alit Gradibus diſpenſus ab altis (l).*

idque, ne Frumentum, ſummo familiarum incommodo, in alios uſus diſperderetur. Nihilominus Frumentum ipſum perſaepe erogabatur, quod quiſque oblata *Teſſera* (ſignis nempe eburneis, vel ligneis, vel etiam plumbeis (*m*), in quibus Grani quantitas, nomenque accipientis deſcripta erant) poterant adipiſci. Adiſis Pancirolum (*n*), Tomaſinum (*o*), & Vincentium Contarenum *de Frumentaria Romanorum Largitione* (*p*). Hoc etiam Conſtantinopoli factum docet Socrates Conſtantini iram in Vrbis illius incolas deſcribens: *Ἐζημίωσε δὲ τὴν πόλιν, ἀφελὼν τὴν σιτηρεσίαν τὴν παρασχεθέντος παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτῷ ἡμερησίαν, ὑπὲρ πέντε μυριάδας, ἐκτὼ ἐγγὺς δὲ μυριάδες ἐχορηγοῦντο προτέρον τοῦ σίτου ἐκ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως. Civitatem multavit ex an-*

[a] *In Graccho Pariſ.* 1624.
[b] *De Bello Civil. lib.* I. *Henric. Steph.* 1592.
[c] *Lib.* IV. *Amſtelod.* 1664.
[d] *Ad Frontin. Amſtelod.*
[e] *De Condit. Agror. Amſtelod.* 1674.
[f] *Cap.* I. II. III. *edit. Poleni in Theſaur. Antiquit. Tom.* I. *Venetiis* 1737. Conſule in utroque Codice *Canonem Frumentarium Vrbis Romae. Juſtin. lib.* XI. *Tit.* XXII. *Theod. lib.* XIV. *Tit.* XV.
[g] *Epiſtolar. lib.* III. *ep.* VIII.
[h] *C. T. lib.* VII. *de Re Milit.*
[i] *De Arte* I. *Amſtel.* 1654.
[k] *C. T. lib.* VII. *Tit.* IV.
[l] *Adverſ. Symmach. Pariſiis* 1687.
[m] Franciſcus Ficoronius *de Plumbeis Antiquorum Numiſmatibus part.* II. *Romae* 1750. etſi dubia cogitatione diſtrahi affirmet, cui nam potiſſimum uſui a veteribus addicta fuerint fruſtula illa plumbea; id tamen ei veroſimilius videtur exſtitiſſe Teſſeras, quas ferebant, qui Ludos Scenicos vel Athleticos ſpectatum veniebant, quum in hortis, privatiſque locis ederentur. At ſi quid in re adeo obſcura conjectando licet divinare, eccur non dicas fuiſſe etiam *Teſſeras Frumentarias*, eos potiſſimum nummulos, quibus Ceres, Iſis, Fortuna, Spicae, Cornucopiae, notae numerales, nomina quaedam inſculpta ſunt? Hujus certe generis, ut ego quidem ſentio, hi minimum ſunt, qui Modium cum tribus ſpicis triticeis referunt, quemadmodum TAB. IX. *num.* 20. TAB. XIX. *num.* 6. TAB. XXXI. *num.* 3.
[n] *Not. Dignit. Imper. cap.* IV. *ubi ſupra.*
[o] *De Teſſeris cap.* XVI *Amſtelod.* 1670.
[p] *In Theſaur. Graevii Tom.* VIII.

Digitized by Google

ex annona diurna, quam Pater ejus Conſtantinopolitanis donaverat, adimens pluſquam quadraginta millia Modiorum: antea enim octoginta fere millia Modiorum Frumenti ab Vrbe Alexandria advecti civibus erogabatur (*a*). Quibus erogationibus, ſive P. R. largitate, ſive Auguſtorum munificentia fierent, diſpenſatores addicebantur. Huc adducam marmor Cimeliothecae Lapidariae Viri Principis, praeclara eruditione atque doctrina, artiumque elegantiorum fautoris CARD. PASSIONEI, quod cum ſexcentis aliis exſcripſi,

LYSIMACHO
AVG. DISP.
FRVMENTI
MANCIP. FEC.
FL. CORINTIAS

Ad hanc autem Ftumentationem, maxime poſt L. Sempronium, non admittebantur niſi qui Cives Romanos ſe probaſſent, quique in ſuam Tribum eſſent relati. Accedit teſtis Perſius, qui Satyra V. ſic inquit:

Libertate opus eſt, non hac ut quiſque Velina
Publius emeruit, ſcabioſum Teſſerula far
Poſſidet: heu ſteriles veri! quibus una Quiritem
Vertigo facit.

Vbi vetus ſcholiaſtes: *Romae erat conſuetudo, ut omnes, qui ex manumiſſione Cives Romani fiebant, in* NVMERO *Civium Romanorum Frumentum publicum acciperent*. Igitur NVMERATI erant quot quot eo beneficio utebantur (*b*); quae quidem largitio, ut ex ordine, & juſte concederetur, probabile eſt, Menſorem delectum fuiſſe, qui in id potiſſimum incumberet. Quid jam ſi L. LVCINVM huic muneri praepoſitum dixero? Poteſtatem, optionemque Tibi lubens facio, ut ex his tribus Marmoris explanationibus commodiſſimam eligas, & Menſori peropportune adaptes.

§. XV.

Domicilium ubi nam ſibi conſtituerent ejuſmodi Menſores.

Sequitur jam, ut quaeramus, quonam potiſſimum loco domicilium, tectumque haberent MENSORES FRVMENTARII. Hoc quidem a me facile conſtitui poſſe intelligo iis conjecturis, quibus veritas illuſtrari ſolet. Ad Portum Vrbis Romae ſedem fixiſſe eos, qui Frumentum ex Provinciis ſubvectum, & in Horrea pub. condendum admetiebantur, indicio eſt inſcriptio V.C. Ragonii Vincentii Celſi, quae memorat MENSORES PORTVENSES (*c*), quos ſuos *Patronos*, quemadmodum cetera corpora Annonae Vrbicae inſervientia, habuiſſe oſtendit apertiſſime lex ab Honorio, & Theodoſio lata, Titulo *de Suariis & Pecuariis* (*d*). In ipſa autem Vrbe, in qua certum corpus Menſorum Frumentariorum exſtitiſſe apparet ex lib. x. §. 1. ff. *de vacatione & excuſatione munerum*, ubicumque liberet, domos, aras, focos, Deos Penates habere poterant; etſi credibile ſit, Horreis, Gradibus, Foro Nundinario proximiores elegiſſe. In Provinciis autem ſtativa, ſi ita fas eſt loqui, habebant in locis tum maritimis, cum mediterraneis, ubi major agrorum fertilitas Frumenti copiam abunde ſuppeditabat. Et quia Beneventum in ea Samnii parte ſitum,

[*a*] *H. E. lib.* II. *cap.* XIII. *Moguntiae* 1677.

[*b*] Seneca *de Benefic. lib.* IV. *cap.* XXVIII. *Frumentum publicum tam fur, quam perjurus & adulter accipiunt, & ſine delectu morum, quiſque inciſus* (in Tabulis) *eſt*. *Antuerpiae* 1652. Puerorum, ac Puellarum, quibus ex Trajani inſtituto alimenta dabantur, nomina in Tabulis aereis inciſa, deſcriptaque fuerant. V. Plinium *in Panegyrico*. Plura ſane de Pueris Alimentariis, deque in eos Trajani liberalitate per haec tempora ſunt ſcripta, ſed ex Anaglyphis Arcus Beneventani forte opportunitatem nanciſcetur V. Cl. JOH. DE VITA, ut de iis agat accurate. Molis illius, vulgo *Porta aurea*, ἐρίγραφία, & proſpectus delineatio ad fidem archetypi, aeri elegantiſſime caelata prodiit ante paucos menſes ſtudio & impenſa ejuſdem eruditi hominis.

[*c*] *Gruterus* MCCCCLXIII.

[*d*] *C. Th. lib.* XIV. *Tit.* VI.

Digitized by Google

ſitum, quae Campaniae Felici appoſita, quaeque ob mirabilem ubertatem commendatur a Strabone, Mela, Dionyſio, Livio, Polybio, Virgilio, Propertio, Martiali &c., par eſt credere inibi Menſores publicos exſtitiſſe. Ad haec, quod quum Vrbs illa fortunis, frugibus, rerum opulentia floreret, omnium artium collegia habuiſſe, veriſimillimum eſt.

§. XVI.

Quae Numina ſingulari religione colerent.

Eſſe Deos, & eorum providentia mundum adminiſtrari, eoſdemque conſulere rebus humanis, nec ſolum univerſis, ſed ſingulis, ita perſuaſum habuere Ethnici, teſte Cicerone, ut Dicaearchum repudiarent, qui putabat id eſſe alienum a majeſtate Deorum; quaſi DI *minora negligant, neque agellos ſingulorum, neque viticulas proſequantur: & ſi uredo, aut grando quidpiam nocuit, non ſit Jovi animadvertendum* (*a*). Imo quia omnia eorum geri judicio, ac numine gubernari exiſtimabant, Deorum turbam congregarunt, quorum ſinguli ſingularum rerum procurationem haberent. Hinc DI Indigites, Populares, Ruſticani, Topici, Tutanei, Averrunci, Ignoti &c., ut quiſque eos potiſſimum coleret, quos officio ſuo propitios futuros eſſe auſpicabatur. At quaenam ſingillatim Numina MENSORES FRVMENTARIOS precari, & venerari dicemus (*b*)? Cererem Frugiferam, matremque agrorum veluti ſui ordini Soſpitam, ac Patronam imprimis ſingulari religione eſſe proſequutos, non obſcure colligo ex lapide litterato, in quo notatum L. MEMIVM GALBIVM MENSOREM monumentum CERERI dicaſſe (*c*). Eorum ſane θεολογημενοῖς conſentaneum, ut honorem haberent Deae, quam agrorum, frugumque Conſervatricis nomen adeptam occinebant Poetae omnes, ac teſtabantur mythologi. ΣΩΤΕΡΙΑΝ dictam in nummo ΑΠΑΜΕΩΝ reperit Spanhemius, qui illum protulit in adnotationibus ad Hymnos Callimachi (*d*); etſi contendat cognomen illi tributum, non quidem ob Rei Frumentariae tutelam, ſed ob ſervatam Civium concordiam. Praeteriens haec attingo, nam ſplendidius differuntur a viro officioſiſſima mihi neceſſitudine conjuncto, & eruditione cum paucis conferendo Julio Carolo Schlaegero, eximio libro, DE DIS, HOMINIBVSQVE SERVATORIBVS (*e*). Deinde quia ea omnia, e quibus tutelam, praeſidiumque opperiebantur, inter Deos referebant, ANNONAM coelitibus diviſque annumerarunt, ut frugum copiam ubertatemque largiretur, atque ſervaret. Idcirco in nummo Caracallae lemma: ANNONAE AETERNAE, & in alio Severi Caracallae Patris: ANNONAE AVG. Hanc igitur revereri conſueviſſe noſtros Menſores mihi non modo confirmavit, ſed perſuaſit vetus Marmor Gruterianum (*f*):

ANNONAE . SANCTAE
AELIVS . VITALIO
MENSOR . PERPETVVS . &c.

Eadem de cauſſa reor coluiſſe ſummopere DEAM SIRONAM (*g*), VBERTATEM, ETHNIAN, FERTILITATEM, ABVNDANTIAM, FELICITATEM, GENIVM HORREORVM, PROVIDENTIAM, FORTVNAM, atque SPEM, quas in Deorum Minorum Collegium cooptarant, quaſque Frumenti ſpicis inſignitas atque conjunctas conſpicimus in nummis Veſpaſiani, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Severi Alexandri, Conſtantini junioris, aliorumque. Quod ſi Iſim Reginam, quamvis peregrinum numen, jamdiu tamen in Romana templa receptam, ſancte colere, venerarique conſueviſſe affirmavero, aſſenſu tuo, ut puto, comprobabis. Huic etiam Frugum inventionem tributam, totiuſque rei Frumentariae curam concreditam, nulli obſcurum; qua de cauſſa MODIVS ejus capiti impoſitus in nummis ac ſimulacris reliquis apparet: quod quidem ſymbolum, ut ait

 Pigno-

[*a*] *Nat. Deor.* III.

[*b*] Hebraei, quemadmodum narrat Novarinus *Schediaſmata ſacro-proph. lib.* V. *cap.* XII., antequam Fruges menſurarent, inque horrea conderent, hac religioſa formula utebantur: *Placitum ſit tibi, Domine, ut mittas benedictionem in opera manuum noſtrarum. Lugduni* 1635.

[*c*] *Gruter.* XXVI. 10.

[*d*] *In Hymn. Cereris. Ultrajecti* 1697.

[*e*] *Commentatio de* DIS *Hominibuſque Servatoribus ex Numis atque Marmoribus Vetuſtis. Helmſtadii* 1737.

[*f*] LXXXI. 10.

[*g*] V. Eximiam Gorii Cl. Diatriben de *Deo* ΕΤΝΟΣΤΩΙ *Molarum Praeſidi. Memorie della Soeietà Colombaria Tom.* II. *Livorno* 1752.

Digitized by Google

Pignorius, *veluti Frugum parenti adſignarunt* (*a*). Hinc etiam Modium tritico, hordeoque refertum in ſacris Iſiacis apud nonnullos circumgeſtari ſcribit Diodorus: παρ' ἐνίοις ἡ τῶν πόλεων καὶ τοῖς Ισειοις ἐν τῇ πομπῇ μετὰ τῶν ἄλλων φέρεσαι πυθμένας πυρῶν καὶ κεθῶν, ἀπομνημόνυμα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτέχνως ἐυρεθέντων. *Apud nonnullas quoque Vrbes cum Iſea* (Feſta Iſidis) *celebrantur, in pompa tritici & hordei vaſcula circumferri ad primitus Deae induſtria repertarum* (Frugum) *memoriam* (*b*): qua in pompa non ultimum certe agminis locum occupare debebant Menſores. Denique quia *Laeva Numina* verebantur, ea ſcilicet, quae nocendi vim habebant, iiſdemque litabant, valde ſuſpicor Menſores Frumentarios Deum RVBIGVM quoque coluiſſe. *In ipſis autem DIs*, ait Gellius (*c*), *quos placari oportet, uti mala a nobis, vel frugibus natis amoveantur, Averruncus quoque habetur* ROBIGVS. Cl. Juſtus Fontaninus in libello *Delle Maſnade* (*d*), primus omnium dedit lapidem huic Numini dicatum.

DEO . RVBIGO
SACRVM.

Ligoriana vero inſcriptio quaedam apud Vulpium in *Veteri Latio* (*e*), Deum hunc aliorum contubernalem facit.

ROBIGO . ET . CERERI . ET . FLORAE
SAC.

Ei quidem a ruſticis ſacrificabatur, ne ſegetes arroderet. Varro de R. R. *Quarto Robigum ac Floram* (Deos enumerat Agricolarum praeſides) *quibus propitiis, neque rubigo Frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempeſtive florent* (*f*). Item Columella de cultu hortorum:

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis (*g*).

Praetereo quae Plinius l. XXIX. cap. IV. & ad eum locum Johannes Harduinus (*h*), recenſere, ut adhibeatur a me certa ratio, moderatioque dicendi. Igitur quamvis ab agricolis hunc Deum, ſive Deam (*i*) coli, & in ejus honorem Robigalia Feſta Kal. Majis celebrari probe teneam, nihilominus, quia tinea quadam, ſeu rubigine Frumenta etiam quum in navibus ſubveherentur, vel jam horreis condita exedi contingat; id mihi ſuſpicionem efficit aliquam, ut credam noſtros Menſores huic Numini vota praecipuo quodam cultu nuncupaſſe. Fortaſſe etiam obſervantiam praeſtabant Numinibus, quae invocabat Flamen ſacrum Cereale faciens, quaeque enumerat ſpurius Fabius Pictor apud Servium (*k*), ideſt, *Meſſorem*, *Convectorem*, *Conditorem*, qui ſcilicet praeſidio veniebant, dum Segetes falce reſecarentur, ſubveherentur, inque Granaria conderentur. Horum opem implorare, eoſque auxiliatores exoptare Menſores maxime decebat. Exſtat in *Antiquitatibus Hortanis* Epigramma, quod litteratiſſimus Fontaninus explicat ad hunc modum (*l*):

D M

[*a*] *Explicatio Menſae Iſiacae. Venet.* 1605. V. inſuper Pauli Erneſti Jablonski *Pantheon Aegyptiorum, ſive de* DIS *eorum Commentar. part.* I. *Francofurti* 1752. Permulta adhuc eſſe in Ethnicorum Theologia obſcura, atque incognita norunt, atque etiam profitentur ii maxime, qui eruditae vetuſtatis reliquias ſtudioſius contemplantur, atque in iſtis explicandis ſunt exercitati. *Deum Terminum* peculiariter coluiſſe Meſſores, nullo hactenus, niſi me fallo, monumento comprobari poterat. At ita vere fuiſſe, perſpicuum fit ex veteri pictura, recens in agro Romano e ruderibus antiqui aedificii educta, & opera P. Contucii, harum elegantiarum peritiſſimi, in Muſeum S. J. inlata. Viſitur in hac venuſtiſſima Tabella ſignum Dei Termini, more veteri, ex lapide impolito, & ſub dio poſitum. Ante illud Hierophantes ſacrifica veſte amictus, velatoque capite, qui dextera manu Thuribulum attollit, noſtris ſimillimum, vaſculum videlicet aeneum tribus catenulis aequidiſtantibus dependens, eoque Thus Numini ingerit: ad laevam Arae, ſeu ἀνθρώπους ταλαίους, manipuli albeſcentium ſpicarum, voti, & obſequii pignus: non longe Meſſores ſaltatorium orbem verſantes, choreiſque plaudentes.

[*b*] *Bibliothecae lib.* I. *Amſtelodami* 1745. *Curante Weſſelingio.*

[*c*] *Lib.* V. *cap.* XII. *Pariſiis* 1681.

[*d*] *Pag.* 76. *Venezia* 1698.

[*e*] *Tom.* V. *lib.* VIII. *c.* VII. Tomo vero III. *lib.* IV. *cap.* III. *Patavii* 1732. & 1726. ex eodem Ligorio profert ROBIGVMNVM SIGNVM MARMOREVM. Heu nimis fluxa Ligorii fides, & auctoritas, qua ipſe tuto nititur! Sed nolo manes pientiſſimos inſectari acerbius.

[*f*] *Lib.* I. *cap.* I. *Lipſiae* 1735.

[*g*] *Lib.* X. *Lipſiae e. a.*

[*h*] *Pariſiis* 1723.

[*i*] S. Auguſtinus de Civ. Dei lib. IV. c. XXI. *Cur invocandus Deus ſpinenſis, ut ſpinas ex agris eradicet? Dea Rubigo, ut non accederet? Pariſiis* 1700.

[*k*] Maurus Servius Honoratus, *ad Georgic. lib.* I. *verſ.* 21. *Pariſiis* 1600.

[*l*] *Lib.* I. *cap.* IX. *Romae* 1707.

Digitized by Google

D ♡ M
MESSORI
MYSTAE
BATHYLIANENSES.

Ex litteris autem D. M. corculo intermedio, quod eſt ſignum gementis, ſuſpicor hoc epitaphium exſtructum a Bathylianenſibus, quicumque ii fuerint, non Deo Meſſori, ſed Myſtae alicui Meſſori, licet hic efferatur in dandi caſu. Atqui nullis arbitror indulgendum conjecturis in re, ut mihi quidem videtur, omnino perſpicua. Cur non dicas Bathylianenſes Myſtas, aut Fratres Arvales Meſſori cuidam vi aeſtus abſumpto monumentum poſuiſſe? Neque enim homini, cujus memoriae a Myſtis hic Titulus excitatus, MESSORIS nomen fuiſſe crediderim.

§. XVII.

Quae Jura his attributa, quaeve Actio adverſus illos a Praetore data.

Nunc venio ad beneficia, quibus Romani operam, atque induſtriam Menſorum Frumentariorum rependendam cenſuerunt, & quanti fecerint illorum Corpus, irrogatis eidem privilegiis, patefaciam. Optimus legum interpres Julius Paullus, idemque forenſi & judiciali dicendi genere clarus, multiſque honoribus Romae auctus, libro ſingulari *de Excuſationibus l. Menſores* 36. ff. *de Excuſatione* ita ſcribit: *Menſores Frumentarios habere jus excuſationis apparet ex reſcripto Divorum Marci, & Commodi, quod reſcripſerunt Praefecto Annonae* (a). Sed a quo munere vacare eis conceſſum hac lege? Ab injuncto eis quandoque Tutelae gerendae onere, quod praeclarae Immunitatis loco tum temporis habebatur. Munus enim Tutelae, quum implicatum moleſtis operoſiſque negotiis ſaepenumero eſſet, ideo plerique detrectabant, ac defugiebant. Hinc factum cur tam anxie de cauſſis excuſationum quaeratur, ut etiam ſex integros libros Herennius JC. ea de re graeco ſermone conſcripſerit, ex quibus varia capita in Jus Romanum translata. Et quia maxime frequens hujus muneris neceſſitas, idcirco qui alias a muneribus publicis habent vacationem, ab hoc non cenſentur immunes, niſi illud privilegium conceptis verbis ſit indultum (b). Tanti autem olim fuit, ut Romanus Senatus, ampliſſimuſque P. C. ordo, ſummi privilegii inſtar Familiae Gordiani Imperatoris conceſſerit, ejus poſteros a Tutela vacare poſſe. Audiendus omnino Capitolinus: *Familiae Gordiani hoc Senatus decrevit, ut a Tutelis, atque legationibus, & publicis neceſſitatibus, niſi vellent, poſteri ejus ſemper vacarent* (c). Hanc vero immunitatem Menſoribus Frumentariis datam in Vrbe tantum ſe deprehendere ait Cujacius (d), ex eo quod Imperator reſcripſerit Praefecto Annonae. Sed res conjectore non indigebat, quum ipſe met Paullus *Sententiarum Receptarum lib.* I. *Tit. de vacatione, & excuſatione munerum*, id jamdiu dilucide, ac plane docuerit hiſce verbis §. 2. *Corpus Menſurarum Frumenti juxta Annonam Vrbis habet vacationem, in Provinciis non item*: quo quidem loco praetermittenda mihi minime videtur Schultingii animadverſio in Juriſprudentia Antijuſtinianea: *Menſurarum, alii Menſorum, quod ſenſus exigit. Menſuras pro Menſoribus ſumi poſſe, ut Operas pro Operariis, Curas pro Curatoribus, non negavero quidem: ſed Juriſconſulti res propriis nominibus magis ſolent appellare, & maxime in nominando Corpore hominum, certum nomen habent* (e). Quodnam autem fuerit reſcriptum Marci & Commodi,

[a] V. Simonem Leewium *de Orig. Jur. Lugduni Batav.* 1672. [b] L. XV. *Spadonem* §. XII. *de Excuſ.*
[c] *In Gord.* III. *edit. Boxbornii Lugd. Batav.* 1632.
[d] *Obſervationum lib.* X. *cap.* VIII.
[e] *Juriſprudent. Vetus Anti-Juſtinianea Tom.* I. *Lipſiae an.* 1738. Si conditae ab Imperatoribus leges Menſores R. P. immunes eſſe a ceteris officiis facile patiebantur, quod id cum publica cauſſa conjunctum crederent; idem Privilegium opinor Principes contuliſſe iis Servis, quorum opera in aula utebantur, quamque ſaepenumero prolixa liberalitate remunerabant. Facilius hoc adipiſci potuiſſe Auguſtorum Menſores intelligo, quum illos in primis munerum gradibus poſitos atque locatos video. Non incelebris Tabula Antiatina, qua Caeſareae domus Servi deſcribuntur, in aedibus Ampliſſimi CARD. ALEX. ALBANI adſervata. Primum, quod in ea ad oculos occurit officium, tale eſt:

CAESARIS
MENSOR.

Hunc quidem ex iis ſervis fuiſſe, de quibus plurimum ſermonis habui §. v. non ambigo. *Praeſignatores* autem illos etiam fuiſſe dictos, me nuper edocuit vetuſtum epigramma Muſei Kircheriani, quod e re noſtra duco hoc loco proferre.

DIS . MANIBVS
SEXTAE . PROCVLAE
SATVRNINVS . CAESARIS
PRAESIGNATOR
FECIT . CONTVBERNALI
SVAE . CARISSIMAE . ET
SIBI . ET . SVIS.

Digitized by Google

quod Paullus commemorat, haud ſatis liquet, neque ex libris manifeſto deducitur: in quo culpandus videtur Trebonianus, cui hoc unum vitio vertunt doctiores, quod veterum Jctorum fragmenta, & Imperatorum Conſtitutiones crebro interpolarit, dum Juſtiniani juſſu Decemviris legibus in ordinem redigendis praeeſſet. De Commodo quidem habetur in *lib.* VI. *hujus Tit. de Excuſat.* ff. *§.* 8. *Eſt autem Imperatoris Commodi conſtitutionibus inſcriptum capitulum ex epiſtola Antonini Pii, in qua manifeſtatur, & Philoſophos habere immunitatem Tutelarum; ſunt autem haec verba. Conſimiliter autem his omnibus divus Pater meus, mox ingrediens Principatum, conſtitutione exiſtentes honores & immunitates firmavit, ſcribens Philoſophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos immunes eſſe Gymnaſii, Sacerdotii ſtantes, & neque ad* FRVMENTI, *& vini, & olei emptiones, & praepoſitiones, & neque judicare, neque legatos eſſe, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum illos cogi.* Hiſce autem verbis contineri edictum pro Menſoribus, libere inficiabor. Marcum Aurelium vero, quamquam is Imperium peſſime adminiſtrarit, per crudelitatem, libidinem, ſummamque negligentiam, multa tamen edixiſſe, pro Rei Frumentariae procuratione, perhibet idem Capitolinus. Sed reſcriptum, quo Imperator jus excuſationis Menſoribus largitur, difficile arbitror poſſe deprehendi ex his, qui ſuperſunt, libris. Vt ut ſit, Privilegium nonniſi Menſoribus, qui apud publicae rei Procuratores erant in famulatu, irrogatum exiſtimaverim. Verum enim vero etii Menſores ex illorum numero fuerint, qui oneribus vacabant, experteſque erant ceterorum munerum publicorum, numquid non in crimen quandoque vocati? ab accuſatoribus numquam exagitati? Te ipſum, DOCTE VIR, quaeſtionis arbitrum decernam, qui quum apud Ampliſſimum Beneventanae Metropoleos Antiſtitem cauſſis cognoſcendis, & ſtilitibus judicandis ſis praepoſitus, merito cum Horatio appellabo:

Inſigne praeſidium conſulenti Curiae.

Equidem lex indulgebat, ut adverſus Menſores operum publicorum, atque agrorum, dolo patefacto, actio a Praetore peteretur, qua judicium ſubire compellerentur: liquet ex Edicto, quod recitavimus *§.* VII. *Si Menſor Machinarius falſum modum dixerit, haec actio dabitur.* Quaenam vero fuerit haec actio, quam Praetor dabat adverſus Menſorem fallentem, ex claris Juris interpretibus colligitur. Cujacius autumat hunc Titulum, alterum *Finium Regundorum* ſupplere (*a*); Heineccius aſſerit ad doctrinam de damnis pertinere; ait enim, damnum dat Menſor falſum modum renuncians, ſi ingenuus; noxiam nocet, ſi ſervus ſit (*b*). Gerardus Noodt vero Edictum ſic concinnat: *Si Menſor agri falſum modum dixerit, aut cujuſvis alterius rei menſuram falſam dolo malo renunciaſſe dicitur, ei, cujus intererit, id non fieri, adverſus eum actionem in factum dabo* (*c*). Non ſemper tamen Praetor hanc actionem dabat, ſi Menſor falſum modum renunciaverat, ſed quum id praeſtiterat *dolo malo*. Actionem autem fuiſſe neceſſariam ſcribit Vlpianus; *quod ejuſmodi Menſor non erat civiliter obligatus ex locato, aut conducto, exemplo ceterarum artium liberalium* (*d*). Sed haec non de noſtro Frumentariorum Corpore. Quibus ex rebus breviter diſputatis perſpicue emergit, quod ſi Menſores Frumentarii callido ingenio quempiam fraudaſſent, & falſam Menſuram doloſe renunciaſſent, dies eis indici liceret, neque a Praetore adverſus eos actio eſſet petenda, quia de damno rependendo per legem cautum erat, tum quia homines mercede conducti in jus, nulla impetrata venia, vocari poterant, & ni irent, anteſtari. Quamvis autem vacatio munerum ob publicam commoditatem in Vrbe tantum illis tributa; tamen fori judicium evadere nuſquam conceſſum (*e*). Scripta ſunt haec appoſite ab ipſo Noodt, qui ſtatuit dandam eſſe a Praetore actionem adverſus cujuſvis generis Menſorem, ſive de latitudine itineris, ſive de ſervitute immittendi, projiciendique quaeratur, ſive aream, vel tignum, vel lapidem metiendo mentitus fuerit, ſive fefellerit in aedificii, aut FRVMENTI, aut vini menſura. *Nec intereſt* (verba ſunt Johannis Voet in hac cauſſa commodiſſima) *utrum Menſor Machinarius ſit, qui machinula mathematica utitur, an alius, qui alio menſurae genere interveniente modum denunciat* (*f*).

§. XVIII.

[*a*] *Obſerv. lib.* IV. *cap.* XVIII. *Argent.* 1732.

[*b*] *L.* III. *§. ultimo hoc Tit.*

[*c*] *In Pandectas lib.* XI. *Tit.* VI. *Operum T.* I. *Coloniae Agrippinae* 1732.

[*d*] *Lib.* II. *hoc Tit.*

[*e*] Scribenti mihi de ſervanda a Menſoribus fide, in mentem venit, quod olim in Statutis Pirani (quod eſt Hiſtriae oppidulum in ſinu Tergeſtino) memineram legiſſe lib. I. cap. 20. *Ad eligendos duos Menſuratores Frumenti, more aliorum extraordinariorum officialium modus obſervetur, ... qui jurare debeant ad ſancta Dei Evangelia bona fide menſurare recte, & legaliter totum Frumentum &c. Venetiis* 1582.

[*f*] *Commentar. in Pandectas Tit. eod. Oper. Tom.* I. *Hagae Comitum.* 1736.

Digitized by Google

§. XVIII.

Menſoris, & Modii Symbola apud Veteres Chriſtianos. Diatribes Concluſio.

Extremum nunc illud eſt, v. sp., ut ſermonem pauliſper convertam ad primaevos Chriſtianos, quorum facta, admiratione commotus, mihi ſemper ob oculos libens propono, quorum monumentis mirifice recreor ac delector. Etſi ſummae ignorationis poſtulati, quanta in eorum geſtis pia ſagacitas & prudentia! Liquet id intuenti ſacras aetatis illius antiquitates, in quibus univerſa Religionis noſtrae doctrina *συμβολικῶς*, & per quaedam aenigmatica ſigna ſub aſpectu poſita videtur. Non quaero an id ex inſtituto *Diſciplinae Arcani*, an aliis de cauſſis praeſtiterint; illud modo perſequor, quod ad propoſitum pertinet. Inter vetera Chriſtianorum ſymbola Menſorem quoque, & Modium, & Frumentum reperio. Scilicet exſtat Romae in Muſeo Kircheriano Toreuma Marmoreum, in quo Modius inſculptus eſt ſpicarum refertus & cumulatus; juxta Modium Menſor pellicea indutus veſte, qui dextera virgam, ſeu potius regulam gerit ad peraequandum in Modio Triticum, cum inſcriptione MAXIMINVS AMICVS OMNIVM (*a*). Edidit Antonius M. Lupus (*b*), iterumque illius meminit Nicolaus Galeottus (*c*), nobiliſſimum par eruditorum: quae autem hiſce emblematibus ſignificatio ſubjiciatur, nunc inquirendum. Quatuor ex his percipi poterant documenta. I. Admonebantur hinc Chriſticolae ſe eſſe genus electum, quod Deus a ceteris gentibus disjunxerat, ut ſibi populum acceptabilem conſtitueret, ſicut bonus Agricola Triticum a paleis ſegregat, illud quidem in horreum ſeponens, has vero tradens igni comburendas: quod unum mente contrectantes, ſe ſummo beneficio affectos intelligerent, ſummaque laetitia perfunderentur (*d*). II. Hoc ſymbolo admonebantur in ſumma temporum improbitate, & malorum colluvie verſari, in quibus Ethnici Chriſtianos oppugnabant, quam poterant acerrime, & adveniſſe diem, qua Satanas, totus ad perniciem incumbens, Chriſti ſectatores *ſicut Triticum verſare* ſatagebat; proinde vigilarent atque obſiſterent (*e*). III. Modius ille fortaſſe praemium deſignabat, quod Servator Jeſus noſtris laboribus aliquando deferendum ſpoponderat, illa utens allegoria, ſe famulis ſuis fidelibus *Tritici menſuram, eamque plenam & confertam* daturum, ut hac expectatione recreati, interituras voluptates deſpicerent (*f*). IV. Quia Frumentum terrae abditum putreſcit, ſed inde tellure erumpens, attollitur, iterumque vireſcit, fructus, ſpicaſque edit; ita velut noſtrae *Reſurrectionis* indicium haberi poterat (*g*). Modius Triticeus igitur etiam ea de cauſſa adjectus in Chriſtianorum Monumentis, ut hi animum advertentes Grani viciſſitudinibus, repoſitam ſpem haberent, ſe a mortuis ad vitam iri revocatum. Quae omnia eſſe recogitanda ipſe met Jeſus Chriſtus, hoc uno in marmore Menſoris perſonam induens, praecipere videtur, Modium & Frumentum indigitans. Quare ſi Magnus Auguſtinus ajebat prudentiam Chriſtianorum ad pios uſus traduxiſſe, quae ab Idololatris fuerant uſurpata (*h*); perſpicis ſane, ut ethnicum Marmor Beneventanum rerum divinarum imagines in memoriam commodiſſime revocet: quatuor enim iſtas interpretationes ex Patrum ſententia, atque judicio protuli, qui Evangelii loca, & teſtimonia ad eumdem ferme modum explanant.

Vt ergo ad id me recipiam, unde orta eſt diſputatio, operam bene collocatam, laboremque non fruſtra impenſum arbitrabor, ſi quicquid diligentiae huic tuo anaglypho interpretando contuli, Tibi probari intellexero. Ea ſiquidem me cauſſa ad ſcribendum impulit, ut quantum liceret, obſervantiae in te meae, memoriſque animi monimentum aliquod exſtaret. Quid ni Tibi, VIR PRAESTANTISSIME, patriae amplitudini augendae flagrantiſſimo, morem gererem, quandoquidem de me, ſtudiiſque meis adeo liberaliter ſentiebas, ut Antiquitatibus Beneventanis lucem aliquam a me affundi poſſe putares? Nihil tamen in hoc mihi arrogantius ſumam; ſemper enim illud Pythagorae mentem ſubit, quod quamvis homo *πάντων χημάτων μέτρον* ſit, primum tamen, ut ſe ac ſua metiatur oportet (*i*); & an feliciter, accurateque conjectorem egerim, facile

[*a*] Hoc ſibi maxime in laude ponebant veteres illi Chriſtiani, quod *neminem laeſiſſent, de omnibus bene eſſent meriti*. Innumerae Inſcriptiones a Boldetto, Marangonio, aliiſque editae, teſtantur.

[*b*] *In Epitaphio S. Severae* §. VIII. *pag.* 51. *Panormi* 1734.

(*c*) *In Muſeo Odeſcalcho Tom.* II. *Tabul.* LI. *Romae* 1752.

(*d*) *Matth.* XIII.

(*e*) *Lucae* XXII.

(*f*) *Lucae* XII.

(*g*) *Johannis* XII.

(*h*) *Contra Fauſtum* XX. *cap.* 23. *edit. Pariſ.*

(*i*) Apud Sext. Empiricum *lib.* I. *Coloniae Allobrog.* 1621.

Digitized by Google

cile Tu aeſtimare poteris, qui & maxima vi ingenii, & exquiſita eruditione omnium laudem undique collegiſti. Itaque gratum acceptumque habeas noſtri amoris τεκμήριον officii pleniſſimum, idque in animum inducas velim me ſummo honore proſequi Te;

Curantem quidquid dignum ſapiente, bonoque eſt. Vale.

ROMAE. Ex AEd. S. Silveſtri in Monte Quirinali Prid. Id. Aprilis cIↃIↃccLIII.

FINIS.

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LIBRI

ANTIQUÆ

Digitized by Google

ANTIQUÆ

INSCRIPTIONES

BENEVENTANÆ

IN DECEM CLASSES DISTRIBUTÆ

AC

NOTIS ILLUSTRATÆ

CUM VIII INDICIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PATRIIS *Antiquitatibus, in Romana, ac Langobardica ſæcula diſtributis, quarum priorem partem hoc Volumine complexus ſum, hanc Appendicem ſubtexo, vel potius ingentis* THESAURI, *quem hactenus patefeci, illuſtriorem fortaſſe Gazam nunc tandem profero. In Operis præloquio me ad ejus finem, veluti coronidis loco, Veteres Inſcriptiones omnes ad Beneventum pertinentes, ac in proprias Claſſes diſcretas exhibiturum ſpoponderam, ac profectò, ut fidem meam liberarem, præſtandum id mihi fuit, ſed non eo facili, quod putabam, negotio: Quum enim annotatiunculis paucis, vel levibus notis quibuſdam ſatis ejuſmodi rei expediendæ conſultum iri crederem, ſimul ac manus admovi, difficiliorem certe, atque accuratiorem mihi operam navandam inveni. Habes igitur, erudite Lector, Beneventanos lapides omnes ſimul collectos, quorum nullus eſt, aut eruditione, aut pretio, vel ipſa etiam obſcuritate præclarus, quem non vel in Opere illuſtraverim, quò indicata heic illius pagina te ablegabit, vel adhuc intactum heic illuſtrare pergam: Hinc non, ut labori parcerem (quod plerique peccatum fuit), aut nihil, aut quod in buccam veniret, loquendum mihi ſtatui; neque verò multa congerere, aut (quod facillimum fuerit) convaſare mens fuit, ſed in ampliſſima materia, quam* CCCC. *prope lapidum numerus offert, ubi quiſpiam ab ingenti lucubrando volumine haud facile ſibi temperaſſet, paucis ipſe, ac plerumque neceſſariis contentus, illorum judicium vitare ſtudui, qui (ut ajebat Cicero Tuſc.* 2. 1.) quum obruantur copia ſententiarum, atque verborum, jejunitatem, & famem ſe malle, quam ubertatem, & copiam dicunt. *Quod ipſorum lapidum fidem ſpectat, quid in ea vindicanda, reſtituendaque præſtiterim, jamdiu in hoc Volumine præfatus, heic haud recinam: Sed quis unquam in ejuſmodi re ita blandiri ſibi auſit, ut perſpicua omnia, atq; emaculata exhibuiſſe deſpondeat: Sunt enim (quod eruditi omnes norunt), quæ nulla diligentia, nulloque quovis improbo labore vitari queant; itaut fruſtra Cl. Gorius ad Donii Clas.* VI. *n.* 130. etiam atque etiam hortetur viros doctos, ut omnes Patriæ ſuæ lapides in publicam lucem profe-

rant, oculata manu deſcriptos, ut in manus eruditorum eat accuratior editarum Inſcriptionum Theſaurus: *Optanda quidem res ſemper fuerit, quam nunquam aſſequemur; nam neque Gorius ipſe præſtitiſſe valuit, cui nonnulla in eadem ipſa Doniani Theſauri editione furtim, imprudenterque exciderunt, ut quum in Cl.* II. *num.* 97. *ſub Trajani Tribunicia Poteſtate* XVIII. *adhuc Conſulatum* V. *inſcriptum retineat, & alia ejuſmodi, quæ in hoc volumine, dum res poſtulavit, jam diſtinctè, ſpeciatimque obſervaſſe opus fuit: mihi quidem non ſolum cum temporis injuria decertandum fuit, qua, qui ætatem hactenus tulere lapides, fugientes plerumque literas habent, verum etiam qui perierunt, in ſupplenda aliena oſcitantia nonnullum mihi faceſſivere negotium; Præterea editio Operis me abſente curata nævos aliquos admittere potuit, quos etiam præſens fruſtra cavere ſategiſſem: quæ omnia non eò attuli, ut omnem aut ingenii, aut induſtriæ culpam à me amoliar: Inter accuratiſſimas eruditiorum operas eſt, quod generatim commendemus, ſuſpiciamuſque, nunquam vero deeſt, quod veniam, aliquando etiam reprehenſionem promereat: Summam tum perſpicaciæ, tum diligentiæ laudem cl. Fabretto nemo eſt, qui non tribuat, in iis præſertim lapidibus deſcribendis, qui in Romanorum Cimeliis extantes ob ejus oculos aſſiduè verſabantur: Ex Muſeo Carpineo lapidem protulit cap.* III. *n.* 132. *cujus initium ſic legit:* TI. PERI. CL. PASTORIS *&c. ſed falſus omnino; quum lapis habeat:* TIBER. CL. PASTORIS *&c. teſte Gudio p.* 161. *n.* 6. *teſte etiam Koolio in not. Gud. p.* X., *teſtibus, inquam, utriſque oculatis; nec certè lapis aliter loqui poſſe Fabretto ipſi ſuadere debebat. Mirum etiam illud, quod de Campanis Camilli Peregrini Inſcriptionibus idem Gudius conqueritur:* Non ſatis perſpicio (*inquit in ep. ad eund. edit. Burmanni*) quædam verba in collectione illa Inſcriptionum tuarum, neſcio an oculi me fallant.: *Exempla ſubiicit, quæ nimiam Peregrini oſcitantiam in deſcribendo oſtendant: neque, ſi Koolio credimus, ullæ in Gudiano opere, quàm Peregrini Inſcriptiones, æque pravè deſcriptæ, quas Gudius, medica manu indigentes, ab ſua Inſcriptionum*

Cal. SCIENT. LITT. ET ART. AUG.

Digitized by Google

penu ſepoſitas ſervabat : Hic itaque ille eſt Marquardus Gudius , qui vix titulo libri viſus , Cl. Muratorii ſtomachum ita movit, ut, qui blattis tantum, tineiſque epulas præberet, dignus cenſeretur : Ad Gudianas inſcriptiones quod attinet (*Hæc ille in Præfat. ſui Theſauri*) eas quidem teneo , verum ubi animadverti , potiorem illarum partem ex Pyrrhi Ligorii ſcriniis fuiſſe depromptam, cujus fides dubia, & ſubleſta eſt apud eruditorum non paucos .... eam inſalutatam dimiſi, ac ſi ignota mihi fuiſſet. *Plaudit Muratorio cl.Baro Bimardus Diſſ.* 1. *c.*7. *Tom.* 1. *Muratoriani Theſauri* : Bonus ille Gudius , *inquit* , magis augendæ congeriei , quam purgandæ ſtuduit: *Hem , quid ais Bimarde ? Oblitus ne Gudium illum, quem nulla ferè eſt Gruteriani Corporis pagina , quæ Gudium non meminit ingentis illius Theſauri purgatorem , atque illuſtratorem : Pergit deinde Bimardus , & Muratorio auctor eſt , ne in aliorum collectionibus quaſcumque notas , commentationeſque ab editoribus adjectas* prius adoptet , quam eas diligenti examini ſubjecerit : *Generale , atque aſperrimum de omnibus judicium duobus duntaxat exemplis ſatis probari , ac cummuniri exiſtimavit ; quorum alterum Cl. Fontaninio objecit , qui in Antiquitatibus Hortanis* Copiam *pro* Familia , *&* Comitatu *intellexerit , alterum doctiſſimo Gorio , qui in Antiquitatibus Etruriæ* Peculiarem , *quod in lapide videtur eſſe proprium nomen , pro cognomine acceperit : ſed ſupervacua ſuaſio , ubi res ipſa doctis , emuntæque naris viris ita faciundum ſuadet ; importunum etiam illud , ut leviuſcula quædam magnis nominibus ultrò exprobrarentur , quibus , ut Gudio ipſi , atque omnibus Horatii judicium ſatis erit .*

Namque ubi plura nitent in Carmine , non ego paucis
Offendar maculis , quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura .....

At ab omni liberali diſciplina inſtructum , eundemque peracri judicio virum , uti appellat Spanhemius Gudium (cujus poſthumum opus , ut illud Cl. Donii , eodem anno , ſed non iiſdem , quas pares merebatur , obſtetriciis manibus in lucem prodiit) non probavit præſumpta Muratorii opinio , cui illud etiam contra votum eſſe potuit , ob Gudii editionem præreptam ſibi quodammodo laudem , aut non integram ſuo Theſauro ſervatam , quem jamdiu vulgare cogitarat : Sed redeo ad noſtras Inſcriptiones : De numero fortaſſe miraris ? ecqua enim non dicam Vrbs , ſi Romam excipias , verum etiam Regio , aut Provincia tot lapides noſtro ævo in lucem prodidit , quot una Beneventana Urbs heic ſimul collectos oſtentat ? Sed Urbis præſtantiam (de qua longo Opere jam actum eſt) qui novit , exiguam hanc plane fatebitur fuiſſe partem publicorum monumentorum , literatorumque lapidum , quibus reliqua ejus decora olim augebantur : Ante duos annos in Suburbano S. Petri extra mœnia , dum veterum ædificiorum rudera evolverentur , novem Inſcriptiones fuere refoſſæ ; aliæ jampridem alibi erutæ ; alias quoque ex abditis locis futura proferet ætas , partemque aliquam , ut fit , poſterorum eruditioni reſervat : Utinam vero ejuſmodi Cimeliorum probi æſtimatores nunquam deſiderandi ſint : De lapidum clade jamdudum eruditorum querelæ , ac ſatis ille veræ , juſtæque . Laude autem ſua non ſunt fraudandi populares noſtri Marinus Veruſius , & Joh. Viglionus , qui de patriis antiquitatibus pro ſuo ingenio benemeriti, ante Terræmotum an. 1688. , *quo Urbs pæne tota ſolo æquata fuit , plurimos literatos lapides in ſuas ſchedas retulere . Plures ex his lapidibus in Gruteri , aliorumque Collectionibus habentur , quos tamen earundem Schedarum beneficio emendatiores vulgamus , ſed longe plures adhuc ineditos ex eiſdem Schedis proferimus , quibus non mediocris illorum accdit numerus , quos ſubinde ex ima terra , vel ex abditis locis erutos deſcripſimus , comparata etiam cum Autographis , qui incolumes adhuc eſſent , illorum omnium fide , qui in laudatis ſchedis continebantur . Pauca hæc tibi præloquenda volui , quiſquis es, Erudite Lector, cui ſi noſtra hactenus ſapiere, ſapidiora hæc ad abſolutam cœnæ lautitiam fortaſſe contingent ; aut ſi illa intacta, neglectaque, ſaltem iſta , nunc primum advenienti veluti* in adventoria *æquo animo excipientur .*

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS PRIMA
DIs Sacra

Prope Ædes olim de Vipera nunc Cardone : De Iove Tonante vid. heic pag. 63.

1. LIMEN. AD . HOC . POPVLI . PERSOLVITE . VOTA . TONANTI

Gudius p. 7. n. 7. ex Ligorio [a]

2. IOVI . VICTORI . PACIFERO
SACRVM
M. SVTORIO . M. F. MEN. VERO
VETERANO . VOT. VOV
BELL. GERMANIC. DAC
SVTORIA . VLPIANA . ET . TITVS
SVTORIVS . M. F. MEN. HONORATVS
FAC. CVR
V. S. L. M

In Pago S. Nicolai prope Beneventum a me descripta. vid. heic p. 67.

5. SACERDOTI
sic IVNONI REG
LICINIAE
LICINIANAE
LICINIANI TRIB
FILIAE
. . . NIA METIANE
MATER

In Basi prope Ulpios

3. IOVI TVTATORI MAR. . . . .
. . . . . .
. . . . . .

In opp. Montis Herculis prope Beneventum.

4. IOVI TONANTI
. . . . . .

Reinesius p. 61. n. 34. vid. heic p. 69.

6. IVNONI STYGIAE
CRESCENTINA
MATRILIA CVM
FIL. SV. V. S. L. M

In eodem Pago S. Nicolai a me descripta : vid. heic p. 68.

7. IVNONI
VERIDICAE

In Porticu prope DD. Rotondi ex Verusii schedis.

8. IVNONEI . QVIRITEI . SACRA (b)
C. FALCIDIVS . L. F. CONSOL
DEDICAVIT

In

[a] De Iove Victore Pacifero egi pag. 63. : Lapidem autem sic legendum puto : *Jovi Victori Pacifero Sacrum. M. Sutorio Marci Filio Menenia* (Tribu) *Vero Veterano Votum Vovente Bello Germanico Dacico ; Sutoria Ulpiana, & T. Sutorius Marci Filius Menenia Honoratus* (*i.e. Conjux , & Filius*) *Faciundum Curarunt Votum Solventes Libentes Merito* : Itaque Votum , quod M. Sutorius voverat , eo fortasse præmortuo , aut alia re præpedito , ejusdem Conjux , & Filius solverunt . Votum Vovere Hebraicam sapit phrasim , sed & latinis melioribus aliquando usurpatam . Ovid. Met. IX. 793. *Vota puer solvit , quæ fœmina voverat Iphis* ; Sic *servire servitutem* apud Plaut. in Mil. II. 6. & Cic. pro Muræna .

[b] Quiritis cognomen Iunoni datum explicavi p. 68. , ubi tum ex eo , tum ex Orthographia , ac demum cognominis defectu summam huic lapidi vetustatem vindicavi , quam etiam probare suppetit ex binis lapidibus

apud Gruter. p. 56. 7.
MARTEI
M. CLAVDIVS M. F.
CONSOL DEDIT

& apud Donium Clas. v. n. 31.
M. CLAVDIVS M. F
CONSOL
M. N. ADCEPIT

At non binos , sed unum lapidem dixeris cum Grutero , qui Donianum notæ loco sibi adjecit, nisi quod extrema linea sic habet . . . . INAD. CEPIT . Quod doctissimo Gorio non fuit animadversum : Quod si Donius rectè legerit , sigla illa M. N. potius ad primæ lin. finem , vel secundæ initium pertinere videntur , ut sit Marci Filius Marci Nepos . Sex autem Marcos Claudios eodem quoque cognomine Marcellos ab a. v. 423. ad 558. Consulares Fasti exhibent : etiamsi postremo Claudio lapis attribuatur , multa vetustate (quam simillima locutione noster lapis præferre videtur) insignis erit . De nostro autem Falcidio Fasti silent , itaut vel suffectum , vel , si cum vv. cc. Fabretto , & Norisio sentire malis , Municipalem agnoscere jam possis . De Consulibus Municipalibus haud nova quidem post alios sane plures in diversam sententiam abeuntes , sed omnino noviter , fusèque dedit Everardus Otto in De Ædil. Colon. cap. II. §. v. & seqq.

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LUGD.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In antiquis Æd. PP. Carmelitarum è ſchedis Veruſii. [a]

9. ATTINI SACRVM
ET MINERVAE BERECINT
CONCORDIA COLLIB. IANVARI
CIMBALIOCO SECVNDO OB
CRIOBOLIVM FACTVM M. D
M. I. TRADENTIB. SEPTIMIO
PRIMITIVO AVGVRE ET SAC
SERVILIA VARIA ET TERENTIA
FLAVIANA SACERD. XVVIR
PRAEVNTE MAMIO SECVNDO
HAEC IVSSV MATRIS DEVM
IN ARA TAVROBOLICA DVO
DENA CVM VITVLA CREM
SVB DIE V. IDVS APRILIS
MODESTO II. ET PROBO COS

In Atrio DD. Roſciorum hactenus ineditus.

Ad SS. Annunciatæ nunc primùm editus.

10. ATTINI SACRVM
ET MINERVAE PARACENTIAE
L. SONTIVS PANCIVS IVSTI
NVS EQ. ROMANVS PRINCI
PALIS DVVMVIR ET MVNERA
RIVS NATALIS COLONIAE OM
NIBVS HONORIBVS PERFVNCT
ET SACERDOS MATRI DEVM M. I
IN PRIMORDIO SVO TAVROBO
LIVM A SE FACTVM TRADEN
TE SIMVL COSINIA CELSINA
CONSACERDOTE SVA
PRAEVNTE FLAVIO LIBE
RALI HAR. PVBL. PRIMARIO

Ex Gudio p.22. n.4. & Donio p.8. n.26.

11. ATTINI SACRVM
ET MINERVAE
PARACENTIAE
TERENTIA FLAVIANA
SACERDOS SECVNDO LOCO XV
VIR. OB TAVROBOL. TRA
DITVM A SERVILIA
VAR. SAC. PRIMA

12. ATTINI SAC
ET MINERVAE
PARACENTIAE
TREBVLANA IVS
TINA EVMANIS
OB TAVROBOL
TRADITVM A SER
VILIA VARIA SAC
.....XI. K. AVG.

Ex

[a] Ex Cl.v. Dominico Georgio exhibuit nuper hunc lapidem Muratorius in Theſ. nov. pag. 1980. num. 7. Eundem, ut etiam alios hujus paginæ, latè explicavi in Diſſert. de Reb. Sac. cap. 2., ubi etiam plura de Taurobolii, Crioboliique Sacris poſt aliorum obſervationes præſtantiora diſſerui: Iuvabit modo, menda illa, quæ in Muratorianum exemplar irrepſere, paucis animadvertere. Itaque lin. 4. pro *Cimbaliaco* Muratorius habet *Cimboliaco*; at etiam in noſtro mendum cubare jam alias notavi; ut ſit potius *Cimbaliaca* corruptè pro *Cymbaliſtria*, i. e. *Cymbalorum pulſatrix*, quæ in Sacris Matris Deum adhiberi ſolebant: vel tandem ea dictio ex duabus coaluiſſe cenſenda erit; nempe *Cimba* Concordiæ cognomine, & *loco*, quæ ſequentem dictionem ſpectat, i. e. *Secundo*: Sic in altero lapide Taurobolico heic n. 11. *Terentia Flaviana* dicitur *Sacerdos ſecundo loco*, ibidemq; *Servilia Varia Sacerdos Prima*. Præterea Muratorius lin. 10. habet PRAEEVNTE: ſed ex fide lapidis omnino PRAEVNTE legendum eſt, ut etiam docet alter Taurobolicus lapis heic n. 10.; quam quidem Orthographiam ſatis probat vetuſtiſſimus lapis apud Grut. p. 506. v. 31. ubi PRAESSE pro PRAEESSE ſcribitur, quod etiam legimus in Cenotaphiis Piſanis (ut titulum fecit eruditiſs. Card. Noriſius) ſeu Senatus Conſultis Piſanis (ut pari eruditione præſignis vocat Marchio Maffejus Hiſt. Dipl. p. 22.): Ad hæc Horatius l. 1. Satyr. 9. *Dero* pro *Deero* uſurpavit, nec ſecus Virgilius, ad cujus Georg. l. II. v. 233. hæc notat Pierius: *In Mediceo, & antiquis aliis deerunt, & derunt facta Synæreſi ex duobus EE in unum.* In ead. lin. 10. Muratorius habet ridiculè *MOMIO* pro MAMIO; in qua ſanè dictione prænomen cum nomine coaluiſſe ſuſpicor (de qua re alibi dicam), ut is fuerit M. AMIVS: Certe M. Amius Sacerdos (licet diverſus a noſtro) occurrit apud Spanhemium De Præſt. Numiſm. Diſs. 2. Notanda demum in hoc lapide erit lin. 3. quæ ſic habet: CONCORDIA COLLIB. IANVARI. i. e. *Collibertæ Januari*: Non igitur Ianuarius Concordiæ Patronus, ſed Collibertus, is nempe, qui eandem ſervitutem cum Concordia ſervivit, cum eaque ſimul ab eodem Domino libertate donatus: Adhæret autem generandi caſu ejus nomen (non enim quidpiam eſt, cur in lapide memoretur) Concordiæ Collibertæ, ut quæ olim Conſerva, dein Colliberta, Conjux tandem ejuſdem Ianuari demonſtretur: De quo more latè a me actum fuit in lapide Iuliæ Auguſtæ Septimii Severi Diſs. 1. cap. 4.

Digitized by Google

Ex Jo. Baptiſta Ferrario Soc. Jeſu lib. *De Malorum* aureorum Cultura pag. 27. ex Donio, ſeù Gorio Tab. VII. n. 2. & Muratorio p. 65. n. 8. [a]

13.

Ex Grutero pag. 44. n. 11. qui tamen ſolam Inſcriptionem affert, additque poſt primam lineam ſculptam eſſe *Suem*, ſed Ovem potius lapis repræſentat, ut heic exhibeo. Quæ ad hunc lapidem dixi, vide pag. 71.

14.

E ſchedis Viglioni
Lapis prope ripam Caloris, ſed in fruſta, & rudera penè abiit.

15. HERCVLI SERVATORI SACRVM PRO SALVT
IMP. M. AVREL. COMMODI PII AVG. COLON. BENEVENTAN

Ex Muratorio V. Cl. pag. 116. num. 4. qui è ſchedis Ambroſianis primùm edidit. [b]

16.

TEMPLVM HOC SACRATVM HER. . . . . .
. . . VOE. . . CE. . . AVGVSTI NOMEN FELIX
REMANEAT STIRPIS SVAE LAETATV V. . . .
PARENS NAM QVOM TE CAESAR TEM. . . . .
EXPOSCET DEVM CAELOQVE REPETES SEL. . .
MVNDVM REGES SINT HEIC TVA QVEI SORTE
HVIC IMPERENT REGNENTQVE NOS FELICIBVS
VOTEIS SVEIS
L. AVRELIVS L. F. PAL. RV. . . PRIMOPILARIS
XVI. MILITANS ST. . . . . .
IMP. CAESARIS . . . . . .

Sub

[a] Hoc inſigne Anaglyphum uberrimo Commentario illuſtravi in Differt. De Reb. Sac. cap. 1. pag. 72. & ſeqq. Ejus Titulum ex vv. cc. Muratorio, & Maffejo ita ſum interpretatus: *Herculi Servatori Publius Junius Januarius Augur Dedicavit*: Suſtuli etiam ex Doniano exemplari Calcographi lapſum, qui pro HRAKAI ſculpſit HRAKAI. At vero de Januarii munere diſcrepantem invenio doctiſſimum Gorium, qui illud AYΓOYC lineæ quintæ haud quidem *Augurem*, ſed *Auguſtalem* intepretatur: atque Auguſtalis ſane ſacrorum miniſtrum æquè nobis exhibet, nec non dictione ipſa non obſcure indicatus videtur: Sed de Auguſtalibus mox videbimus.

[b] Ad hunc lapidem hæc habet Muratorius: *Agi heic videtur de Templo Herculi ſacrato ob incolumitatem Cæſaris Auguſti, ejuſque Prolis. Diphthongus EI antiquitatem elogii indicat*: Sed de quo Auguſto heic agatur, quæque fuerit dedicandi lapidis occaſio, latè a me dictum fuit, nam lapidem illuſtrari digniſſimum ne dum ſupplevi, verum etiam luculentis obſervationibus locupletandum curavi pag. 72. ad 86.: quod ſatis fuit heic indicaſſe.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Sub Arcu Pontis Caloris, & apud Gudium p.42. n.10. & Donium p. 555. n. 11. [a]

17.
SILVANO STAIANO
PLAVTIA FELICITAS
PRO FILIO CRESCENTINO
VOTVM LIBENS SOLVIT

E ſchedis Viglioni

19.
SILVANO
SIGNVM CVM
BASTHEM COSHIVS
RIMITIVVS VOT. LIB.
SOL

Videtur mendosè deſcripta, nam lin. 3. ſic legerem. CVM BASI M. COSINIVS PRIMITIVVS. Sic inter Marm. Piſaur. Cl. Oliverii n.V. SILVANI SIGNVM CVM BAS. &c.

Apud Reineſium p. 104. n. 56. [b]

20.
DIANAE CELESTI
SACRVM
CRESCENTINA
CVM SV. LIBER

In Aedibus DD. Pedicini

22.
GENIO
LOCI ET
NVMINI
CAERERIS
CONCOR
DIVS COZ
HORR

In pago S. Angeli prope Beneventum

23.
PIETATI
SACRVM

Ruri dicto *Covante* prope Beneventum nuper refoſſa. Vide eand. not. (a) heic.

18



Baſis ante tres annos refoſſa prope DD. Muſtos, ibidemque extat, a me deſcripta. Vide me pag. 66.

21.
DEAE VENERI
C. ENETRI C. L.
SACRVM

In mœnibus Civitatis

24.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . CORNE
LI VS PRISCVS
VOT. SOL

---

[n] Notandum eſt in hoc lapide STAIANI cognomen, quo Silvanus decoratur, qui etiam in altero heic ſequenti lapide n.18. CASANICVS appellatur: Inaudita hactenus, quod ſciam, Silvani cognomina; Ad primum igitur quod attinet, *Stajanum* Silvanum dictum ajo a Gente STAIA, quam Beneventi inter primores floruiſſe docent noſtri lapides heic Cl.VI. n.13. & Cl.IX. n.52. Deorum enim cognomina plerumque ex ea Gente, Familiave manaſſe, quæ peculiari ritu eos colere inſtituiſſet, præclarè probavi Diſſert. II. cap. 1. nbi *Jovem Carvilianum* ex Plinio, *Dianam Ræſianam* ex lapide Spanhemiano, *Meſiam & Setiam Compitianam* ex noſtro lapide hujus Claſſis n.28. opportuè explicavi, ſed eo loco Silvanus hic *Stajanus* me fugit, cujus cognominis haud fortaſſe meliorem, veriſimilioremque rationem aliam invenire poterimus. In opere Gudiano integris pag. XVII. & XVIII. variis cognominibus Ceres inſcribitur, ſed ſingula ab iis, qui lapidem eidem Cereri dedicant. At CASANICI cognomen, quod in altero noſtro lapide legitur, a CASIS ortum, quæ Ruticolarum, Paſtorumque eo nomine tuguria vocantur, nullus dubito: Agreſtem enim Deum nonniſi ejuſcemodi cognominibus, quæ ſuam conditionem præferrent, donari ſolitum jam obſervavit Cl. Gorius ad Cl.I. n.114. Theſauri Doniani, docentque Indices Gruteri, Gudii, & aliorum, in quibus dum *Stajani*, *Caſanicique* cognomina deſiderentur, anne Capripedi huic Numini gratulandum erit, quod novis hiſce cognominibus modo augeatur? Sed præſtat potius in eo-

Ariani

dem lapide heic n.18. lin. 3. dictionem illam litterarum nexu inſignem obſervare: Ibi itaque L. TVRSELIAE MAXIMILLAE a me legitur, græco diphthongo AI adhibito, ſed poſtremum I ita coaleſcit cum ſequenti A, ut trium literarum nexum efficiat; literamque M. mediam indicare videatur, ſicque in *L. Turſeliam Maximillam* evadat: Rarò quidem, haud vero nunquam prænominibus uſas fœminas jam ſatis conſtat: *Prænominibus* (inquit Feſtus) *fœminas eſſe appellatas teſtimonio ſunt Recilia, & Tareſia, quæ ambæ Cajæ ſolita ſunt appellari, pari modo Luria, & Titia*: Sed de hac re fortaſſe alibi.

[b] Rectè Dianam *Cæleſtem* appellavit Creſcentina, ut ab Dianis alteris ſecerneret. Lapis apud Grut. p.28. n. 6. TRIPLICIS CVLTOR VENERANDE DIANAE, nam præter Cæleſtem, ut heic, fuit etiam Diana *Nemorenſis*, ut apud eund. Grut. p. 41. n.7. & 8., atque etiam *Inferna*, cui hæc ipſa Creſcentina in hac Claſſe n.6. *Junonis Stygiæ* nomine lapidem dedicaſſe videtur. Cælum, an Cælum ſcribendum ſit, Grammatici certant, & adhùc ſub Judice lis eſt, quam tamen dirimere videtur noſter lapis, ubi *Cæleſtis* ſine diphthongo uſurpatur; quod ſi non ex Orthographia, ſaltem ex more veterum, quibus multa verba ἀφαιρέσει ut heic, multa etiam πλεονασμῷ ut in altero lapide heic n. 22. ubi CABRES pro CERES. Gorius tom.I. Inſcr. quæ in Etruria p.116. ex aliis morem obſervavit, eundemque etiam in MSS. optimæ notæ tum Latinis, tum Græcis ſervatum ſubnotavit Cl. Ant. Salvinius.

Digitized by Google

Ariani in Basi Statuaria.
Gudius p. 66. n. 6. Beneventi extantem ait, & lin. 3. pro SEPEA habet CESTIA. De Geniis adest in hoc Volumine Dissertatio in De Reb. Sac. cap. 3. pag. 99.

25.
GENIO
COLONIAE BENEVENTANAE
SEPEA C. L. FIDELIS
SVA PECVNIA FECIT
L. D. D. D.

26. E Schedis Verusii. (a)

In Oppido Montis Herculis propè Beneventum. De *Nymphis* duo egregia Anaglypha exhibet Cl. Gorius in Opere Doniano Tab. VII. n. 3. & 4. quæ ab ipso eruditè illustrantur.

27.
NYMPHIS SACRA . . . . .
. . . . . .

In Basi reperta apud Samnites propè Furcas Caudinas ex Gudio pag. 57. num. 1. De hoc lapide vid. heic pag. 66.

28.
MESIAE SACRVM
M. COMPITIVS VALENS
M. F. STEL. EQ. ROM
CVRATOR VIARVM

Ex latere ejusdem Basis
METIAE ET
SETIAE
COMPITIANAE
D. D

b

In limi-

[a] Sigla illa, in hujus Basis area insculpta, facilè interpetrabimur: Mithræ Soli Sacrum: Prope simile exemplum dat lapis apud Murator. p. 196. num. 5. ubi S. I. M. TI. CLAVDIVS TI. F. ROM. PANSIENVS VI. VIR. AVGVSTALIS V. S. i.e. *Soli Invicto Mithræ Tiberius Claudius Tiberii Filius Romilia* (Tribu) *Pansienus Sevir Augustalis Votum Solvit*? Sed traditam nostræ Basis interpetrationem satis comprobant symbola, seu instrumenta illa in ejus fronte eleganter insculpta, quæ quidem uni Mithræ Soli, qui idem ac Apollo, conveniunt. Præter enim Pateram, adest ex uno latere Lauri ramus, quæ arbor imprimis Apollini grata, atque sacra: Sequitur mox Tripus, celeberrimum Pythii Apollinis instrumentum, adstat demum ex altero latere Lituus, qui Augurum proprius, Vaticiniorum (ut putabatur) præsidi Apollini rectè congruit: de Lituo autem Ciceronis locum hùc afferre libet ex l. 1. c. 17. De Divin. *Romuli lituus* (*id est incurvum, & leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus Litui, quo canitur, similitudine nomen invenit*) *cum situs esset in Curia Saliorum, quæ est in Palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer.* Lipsius lib. 1. Var. cap. 20. ea verba, quæ parenthesi inclusa a me sunt, pro glossemate damnat, propterea quod non modo Cicero, sed vulgus, & ipsi pueri, quid esset Lituus, tum temporis probe nossent: At contra Lipsium esse MSS. omnia testatur Gruterus; Davisius etiam nihil importunum in ea explicatione agnoscit, quòd liber in omnium tum præsentium, tum posterorum gratiam a Cicerone ederetur, & Livius Lituum describendum putavit lib. 1. c. 18. *Baculum sine nodo aduncum, quem lituum appellarunt*: Ita sane res se habet: non enim Cicero uni Lipsio sua cogitabat perlegenda, aut aliis sane paucis, qui, quum de quaque re, quam agunt, penitus sciant, pares sibi lectores effingunt, quod de Scaligero rectè notavit Barthius (inter epist. Reines. ed. Jenæ 1670. pag. 308.), *cui summo viro, quum scriberet, hoc solum deerat, quod doctis juxta sese scribere crederet; omnia enim longe amplius animo habebat, & ipsa intelligebat, quam doceret; otium suum sibi semper imputans, & dedignans, quæ indicata sufficere posse arbitrabatur, longis ambagibus docere*: Sed ut ad Ciceronis locum redeam, si ea, de quibus disceptatum est, è Ciceronis manu sunt, frustra Gellius l. v. c. 8. & Macrobius Saturn. VI. 8. quærendum putarunt, utrum a Tuba Lituus Auguralis, an iste ab illa ita appellatus sit; jam enim antea a Cicerone fuerat definitum.

Digitized by Google

In limine Eccleſiæ S. Dominici
Ædem Sacram *Cæſarei* nomine vocatam, Cæſari Auguſto, & Coloniæ Beneventanæ P. Veidium Pollionem dedicaſſe oſtendit hic Lapis, de quo eſt heic peculiaris Differt. in de Operibus Publicis cap. III. p. 264.

29

P. VEIDIVS P. F. POLLIO
CAESAREVM CAESARI AVGVSTO
ET COLONIAI BENEVENTANAE

Reineſius p. 155. n. 15. [a]

30. AESCVLAPIO PERGA
MENO SACRVM
L. ANTONIVS
..... RVS CVM
..... L. POLLA
..... RE ET
..... ANO
COSS. L. D. D. D.

Gudius pag. 61. n. 4. [b]

31. VICTORIAE AVGVSTAE
M. NVMERIVS. M. F. MEN. FABIA
NVS. IIII. VIR. QVINQVENN
VI. VIR. AVG. PATRONVS MV
NIC. SVA. PECVN. RESTIT

Ex

[a] Ex Ligorio, & Langermanno *Beneventi in minori Eccleſia di Cerretari* extantem hunc lapidem ait Reineſius, qui lacunas ſupplere conatus, Conſules lin. 6. & 7. memoratos ſtatuit Sex. Nonium Celerem, & Junium Quintilianum, qui ex Frontino *De Aquæduct.* Conſulatum ſuffectum geſſerunt poſt M. Aquilium Iulianum, & L. Nonium Aſprenatem, A. Chr. 40.: At nequaquam ad ſuffectos Conſules confugiſſe opus fuerit; quandoquidem promptius ſit, immò veriùs videatur in lapide fuiſſe ſcriptum: VeteRE ET AeliANO, qui Ordinarii Conſules proceſſere A. Chr. CXVI., vel potiùs VeteRE ET GallicANO, qui eundem Magiſtratum geſſerunt A. Chr. CL. Et ſanè littera S geminata in dictione COSS, nonniſi ſequioris ætatis Conſules petendos omninò monebat, dum ita ſcribendi mos ex Galli, & Voluſiani ævo (ut Cl. Fabrettus obſervavit p. 540.) medio tertio ſæculo obtinere cœpit. *Pergameni* cognomen, quod in hac noſtra Inſcriptione Æſculapio tribuitur, ſilent alii omnes, quos vidi, lapides: Iure autem Æſculapio inditum, quum Pergami medicinam exercuiſſe, ibique ejus artis officinam poſuiſſe, tradit Lucianus in Dial. *Icaromenippus*: meminit & Martialis lib. IX. epigr. 16.

Pergameo poſuit dona ſacrata Deo.

Sed de Æſculapio, & Donariis, quæ ob reſtitutam valetudinem eidem dicari ſolebant, plura eruditè habet Cl. Gorius in Opere Doniano ad n. 91. Claſ. 1.

[b] Victoriæ Imaginem Auguſtus in Curia Iulia (quam in honorem Patris ſui factam dedicavit a. v. 725.) poſuit teſte Dione lib. LI.: Hanc Victoriæ Imaginem cum ſua Ara in Curia Romana reſtituendam tantopere curabat Symmachus Præf. Urbi, ita ad Imperatorem ſcribens: *Illa concordiam tenet omnium, neque aliud magis auctoritatem facit ſententiis noſtris, quam, quod omnia juratus noſter Ordo decernit*: At contra Symmachum ſtrenuè, feliciterque Chriſtianæ Religionis cauſſam egit S. Ambroſius. Hujus autem numinis cultum ad captandam gratiam Auguſti inſtitutoris, poſt Victoriam Actiacam jam rerum potiti, ex Urbe mox in Colonias manaſſe teſtes ſunt, præter noſtrum lapidem, ſexcenti alii *Victoriæ Auguſtæ* inſcripti. M. Numerius dicitur heic *Patronus Municipii*, quo nomine Beneventanam Coloniam ſignificatam haud dubites: Iamdiu enim in Diſs. I. cap. III. pag. 48. ex Gellii, & Ulpiani locis Municipium abvſivè pro Colonia dici conſueſſe probavi; ac quod Beneventanos attinet, attuli Gelaſii Pontificis Epiſtolam, ac vetuſtum alterum noſtrum lapidem, cui præſens hic addendus eſt.

Digitized by Google

Ex Marquardo Gudio pag. XI. n. 7. Allifis Samnitum Oppido.

32

DEO AETERNO
PRO RESTITVTA. VALITVDINE. EX. VOTO AEDICVLAM. T. ANTONIVS. FELICIANVS. D ADDICIT. ET CONIVNCTVM. FVNDVM. TRI NVM. ET TRICENVM. IVGERVM. CVM. OLE TO. PATET. QVOQVO. VERSVS. P. DLXXX. EX ANNVO. VECTIGALI. HERES. DIE NATALI EIVS. III. KAL. SEPT. PERACTIS. SACRIS. DA TO. EPVLVM. CAPVLATIS. SACERDOTIB AVG. CVM. HIS. ET SAMNIIS. CAETERO. PO PVLO. NOSTRO. ALLIF. CRVSTA. ET. MVL SVM. EX. XXV. SI. NEGLEXERIT. DOLOVE MALO. SVMPTVI. PEPERCERIT. FRVCTVS ET. MVNICIPIVM. CAPVLATI. SACERDOTES FVNDI. ADEVNTO.

In noſtrum Theſaurum hunc referre lapidem monuit cognatæ Samniticæ Urbis Alliſanæ locus, ac præterea Samnitum mentio, quorum vix alibi, quod ſciam, vetuſta ſaxa meminere: Notanda autem heic erit ejuſdem vocabuli inflexio, nam a SAMNIIS plurali auferendi caſu rectum *Samnius* pro *Samnis* uſurpatum demonſtrat: quod ſingulare profecto videri poteſt Auguſtea ætate, quam, tum verborum elegantiâ, tum *Capulatis Sacerdotibus Auguſti* memoratis, lapis præfert. Sed quum ſemel hunc lapidem, quem prior edidit Gudius, nulli hactenus explicatum, noſtro Theſauro vindicaſſe placuit, paucis etiam illuſtraſſe jam licet. *Deo Aeterno pro* reſtituta valetudine ex voto Aediculam T. Antonius Felicianus Dat: Huic *Deo Æterno* inſcribitur etiam lapis apud Gruter. p. 17. 8. & apud Murator. p. 106. n. 7. Denique *Deum magnum Æternum* exhibet Fabrett. p. 564. Quid in ethnici Hominis (qualem T. Ant. Felicianus ſe omnino prodit) mentem venerit, ut hujuſce dumtaxat *Dei Æterni* meminiſſe contentus fuerit, non ſatis conſtat: Iovem intellexiſſe certè potuit, haud tamen cum vulgo, ſed eâ fortaſſe Platonicorum, aliorumque ſapientiorum diſciplinâ, quâ, Polytheiſmo contempto, unius ſummi Dei exiſtentia, religioque ſtatuebatur: quæ tamen quum paucorum eſſet, atque in vulgus ſe effundere pertimeſceret, ideo paucis, quos numeravimus, lapidibus legitur conſignata. Ædiculæ autem Felicianus *addicit & Fundum Trinum & Tricenum Jugerum cum oleto* i. e. agro olivis conſito) *patet quoquo verſus Pedes* DLXXX. Si ex hac numerali nota mendum abſit, certum tandem habebimus Iugeri ſpatium, ſive menſuram, nam dum Pedes DLXXX. quoquo verſus patent, intraque eos tres, & triginta Jugeres continentur, jam ſingulos Jugeres pedibus quoquo verſus LXX. conſtare liquebit: At ex Quintilianî dimenſione l. 1. c. 10. Jugeri menſura CCXL. pedibus in longitudine, dimidio in latitudine definitur: nec ſecus ſtatuit Plinius, Columella, Varro, Iſidorus apud Voſſium in Lex. Etymol.: Sed in hac re peculiaris cujuſque regionis mos ſpectandus erit, ut monet Frontinus de Colon. p. 109. & Hyginus de Limit. p. 210., nec tamen ſi pedibus LXX. ſinguli noſtri lapidis Jugeres fuerint, anguſtus ager ille fuit Trinum, & Tricenum Iugerum (i. e. Trium, & Triginta, numerali nomine diſtributivo extra diſtibrutionum, ut fit, uſurpato, ac plurali genitivo Tricenum, pro Tricenorum, de quo Auctor *ad Herenn. l. 3. c. 19. Intervalla locorum mediocria placet eſſe fere plus & minus pedum tricenum*): Haud minus vero agri ſpatium debebatur, ut ex ejus vectigali præter *epulum Capulatis Sacerdotibus Auguſti* exhibendum, *cruſta* etiam, & *mulſum* his, & *Samniis*, & *cetero Populo Allifano* præſtari poſſent. Quj fuerint Sacerdotes *Capulati*, diu, ſed fruſtra quæſivit Muratorius p. 512. n. 1. ad lapidem Donii cl. IX. n. 19. ubi habetur *Collegium Capulatorum Sacerdotum Dianæ*; ac primum *Capulatores* legendum putat, quorum munus, oleum populo admetiri; dein a *Capi*, vel *Capula Capulatos* dictos opinatur ex Varronis loco de L.L. IV. qui ita habet: *Capis*, & *minores Capulæ a capiendo*; *harum figuras in Vaſis Sacris lineas* (emendo *ligneas*) & *fictiles antiquas etiam nunc videmus*: At de Capulatoribus falſum oſtendit tum noſter lapis, tum alter apud Fabrett. p. 90. n. 175. ubi habetur *M. Nomeicius Sal. Martialis Capulatus*, i. e. *Salius Martialis Capulatus*, ut id. Fabrettus explicat p. 115. ubi hæc ſubdit: *Capulatus autem, non quod ſepultus* (quam *ridiculam* Sponii explicationem ſugillat, qui ſect. v. p. 179. Capulatnm a Capulo, i. e. Feretro deduxit), *ſed quia Capulum, ſive manubrium, aut apicem Saliaris Pilei in hanc formam* (quam exhibet) *pro geſtamine habuerit, ut marmor Capitolinum, & Mediceum oſtendunt*: Atque hi quidem docti IIIViri *Capuli*, *Capulæ*, ac verbi *Capulo* ſignificationes ſingulas pro ſuo quiſque ingenio ad rem deduxere: Veri tamen ſimilior Fabretti ſententia mihi probatur. Illud DATO lin. 8. ad hæredem antea memoratum Teſtatorum more imperativè dirigitur; nam ita locutionis ſenſus, ut probe conſtet, omnino poſtulat, confirmatque ſimili modo altera dictio ADEVNTO, quam poſtremo loco ſcriptam legimus: ſed jam plura fortaſſe, quam præſentis inſtituti fuerit, huic lapidi dedimus.

Digitized by Google

CLASSIS SECUNDA
Sacrorum Miniſtri.

Gruterus p. 309. n. 3. Fleetvvoodus p. 131. n. 31. Manutius Orthog. v. *Paullus* n. 6. Malvaſia Marm. Felſin. p. 278., aliique plures Beneventi extantem ajunt: At Malvaſia poſtremam lineam non habet, ex lib. Antiq. Europ. Inſcr. pag. 153. num. 5. De hoc lapide plenè dixi in Diſſert. 11. cap. 11. a pag. 95.

1.

FABIAE . ACONIAE . PAVLLINAE . C. F
FILIAE . ACONIS . CATVLLINI . V. C
EX . PRAEF. ET . CONSVLIS . ORDIN
VXORI . VETTI . PRAETEXTATI . V. C
PRAEF. ET . CONSVLIS . DESIGNATI
SACRATAE . APVD . ELEVSINAM
DEO . BACCHO . CERERI . ET . CORAE
SACRATAE . APVD . LAERNAM . DEO
LIBERO . ET . CERERI . ET . CORAE
SACRATAE . APVD . AEGYNAM
DEABVS . TAVROBOLITAE . ISIACAE
HIEROPHANTRIAE . DEAE . HECATAE
GRAECO . SACRATAE . DEAE . CERERIS.

E ſchedis Veruſii.

2.

. . . . . VIVS
. . . . . PONT. . . .
. . . . . A. F.

Gruterus pag. 304. num. 7. (*a*)

Sub Ponte Caloris.

3. . . . . PVLLO AVGVRI TR. MILituM
. . . . . VIRO
C. FIRMILIO C. F. PVP. RVFO
L. TERENTIO L. F. STEL. RVFO FIRMILIANO

D. M.

4.

L. CESENNI . SOSPITIANI
EX . ORDINE . HARVSPIC. LX
VIX . ANN. XXX
PARENTES
FILIO . OPTIMO

Prope Ædes DD. Cardone (*b*)

5.

. . . . . ELITEAE . . . . .
. . . . . VESTAL . . . . .

Prope

[*a*] Poſt Gruterum recudit hunc lapidem Fabrettus c. X. pag. 713. atque ex ſchedis Chiſiis, *Vinea Vallæa* locans, ætatis annos ad XXV. diminuit. Miratur præterea non ſine mendi ſuſpicione, de ingenti iſto Haruſpicum numero, qui ad LX pertingerent, quum vix Decem Augures teſte Cicerone, conſtitui ſolerent, laudatque Reineſii modeſtiam, qui ad cl. v. n. 13. ubi idem Haruſpicum numerus legitur, *plura de talibus ſcire non datum* fatetur. Sed nihil turba debet Augurum numerus, quorum Collegium neque cum Haruſpicum Ordine commune, neque ejuſdem muneris: De ſexagenario Haruſpicum numero non unum noſtrum lapidem, ſed alterum apud eund. Gruter. ead. pag. n. 8. nec non Reineſianum, locupletiſſimos teſtes habemus; His, ſi placet, addendus alter apud Pitiſc. v. *Aruſpex*: neque aliter ſe habere debet fragmentum lapidis apud Donium. Cl. IV. n. 41. ubi legitur HARVSPEX DEI X. I. I. HARVSP. AVGG: quis unquam fuerit *Haruſpex Dei* nemo divinaverit; quovis pignore contendam, ibi ſcriptum HARVSP. DE LX. ET HARVSPEX AVGVSTORVM, quod cuique animadvertenti ſatis certum videbitur: Utinam res antiquitatis omnes tàm præclarè docere poſſemus; ſupervacua nanque de Haruſpicum numero videtur dubitatio, à qua etiam abſtinere nos cogit ejus Artis frequentia, quâ adeò ethnici decipi gaudebant: Præter eos qui privato quæſtu Haruſpicinam facerent, erant Haruſpices Imperatorum, ut ex Doniano lapide auditum fuit, Haruſpices Pontificum, Haruſpices Caſtrorum, quibus nihil à militibus dari juſſit Aurelianus in epiſt. ap. Vopiſcum. Inter Profeſſores, qui de publico ſalaria acciperent, Haruſpices recenſet Alex. Severus apud Lamprid. c. 44. *Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruſpicibus, Matematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit, & diſcipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos dari juſſit*. Vbi demum, apud quos, quave in publica re non Haruſpices adhibebantur? Qui etiam de Sacrorum jure reſpondebant, ut liquet ex Orat. Cic. De *Haruſpicum reſponſis*: Tanti eam diſciplinam apud Romanos habitam conſtat, ut Principum Filios, qui eam addiſcerent, in Etruriam mitti ſolitos teſtatur Cic. de Div. 1. 41. & Val. Max. l. 1. c. 1. Importuna itaq. erit vel ſuſpicio, vel admiratio, quod Haruſpicum Ordo ſexagenarium numerum impleverit. Inter eos autem erat qui reliquis præeſſet, qui in dicto lapide Grut. n. 8 dicitur HARVSPEX PVBLICVS DE LX. qui etiam in noſtro lapide Taurobolico Cl. 1. n. 10. etiam occurrit ſic: PRAEVNTE FLAVIO LIBERALI HAR. PVBL. PRIMARIO.

[*b*] Proclive heic eſſet de Virgine Veſtali conjectare: An igitur Beneventi Veſtæ cultus, & Veſtales? Negat omnino Lipſius, qui in *De Veſta, & Veſtalibus* c. 15. extra Romam, nulliter niſi ſimulacrum quoddam Veſtalium, non Veſtales ipſas unquam fuiſſe probat: Imo neque uſquam Urbem egreſſas Veſtales reperio, niſi cum miſſæ à Vitellio ad Antonium Veſpaſiani Ducem, ſed ſupervacua legatione functæ, ſtatim [ut inquit Tacitus Hiſt. 3.] *cum honore dimiſſæ*. Sed fuerit fortaſſe [quid enim vetat?], ut Veſtali Romanæ cuipiam publi. cum aliquod honoris monumentum hoc lapide fuerit dedicatum.

Digitized by Google

Prope Turrim S. Panari elegantibus, magnisque litteris insculptus cum ornamentis hinc inde (a)

6.

Q. VIRGINIO . EROTI . AV. . . . . .
HELENVS . L. AVGVSTAL. FECI . . .
Q. VIRGINIO . ALBANO . FRA . . . .

In S. Æde Majori

7.

LISIDIA C. L. PRIMA
SIBI
C. LEPIDIO RVFIONI
AVGVSTALI . . . . . .
SOPHOMENE . . . . . .

Intra Monasterium S. Petri.

8.

P. MARCIO ALBANO
AVGVSTALI
ETRILIA SP. F. CLEMENS
VIRO ET SIBI ET
P. MARCIO PHILARI
SECVNDO ET MODESTO

In diruta Ecclesia S. Lupi.

9.

C. CALPHVRNIO PANCARPO
AVGVSTALI
CALPHVRNIAE C. L. FAVSTAE
L. VISELLIO L. L. LYGDAMO ET
CALPHVRNIAE NOMADI F
ET SVIS

Prope Ædes olim De Marco.

10.

Q. OPIMIVS . Q. L. GELADVS
AVGVSTALIS
SIBI ET
Q. OPIMIO. Q. F. RVFO . VIX. A.X
PAPINIAE . ANTHIDI . VXORI
L. RVFRIO . PAMPHILO . PATRI
RVFRIAE . LAIDI . MATRI

In Clausto Monasterii S. Sophiæ (b)

11.

T. VEDIANVS T. L. AVGVST. FRVCTVS
HOC FECIT SIBI ET
MVNATIAE FRISCAE VXORI
BENEMERITAE DE ME
MONIMENTVM ANIMO
LIBENS ET ANNIAE C. L. TARENTINAE
PRIMIGENIAE
HAMINTAE SATVRNINO
EX DEXTRO
IN AGRO P. XIIII

In æd. DD. Santamaria olim de Abbate.

12.

D. M
N. AFINIO TACITO
CLAVD. AVG. AFIN. . . .
. . . . . .

Manu-

[a] Augustalis munus, seu Augustalitas inter sacrorum ministeria recensetur: non enim hùc pertinent Augustales illi, sive Augustani, quos teste Tacito *Ann.* 14. Imp. Nero instituit, ut suas laudes publicè celebrarent, seu *dies noctesque plausibus personarent*. Augustales igitur recepto vocabulo ii sunt, qui Augusti inter Divos relati Sacra curabant: sic id. Tacit. Ann. 1. a. v. 767. qui Augusti postremus fuit, *idem annus* [inquit] *novas Cæremonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio . . . sorte ducti ex primaribus Civitatis unus, & viginti, Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adiiciuntur: Sed Tacitum* de sola Vrbe loquentem accipio, nam in Coloniis non expectato Augusti obitu (qui adhuc in terris agens per fædam adulationem divinis honoribus jamdiù coli cæperat) longe antea Augustales fuisse locupletissimus omnium testis est Cenotaphium Pisanum Cal, ubi legitur *T. Statulenus Juncus Flamen Augustalis*: Sequuta autem Augusti morte latiùs per Colonias, Urbis exemplo, digressum Augustalium Sacerdotium, non eodem tamen, quo in Urbe numero, sed VIVIRORVM, seu SEVIRORVM dumtaxat, sexcenti lapides docent. Hos tamen cum *Flaminibus Augustalibus* confusos ab Archiep. De Marca, reprehenso ejus errore, rectius distinguit Card. Norisius Cenot. Pis. Diss. 1. c. 4., ubi singulis Diis singulos Flamines attributos costanti ritu probat. Ut autem Augusti nomen, tamquam præcipua Principatus, majestatisque nota, sequutis Principibus mansit, ita qui aliorum Principum inter Divos ritè consecratorum sacra curabant, Augustales quoque dicti, nisi quod peculiare Principis nomen adjiceretur, ut in nostro lapide heic n. 12. & aliis sequentis pag., ubi plures *Augustales Claudiani* occurrunt.

[b] Edidit hunc lapidem Gudius pag. 287. n. 11. sed lin. 2. omittit *Hoc Fecit*, quod transfert ad quintam, lin. 7. habet: *Et Primigenio*: Sed quum uxori *Monumentum animo libens fecisse*, dicatur Vedianus, an de uxoris obitu lætatus videri potest? Minime: sed id eâdem formulâ usurpatum fuit, qua apud Grut. p. 597. 7. *Bojonia Antullia supremum munus libenti animo sibi posterisque suis fecit*: Sic igitur ea verba accipimus, ut omnino diligenter curata dicerentur, quæ ad funus, ac sepulcrum pertinerent, nam laus fuerit, ea libenter impleisse, quæ ad Defunctorum curam, honoremque præstantur: Cæterum ægrè quidem Vedianus mortem uxoris tulerat, quam *Benemeritam de se* deprædicat, itaut quod ipsam mortem spectat potuit is pulcherrimam illam formulam usurpare apud Grut. pag. 763. 7. FECIT NON LUBENS SED FATUM FECIT. Notanda etiam in hoc lapide nova lex Religionis, quæ A DEXTRO monumenti P. XIIII. sancivit: Nullibi enim *A Dextro*, sed IN *Fronte & in Agro* religiosus monumenti locus statutus legitur, ut sepulcrales tituli passim testantur.

Digitized by Google

Manutius in Orthogr. v. *cauſſa* n. 4. & apud Grut. pag. 333. 7.

13. P. VEIDIVS . P. L. PHI
LOCLES. AVGVSTAL. BE
NEVENTI. GLADIATOR. D
HOC. MONVMENTVM....
...CAVSSA. SIBI. ET SVIS
FACIVNDVM . CVR
P. VEIDIO. P. L. PHILO
DAMO. FRATRI. ET VA
RIAE. PRIMAE. VXORI
ET . P. VEIDIO . P. L.
PHILOTIMO . E T
VEIDIAE . P. L. MATRI

In Porticu Ædium de Ænea, & apud Reinef. pag. 394. n. 28. *(a)*

14

D. M.
A. VIBBIO IANVARIO
CLAVDIALI AVGVSTALI
CVR. MVNERIS DIEI VVS
AVLIS VIBBIIS IVSTINVS
LVSTRIANVS IANVARIVS
PILIS PATRE BEMEM. P.

Prope dirutam Eccleſiam S. Mariæ Paternò.

15. . . . . VS T. L. ANTEROS
. . . . . STALIS
. . . . . VS Q. L. PHILIPP
. . . . . Q. L. MATRI OCTIMAE *ſic*

In Turri Campanaria Ædis Majoris. Tertium L in lin. 3. & 5. accipi debet pro prænomine *Lucii* pertinentis ad nomen ſequentis lineæ.

16. L. CAECIO. L. L.
HILARO AVGVST
L. CAECIO L. L. L.
HERMEROTI AVGVST
L. CAECIO L. L. L.
FELICI AVGVST.

E Schedis Veruſii.

17. C. VALER. . . . . .
AVG. . . . . .
CONL. . . . . .
L. LOLLIO L. L. PRIMI
GENIO CAESIAE PRI
SCAE ACONTIO APRO

In Æd. DD. de Simone *(b)*.

18.

D. M. S
M. SERVENI
ALEXANDRI
AVG. CLAVD
BENEVENTI
VIX. AN. XCVII
M. II. D. XII. IVNIA
CAPREOLA CON
IVGI BENEMER

[*a*] Mirari certè ſubit, tot ſphalmata in hoc lapide è quadratarii manu prodiiſſe, mirandum, inquam, in lapide, qui a ſequiore ævo abeſſe videtur, dicatuſque legitur a Gente Januaria ſummi in Beneventana Colonia loci, ut tituli honorum indicant: Lin. 3. DIEI VVS pro VNIVS, quod de Ludis Gladiatoriis intellige, quos per unum diem curavit A. Vibbius Januarius: Sic in altero noſtro lapide Cl. VIII. n. 1. C. Concordius dicitur *Munerarius Bidui*: quod ſcilicet *biduo munera, ſeu gladiatorios ludos ediderit*: Lin. 4. *Aulis Vibbiis* pro *Aulus Vibbius*. Lin. ult. *Pilis* pro *Filius*, ac præterea *Patre* pro *Patri*: Sed plura, ac fædiora apud Reineſium ſunt ſphalmata, quæ heic recenſere, piget. Quod *Claudialem Auguſtalem* ſpectat, quod munus Januarius noſter geſſit, notari illud debet, quid ſibi velint tot Auguſtales Claudiales, ſeu Claudiani apud Beneventanos. Adeſt Senecæ Ludus de morte Claudii Cæſaris, feſtiviſſimus quidem, ſed non ſine felleo ſale eruditis leporibus condito, cui ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ nomen fuit teſte Dione lib. 58. Sed nihil olim Sapientibus cum vulgi, atque Aulæ Religione: Hæc enim defunctum Claudium *Appia*, ut alios Cæſares, *ad Cælum iſſe* dictitans, inter Divos relatum additis Sacerdotibus venerabatur, nam *funeratum ſolenni Principum pompa, & in numerum Deorum relatum, hunc que honorem a Nerone deſtitutum, abolitumque mox Claudium recepiſſe per Veſpaſianum* teſtatur Svetonius Claud. c. 45.; eum, inquam, Claudium, quem Seneca, Senatuſconſulto ab Diis facto Cælo excedere, atque a Cyllenio ad Inferos *collo obtorto* tractum, ibique ab Æaco, *ut pertuſo fritillo alea ſemper luderet*, damnatum jocatur: Sed præter Auguſtos Claudiales hujus Claſſis, vide alium Claſſ. II. n. 3.

[*b*] Longævitas hujus Auguſtalis Claudialis obſervationem meretur, nam is menſes II. & dies XII. vitæ ſupra ſeptimum, & nonageſimum annum numeraſſe ſcribitur: atque huic ſanè inter veteres Beneventanos omnes, qui ex vetuſtis literatis ſaxis in lucem prodeunt, longiſſimæ omnium vitæ principatum tribuimus, iiſque ſanè perpaucis accenſemus, quos ex univerſa Antiquitate vivendi longævitate inſignes collegit V. C. Fabrettus cap. VIII. p. 560. & ſeqq.: Ex iis enim vix quatuor numerantur, qui noſtrum Auguſtalem ætate præcedant: non invidendam noſtro Ævo Veterum longævitatem rectè notavit Malvaſia Marm. Felſin. p. 76.: quanquam ſi longæviores antiqui, ut primis mundi ætatibus, haud tamen diuturniora, quæ olim, vitæ ſpatia invidenda ſunt nobis, qui in æternæ mox conſecuturæ certam ſpem vocati, præſentem non annis, ſed virtutibus metiri debemus.

Digitized by Google

CLASSIS TERTIA

Magiſtratus majores minoreſque

In Atrio Ædis Publicæ literis pereleganter inſculptis.

1.
BENEVENTVM FELIX
M. FLAVIVS MARCELLVS
RVTILIVS
PRO HONORE IIVIRATVS
L. D. D. D.

Prope DD. de Simone *(a)*.

2.
. . . . . .
ROM. IIVIR. BEN
VIX. AN. XXX. . . .
MAGIA APP. . . . .
. . . . . .
infeliCISSIM. . . . . .

Prope Portam Rectoris.

3.
. . . . . CANIVS M. . . .
. . . TRIB. PL. . . . A. . . .
. . . . BIAL. . . . . P. . . .

In Turri S. Sofiæ.

4. P. CINC. . . . . .
IIIIVIR. . . . . .
P. CINCIO. . . .
SEPPIAE N. . . .
CINCIAE P. . . .

In Arce Civitatis *(b)*.

5. C. ENNIVS M. F.
C. BERGONIVS Q. F.
AED
VIAMSTRAVERVNT
ET LACVVS FECERVNT

Muratorius p. 758. n. 1. è ſchedis Ambroſianis: Beneventi prope S. Sophiæ.

6.
A. VIBBIO
A. F. PAL. PROCulo
AED. PRAEF.
FABR. IIVIR.
I. D. PONTIF.
. . . . . SABINA
L. P. P. M.

Sub Porticu novi Conventus PP. Thereſianorum Lapis elegantibus literis, atque utroque latere ornamentis inſculptus:

7.
L. AVIDIO. L. F. STE
IIIIVIRO. AED
L. AVIDIO. L. F. FRATRI
CATIAE. VIBI. F.
MATRI

[a] Beneventani hujus IIViri intercidit nomen: Illud ROM. a quo linea orditur ad antecedentem lineam pertinet, quæ procul dubio in EQ deſinere debuit, ut ſcilicet Beneventanus hic IIVIR fuerit etiam *Eques Romanus*. De IIViris, eo nempe ſupremo Coloniarum Magiſtratu, qui Romanorum Conſulum imaginem, auctoritatemque præferebat [quorum tres heic n. 1. 2. 6. alterum in Claſſe Militarium n. 1. habebis] nihil mihi obſervandum, nam de hujuſmodi Magiſtratu omnia pervulgata ſunt, ac protrita: Selecta quædam dixi heic pag. 129.

[b] Edidit etiam quam fidiſſimè hunc lapidem Marquardus Gudius p. 72. n. 5. An etiam Muratorius? Hic certè alterum non abſimilem *Beneventi* extantem *in muro Clauſtri S. Modeſti* è ſchedis Ambroſianis exhibet p. 611. n. 4. ſic

P. CERRINIVS
L. CRASSICIVS
II. VIR. I. D.
VIAM STRAVER
ET LACVS FECER
PRO LVDIS

Ad cui hæc ſubdit: LACVS *heic fortaſſe loca profunda, in quibus Feræ ad ludos enutritæ ſtabulabantur*: An idem, vel diverſus alter ab altero cenſendus ſit, parum refert, dum uterque ad Beneventum pertinet: Quod vero Muratorii obſervationem ſpectat, fruſtra utrobique traditam ab eo *Lacus* ſignificationem habemus: Eo enim vocabulo non niſi recepta cula illa, foveas, ſeu Clauſtra, quò aquæ per vias decurrentes confluerent, optimorum Scriptorum auctoritate latè docui p. 133. An vero Muratorius ipſum ſecundum V ab eadem dictione tanquam ſupervacuum abjecerit, vel ita deſcriptam acceperit, non quæro: Certè geminum VV. eſt ex fide lapidis, in quo nihil peccatum a quadratario, dum ſatis conſtat, veteres pro V longo geminum VV. adhibere ſolitos, ut plurima exempla oſtendunt cap. XIX. Ind. Gruter. ubi *Conventuus*, *Domuus*, *Juvs*, & alia multa pro *Conventus*, *Domus*, *Jus* &c. legere eſt.

Digitized by Google

Ad SS. Annunciatæ.

8.
L. LOLLIO L. F. SVAVI
AEDILI. PRAEF. FABR
L. LOLLIVS ORIO PATER
AVG. CLAVD. SIBI ET
HIRRIAE TERTVLLIAE
VXORI

In Ædibus DD. de Capasso (*b*).

10. M. TANNONIVS
FIRMIANVS AED
I. D. BASEM CVM
STATERA ET PON
DER. AENEIS
DE SVO FEC

Ibidem. (*c*)

12. D. M.
C. VIBBIVS
STEPHANVS
AED. BENEVEN
TI VIV. SIBI
FECIT
AMICI VALETE

Gruterus pag. 439. n. 7. (*a*)

9. C. MVNATIO. MOALI
AVGVSTALI
PISMATIAE. RVFINAE. FILIAE
HERENNIAE. TI. F. BASSAE. VXORI
M. GAVIO. M. F. STE. BASSO. AEDILI

In muro Ædis Majoris, & apud Panvin. de Civ. Rom. c. 44. sed fœdè corruptus, ut apud Gruter. p. 415. n. 9.

11. M. GAVIVS
M. F. PALAT.
SABINVS
SCRIBA AED
I. D. PRAEF. FABR
SIBI ET
NASENNIAE M. F.
IVSTAE VXORI
B. M.

In fragmento ingentis marmoris magnis, & elegantibus literis. In suburbano S. Petri *da Fora*.

13.
. . . . . AED. SIBI. ET
. . . . . AE. VXORI. ET
. . . . . FRATRI. ET
. . . . . .

[*a*] De Munatii hujus cognòmine dubitavit Reinesius, qui MORALEM pro MOALI legendum mavult; sed opportunius mihi fuerit, de inaudito adhuc *Pismatiæ* nomine suspicari, quod ex binis dumtaxat Beneventanis lapidibus Gruterus prodit, quorum alterum modo terimus, alterum dabimus in Class. IX. Mendosum nomen me monuit ipsemet lapis, ubi *Pismatia* isthæc disertissimè dicitur Filia *C. Munatii*; si igitur Filia, certè ipsa quoque *Munatia* dici debuit, nunquam vero *Pismatia*: Fœminis enim omnibus nomen Familiæ hæsisse usitatissimum olim, uti nunc vulgatissimum: Ipsæ verò prænomina rarò, persæpe verò cognomina assumebant, quibus ejusdem familiæ fœminæ inter se distinguerentur, ut in nostra *Munatia* factum est, cui *Rufinæ* cognomen.

[*b*] Ad Ædilium munus præcipuè pertinebat, ut pondera, & mensuræ justæ in Commercio haberentur; unde non mediocris laudis loco fuit etiam publico monumento [ut heic] consignatæ, si Romanæ Urbis exemplo, in cujus Capitolio publica pondera, & mensuræ exactæ, ut rectè de privatorum ponderibus, mensurisque constaret, omnisque fraus iis abesset, id quoque Municipales Ædiles in suis Urbibus fecissent. At de his latè à me dictum in De Vet. Magistr. Benev. pag. 134.. An verò in Colonia Beneventana pondera, & mensuræ ad Romanam normam fuerint? Affirmat Cl. Paciaudius in *Exegesi Sancti Panari* heic pag., validisq. momentis probat, quibus addam Majorani Aug. Novellam De Curialibus, in qua præcipitur, ut *à Prætoriana sede ad singulas non solum Provincias, sed etiam Civitates pondera examinata mittantur, quibus tam omnis exactor, quam negotiator utatur*. Verùm in diversam sententiam Everardum Ottonem iviſse comperio in De Ædil. Col. cap. X. §. v.; & quidem tum ob rei difficultatem, tum ob miram antiquarum mensurarum varietatem, quæ in Cimeliarchiis hodiedum spectantur, tum demùm ex verbis Aristotelis lib. v. ethic. c. 7. Hygini de Limit. p. 210. Frontini de Colon. p. 109. & Symmachi l. X. ep. 26. Rem ita transigemus, ut saltem in Italia idem, ac Romæ obtineret. Favet Hygini locus: *Ubicunq.* [inquit] extra fines, legesque Romanorum, id est, ut sollicitiùs perferam, ubicumque extra Italiam quid agitatur; inquirendum de hac re diligenter: Variatum igitur plerumque in Provinciis, quæ longè ab Urbe positæ, non verò in Italia, nec proinde Beneventi, ubi pondera, & mensuræ Romanis pares fuisse videntur, ut hac quoque re Principis Urbis simulacrum Beneventana Colonia referret.

[*c*] Habet Gruterus pag. 487., sed lin. 4. omittit BENEVEN. frustra monente Cl. Fabretto, qui, dum nova editio Gruteri curaretur, hanc inter alias plures, emendationem suppeditavit in *Gruterianis emendationibus* pag. 111. post opus *Inscr. Domest.* De Formula AMICI VALETE suo loco dicemus ad sepulcrales titulos Class. IX.

Digitized by Google

In Ædibus Domini Comitis Capaſſo. [a]

14. L. STAIO L. F
STEL. SCRATEIO
MANILIANO PRIMO
CER. I. D. QQ.
FILIO EQ. ROMANI
ARCHIATRI BENEV
HIC PRIMVS OB HONO
REM CEREAL. TESSERIS
SPARSIS IN QVIBVS AVRVM
ARGENTVM AES VESTEM
CAETERAQ. POPVL
DIVISIT
L. STAIVS
RVTILIVS MANILIVS

In Portico Conventus S. Thereſiæ. [b]

15.

C. ADIECTIO
C. F. STEL
MACEDONI
PR. CER. IVRID
C. ADIECTIVS
NARCISSVS ET
CEIA LVCILLA
NEPOTI. L. D. D. D

In Platea, qua itur ad DD. Perrottos. (c)

16. VERZOBIO
C. CAELIO
C. F. STE. BASSAEO
DONATO
PR. CER. I. D. QQ.
ADLECT. IN ORD
DEC. EQ. ROM.
C. CAELIVS DONATVS
P. BASSAEA TANNARIA
MATER

[a] Haud ſemel de hoc inſigni noſtro lapide in Theſauro diſſerendum mihi fuit; nam de *Archiatri* munere, ſeu profeſſione non vulgaria dixi in De Re Litteraria pag. 211.; ſed quod præcipuum erat, *CERealis Juri Dicundo Quinquennalis*. Magiſtratum [ob cujus honorem magnificentiſſimam, ac penè Regiam liberalitatem exhibuit L. STAIVS] latè illuſtravi in *De Veter. Magiſtr. Benev. pag.* 137., ubi etiam de ejuſdem *Staii* ſingulari munificentia multa notata a me fuerunt: atque ex hac quidem munificentia Magiſtratus præſtantiam optime arguebam, cui accedit *Juriſdicundi* poteſtas cum *PRætoris*, ſeu *PRæfecti* titulo eidem Magiſtratui tributa, ut ex binis aliis lapidibus in hac ipſa paginâ adjectis: quod ideo notandum mihi fuit, ne quem Cl. Everardus Otto decipiat, qui in De Ædil Col. c. VIII. §. VI. in inferiorum Ædilium Claſſem hos Cereales rejecit, dum ait, *Minores Ædiles in Municipiis quibuſdam Cereales dici, eoſque alibi Ædiles Annonæ vocari conſueſſe*, quos proinde a prima Ædilium Claſſe diſtinguit; Sed quanti in omnibus Rebuſp. fuerit, eritque ſemper *Annonæ Procuratio*, eruditum Virum latere non debuit, ut mirum ſit inter Ædilicia munera ſecundum locum huic fuiſſe, quod cætera præſtat, præſertim quum ad Beneventanos Cereales etiam Juriſdictio pertinebat.

[b] Exhibet etiam Gruterus pag. 344. num. 14. ſed lin. 3. legit PR. CER. IVR. D., leviuſculum id quidem, niſi quod ibidem Reineſius pro CER. quæ ſecunda dictio eſt ejuſdem lineæ, legendum notat C. R. exemplo alterius lapidis Gruteriani pag. MC. num. 1., in cujus fragmento habetur PRAETOR C R. .... ſed nugæ ſunt: In noſtro enim lapide omnino habetur PR. CER. IVRID. i. e. *PRæfectus*, aut *PRætor CERealis JURIDicundo*, ut ex ipſo Autographo, qui elegantiſſimis litteris inſculptus adhùc extat incolumis, accuratè deſcripſi; confirmant verò eandem lectionem reliqui hujus paginæ lapides eundem Magiſtratum præferentes. In lin. 7. CEIA habetur in Gruteri exemplo, ac rectè quidem, nam ita eſt in lapide; quod monendum fuit, ne quis CAIA aut ſcriptum, aut ſcribendum ſuſpicaretur: Gens *Ceja* Grutero quidem ignota, ſi hunc noſtrum lapidem excipias; ſed præſto erit apud Gudium pag. 284. num. 1. & apud Muratorium pag. 1597. ex qua Gente *Ceja* alteram deinde *Cejoniam*, profluxiſſe non ineptè conjectabimus.

[c] Cælius hic Baſſæus fuit *PRæfectus*, ſeu *PRætor CERealis Juri Dicundo Quinquennalis, ADLECTus IN ORDinem DECurionum EQues ROManus*. Notandum etiam in hoc lapide *Publia* prænomen, quo BaſſæaTannaria decoratur: De Mulierum Prænominibus, uti olim Veterum, ita variæ hodiedum ſunt eruditorum ſententiæ, immo & decertationes. Vide Fabrettum pag. 30. & ſeq. At de *Publiæ* prænomine nemo dubitaverit, dum veteres lapides paſſim exhibent apud eundem Fabrettum, & in cap. XIX. Indicis Gruteriani, quibus noſtrum modo addimus.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In Turri Campanaria Ædis Majoris. (*a*)

17.

N. AFINIO N. F
PAL. HIERACI
DECVRIONI
BENEVENTANO
QVI VIXIT AN
XVIIII. DIEB. XXXI
N. AFINIVS APVLVS
ET AFINIA ACTE
PARENT INFELIC

In pariete ejuſdem Ædis Majoris.

18. C. VMBRIO
SERVILIO IVSTO
IVSTISS. ABNEPOT
DECVRION. BEN
VIXIT AN. XXX
SERVILIA VARIA
MATER

In diruto Monaſterio S. Lupi.

19. Q. PAVCIVS . . . .
PVP. . . . . .
DECVRIO . . . . .
. . . . . .

lin. 2. lege PVP*iniam Tribum*

Prope Ædem SS. Annunciatæ literis ſemipalmaribus eleganter inſculptus.

20.

. . . AVIDIENO T. F. STE. LEG. .
. . . . . GENTVRIONI . . . . . .
. . . . DECVRIONI . . . . . .

Sub Ponte Leproſo.

21.

L. LOLLIVS . . . . . .
LOLLIVS SVAVIS . . . . . .
LIBERTVS SVAVIS PR. . . . . .
AVGVSTALIS ITERVM IN ORDINE
DEC. . . . . .

In Porticu ad S. Donati.

22. CVRAT. . . . . .
NVMISIO . . . . . .
CVRATORE V. . . . .
BENEVEN . . . . . .

Muratorius pag. 1172. num. 7. (*b*)

23. HIC SITV. . . . . .
MV. . . . . .
PRIMA INVENTA FVIT . . . . . ,
DVM VARIAS CVPIT SPEC. . . . . .
. . . . . MVSEO FIGERE IN ALTO
DECIDIT ET HERMAS HOC NVNC EST PONDERE CLAVSVS
AETERNASQVE LACRIMAS RELIQVIT CARPO PARENTI
QVI VIXIT ANNIS XXI. M. VIIII
DIEBVS XX. CARPVS COLONIAE
PATER INFELICISSIMVS FECIT

Mira-

[*a*] Niſi a quadratario in numerali ætatis nota peccatum ſit, mirum certè videri debet, hunc Afinium ætatis anno XIX. Decurionatu perfunctum. Ulpian. in l. 8. D. De Mun. & Hon.: *Ad Remp. adminiſtrandam ante* XXV. *annum admitti minores non oportet, denique nec Decuriones creantur, vel creati ſuffragium in Curia ferunt*. Paulò amplius ætatis Polybius ſtatuit l. VI. 17. *Urbanum Magiſtratum non ante capere cuiquam licitum eſt, quam* X. *annos militando exegerit*; ut propterea XXVII. opus eſſet, dum militaris ætas an. XVII. incipiebat: Sed non idem ea de re jus extra Urbem: Hinc Plin. X. ep. 83. ex edicto Auguſti Bithynis permiſſum refert *minores magiſtratus ab annis duobus, & viginti capere*. Calliſtratus in l. XI. D. De Decur. *Nonnunquam* (inquit) *longa conſuetudo in ea re obſervata, reſpicienda erit, quod etiam cuſtodiendum Principes noſtri conſulti de allegendis in Ordine Nicomedienſium hujus ætatis hominibus reſcripſerunt*.

[*b*] Ut lapidem hunc in Magiſtratuum Claſſem referrem, in cauſſa fuit Muratorius, qui ad illum ſic breviter habet: *Coloniæ Pater illuſtre munus*: Sed de Muratorii explicatione vid. heic pag. 141. Interin hujus lapidis exemplar etiam ſic detritum magni æſtimabimus: Filio defuncto *Hermas*, quem *Mercurium* dixeris, nomen fuit; Patri vero *Carpus* i. e. *Fructus*. Hos Domo Græcos vocabula produnt, etiam quia ſolitaria contra Latii morem, ubi quiſque πολώνυμος. Extremum fatum (ut ex epitaphio conjicitur) Hermas ſubiit præceps ex ſummo Muſeo, ubi ornamenta figere ſatagebat: atque ex ejus nominis, obituſque occaſione in mentem jam mihi veniunt Hermathenæ illæ, & Hermeracles, quibus tantopere Tuſculanam Academiam ſuam exornare avebat Cicero ad Att. l. I. ep. 1. & 10.

Digitized by Google

IN MOENIBVS VRBIS IN TVRRI VVLGO SANTO PANARO.

Miraberis fortaſſe, erudite Lector, iterum Toreuma hoc, rudiore quidem aſpectu, ac commentariolo hoc meo, quodam veluti centone contectum, in ſcænam prodire, iſtud ipſum Toreuma, quod, ſi bene noſti, aut delectatus meminiſti, ad tuas manus ſecundis Typis, ac curis dedit hoc ipſum Volumen, elegantiore formâ, elegantiſſima vero, atque ampliſſima Diſſertatione exornatum a V.C. Paullo M. Paciaudio: Nova etiam mirandi cauſſa; quod MENSOREM CERERIS AVGVSTAE, quem ille ſatis aptè heic agnoſcit, in Magiſtratuum Beneventanorum Claſſem adhùc ego referre inſtituerim. Sed rurſus exhibendi duplex mihi ratio præſto fuit: Æri incidendum Toreuma jam antea curaveram, quàm Vir Antiquitatis conſultiſſimus & ſuam Diſſertationem, & ſui Menſoris effigiem in lucem ederet: Sed ex ipſa Paciaudianæ Tabulæ elegantia novum mihi conſilium inceſſit, ut hanc meam quoque proderem, rudem profecto, ſed quæ ad rudis Marmoris Fidem amuſſim expreſſa, diligentiam hoc ſaltem nomine probaret meam; Fuit etiam cauſſa altera, ut (quum ſemel rei ex laudata Viri doctiſſimi Diſſertatione non mediocre pretium factum fuerit) quid mihi de eadem re cogitare ſubjiſſet, in medium proferrem. Itaque, quum nullus in ſaxo inſcriptus titulus appareat, proptereaque ex effigie ſola interpretatio petenda ſit, veriſimillimum id profectò exiſtimaverim, ut nempe ex Modio illo adjacente, quem apprehenſo funiculo Vir iſte arrigit, ad *Menſorem Cereris Auguſtæ* Imago ipſa referenda ſit; ſed tamen Modius ipſe diverſa æquè Viri munera repræſentaſſe adhùc videri poteſt; utque ab inferioribus ordiar, *Modium* peculiare ſibi ſymbolum Piſtores adhibuiſſe ſatis liquet ex Gruteriano Lapide pag. 255. n. 2. quem CORPVS PISTORVM Antonino Pio dedicavit, in cujus dextro latere *Modius* inſculptus adeſt ſpicis refertus (non vero *Caniſter*, uti falsò ibi vocat Gruterus, ſive Scaliger, qui nec ad fidem lapidis eum Modium exhibuit, uti poſtea exprimendum curavit Cl. Fabrettus in *Tabula Iliaca* pag. 238. noſtro Modio quàm ſimillimum) ut jam in noſtro Toreumate aliquis ex Piſtorum Corpore repræſentatus videatur: Piſtorum Corpus inter frequentiſſima Veterum Collegia ſatis præſtabat, non Romæ ſolum, ubi ex pluribus Piſtorum Claſſibus, ſeù Officiis plura Corpora conſtituta erant, ſed etiam alibi, & præſertim in Coloniis Romanis,

Digitized by Google

manis, ut latè dixi in Dissertat. *De Vet. Benev. Collegiis*. Pistorum autem Collegium tunc primùm institutum, quum distributio frumenti exoleverit, ac in commodum Plebis, & Militum panes pro frumento dividi cœperint, censet Petr. Burmannus in *de Vectigal. Pop. Rom. cap.* III. *edit. Leidæ* 1734. sed nulla id auctoritate confirmat, neque heic expendere otium est; nam neque certò Pistorem ex nostro Toreumate conjicere est, ubi nobilior fortasse, quàm *Pistoris*, aut etiam *Mensoris frumentarii*. Viri conditio ex eodem Modii symbolo erui potest: Sane Fabrettus idem Inscr. Ant. c. IV. n. 157. p. 274. dum morem illum illustrat, *quo sub officiorum titulis res ipsæ, quæ Officiis, aut artis instrumenta erant, exprimebantur*, Modium Ædilitii muneris symbolum statuit, idque sequenti Inscriptione satis certum confirmat.

T. VETTIVS L. F
POL. AEDILIS
VETTIA T. F. SECVNDA
VXOR FECIT



Exhibet etiam hunc lapidem Gruterus p. 486. n. 2. atque extare dicit, *Augustæ Taur. in angulo Ædium Pinsoniarum ingenti Marmore, quo Vir equitans jubentis ad modum, inferius verò mensura est, sine Modius duabus manibus apprehensus, radio superaddito*: Sed modii formam Fabrettus, a quo descripsi, spectandam dedit, ubi qui *Radius superadditus* Grutero dicitur, nihil aliud est, quàm lignea illa *Regula* ipsius Modii ori superposita, eidem quidem Modio conjunctum instrumentum, quo injectum triticum ad ejus oris superficiem æquari solet. Ædilis autem vocabulum in eo lapide expressum non pro Vettii cognomine, sed munere accipiendum omnino docet adjectus Modius ipse, cui accedit præclarum ejusdem Fabretti judicium, immo & Gruteri, qui in Classem Magistratuum eum lapidem retulit; Certam etiam rem habet Everardus Otto in De Ædil. Colon. cap. X. §. IV., ubi ejusdem, quem etiam recitat, lapidis exemplo, atque auctoritate Modium Ædilitii Muneris symbolum esse confirmat. Id quod amplius manifestum fit ex Nummo Ædilitio Gentis Livinejæ apud Spanhemium *Diss.* VI. *p.* 545. *seu Diss.* X. *p.* 151. *postremæ editionis*, in quo Modius frumento refertus representatur, unde id (eodem doctissimo Spanhemio præmonstrante) facilè assequimur, cur apud Livium lib. 31. cap. 50. dicantur Ædiles Curules *frumenti vim magnam ex Africa advectam binis æris in MODIOS populo divisisse*: Sed quum semel cœperim, magnificentiora adhuc de hoc Toreumate addam: Quid enim, si ethnicæ superstitionis aliquid in eo lateat, Numenque quodpiam ibidem effictum dicere liceat? Non heic perridiculum nostrorum Popularium judicium moror, qui nescio ex qua causa, ex antiquitus tamen recepto vocabulo, saxum *Santi Panari* nomine appellant. Nihil etiam dicam de Modio illo, quem pinguibus spicis refertum exhibet Basis titulus *Gratæ Fortunæ* inscriptus, quem edidit Cl. Gorius in Opere Doniano Tab. VII. n. 1. Certè apud Gudium pag. 59. n. 9 & 11. binos lapides invenio, quorum alter SEMONI MODIO SANCO, alter vero MODIO FIDIO SEMONI, inscripti leguntur: An igitur Deus iste MODIVS Romanis, Sabinisque cultus, ad veteres quoque Beneventanos pervasit, istâque, quam Toreuma extendit, effigie ab iis donatus? Sed ne plura de hoc saxo, quod Paciaudiana messe apprimè locuples, vix est, ut tenui hoc spicilegio meo locupletius videri possit.

Digitized by Google

CLASSIS QUARTA
Auguſtis, Conſulibus, Viriſque illuſtribus dicata.

In Arcu Triumphali, vulgo Porta Aurea. Hunc Titulum habes a me illuſtratum in De Operibus Publicis cap. 1. pag. 253.

1.
IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . FILIO
NERVAE . TRAIANO . OPTIMO . AVG
GERMANICO . DACICO . PONT. MAX. TRIB
POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P. P
FORTISSIMO . PRINCIPI . S. P. Q. R

In Oppido Arpadii ad Furcas Caudinas. De hoc lapide latiſſimè egi Diſs. 1. cap. IV. pag. 53.

2.
IVLIAE AVG. IMP. CAESARIS
SEPTIMI SEVERI PII PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIAB. PART. MAX
MATRI AVGVSTI . . . . . .
ET CASTRORVM COLONIA IVLIA
CONCORDIA AVG. FELIX BENE
VENTVM DEVOTA MAIESTATI
AVGG. . . . IN TERRITORIO SVO QVOD
CINGIT ETIAM CAVDINORVM
CIVITATEM MVRO TENVS

Sub Arcu Pontis Caloris. Vid. p. 27. & 192.

3.
BONOEVENTO
PROFECTIONIS ORIENTALIS ET
REDITVS AVGVSTORVM L. SEPTIMI
ET M. AVR. ANTONINI COL. IVLIA
AVG. COMCORDIA FELIX BENEVEN
TVM DEVOTA MAIESTATI AVGG

In Ædibus olim Antonii Cardone. (a)

4.
MAGNO ET INVICTO
GALLIENO
AVG. XI. COS. VI
DESIGNATO VII
PACIS R. . . . . .
. . . . . .

Reine-

[a] Gruterus p. 274. n. 6. poſtremâ lineâ legit PAG. nihilque exinde detritum indicat; quod ſi ita eſſet, PAGani dictione illâ exprimerentur; i. e. ii omnes, qui Militiam non ſequerentur, ſed Civilis vitæ otium ſectarentur: Sed ex fide lapidis PACIS illic eſt, atque exinde ſingularis R ſuperſtes legitur, poſt quam reliqua ejuſdem, ac ſequentis lineæ omnino detrita ſunt: unde PACis Reſtitutorem ibidem ſcriptum conjicio, quod elogium ad alios honoris titulos Gallieno tributos acceſſit: Quæ omnia per fœdiſſimam adulationem erga Gallienum geſta dictaque cenſebimus, Principem nempe illum, quem ſcimus domi turpiſſimè ſedentem de Orbis Romani calamitatibus, vaſtationibus, ſervitute nihil negotii ſibi dediſſe, immò & verbis jocandi ſibi materiam feciſſe, uti pag. 196. a me obſervatum latè fuit: An vero (quod modo animadvertendam mihi eſt) illi honorum tituli ironicè Gallieno delati? Certè Cl. Vaillantius in Nummo *Saloninæ Gallieni*, ubi legitur AVG. IN PACE, & in altero ejuſdem Gallieni cum epigraphe GALLIENAE AVGVSTAE quo muliebris Gallieni animus taxatur, & in poſtica VBIQVE PAX, tum cum inter plures Tyrannos Imperium diſcerpebatur, ironiam agnoſcit, cuſoſque arbitratur a quopiam ex ipſis Tyrannis, qui acerbiſſimis hiſce ſarcaſmis Gallieno illudebat.

Digitized by Google

Reinesius pag. 323. num. 55. è Schedis Langermanni. (*a*)

5.

HELENAE AVGVSTAE
GENITRICI D. N. CONSTANTINI MAX
VICTORIS ET TRIVMPHAT. SEMPER AVG
ELPISTICVS V. P. P. P. RER. PRIVATAR
PIETATI EORVM SEMPER DEVOTISSIMVS

In Ædibus Jacobi Gioja.

6. FL. CLAVDIO
IVLIANO NOB
AC BEATISSIMO
CAESARI
CVRANTE TOCIO
MAXIMO V. C. CVR
REIP. BENEVENTI

In Columna ante Ædes Horatii Leone. (*b*)

7. D. N. FL
CLAVDIO
IVLIANO AVG
PIO FELICI IN
VICTO BONO REIP
. . . . . .
. . . . . .

[*a*] Ex hoc noſtro lapide, ubi Helena Auguſta dicitur Genitrix Conſtantini, juſtas ejuſdem Helenæ cum Imp. Conſtantio Conſtantini Magni Patre ab initio nuptias (quod pro re nata erat) aſſerui in Diſſert. VII. pag. 197.. In Elpiſtici nomine Reineſius mendum agnoſcit, putatque in lapide aut *Ælium Piſticum*, aut ELPIDIVM fuiſſe ſcriptum: Malim Elpidium, nam eo nomine plures Viros variis Magiſtratibus inſignes, qui Conſtantiniano Ævo florebant, nobis exhibet Chronologia Codicis Theodoſiani. In Siglis illis. V. P. P P. RER. PRIVATAR., quæ Elpidii nomen conſequuntur, habetur, hunc fuiſſe *Virum Perfectiſſimum Procuratorem Rerum Privatarum*, i. e. *Privati Patrimonii*, quod Princeps habebat, diverſum a *Publico*, ſeù *Fiſcali*. inſtitutum quidem ab Imp. Severo, qui (ut refert Spartianus) *Filiis ſuis tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum, tuncque primum Privatarum Rerum Procuratio conſtituta eſt*.

[*b*] Quid cauſſæ fuerit, ut duos hoſce lapides Juliano prius Cæſari, dein Auguſto Beneventani dicaverint, jam dixi in Diſſert. VII. pag. 201., ubi poſtremas hujus Inſcriptionis lineas ita ſuppletas dedi: BONO REIP. NATO. ORDO ET POP. BENEVENT. Formulam hanc (de qua nihil ibi) ſerò, ut arbitror, in Aulam adulatio invexit, ac publicis monumentis conſignavit: neque enim ante Conſtantini ævum in lapidibus occurrit, ut reprobatâ duorum primi, & ſecundi ſæculi lapidum fide rectè notavit Cl. Oliverius in Marm. Piſaur. pag. 54., at mox in ſequutorum Principum monumentis frequentiſſime adhiberi conſuevit, & penè apud omnes ſolennis habebatur, quum Principem honoris cauſſa meminiſſe vellent: Sic *ad Bonum publicum natum Imperatorem ait Symmachus* lib. 3. ep. 42. & *ad bonum publicum natos liberos* lib. 10. ep. 22. Sed quod Scriptores attinet, non dubito, quin a Principatus initio eadem formula recepta uſu fuerit, cujus rei quamquam modo mihi exempla non ſuppetant, habeo tamen, ut contrariis exemplis probare poſſim: Seneca ſanè in De Clementia l. 1. c. 18. *Regum* (inquit) *injuria latiùs patet, & infamia, atque odium ſæculis dabitur: quanto autem non naſci melius fuit, quàm numerari inter PVBLICO MALO NATOS*. De Nerone Svetonius cap VI. *Præſagio fuit Domitii Patris vox, negantis quicquam ex ſe, & Agrippina niſi deteſtabile, & MALO PVBLICO NASCI potuiſſe*. Et Scriptorum quidem fidem pluris faciemus, quàm lapidum, qui fruſtra Julianum *Bono Reip. natum* per ſumman adulationem deprædicant, cui potius Senecæ, quæ ſuperiùs recitavimus, dicta quadrare poſſunt.

Digitized by Google

Sub Ponte Leproſo in ingenti marmore.

8. VALENTIS ET GRATIANI AVGVSTOR.

Gudius pag. 95. num. 3. (*a*)

9. DIVO . VALERIANO . PARENTI . REIP
PIO . FELICI . VICTORI
SEMPER . AVG.
NERATIVS . SCOPI . V. C
CONS. CAMP
NVMINI . EIVS . MAIESTATIQ. DEVOT

In Columna prope Ædes DD. Lucarelli.

11. DDD. NNN. THEO
DOSII ARCADII
ET HONORII

E ſchedis Veruſii. (*b*)

10. . . . . INVICTISSIM
. . . . . THEODOSII
. . . . . AVINIANO
. . . . . DVS RVFINVS
. . . . . ERRIMI ORD
STATVAM
IN ABDITIS LO
CIS REPERTAM AD PRIVATVM
ET PVBLICVM . . . . . CELEBER
RIMO CONSTITVENDAM
CVRAVIT INSISTENTE VL FIRMO

Ex Gudio pag. 86. num. 1. In Furcis Caudinis prope Arpadium Columna. (*c*)

12.

In una parte.

IMP. CAESAR. DIVI . F
AVGVSTVS . COS. X
TRIB. POTEST. VII
EX . S. C

In altera parte.

DN. FL. CLAVDIO
IVLIANO PIO FELICI
INVICTO AVG
DDD. NNN. THEODOSIO
ARCADIO . HONORIO
BONO REIP. NATIS
XVI
DDD. NNN. VALENTI
NIANO . TH. . . . . .
ET ARCADIO

Manu-

[*a*] Ex Codice Redii lapidem hunc *Beneventi ſub quodam Arcu* extantem refert Gudius, in cujus tamen exemplo fœdiſſimum Mendum ex Typographi oſcitantia irrepſit, qui *Valerio* pro Valeriano excudit, quæ mihi cauſſa fuit, Archetypo non adhùc invento, ut *Valentem* ſcribendum conjicerem pag. 148., ubi de *Divi* titulo Auguſtis viventibus tradito plura dixi.

[*b*] Exactiores Veruſii operas in hoc lapide deſcribendo deſideramus, cujus initium non tam lacunis, quàm mutilâ illa dictione AVINIANO lin. 3 non ſatis conſtat. *Valentinianum* ibi ſcriptum dicerem, niſi lapidis ſenſus repugnaret, quem ita reſtituendum, aut explicandum cenſeo. *Invictiſſimi Theodoſii ſtatuam Secundus Rufinus integerrimi Ordinis* (i. e. Senatorii, aut potius Judicum ordinariorum) *in abditis locis repertam ad privatum, & publicum ornatum Loco Celeberrimo conſtituendam curavit*. Quid ſit *in abditis locis*, neſcire fatetur Fabrettus, explicare conatur Mazochius, ſed veriora fortaſſe a me dicta ſunt p. 280. Celeberrimum autem Locum intelligo, qui in nobiliore, conſpectiſſimaque Urbis parte, veluti Foro, Thermis, Capitolio &c. haberetur, ubi Illuſtrium Virorum Statuæ aliaque honoris monumenta collocari ſolebant: Sic apud Gruter. p. 285. n. 2. *Statuam in Capitolio diù jacentem in celeberrimo Fori loco conſtitui juſſit*. Sequitur demum in noſtro Lapide. Theodoſianam Statuam a Rufino fuiſſe conſtitutam INSISTENTE VL FIRMO i. e. *urgente, ſolicitante*, qua ſignificatione ejuſmodi verbum Plinio uſurpatur; qui vero id agerent plerumque in monumentis ipſis honoris cauſſa inſcribebantur. Illud VL aut Ulpium Firmi nomen demonſtrat, aut mendosè ſcriptum, deſcriptumve pro V.C. erit, i. e. Viro Clariſſimo.

[*c*] Quater diverſo tempore, diverſiſque Auguſtis unam eandemque Columnam inſcriptam vides: Quid igitur cauſſæ fuerit, ut eodem lapide Poſteri uterentur ad ſui ævi Principes publico monumento celebrandos? Sed id ſequioris ætatis inter alia fuit, poſt bonarum artium interitum, vetuſta marmora adhibere, quibus recentiori, rudique ſcalpro aliquid conſignaretur: Cauſſa altera in hac Columna eſſe potuit, quod quum miliaria fortaſſe fuerit, eidem uni omnes Auguſtos illos continenter inſcribi ſatiùs fuerit, qui eandem deinceps viam refeciſſent.

Digitized by Google

Reinesius pag. 323. num. 55. è Schedis Langermanni. (*a*)

5.
HELENAE AVGVSTAE
GENITRICI D. N. CONSTANTINI MAX
VICTORIS ET TRIVMPHAT. SEMPER AVG
ELPISTICVS V. P. P. P. RER. PRIVATAR
PIETATI EORVM SEMPER DEVOTISSIMVS

In Ædibus Jacobi Gioja.

6. FL. CLAVDIO
IVLIANO NOB
AC BEATISSIMO
CAESARI
CVRANTE TOCIO
MAXIMO V. C. CVR
REIP. BENEVENTI

In Columna ante Ædes Horatii Leone. (*b*)

7. D. N. FL
CLAVDIO
IVLIANO AVG
PIO FELICI IN
VICTO BONO REIP
. . . . . .
. . . . . .

[*a*] Ex hoc noſtro lapide, ubi Helena Auguſta dicitur Genitrix Conſtantini, juſtas ejuſdem Helenæ cum Imp. Conſtantio Conſtantini Magni Patre ab initio nuptias (quod pro re nata erat) aſſerui in Diſſert. VII. pag. 197.. In Elpiſtici nomine Reineſius mendum agnoſcit, putatque in lapide aut *Ælium Piſticum*, aut ELPIDIVM fuiſſe ſcriptum: Malim Elpidium, nam eo nomine plures Viros variis Magiſtratibus inſignes, qui Conſtantiniano Ævo florebant, nobis exhibet Chronologia Codicis Theodoſiani. In Siglis illis. V. P P P. RER. PRIVATAR., quæ Elpidii nomen conſequuntur, habetur, hunc fuiſſe *Virum Perfectiſſimum Procuratorem Rerum Privatarum*, i. e. *Privati Patrimonii*, quod Princeps habebat, diverſum a *Publico*, ſeù *Fiſcali*. inſtitutum quidem ab Imp. Severo, qui (ut refert Spartianus) *Filiis ſuis tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum, tuncque primum Privatarum Rerum Procuratio conſtituta eſt*.

[*b*] Quid cauſſæ fuerit, ut duos hoſce lapides Juliano prius Cæſari, dein Auguſto Beneventani dicaverint, jam dixi in Diſſert. VII. pag. 201., ubi poſtremas hujus Inſcriptionis lineas ita ſuppletas dedi: BONO REIP. NATO. ORDO ET POP. BENEVENT. Formulam hanc (de qua nihil ibi) ſerò, ut arbitror, in Aulam adulatio invexit, ac publicis monumentis conſignavit: neque enim ante Conſtantini ævum in lapidibus occurrit, ut reprobatâ duorum primi, & ſecundi ſæculi lapidum fide rectè notavit Cl. Oliverius in Marm. Piſaur. pag. 54., at mox in ſequutorum Principum monumentis frequentiſſime adhiberi conſuevit, & penè apud omnes ſolennis habebatur, quum Principem honoris cauſſa meminiſſe vellent: Sic *ad Bonum publicum natum Imperatorem ait Symmachus* lib. 3. ep. 42. & *ad bonum publicum natos liberos* lib. 10. ep. 22. Sed quod Scriptores attinet, non dubito, quin a Principatus initio eadem formula recepta uſu fuerit, cujus rei quamquam modo mihi exempla non ſuppetant, habeo tamen, ut contrariis exemplis probare poſſim: Seneca ſanè in De Clementia l. 1. c. 18. *Regum* (inquit) *injuria latiùs patet, & infamia, atque odium ſæculis dabitur: quanto autem non naſci melius fuit, quàm numerari inter PVBLICO MALO NATOS*. De Nerone Svetonius cap VI. *Præſagio fuit Domitii Patris vox, negantis quicquam ex ſe, & Agrippina niſi deteſtabile, & MALO PVBLICO NASCI potuiſſe*. Et Scriptorum quidem fidem pluris faciemus, quàm lapidum, qui fruſtra Julianum *Bono Reip. natum* per ſummam adulationem deprædicant, cui potius Senecæ, quæ ſuperiùs recitavimus, dicta quadrare poſſunt.

Digitized by Google

Sub Ponte Leproſo in ingenti marmore.

8. VALENTIS ET GRATIANI AVGVSTOR.

Gudius pag. 95. num. 3. (*a*)

9. DIVO . VALERIANO . PARENTI . REIP
PIO . FELICI . VICTORI
SEMPER . AVG.
NERATIVS . SCOPI . V. C
CONS. CAMP
NVMINI . EIVS . MAIESTATIQ. DEVOT

In Columna prope Ædes DD. Lucarelli.

11. DDD. NNN. THEO
DOSII ARCADII
ET HONORII

E ſchedis Veruſii. (*b*)

10. . . . . INVICTISSIM
. . . . . THEODOSII
. . . . . AVINIANO
. . . . . DVS RVFINVS
. . . . . ERRIMI ORD
STATVAM
IN ABDITIS LO
CIS REPERTAM AD PRIVATVM
ET PVBLICVM . . . . . CELEBER
RIMO CONSTITVENDAM
CVRAVIT INSISTENTE VL FIRMO

Ex Gudio pag. 86. num. 1. In Furcis Caudinis prope Arpadium Columna. (*c*)

12.

In una parte.

IMP. CAESAR. DIVI . F
AVGVSTVS . COS. X
TRIB. POTEST. VII
EX . S. C

In altera parte.

DN. FL. CLAVDIO
IVLIANO PIO FELICI
INVICTO AVG
DDD. NNN. THEODOSIO
ARCADIO . HONORIO
BONO REIP. NATIS
XVI
DDD. NNN. VALENTI
NIANO . TH. . . . . .
ET ARCADIO

Manu-

[*a*] Ex Codice Redii lapidem hunc *Beneventi ſub quodam Arcu* extantem refert Gudius, in cujus tamen exemplo fœdiſſimum Mendum ex Typographi oſcitantia irrepſit, qui *Valerio* pro Valeriano excudit, quæ mihi cauſſa fuit, Archetypo non adhùc invento, ut *Valentem* ſcribendum conjicerem pag. 148., ubi de *Divi* titulo Auguſtis viventibus tradito plura dixi.

[*b*] Exactiores Veruſii operas in hoc lapide deſcribendo deſideramus, cujus initium non tam lacunis, quàm mutilâ illa dictione AVINIANO lin. 3 non ſatis conſtat. *Valentinianum* ibi ſcriptum dicerem, niſi lapidis ſenſus repugnaret, quem ita reſtituendum, aut explicandum cenſeo. *Invictiſſimi Theodoſii ſtatuam Secundus Rufinus integerrimi Ordinis* (i. e. Senatorii, aut potius Judicum ordinariorum) *in abditis locis repertam ad privatum, & publicum ornatum Loco Celeberrimo conſtituendam curavit*. Quid ſit *in abditis locis*, neſcire fatetur Fabrettus, explicare conatur Mazochius, ſed veriora fortaſſe a me dicta ſunt p. 280. Celeberrimum autem Locum intelligo, qui in nobiliore, conſpectiſſimaque Urbis parte, veluti Foro, Thermis, Capitolio &c. haberetur, ubi Illuſtrium Virorum Statuæ aliaque honoris monumenta collocari ſolebant: Sic apud Gruter. p. 285. n. 2. *Statuam in Capitolio diù jacentem in celeberrimo Fori loco conſtitui juſſit*. Sequitur demum in noſtro Lapide. Theodoſianam Statuam a Rufino fuiſſe conſtitutam INSISTENTE VL FIRMO i. e. *urgente, ſolicitante*, qua ſignificatione ejuſmodi verbum Plinio uſurpatur; qui vero id agerent plerumque in monumentis ipſis honoris cauſſa inſcribebantur. Illud VL aut Ulpium Firmi nomen demonſtrat, aut mendosè ſcriptum, deſcriptumve pro V.C. erit, i. e. Viro Clariſſimo.

[*c*] Quater diverſo tempore, diverſiſque Auguſtis unam eandemque Columnam inſcriptam vides: Quid igitur cauſſæ fuerit, ut eodem lapide Poſteri uterentur ad ſui ævi Principes publico monumento celebrandos? Sed id ſequioris ætatis inter alia fuit, poſt bonarum artium interitum, vetuſta marmora adhibere, quibus recentiori, rudique ſcalpro aliquid conſignaretur: Cauſſa altera in hac Columna eſſe potuit, quod quum miliaria fortaſſe fuerit, eidem uni omnes Auguſtos illos continenter inſcribi ſatiùs fuerit, qui eandem deinceps viam refeciſſent.

Digitized by Google

13. Manutius Orthogr. V. *Ræti* n.1. & Gruter. p.439. n.8. qui poſt cos. lin. 2. addit AGENS. (*a*)

L. MVNATIVS . L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS . COS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX. RAETIS . AEDEM . SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI . IN . GALLIA . COLONIAS . DEDVXIT
LVGDVNVM . ET . RAVRICVM

In Oppido Montis Herculis prope Beneventum. (*b*)

14

L. SCRIBONIVS . L. F. LIBO . PATER
L. SCRIBONIVS . L. F. LIBO . FILIVS
PATRONEI . TVRREIS . EX . D. D
. . . . . AC . . . . . .
. . . . . .

Panvinius in Faſtis ad A.988. & Grut. p.45. n.9.

15. HERCVLI CONSERVATORI
PRO SALVTE
L. RAGONI L. F. PAP. VRINATI
LARTI QVINCTIANI VIR. COS
SODAL. HADRIANAL. LEG. LEG
XIII. GEM. DONIS MILIT. DONAT
AB. IMP. COMMODO ANTONINO
AVG. PRO COS. PROV. SARDINIAE
IVRIDIC. PER APVLIAM PRAEF
I. D. PRAET. AED. PL. Q. PR. AFRIC
VI. VIR. AVG. EX TESTAMENTO
M. ANTIVS ENNIVS SERGIANVS
AMICO V. CVR

Gudius p.137. n.11. ex Redio. [*c*]

16. L. RAGONIO L. F. PAP. VINATIO
LARTIO QVINTIANO COS
SODAL. HADRIANAL. LEG. LEG. XIII. GEM
DONIS MILITAR. DONAT. AB. IMP. COMMODO
ANTONINO AVG
PROCOS. PROV. SARDINIAE IVRIDICO
PER APVLIAM PRAET. AED. PL. Q. PR. PR
PROV. AFRIC. SEVIR
M. AGCIVS ENNIVS SERGIANVS
AMICO

In Ædi-

[*a*] De hoc lapide plura a me dicta invenies in Diſſert.1.cap 11. p.35., quo loco Agrorum diviſionem Beneventi a Munatio factam ad eam retuli Colonorum deductionem, quos C. Cæſar Benevento adſcripſit; unde Beneventana Colonia inter alia cognomina etiam *Julia* dicta eſt. Atque hoc quidem inſignis rei ad Beneventanos veteres pertinentis monumentum, quamquam alibi lapis extet, jure ſibi inter noſtras antiquas Inſcriptiones locum vindicavit. De Munatio etiam præter ea, quæ lapis memorat, præclariora alia ibidem obſervaſſe libuit, quibus modo addam, non de Rætis ſolis, quos lapis meminit, ſed ex Gallis quoque Munatium triumphaſſe: quod ita certum habeo, ut nullæ mihi Divinatoris partes obeundæ ſint, quas offert Muratorius pag 724. n.4. ubi ex Taulero hunc lapidem recitat, tanquam Atinæ extantem.

L. MVNATIVS L. F. L. N. PROCONSVL
EX GALLIA. IIII. KAL. IANVAR.

ad quem ſic ipſe: *Quid ſibi velit Inſcriptio hæc exoticæ formæ, Divinatoribus explicandum offero*: Immo vero neque exoticam formam, ſed Romanis familiariſſimam, ac probatiſſimam, neque in explicando lapide divinatione opus eſſe, facili, aut etiam nullo negotio, planè didiciſſe poterat Muratorius ex vulgatiſſimis Romanis Columnis illis in Capitolio aſſervatis, in quibus Triumphi, Ovationeſque Ducum Romanorum deſcriptæ ſunt, quarum exemplar, præter alios, exhibet Gruterus p. 296. & 297., in quarum tertia ſic inter alia legitur:

L. MVNATIVS L. F. L. N. PRO. COS. AN
EX GALLIA IIII. K. IAN

Proconſulem Galliæ Munatium egiſſe A. V. C. 711. jam probavi d. p. 35., quo tempore Gallis devictis Lugdunum, & Rauricum Colonias deduxit Munatius, poſt factam ſcilicet agrorum Beneventi diviſionem, ac proinde quum adhùc C. Cæſar rerum potiebatur.

[*b*] Juxta Beneventum extantem refert Gudius, non indicato loco; ſed in Oppido Montis Herculis a me inventus, deſcriptuſque eſt hic lapis. An igitur ei loco *Turris* olim nomen? Nullos enim Turribus propria ſignificatione acceptis Patronos fuiſſe ſcio: adde illuſtrem horum Patronorum conditionem, ex qua, uti etiam ex lapidis Orthographia ejuſdem vetuſtatem accipimus. De Scriboniis dixi p. 28. Eorum arborem vide apud Lipſium *Excurſ. ad* 11. *Annal. Tacit.* lit. E.

[*c*] Tam hunc lapidem, quàm alterum heic n. 15. Beneventi extantes dicit Gudius, cujus hæc ſunt: *Hæc Inſcriptio non videtur eadem cum illa, quæ eſt apud Grut. p.45. n. 9.* (heic d. n. 15.) *nam etſi eàdem utrobique nomina occurrunt, tamen eo præcipuè differunt, quod Gruteriana illa votum concipiat: Herculi Conſervatori pro ſalute Ragoni &c.: Hæc vero noſtra nihil iſtiuſmodi continens loco monumenti poſita ſit Ragonio mortuo: Sed illa apud Gruterum, quam Onuphrius dedit, admodum mihi ſuſpecta eſt &c. Onuphrius non dicit, ubi lapis extet, tamen ex hac Inſcriptione apparet, etiam illam Onuphrianam Beneventi extitiſſe.* Hactenus Gudius, cujus (quod poſteriorem lapidem ſpectat) non tanti ſunt argumenta, ut Panvinium ſubleſtæ fidei arguamus: Illud potius veriſimilius putabimus, tum Gruterianam, tum Panvinianam non diverſas, ſed unam, eandemque Inſcriptionem eſſe, quam ſic accipio: Ragonius lethali morbo correptus condito teſtamento Accium Amicum hæredem ſcripſit, legavitque, ut, ſi convaluiſſet, ſignum Herculi Conſervatori pro reſtituta ſalute dedicaretur: Res pro voto fuit; ſicque Lapidem Accius, Amico Vivo, (ut lineam ultimam auferendi caſu explico) dedicandum curavit. L. Ragonius Quintianus Conſul fuit A. Chr. 235. ſed & L. alter Ragonius Quintianus adhùc Conſul occurrit A.289. prioris fortaſſe filius.

Digitized by Google

In Ædibus DD. Capasso sex prioribus lineis modo detritis; Integrum dedit Manutius Orthogr. v. *Kalendarium* n.44. & singularem dicit, quòd dictum vocabulum scribat initiali C pro K, sed falsò descriptum habuit, nam in Authographo scriptum est *Kalendari*, ut etiam in Grutero, qui eundem exhibet p.444. n.5. De hoc lapide plurima dixi pag. 232. & seq.

17. C. OCTAVIO C. F
PAL. MODESTO
AVGVR. IIVIR. I. D. QVAEST. II
PRAEF. FABR. ROMAE. PRAEF
COH. II. PANNONIORVM. PRAEF
COH. III. ITYREOR. TRIB. MIL
LEG. IIII. SCITHIC. CVRAT. REI
P. AECANORVM. ITEM. HONORA
TO. AD. CVRAM. KALENDARI
REIP. CANVSINOR. A. DIVO. TRA
IANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HA
DRIANO. AVG. HIC. OPVS. QVADRI
GAE. CVM. EFFIGIE. IMP. HADRI
ANI. AVG. CITRA. VLLIVS. POSTV
LATION. CVM. MVNICIPIBVS
SVIS. OBTVLISSET. EX. ARGENTI
LIBRIS. ∞. ADIECTIS. AMPLIVS
LIBRIS. DVII. VIRITIM. POPV
LO. DC. SING. DISTRIBVTIS
DEDICARI CAVIT *sic*
P. D. D

Gruterus p. 436. n.7. *Beneventi in Horreo Templi Annunciatæ in Basi.* (a)

18. M. MARIO M. F
STEL. TITIO RVFINO
COS
CVR. COL. CLAVD. AVG
AGRIPPINENSIVM
PROCOS. PROV. SICILIAE
CVRAT. AMERINOR. PRAET
TR. PL. Q. PROV. MACEDON
SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM
TRIB. LATICL. LEG. I. ADI. P. F
IIII. VIRO STLITIB. IVDIC
FIDES CVM HELLADE ET
TERTIO PARENTI B. M. F

Prope Ædes olim Caroli Tancredi. (b)

19. CLAVDIO IVLIO
PACATO. V. C. CONS
CAMP. OB AEQVITA
TEM IVDICIS ET
PATROCINIA IAM
PRIVATI ORDO
BENEVENTANVS
PATRONO POST
FASCES DEPOSITOS
CENSVIT CONLOCANDAM
d Refossa

[a] Ad hunc lapidem hæc sunt apud Gruterum: *Fallitur Reinesius, qui suspicatur hujus Nepotem, vel Pronepotem fuisse Marium Maximum Calvinianum, de quo supra in* LXXIX. 2. *Capitolinus in M. Antonino Philos.*: *Marium Sevirum Turmis Romanorum Equitum jam Cos. designatum creavit*: De Reinesii divinatione parvi refert: quæ tamen reliqua in eadem nota subduntur, turpissimam scribentis hallucinationem ostendunt; nam *Marium* pro *Marco* in Capitolino legisse convincitur, quem quidem Marcum *adhùc Quæstorem, & Consulem secum Pius designavit, & Cæsaris appellatione donavit, & Sevirum Turmis Equitum Romanorum jam Consulem designatum creavit*: ita Capitolinus inter Scriptores Hist. Aug. edit. Basil. Froben. an. 1533. Præterea hunc nostrum M. Marium Rufinum cum Ap. Claudio Laterano Consulem processisse constat anno Ch. 197. quem annum Antonini Imperium longe ante præcessit, dum is an. 138. imperare cœpit: Miror autem hunc nostrum lapidem in Gruteriano corpore jamdiù editum Cl. Muratorium fugisse, qui in sua Classe Consulum ad an. 197 pag. 347. præter unum Rufini reliqua omnia ejusdem Consulis nomina ignorata nobis voluit, sic

AP. CLAVDIVS LATERANVS
. . . . . RVFINVS

In penult. linea hujus lapidis mendum cubare videtur; an enim Rufini filiis (nam Parenti B. M. Fecerunt) Fidei, Helladis, Tertiique nomina fuisse putabimus? ab his certe Romana Consularis Familia abhorrere videtur: Quod vero Rufinus monumentum hoc a Filiis suis Beneventi acceperit, conjiciebam aliquando Gentem Rufinam Beneventi consedisse, de qua re vide heic pag. 130.

[b] Bis edidit Muratorius, ac primùm pag. 376. num. 1. admodum mendosum, nam lineas turbans, pro *Judicis* lin. 4. habet *Judicii*, lin. 5. ad illud JAM importunè notat: Fort. JVRIS: quum rectè scriptum sit JAM i. e. *olim*, quum ipse Pacatus nondum *Judex*, sed *Privatus*: Sed & pag. 1032. num. 6. iterum exhibet, subditque mendis deformatum legi in Gruter. pag. 390. n. 1. Sed & idem Gruterus (quod Muratorium fugit) emendatam omninò recudit pag. 424. n. 1., notatque, Fasces etiam aliis summis Magistratibus datos, ac præsertim de Consulari Campaniæ (quo de Magistratu noster lapis agit) confirmat verbis Julii Firmi, in Præf. Astron. ad Mavortium Lollianum: *Quum esses in Provinciæ Campaniæ Fascibus constitutus* &c. Sed præter summos Romanorum Magistratus Provinciales, Municipales etiam, seu Colonicos Fascibus usos probavi heic p. 129. quum de Beneventanis Duumviris agerem: quibus meis observationibus libenter modo addo, quæ in eandem rem longa, & erudita exercitatione congesta invenio ab Everar. Ottone in De Ædil. Col. c. XIII. §. 8. & 9.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Refossa an. 1702. ad S. Mariæ Constantinopolitanæ. (*a*)

20. AMANTI OMNIVM ET AMATO OMNIBVS
NOBILI PARITER ET IVSTO VALERIO PVBLI
COLAE C. V. CONS. CAMPANIAE AB ATAVIS
PATRONO SPL. ORDO BENEVENTANVS
ET HONESTISS. POPVLVS STATVENDAM
DECREVIT

In Pariete laterali dirutæ Ecclesiæ S. Jo. *de Fraola*. (*b*)

22. ADELFI CLODIO CELSINO
INSIGNI ET C. V. PRAESTANTI BENIVO
LENTIA AVCTORITATE IVSTITIA
CORR. REGIONVM DVARVM
MEMORABILI ET PRAETERITORVM
IVDICVM EXEMPLA VIRTVTIBVS
OMNIBVS SVPERGRESSO ORDO SPLEN
DIDISSIMVS BENEVENTANAE CIVITATIS
PATRONO DIGNISSIMO

In Ædibus olim de Sanctis nunc Cardone. (*c*)

21. M. CAECILIO
NOVATILLIANO C. V
ORATORI ET POET
AE INLVSTRI ALLE
CTO INTER CONSV
LARES PRAESIDI
PROV. MAES. SVP
IVRIDIC. APVL. ET. CA
LAB. PRAET. TRIB. PL
Q. PROV. AFRIC
SPLENDIDISSIMVS
ORDO
BENEVENTANORVM
PRIVATIM ET PVBLIC
PATROCINIO EIVS
SAEPE DEFENSI P. DD

Telesiæ prope Beneventum ex Murator. p. 1034. n. 3.

23.

D. M. S
L. ANNAEO TRANQVILLO L. F
PRAEF. EQVIT. IN PROV. PANNON
ET PRAEF. IVR. DIC. BOVIAN. ET
BENEVEN. II. VIR. TELESIAE
ANNIA SABINA TRANQVILLA
MAR. INCOMP. Q. V. AN. LVII. M. II
M. H. N. S
IN FR. P. XII
IN AGR. P. XII

E schedis Varusii.

24.

MARCELLINVS

PL. CORNELIO MARCELLINO
V. C. *corr.* APULIÆ ET CALA
BRIÆ . . . . . .
. . . . . .
OB INSIGNIA *ejus beneficia*
ET AMOREM *erga* PATRIAM
VRBIS BENEVENT. LOCANDAM
DECRREVIT

[*a*] Muratorius pag. 1032. num. 8. in fine legit STA-TVENDVM, subditque: *Pro Statuendum scriptum reor Statuam aut Statuam ponendam*: At primum mendosè, posterius importunè; nam lapis præclarè *Statuendam* habet, subintellige Statuam, quam rectè silet Titulus, dum præsens eidem Titulo imposita aderat: sic in altero nostro lapide heic pag. seq. num. 25. *censuit ponendam*, nulla Statuæ mentione adjecta. Notanda in hoc lapide sunt Senatus Populique Beneventani epitheta, ille enim *Splendidissimus*, hic *Honestissimus* audit: Prius passim in vetustis monumentis occurrit, eoque epitheto Coloniam Phœnicem Patriam suam ornavit Ulpianus in leg. 1. D. De Cens. Posterius perrarum est.

[*b*] Apud Muratorium quoque invenies ead. p. 1032. n. 5. ubi *Regiones Duas* rectè explicat Apuliam, & Calabriam, uti ex aliis lapidibus hujus Classis confirmari potest. Vox græca *Adelphi* (sine φ tamen scripta) inter Clodii Celsini nomina an sit referenda, non satis liquet: quod si ita est, inusitatissimi prænominis loco fungeretur, ac si diceretur FRATRI CLODIO CELSINO; vix apud eundem Murator. pag. 303. num. 3. occurrit *Adelphus Proc.* & apud Grut. pag. 292. n. 7. *Salustia Q. L. Adelphe*. Plures epistolæ S. Leonis PP. I. nempe 117. & seqq. signantur: *Adelphio Viro Clarissimo Consule*, quem Fasti statuunt ad an. Chr. CDLI.; unde non infrequens ejus ævi (ad quod noster lapis accedit) nomen, quo summi Viri vocari gaudebant. At si vim significationemque vocabuli attendamus, verisimilius illud fortasse erit, non ibi Nomen aliquod personæ contineri, sed illam potius BENIVOLENTIAM indicatam videri, qua Beneventanos Clodius hic Celsinus prosequutus prædicatur.

In of-

[*c*] Fædè corruptum hunc lapidem exhibent Sponius sect. IV. pag. 174. & ex eo Fleetwood p. 162. n. 1., nam lin. 3. (quæ ipsis est 2.) scribunt CVR. pro C. V. i e. *Curatori* pro *Clarissimo Viro*: lin. 6. & deinde omnia turbant sic. *Præsidi Prov. Mœsiæ Quæst. Africæ, Præf. Jurisd. Hispan. cit. & Calabriæ*: quod quidem commentitium *Jurisdicundo Hispaniæ Citeriorisis* munus observatione dignum Fleetwood notat: ad hæc, uterque reliqua munera, quæ in lapide leguntur, omittit, nempè *Prætoxis*, & *Tribuni Plebis*, quibus etiam M. Cæcilius Novatillianus perfunctus fuit; Quisnam fuerit hic Vir tum publicis muneribus, tum Oratoria facultate, Poesique illustris, hactenus mihi incompertum: nec mirum; sub exitum sæculi II., aut etiam sæculo III. floruisse indicat *Juridici* Munus, & lapidis phrasis: an igitur pro ea sequiore ætate illustris Poeta, & Orator, cujus scripta periisse haud magnoperè posteri doleant? Hinc Viri superstitem famam & nomen satius fuerit, ut soli Beneventani hoc insigni honoris monumento servarint.

Digitized by Google

In officina ante S. Ædem Majorem. (a)

25.

T. ANONIO MARCELLINO
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO DIGNISSIMO OB IN
SIGNIA BENEFICIA QVI
BVS LONGA POPVLI TAE
DIA SEDAVIT VNIVER
SA PLEBS BENEVENTA
NA CENSVIT PONENDAM

Basis refossa inter rudera Capitolii Beneventani.

ANICI BASSI

27.

ANICIO AVCHENIO BASSO V. C
PROCONSVLI CAMPANIAE
VICE SACRA IVDICANTI . . .
. . . . . .
. . . . . RESTITV
TORI PATRIAE IAM INDE
AB ORIGINE PATRONO QVI
OMNIBVS IN COMMVNI
EST DECORI BENEVENT. PLEBS

E schedis Verusii, sed initio mendosam correxi & amplius illustravi pag. 130.

26.

. . . . . VNDIS PRATORI
CANDIDAT. LEGATO
PROV. AFRIC. DIOE
CESEOS HIPPONENSIS
ADLECT. INTER PRAET
A DIVO COMMODO ET IN
TER PATRICIOS TRIB
LATICL. LEG. V. MACED
XVIRO STLITIB. IVDIC
OB SINGVLAREM ERGA PA
TRIAM CIVISQ. ADFEC
TIONEM P. DD.

Basis altera ad eundem Anicium pertinens, refossa in fundamentis Ecclesiæ PP. Scholarum Piarum.

ANICI BASSI (b)

28.

ANICIO AVCHENIO BASSO V. C
PROCONS. CAMP. SVP. IVD. . . .
PRAESTANTISSIMO VIRO . . .
. . . . NOMINI *eivs* SINGVLARI
EXIMIVM MVNVS ET PECVLIA
RE PRAETER ALTEROS HONO
RES INSIGNE REGIO EXQVILI
NA RECTE FACTORVM OMNI
VM MEMOR LOCAVIT

Retrò Ædes olim de Moscarelli Basis inscripta facie muro immissa, & solo latere ad muri superficiem exposita, in cujus ima parte hæc leguntur a me descripta.

29. POSITAE PRAESENTE IIRIRINO COS. XVI. KAL. DEC *sic* (c)

[a] Est apud Donium Cl. v. n. 218. diversa tamen linearum distributione, qui etiam initio pro ANONIO legit NONIO: Notat ibi Cl. Gorius aliquibus mendis corruptam haberi in Grutero p. 357. n. 5., sed rursus Gruterus edidit pag. 371. n. 1., atque in prima pro ANONIO legit ANTONIO, in secunda verò AVONIO. Quod unum duntaxat mendum in utrumque Gruterianum exemplar irrepsit; Haud melior tamen Donius NONIVM nobis obtrudens, qui ad fidem lapidis omnino ANONIVS est; quod si de fide lapidis non constaret, potior erit ANTONIVS Gruteri, nam, ut ibi notat Gudius ad *Antonium Marcellinum* data legitur Lex 1. Tit. III. lib. XI. Cod. Theodos: Cæterum, nisi marmorarius *Anonium*, pro *Antonio* sculpserit, *Anonia*, sive *Annonia* Gens haud prorsus ignota apud eundem Gudium p. 228. n. 5. & in Indice Muratorii Cl. XVII. p. 2226. Quæ fuerint *longa* Beneventanorum *Tædia*, quæ Anonius *sedarit*, dum conjicere haud promptum sit, neque etiam divinare fas erit. Illud notandum, quod *Tædia sedata* scribit Lapis, quæ potius *levata* dicenda fuissent; unde ad Civiles, intestinasque Beneventanæ Plebis dissensiones, quas Anonius *sedarit*, referenda esse *Tædia* putaverim, quæ pro quocumque malo, quod illorum causa esset, sequiori ætate usurpata docet Cangius.

[b] In hujus lapidis lin. 2. illud SVP. IVD. vel explicari potest sic: *Superiorum Judicum Præstantissimo*, uti pag. anteced. n. 22. Clodius Celsinus dicitur Præteritorum Judicum Exempla Virtutibus supergressus: vel sic: *Sacra Vice Publicè Judicanti*, uti in altera ejusdem Anicii Basi heic n. 27.; itaut omissis vel à quadratario, vel à descriptore punctis, ea sigla coaluerint. Quid sit *Vice Sacra Judicare*, explicat Fabrettus p. 208. Aniciorum Arborem vide apud Reinesium pag. 67., qui hunc nostrum cum Fl. Philippo Consulatum, sequenti tempore gessisse arbitratur A. Chr. 408.

[c] Ex hac laterali linea adeò barbarè litteratam Basis hujus faciem inscriptam fuisse conjicimus, ut omnis in eam Barbaries sese effuderit: Incertum vero, an nostri homines eandem barbariem horrentes intra murum abdendam maluerint, vel potius barbariores ipsi, qui ejusmodi Cimelia nihili facientes, ut structoribus commodius accidebat, vel parietibus (ut plura in nostra Urbe videre est) lateribus, facieve immittenda aversâ, vel etiam ad opplendas fundamentorum scrobes impunè projicienda sinebant. Sed quod eandem lateralem lineam spectat, inscriptus in ea *Dies*, & *Consul* manifestè legitur, quibus Basis ipsa cum Statua cuipiam Viro Principi, aut Clarissimo dedicata fuit: At quis unquam Consul eo nomine, seu monstro IIRIRINO? Si rectè accipio, *Severinorum* alteruter fortasse is fuerit, quorum alter Cos. An. Chr. 461. alter vero An. 482.: Duplex II pro E scribi solitum inferius observabimus.

Digitized by Google

XXIV INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Beneventi in Baſi. Gruterus p.460. n.2. (*a*)

30. PVBLICIAE M. F
FIRMILLAE
LOCO . DAT. D. D
M. PVBLICIVS . QVARINIVS
CVIVS . DEDICATIONE . DATI . SVNT
AB . EA . DECVRIONIBVS . SING
H-S . VIII. N. MVNICIPIBVS . ET
INCOLIS . SING. H-S . IIII. N

Beneventi ex Muratorio p.1104. n.1. (*b*)

31. A. OCTAVIO ERONI
MAIORI
COLONI
ET
INQVILINI

[*a*] Claſſem Illuſtrium claudunt bini hi lapides Beneventani, quorum neuter præclarum aliquid aut Munere, aut Virtute, aut Beneficentiâ, de iis, quibus dedicatio facta fuit, deprædicat: Ad primum quod attinet, Statuam Publiciæ Firmillæ à M. Publicio Quarinio dedicatam fuiſſe ſatis declarant ea inſcripti Tituli verba: *Cujus Dedicatione Dati ſunt ab ea Decurionibus ſingulis ſextertia octo numero, Municipibus, & Incolis ſingulis ſextertia quatuor numero*: ut jam miremur privatæ Fœminæ (*M. Publicii Quarinii fortaſſe filiæ*) eximium Statuæ publico loco *Dato Decreto Decurionum* honorem tributum: eò ſanè proceſſit ambitioſa honorum cupiditas: hæc Viros quidem tenuit, quos a ſuo ævo perſtringebat Horatius lib. III. ode 24.

Si quæret PATER VRBIVM
Subſcribi Statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

Sed & Fœminas (ambitioſius fortaſſe genus) mox pervaſit, fruſtra vociferante Catone, cujus (ut refert Plinius lib. 34. cap. 6.) *in Cenſura vociferationes fuerunt, Mulieribus Romanis in Provinciis Statuas poni*: Quid vero Cato, ſi etiam Mulieribus Municipalibus, ac nulla ex cauſſa, ut heic, id permiſſum vidiſſet: At ejuſmodi honores facilè tum pretio comparabantur, nam & hæc noſtra Publicia ſplendidiſſimâ munificentiâ uſa eſt; non enim Decurionibus ſolis, ſed Municipibus etiam univerſis, immo & Incolis quoque viritim ingentem pecuniæ vim elargita fuit: Municipes autem ab Incolis rectè Publicia diſtinxit; diverſos enim fuiſſe docet Ulpianus in L. 4. *D. De Muner. & Honor.* ac etiam Lapis apud Donium Claſ. V. n. 62. ubi *Municipes*, & *Incolæ* ære collato monumentum dicarunt C. Avidio, ad quem lapidem V. C. Gorius hæc ſubſit: *Inter utroſque aliquod diſcrimen interfuiſſe non dubito; nam Municipibus ad Magiſtratuum, & Honorum gradus tum in Municipio, tum Romæ, utpotè Civibus, aditus patebat: Incolæ vero, etſi in Municipio degerent, quaſi Cives, tamen ſine jure Civitatis, & ſuffragiorum erant, nec honorum gradus conſequi poterant: Vid. Feſtum V. Municeps.* Sed clariùs rem nos docebit laudatus Ulpianus in L. 4 *D. Ad Municipal. Municipem* (inquit) *aut Nativitas facit, aut Manumiſſio, aut Adoptio, & propriè quidem Municipes appellantur Muneris participes, recepti in Civitate, ut munera nobiſcum caperent, ſed nunc abuſivè Municipes dicimus ſuæ cujuſque Civitatis Cives*: Incola vero eſt, qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulit, quem Græci παροικον appellant, ut ait Pomponius in *l. 239. ff. Incola. D. De Verb. Significat.* adeoque Mulier, quandiù nupta eſt, incola ejuſdem Civitatis efficitur, cujus Maritus eſt, *l. ult. ff. Reſcripſerunt. D. Ad Municipal.* Itaque Municipes Origo, Incolæ Domicilium facit, utroſque autem, diverſâ licet ex cauſſa æquè Cives fuiſſe conſtat, omnium Munerum, & Honorum æquo jure participes, ut probatur ex Leg. 39. *D. Ad Municipal. Leg. 3. Cod. De Municipibus, & Originariis, Leg. 1. & 3. Cod. De Incolis &c.*

[*b*] Poſteriorem hunc lapidem poſtquam Beneventi extantem attuliſſet Muratorius, rurſus iiſdem conceptis verbis recudit p. 1112. n. 3. cum hac epigraphe: *In ruinis Lunenſibus è Schedis Cyriaci*: Sed ad Beneventanum, quem antea edidit, hæc habet: *A Vellejo deducta Beneventum Colonia dicitur . . . . . Colonorum nomen in hoc marmore idem teſtatur: Inquilini ſunt veteres habitatores, ſive Municipes*: Sed neutrum probari poteſt. Certè apud Gruter. p. 602. n. 5. C. Virgilius Martanus *Colonus Agri Cœli Ænei monumentum poſuit Anulenæ Certæ Colonæ Agri SS.* i. e. *ſupraſcripti*: etiam apud Gudium p. 76. n. 2. C. Arunceius *Colonis, Incolis, Haſpitibus, Adventoribus, ſerviſque eorum lavationem gratuitam dedit*: Hinc jam vides, qui propriè ſint Coloni in noſtro lapide memorati, ii nempe, qui non pro publico Coloniæ Jure, ſed pro ſua conditione, ſeu profeſſione ruſtica prædia colebant: Id quod certum omnino facit *Inquilinorum* vocabulum, quod *Colonos* ſubſequitur; quandoquidem (ut Marcianus utriuſque nominis differentiam explicat in l. 37. D. De acquiren. poſſes.) *pro Colono in agro, ædibus autem pro Inquilino ſit*: itaut illi ruſticis, hi urbanis prædiis adſcripti demonſtrentur: Ejuſmodi igitur Coloni, Inquilinique A. Octavio, qui pari eos Beneficio fortaſſe affecerat, hoc honoris monumentum dedicaſſe cenſendi ſunt.

Digitized by Google

CLASSIS QVINTA
Operum Publicorum.

Apud Appianum, ſed, ut videtur, ἀκριβὲς lapis, cujus initio deeſt IMP. ſed & poſt DIVI deſideratur F. id eſt FILIVS.

1 CAESAR . DIVI . AVG. PONT. MAX
EX . S. C. REFECIT
Prope Ædes DD. De Nicaſtro

2.
BENEVENTI
PORTICVM SVA PECVNIA F
OMNE CVLTV EXORNATVM
COMMODVS PIVS FELIX ET
PRAETORIO DEDICAVIT

Ad S. Deodati. De Via Trajana peculiari Diſſertatione egi heic pag. 175.

3.



Ante Ædes D. Marchionis Pacca. In duplici fragmento Columnæ Milliariæ.

4.

VIII
IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI
PARTHICI F. DIVI
NERVAE NEPOS
. . . . . .
MILLIA PASSV
VM XVI. LONGA
VETVSTATE AMISSAM
ADIECTIS C
. . . . OSSESSORES
AGRORVM CONTVLE
RVNT FECIT

Gruterus pag. 1020. num. 2. *Prope Beneventum in Via Appia*, i. e. in *Ponte Leproſo*, quem eundem eſſe in hac Inſcriptione memoratum jam dixi pag. 181. (a)

5. IMP. CAESAR. L. SEPTIMIVS . SEVERVS . PIVS
PERTINAX. PONT. MAXIMVS . TRIB. POT. VI
IMP. CAES. M. AVRELIVS . ANTONINVS
AVG. IMP. SEVERI . AVG. F. TRIB. POT
PROCOS. PONTEM . VETVSTATE . DILAPSVM
A . SOLO . SVA . PECVNIA . RESTITVERVNT

Murator.

[a] In hac, ac ſequenti conſtanter Severus *Proconſulis* titulum ſibi uſurpat. Joſ. Scaliger epiſt. LXVI. ad Caſaubonum doceri ab eo cupit, cur Severus, aliique eum ſequuti Imperatores Proconſules vocentur in Inſcriptionibus, additque: *Hoc non mediocriter mirari ſoleo, quia cauſſam ignoro*: Caſaubonus vero mirabatur æque nummorum, aliorumque ſilentium, cauſſamque ſibi etiam latere fatebatur, cur Trib. Poteſtate, aliiſque numeratis dignitatibus, ſolus præteritus ſit Proconſulatus. Utriuſque admirationem, ſeu ignorationem diſpellere conatur Spanhemius De Præſt. Num. Diſ. 8. p. 709. ac primam rei cauſſam putavit, *quod non ſemper, aut in Urbe, ſed extra Pomærium dumtaxat eum titulum ſuſciperent Imperatores*: In quo tamen falſus is fuit ex iis, quæ Archiep. de Marca *De Conc. Sac. & Imp. l.* v. *c.* 1. recte obſervavit, majus nempe jus, quam in ceteris Proconſulibus, in Cæſaribus conſediſſe, quibus id datum, teſte Dione, ut etiam in Urbe Procunſulare Imperium retinerent; hinc contra Eruditos retinendam Capitolini lectionem docet, qui Antoninum M. Aurelio Trib. Poteſtatem, & Proconſulis Imperium *extra Urbem* contuliſſe ſcribit, non enim [ut eruditi cenſebant] ſupervacua adjectio *extra Urbem*, cum de Principe agatur: Sed cauſſam alteram Spanhemius ex eo repetit, *quod Proconſularis poteſtas infra aliarum faſtigium cenſeretur*; ideoque ab Auguſtis inter alios titulos neglecta: ſed neque poſterior cauſſa hæc probari meretur, ſi eundem Spanhemium audiamus ita obiter eodem loco differentem: *Totam nempe, aut certe præcipuam vero hujus Proconſularis Poteſtatis in Imperatoris vocabulo*

jam

XXVI INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Muratorius p.457. n.1. sic citat: *Apud Pilosam* (vulgò Appellosa tertio ab Urbe lapide) euntibus Beneventum; è schedis Cyriaci apud Phil. Stosck. (*a*)

6. IMP. CAESA L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX AVG
ARABICVS PARTHICVS MAXIMVS PONTIF. P. P
TRIB. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIVS L. F. ANTONINVS PIVS FELIX AVG
TRIB. POTEST. VI. IMP. VI. PROCOS
INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVERVNT

E schedis Verusii ante dirutam Ecclesiam S. Spiritus: Supplevi, & latè illustravi in De Oper. Public. Differt. x. cap. 4. pag. 271.

7.

. . . . . .
. . . . . .
IVSTITIA ADMIRABILI CASTITATE CONSPICVO
. . . . ATORI FORI PRO . . . PARTE CONLAPSI IN RVIN
CONDITORI MOEN'VM RESTITVTORI REGIONIS
VIAE NOVAE REPARATORI THERMARVM COMMODIA
NARVM RESTITVTORI COLLEGIORVM REPARATORI
PORTICVS DIANAE REPARATORI BASILICAE LON
GINI AC TOTIVS PROPE CIVITATIS . . . . . .
HOSTILE INCENDIVM CONDITORI. . . . . .
INSIGNIA EIVS IN OMNEM PRO . . . IN . . . . . .
PRAECIPVAQVE IN SE ET PATRIAM . . . MERITA . . . . . .
POPVLVS BENEVENT
AD AETERNAM MEMORIAM
STATVAM CONLOCAVIT

In Arcu Pontis Leprosi Fragmentum ingentis lapidis eleganter insculpti. Vide p.273. ubi de Ludis Palmaribus hactenus ignoratis plura dixi.

8. IDEM . BASILICAM . IN . QVA . TABVL. MVNERIS . AB . EO . EDITI
POSITAE . SVNT . CONSVMMAVIT . LVDOS . PALMARES . OB . DEDICATIO
NEM . EARVM . NOMINE . EVPLOEAE . SVAE . EXHIBVIT . PORTICVM
OMNI . ORNATV . ELEGANTIAE . IN . QVA . EDITIO . PRIMI . LVSTRI
MVNERIS . QVINQVENNAL. MVNIFICENTIA . PRINCIPALI
CONTINETVR . EX . VOLVNTATE . EVPLOEAE . SVAE . FECIT

In Ædibus olim Lutiorum. [*b*]

9. SATRIVS CRESCENS
V. C. CVR. R. P. BN EX
LOCIS ABDITIS
VSVI ADQVE SPLEN
DORI THERMARVM
DEDIT

Gruter. p.193. n.2.

10. CLODIVS
OCTAVIANVS
V. C. DE PROPRIO
ORNATVI DEDIT

Prope dirutam Ædem S. Spiritus.

11.

. . . . . .
BALNEVM VIRIL . . . . .
ET MVLIEBRE . . . . .
TABERNAM . . . . . .
. . . . . .

jam esse repositam, cujus auspiciis reliqui Præsides bella suscipiebant, & quo uno nomine supremum rerum arbitrium, omniaque Magistratum jura in Cæsares translata aperte docet Dio: Atque hæc quidem verior rei caussa videri potest, quam nescius ipsemet Spanhemius docuit, haud Spanhemii vero nescius fortasse, pluribus inculcat Vinc. Gravina De Rom. Imp. c. x. qui hæc demum subdit: *Proconsularem Imperium sæpius omittitur, quia omnium opinione cum Jure Imperatoris cohærebat, ut opus eo expresso non esset*.

[*a*] Ad hunc lapidem hæc habet cl. Muratorius: *Eandem Inscriptionem, sed mancam protulerat etiam Grut. p. 172. n. 5. post Sinesium: Ipsa autem pertinet ad an. Ch. 203. aut 204. Dicitur hic M. Aurelius Antoninus, Sc. Caracalla* IMP. VI. *sed numismata repugnant. Numerus* VI. *ex Trib. Potestate hùc etiam irrepsisse mihi creditur*. At fallitur primo Muratorius, qui hanc eandem, quæ in Grutero, esse censet: nam illa Romæ extat, nec verborum consensus Viri docti judicium tuetur, quandoquidem dum de operibus publicis restitutis agatur, omnes pene tituli iisdem conceptis verbis inscribi solent, nulla [ut sæpe, ac recte fit] ejusdem operis adjecta mentione, quod eodem titulo ob oculos demonstratur. De Imperatoris numerali nota, haud hic longum faciam, cum non ipsa constanti annorum serie, sed a partæ Victoriæ eventu, quoties accidisset, militum acclamatione deferri consuescebat. In annos Trib. Potestatis nullum video irrepsisse mendum, sed exactissimam ejus constare rationem: nam si cum annis Imperii [ut sæpissime factum fuit] ea sit numeranda, certe ab anno 198., quo Severus Caracallam filium sub M. Antonini nomine in Imperii consortium adscivit, ut Chronologi statuunt, jam in an. 203. nonnisi Trib. Potestas VI. haberi debuit, quam fidè satis refert Inscriptio.

[*b*] Lin. 2. sic explic. *Vir Clarissimus Curator Rei Publicæ Beneventi*.

Digitized by Google

CLASSIS SEXTA
Spectantia ad Collegia.

In atrio Ædium mearum

1.
VESEDIO RVFINO
V. P. ADVOCATO FISCI
SVMMAE REI IVDICIO
SACRO PROMOTO PATRO
NO SPLEND. CIVITATIS
BENEVENTI ET PVTEO
LANORVM PATRONO STV
DIORVM. IIII. MARTENSIVM
VERZOBIANVM ET MARTEN
SIVM PALLADIANVM ET...
. . . . . .

In angulo viæ mediæ, qua divertitur ad S. Franciſci.

2.
NEBVLI

C. VESEDIO RVFINO PERF
ET PRAESTANTISSIMO VIRO
FILIO VESEDI IVSTI INLVSTR
ET PRINCIPALIS VIRI BENE
VENTANAE CIVITATIS.....
. . . . . .
. . . . . .
. . D. . . . PR. . . .
. . . . . PATRONO
STVDIVM PALLADIANVM

Prope Ædes D. Principis Morræ ad D. Dominici.

3.
VERZOBI [a]

C. VMBRIO EVDRASTO C. F
STEL. PATRONO COLONIAE
BENEVENTANORVM LAR
GISSIMO ADQVE HONORIFI
CENTISSIMO VIRO
QVOD IS A SOLO CANOPVM PRO
PRIIS SVMPTIBVS PERFECERIT
COLLEGIVM MARTENSIVM
INFRAFORANVM MEMOR
LIBERALITATIS ET HONORIFICENT

In Porticu vocato Pontile e ſchedis Veruſii, ſed nunc literata facies intra murum latet.

4.
TVLLIDIO ARGOLICO
. . . . . DICIO
. . . . . .
SAC. . . . . SIMO ET
COMITI FABRICARVM
TOTIVS CIVITATIS
BEN. VRBIS OB INSIG
NIA MERITA EIVSDEM
PATRONO VNIVERSI
LEONTIANI STATVAM
PONENDAM DVXERVNT

E ſchedis Veruſii.

5.
. . . . . ILARO MERCVR
. . . . . OSIMAE VXORI
. . . . . .

In Ædibus DD. Terragnoli via recta. [b]

6.
CN. RVSTIVS CN. L
FESTIVOS MERCVRIA
ET MERCATOR SIBI ET
RVSTIAE CN. L. MA. CONLIB
FECIT. H. M. H. N. S

Prope

[a] Univerſos hujus Claſſis lapides ex inſtituto illuſtravi in Diſſertatione de Collegiis, quam habes p. 159. Reſtat, ut heic aliqua breviter obſervemus, quæ non illic oportuna, aut memoriæ obvia: Itaque quærendum videtur, quid ſit in hujus lapidis fronte ſolitarium illud *Verzobi*, & in altero heic. n. 2. illud *Nebuli*. Sæpiſſime occurrunt lapides ſæculi IV. ac deinceps, nomen aliquod ſolitarium gignendi caſu in faſcia coronali Baſis inſcriptum habentes. Morem hunc [de quo nihil hactenus legiſſe memini] donec meliora alii afferant, in ampliorem illius Viri honorem referendum putaverim, qui lapidis dedicationem aut accepiſſet, aut feciſſet; propterea quod cum hi lapides in Foro, Capitolio, Thermis, vel celeberrimo alio Urbis loco, ut in omnium conſpectu eſſent, poni ſolerent, in tanta lapidum ſegete oculis occurrente, ſatis cujuſque honori conſultum videbatur, dum ejus nomen ſumma lapidis parte inſcriptum prætereuntium oculis nullo labore ſe offerret, atque ad titulum legendum deinde alliceret. Atque hæc quidem veri ſatis ſimilia videri queunt, dum Nomen illud ſolitarium ad alterutrum pertinet, qui lapidem, vel promeruit, vel dedicavit, ſic pag. ſeq. n. 7. lapis *Vibio Creſpino* dicatus, CRESPINI habet in fronte: quid vero de aliis, ubi nomina ſibimet non reſpondent? Certe neque *Verzobi*, neque *Nebuli* quæ heic occurrunt, iterum in inſcriptione leguntur: Doceri malo, quam ineptum quid dicere.

[b] Habet Gruterus p. 645. n. 7. qui lin. 1. mendoſe habet RVSTICVS. Sed Gens RVSTIA, uti ex aliis lapidibus conſtat, Beneventi ſummo loco floruit. Lin. 2. FESTIVOS pro FESTIVVS, more veterum, qui eandem vocalem in eadem dictione geminare abhorrebant, ut alibi notavi. ead. lin. MERCVRIA. i. e. MERCVRIALIS. De Mercurialium Collegio dixi p. 165. lin. 4. lege: RVSTIAE CNAEI LIBERTAE MATRI CONLIBERTAE; quæ nempe cum eodem Ruſtio filio eandem ſervitutem ſervivit, & ab eodem Domino ambo libertate donati. Poſtrema ſigla ſic explicantur: *Hoc monumentum Hæredem non ſequitur*. Quod ſæpe in noſtris; ac ſemel docuiſſe ſufficiat.

Digitized by Google

XXVIII INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Prope Ædes Marchionis Pacca.

CRESPINI (a)

7. C. VIBIO CRES
PINO AB AVO
ET MAIORIBVS
COLLEGIVM CIVI
TATIS PATRONO
COLLEGIVM MAR
TENSE VERZO
BIANVM

Sub Arcu Pontis Leproſi.

8. ....ESFERTI...
....PRIMVS ....
...BENEVENTI..
STVDIORVM OR
CHESTO PALES..
INSTITVTI.....
.....
.....

Prope Æd DD. De Aquila. Gudius p.207. n.4. Donius p.351. n.34. Muratorius p. 525. n. 1. [b]

9. C. VMBRIO VIBIO
NVMISIO DRVSO
PATRONO REIP
GLOSSIMO CIR
CA OMNES CIVES
ET LIBERALISSI
MO SEMPER CIR
CASE COLLEGIVM
MARTENSE
VERZOBIANVM

Sub Arcu Pontis Coloris, & apud Fabrett. p.232. n.610. & Mazoch. in Amphith. c.8. p.154.

10. M. NASELLIVS M. F. PAL. SABINVS (c)
PRAEF. COH. I. DALMATAR. ET NASELLIVS VITALIS
PATER AVG. QVINQ. PAGANIS COMMVNIB. PAGI LVCVL
PORTICVM CVM APPARATORIO ET COMPITVM A SOLO PECV
SVA FECERVNT ET IN PERPETVVM VI. ID. IVN. NATALI SABINI
EPVLANTIBVS HIC PAGANIS ANNVOS ⋈ CCXXV. DARI
IVSSERVNT EA CONDITIONE VT NON. IVN. PAGVM LVSTRENT
ET SEQVENTIBVS DIEBVS EX CONSVETVDINE SVA CENENT
ITEM VI. ID. IVN. DIE NATALI SABINI EPVLENTVR QVOD SI
FACTVM NON ERIT TVM HIC LOCVS VT SVPRA SCRIPTVM
EST CVM ANNVIS ⋈ CCXXV. IN PERPETVVM AD COLLE
GIVM MEDICORVM ET AD LIBERTOS N. PERTINEAT VT
II. VI. ID. IVN. DIE NATALI HIC EPVLENTVR

Claſſis

[a] De *Creſpini* nomine in fronte hujus lapidis poſito dixi pag. antecedenti. C. Vibius Creſpinus dicitur Patronus *Collegium* i. e. Collegiorum *ab Avo & Majoribus* Duvm generum Patronos fuiſſe conſtat; aliis enim Patronatus concedebatur ad tempus, aut ad ipſius Patroni vitam; aliis vero, ut in eorum familia perpetuo maneret: Priorum exemplum dabit M. Tullius Cicero, qui ut ſæpius ipſemet teſtatur, Patronus a Capuenſibus fuit delectus, quod quidem jus, honoſque Ciceronis perſonæ adhæſit. Poſteriorum præbent Bononienſes, quos antiquitus in Antoniorum clientela fuiſſe tradit Svetonius in Aug. c. 16. In poſteriorum ejuſmodi Patronorum numero fuit C. Vibius Creſpinus, qui propterea ab Avo, & Majoribus Patronus appellatur: Hùc etiam pertinet formula illa *ab origine Patronus*, quam exhibet lapis apud Fabrett. p.101. n.232., vel *longe a majoribus originalis* apud Gruterum p.459. 1.; ejuſmodi autem originalium Patronorum cooptationis formulam diſcimus ex Tabula ænea apud eund. Fabrett. p. 364. cui binas alias etiam æneas reſpondentes ad Archetyporum fidem repræſentatas edidit V. C. Scipio Maffejus Hiſt. Diplom. p. 38. in quarum altera *Civitas Themetra ex Africa*, in altera *Senatus Populuſque Thimiligenſis C. Silium Aviolam, eum, Liberos, poſteroſque ejus ſibi liberis poſteriſque ſuis Patronum* cooptaverunt: ac viciſſim C. Silius Civitatem Themetrenſem, & Teiimiligenſes univerſos, *liberos, poſteroſque eorum ſibi liberis, poſteriſque ſuis, ſuorumque in fidem, clientelamque ſuam ſuorumque recepit*. Quid ſit Collegium Martenſium, jam explicavi pag. 169

[b] Mirum, quot mendis hic lapis hactenus fædatus prodierit. Gudius, & Donius n. 1. habent VMBIO. contra fidem hujus, aliorumque noſtrorum lapidum, qui *Vmbriam* gentem ſatis illuſtrem Beneventi floruiſſe docent. lin. 2. PRIMVSIO. lin. 3. omittunt REIP. lin. 4. legunt RELIGIOSISSIMO; ſed lapis vel mendoſe, vel contracto vocabulo ob lineæ anguſtiam habet GLOSSIMO i. e. GLORIOSISSIMO. lin. ult. Gudius habet ET BOBIANVM. Donius, ac Muratorius ET BOIANVM. quod Muratorius ad celebrem olim Samnitium urbem *Bovianum* importune referendum notat: ſed noſter lapis habet *Verzobianum* notiſſimum Beneventanorum Collegium, de quo ſæpius in hac Claſſe.

[c] In varias Claſſes referri potuit hic lapis, tum ob militarem Naſellii filii profeſſionem, qui etiam Præfecturâ Cohortis I. Dalmatarum perfunctus fuit, tum ob Sacrum Naſellii Patris miniſterium, qui lin. 3. dicitur AVGuſtalis II. i. e. *Iterum* QVINQuennalis: ſed placuit ob *Medicorum Collegium* ibidem memoratum heic locare. De Medicis fuſe egi in Diſſert. de Re Literar. p. 208. Hujus vero lapidis, cujus teſtimonio non ſemel uſus ſum partes omnes illuſtravi pag. 167. & 275. ubi etiam menda, quæ in VV. CC. Fabretti, & Mazochii exemplaria irrepſerant, notavi.

Digitized by Google

CLASSIS SEPTIMA
Ad rem Militarem pertinentia.

Ad S. Victorini. *(a)*

1.
L. LAETICIO L. F
STEL. RVFO
TRIB. MIL. LEG. XII
DON. HASTA PVRA
CORONA VALLARI
AEDILI QVAES. IIVIRO
I. D. PRAEF. FABRVM
ATTEIA Q. F. PRISCA
VXOR B. M. F

Prope Ædes DD. Marchionis Pacca. *(b)*

2.
CN. MARCIO CN. F. RVSTIO RVFINO PRAEF
COHORTIVM VIGILVM IMP. L. SEPTIMI
SEVERI PII PERTINACIS PRAEFECTO
CLASSIVM PRAETORIARVM TRIBVNO CO
HORTIVM PRIMAE PRAETOR. ET. VI. VIGIL
TRIBVNO LATICLAVI LEGIONVM
III. CYRENAICAE III. GALLIC. ET....
.....P. F. SALINATORIA AVGVSTINA
.....

In Oppido *Oſtroc* Comitatus *Hadzzeg* in Tranſivalnia. Murator. p. 842. n. 4. *(c)*

4.
SEX PILONIVS
SEX F.....STE. MODE
STVS BENEVENTO
7. LEG. IIII. F. F. III. HAS
POST. ANN. XXX. H. OR
DINE ACCEPIT EX
EQVITE ROMANO
MILITAVIT IN LEG
VII. C. P. F. ET. VIII. AVG
XI. C. P. F. MINER. P. F
STIPENDIO CENTVRIO
NI CI.....XVIIII
H. S. E. S. T. T. L.

Propè Roſcios, & apud Gruter. p. 559. n. 1.

3.
RVSTIAE SA
BINAE QVAE
VIXIT AN. VII
MENSIBVS XI
DIEBVS II
CN. MARCIVS
RVSTIVS RVFIN
PATER TR. COH
VI. VIGIL. ET
SALINATORIA
AVGVSTINA
MATER FILIAE
DVLCISSIMAE

[*a*] Inter militaria dona, quibus ſtrenui milites decorari ſolebant, præcipua fuere *Haſtæ puræ*, & *Coronæ Vallares*; de quibus ad hunc lapidem diſſerui in De Re Milit. pag. 223. Civilia, & Militaria munera ab eodem uno, ſed diverſo tempore adminiſtrata cenſeri debent: cum ſcilicet cuipiam poſt civilem vitam, militarem deinceps agere placuit, vel potius militiâ perfuncto civilia munera, atque honores patebant: quod ſane ex Romanorum inſtituto erat, qui Civium nullum ad Magiſtratus capeſſendos admittebant, niſi dena prius militaria ſtipendia perfeciſſet, ut ex Polybio lib. VI. 5. 17. aliiſque ſatis notum.

[*b*] Ruſtium hunc ſummis militiæ muneribus præclarum inter Beneventanos Cives retuli pag. 224. ubi hunc lapidem explicavi. Propterea lapidem alterum heic n. 3. adjeci, ubi is nondum majora aſſequutus, ſed Tribunatu tantum Cohortis VI. Vigilum tum potitus cum *Salinatoria Auguſtina* Uxore tumulum poſuit Ruſtiæ filiæ defunctæ: ex quo etiam hujus lapidis poſtrema linea intelligi, ac ſatis aptè ſuppleri poteſt, nam Salinatoria Auguſtina (quam alii ad Legionis nomen pertinere arbitrabantur) nonniſi ejuſdem Ruſtii Uxor accipienda erit, ut jam lacunam ſic impleam. VXOR VIRO B. M. F.

[*c*] Plura dixi ad hunc lapidem in Diſſert. De Re Militar. pag. 231. Ad Muratorium miſit Apoſtolus Zeno; edidit quoque Cl. Marchio Maffejus. In poſtrema linea P. Duellius [ut Muratorius notat] ſic legit: P. S. B. ST. TI.; ſed retinendam omnino Zeni lectionem ſigla ipſa ſuadent, quæ aliarum Inſcriptionum exemplo comprobata, ſic congruè explicari queunt. HIC SITVS EST. SIT TIBI TERRA LEVIS. De tribus primis ſiglis protrita res eſt, nec in noſtris lapidibus exemplum deeſt. De poſterioribus quatuor, quibus ſuperſtites Defuncto *Terram Levem* eſſe adprecantur, plura ex optimis Scriptoribus ſelecta dat Briſſonius de Formul. Antiq. l. 1. c. 146. Quid ſit lin. 2. lacuna illa non video: ex deſcriptoris certè oſcitantia invectam credo, niſi ibi FILIVS extenſe, aut SEX. N. i. e. Sexti Nepos. Notandum etiam lin. 3. Patriæ vocabulum poſt Pilonii cognomen de more adjectum, ad Tribus differentiam, quæ ſemper cognomen præcedit. De 7. conſueta Centurionis ſiguificandi nota dixi pag. 231.

Digitized by Google

Prope Æd. DD. De Nicastro. Vid. p. 229.

5.
. . . . . F. CLASSETIVS
. . . . . RATVS
. . C. V. NATVS IIII. IDVS . . .
VALERIO LARGO ET MES
SALLINO COS. VITA FVNC
IDIB. APRIL. IMP. ANTONI
NO III. COS
VIXIT ANNIS LXI. MEN
SIBVS VI. D. XXIII
IMP. SEPTIMIO SEVERO
COS. ADLECTVS *inter*
PRAETORIOS A *Divo Com*
modo . . . . . .

Prope Ædes D. Principis Morra. (*a*)

6.
M
. . . . . F. VLP. FLORVS
. . . . . *ev*OCATVS MIL. FEC. . . .
. . . . . HIC IMP. SEVER. . . . . .
. . . . . O TRANSLATVS IN . . . . .
. . . . . ANTONINO II. COS. . . . .
. . . . *prin*CIPALIS IN COH. SS. . . .
*Antonin*O COS. PROMOT*us* . . . . .
. . . . . COH. SS. ANTONIN. . . . .
. . . . . TVS OPTIO IN COH. SS. . .
*Antoni*NO COS. FACTVM STI. . . .
. . . . *Lae*TO ET CERIALE COS. . . .
. . . . . ADIVTOR QVAESTO*ris* . .
. . . *Extr*ICATO COS. FACTVS. . . .
. . . . . ONTIA *Coniugi*
b. m. f.

E schedis Vigilioni.

7.
A. SILANVS
COH. I. VIGIL.
SIGNIFER SIBI
ID. SILANO
FRATRI SVO IN
FR. P. XII. IN A. P. XII

In Ædibus D. Marchionis Pacca.

8.
M. ALBIO M. F. STE. LEG
XXX. SIGNIFERO
ALBIAE M. L. HILARAE
CVRTIAI P. L. CHILAE
EPAPHRODITVS ET CELER
LIBERTI F. C

In muro SS. Annunciatæ.

9. L. FVLIONIO L. F. STE. SEVERO
PRIM. PIL. LEG. X. GEM. . . . . .

In Pla-

[*a*] Detritum hujus lapidis utrumque latus in ipso exemplari suppletum, sed non omnino restitutum exhibeo; neque enim ariolari fas erit, ubi propriorum nominum vocabula nullis literarum vestigiis indicantur. Sed inter alia plura non mediocre lapidi pretium facere videtur Tribus VLPia, quæ lin. 1. occurrit: Scimus ex Panvinio de Civit. Rom. pag. 552. aliisque Archeologis Tribum *Vlpiam* in Trajani honorem fuisse institutam, ut etiam *Juliam*, *Flaviam*, *Æliam* in eorundem Augustorum honorem; quæ quidem haud novæ Tribus ad veterum XXXV. numerum additæ, sed veterum aliquas eo recenti nomine decorarunt. De Tribu autem *Vlpia*, si Gruteri lapidem excipias pag. 532. num. 9. cui modo nostrum adjicimus, non alibi legisse memini: Recensentur in hoc lapide plura militiæ munera, quibus diverso tempore *Florus* fuit *promotus*; temporis autem notæ suis Consulibus designantur: Sic lin. 5. scribitur *Antonino* [i.e. Caracalla] II. *Cos.* a. 205. Principalis in II. COH. SS i. e. in Secunda Cohorte Supra scripta, lin. 7. & 10. iterum Antoninus Consul memoratur, i. e. an. 208. & an. 213. lin. 11. *Lætus* & *Cerealis* Consules signantur, qui an. 215. eum Magistratum gesserunt. *Extricatus* demum lin. 13. occurrit, qui an. 217. in Fastis recensetur.

Digitized by Google

In Platea S. Ædis Majoris.

10.

C. LVCCIVS C. F
STEL. SABINVS
BENEVENTI DECVRIO
VIVVS SIBI ET OFILLIAE
PARATAE VXORI ET LVCCIO
VERECVNDO FRATRI POSTERISQVE
SVIS FECIT
MILITAVIT. IN. COHOR. VRB. ADIVT
TRIBVN. ORFIT. SECVTOR. OPTIO
VALETVDI. OPTIO. ARCARI. SINGV
LARIS. BENEFIC. TRIBVN. A. QVAESTI
ONIB. FACTVS. PER. ANNIVM. VERVM
PRAEF. VRBIS. ET. TESSERAR. OPTIO. SI
GNIF. FISCI. CVRAT. OPTIO. AB. ACT. COR
NICVL. TRIB. BENEF. VLTERI. ASIATIC
PRAEF. VRB. MISSVS. AB. IMP. HADRIANO
AVG. SERVIANO. III. ET. VIBIO. VARO. COS
.....CIO CLARO COS
IN F. P. XX. IN AGRO P. XX

e 2

Gru-

Insigni huic lapidi non modo ex ejus Authographo finceram lectionem restitui, sed uberrimum etiam Commentarium adjeci in *De Re Militari cap.*3. *pag.*241. sed adhùc pauca heic addam non ibi accuratiùs observata. Lin.15. in nomine VLTERI ASIATICI PRAEF. VRB. emendavi exemplar Gruterianum, ubi legitur ASIATIN. In *Ulterо* tamen mendum, quod suspicabar, detritis parumper ejus dictionis literis, auferre tunc non licuit: Sed nunc VALERII ibi scriptum omnino censeo, sic monente literarum affinitate, nec non Romani nominis [a quo *Ulterus* abhorrebat] certitudine ex Gente *Valeria* satis nota, ac denique Fastorum fide, qui ad A.C.46. C. Valerium Asiaticum Cos. habent, uti etiam Valerium alterum Asiaticum Cos. Domitiani ævo exhibet Tabula ænea apud Gruter. pag.574. num.6., ex quibus nostrum Valerium Asiaticum, qui Hadriani ævo floruit Præfecturâ Urbis insignis, fatum nemo jure negaverit. Sed de hac re hactenus. Duo paria Consulum, quæ in hujus lapidis fine inscribuntur; nempe SERVIANO III. ET VIBIO VARO COS. ..... CIO CLARO II. COS. i.e. *Severo*, & *Erucio Claro* II. *Cos.* ita explicanda esse censui, ut priores Consules ad Missionis annum indicandum, posteriores vero Consules ad monumenti dedicationem pertinerent: Cujus quidem explicationis pluribus argumentis probatæ haud pœnitendum mihi video: Præstat modo, quò res isthæc amplius explicetur, moris illius caussam perscrutari, cur denuo paria Consulum aliquando in uno eodemque monumento signarentur: Exemplum dat Ulpianus in S. C. Hadriani tempore facto, ac relato in L. 20. *ff. 6. D. De Hered. Petit.* in hæc verba: *Pridie Idus Martias Q. Julius Balbus, & P. Juventius Celsus, Titius Aufidius, OEnus* [seu Arrius] *Severianus Consules verba fecerunt &c.* & quidem Wesselingius lib.11. observ.21. existimat duos modo Consules memorari, quorum unus P. Juventius Celsus fuerit ordinarius, & toto anno Consulatu functus, sed alteri Q. Julio Balbo fuisse suffectum Neratium Marcellum, *qui ideo ordinario junctus ad Senatum retulit, & ordinarium illum habuisse plura nomina, ut diceretur P. Juventius Celsus Titius Aufidius OEnus Severianus*: At non video, quare a Viro docto in hanc scænam vocetur Marcellus Cos., quem etsi eodem anno Balbo suffectum constet, nullam tamen rei, de qua agebatur, partem ei tribuit Ulpianus, neque is habere poterat, qui post ejus Senatus Consulti tempus suffectum Consulatum iniisse debuit. Satius igitur Wesselingio fuisset duos tantum ibi Consules statuisse, non felici tamen conjecturâ, quam excludit tanta nominum seges, quibus alterum Consulem locupletasse voluit, quæ, etsi ille habuisset, haud tantum certè otii Ulpiano fuerit, ut singula tam accuratè enumerare satageret: Plures igitur, quàm duos ibi Consules memorari certum est, ac præter *Celsum*, & *Balbum*, reliqua nomina tertio tantùm Consuli tribuit Tristanus T.I. Comment. pag.539. sed quare duobus tertius contra morem additus sit, prorsus silet: Rem majori luce adhùc illustrandam relinquit Cl. Burmannus *de Vectigal. P. R. cap. 6. pag. 86.* sed jamdiù Alciatus V. Parerg. & ex eo Gothofredus ad d. L. putavit *in hoc S. C. electos Consules cum iis, qui jam fungebantur officio, connumerari*. Quod licet difficultate non careat, Designatis, vel Suffectis Consulibus, dum Ordinariorum potestas nondum expirasset, in æquam potestatem admissis, veri tamen satis simile id crediderim sub Hadriano, qui [ut Spartianus refert] *tertio Consules, quum ipse ter fuisset, plurimos fecit, infinitos autem secundi Consulatus honore cumulavit*. Sed huic S. C., de quo satis egimus, alia exempla addam ex Grutero, qui Domitiani ævo Tabulam æneam exhibet d. p.574. n.6. sic: M. LOLLIO. PAVLINO. VALERIO. ASIATICO. SATVRNINO. C. ANTIO IVLIO QVADRATO COS. ubi tres saltem Consules agnosci debent, quum Valerius Asiaticus Saturninus diversus sit a Lollio Paulino, ad quem designatum Consulem est Plinii epistola IX. 37., cujus etiam ad Saturninum, & Quadratum diversæ sunt epistolæ: Sed & lapis extat pag.607. num. 1. qui sic habet: III. NON. NOEMB. ANTIO POLIONE ET OPIMIANO KOS. ORDINARIS. SEVERO ET SABINIANO COS.: Uno verbo dicam, si laudati S. C. exemplum excipias, cujus peculiarem reddidimus caussam, dum alibi plures, quam bini Consules pro nota temporis inscripti occurrunt, alteros quidem ordinarios, suffectos alteros accipere debemus, quorum alterutros pro temporis nota adhiberi solitos fexcenta monumenta docent; omnes autem ideo simul memorati videntur, ut, quum in eundem annum ipsorum omnium Magistratus incidisset, omnium etiam nominibus inscriptis, atque adjectis, de eo anno certò certius constaret.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Gruterus pag. 454. num. 10. *Romæ in Palatio Capranicensi, Appianus Beneventi fuisse dicit.* (a)

11. D. M. S.
Q. PLOTIVS. Q. F. QVIR
ROMANVS
EXORNATVS. EQVO. PVBL
HONORIBVS FVNCTVS
IN COLONIA. HOSTIENSI
DECESSIT
SVPERSTITIBVS. PARENTIBVS

Ad S. Franciſci.

13. VALERIANO
VETERANO
ſic CAORTIS VII
FLAVIVS VALERIANVS
ET VALERIA IVSTA
PATRI B. M. F

In mœnibus Urbis prope Portam Rectoris Ingens marmoris fragmentum variis ſcalpturis in vertice ornatum, ac ſatis auguſte inſcriptum.

16. . . . . O. C. F. STEL. LEG. VI. ET
. . . . . O. C. L. PHILOMVSO ET
. . . . . O. C. L. EDONIONI ET
. . . . . AE CN. L. SATVRNINAE
. . . . . VM M SEMMIVS M. F
. . . . . ET P. SEXTIVS O. . . . . .
. . . . . SVA PARTE FACERE NO
. . . . . .

Ad S. Sophiæ.

12. C. VMBRIO. C. F
STELL. ADIVTORI
MIL. COH. III. PRAETO
C. VMBRIVS MANSVET
ET VMBRIA LVCARIA
FRATRI PIISSIMO
C. VMBRIO MANSVETO
ET VMBRIAE LVCAR
PIAE PARENTIBVS

Refoſſa prope Æd. de Lutiis in mœnibus Urbis.

14. Q. TETAFRENO L. F. STE
LEG. VI
C. TETAFRENVS L. F. FR
FACIVNDVM C
i. e. FRatri Faciundum Curavit.

Gruterus pag. 549. num. 6.

15. L. LABICIO L. F. STE. CELERO
LEG. VI. FERRATAE

Apud Reineſium pag. 509.

17. L. ACILIO A. F. STE. LEG. VI
MARCIA TERTIA
VXOR FECIT

In Arce Civitatis. (b)

18. . . . . .
. . . . . STEL. LEG. VI
. . . . . AED. . . . . .
. . . . . F. VXORI. ET
. . . . . O. L. QVARTAE

Ad S. Sophiæ, & apud Gruter. pag. 541. num. 3.

19. C. FIGILIO. L. F. STEL. LEG. VI
MANLIAI. P. F. H. F. C

i. e. Manliæ Publii Filiæ Hæres Fieri Curavit.

In Ædi-

[a] Non illud eruditis ignoratum antiquos lapides è patriis ſedibus aliò tranſvehi ſolitos: tanti enim ejuſmodi Cimelia æſtimantur, quæ a ſuis popularibus neglecta, ac peſſumdata, externis hominibus, nulla viæ, aut impenſæ moleſtia deterritis, quin ſuam domum aſportent, plerumque cedunt: Hinc non mirum eſſe debet, ſi unus, idemque lapis diverſis extare locis dicatur: Sic de hoc noſtro lapide factum videtur, quem Beneventi Appianus, Romæ vero ad Palatii Capranicenſis ornatum Gruterus extantem affirmant: Sic de noſtro inſigni lapide Juliæ Severi dicato alibi notavi, quum Harpadii prope Beneventum multorum teſtimonio refoſſum, *Tuſculi in Prædio D. Equitis Sylvæ* locat Fabrettus, cap. 2. pag. 105. *De Equo Publico* omnia ſunt fuſè, eruditèque dicta a Juſto Lipſio De Milit. Rom. L. 1. Dial. v.

[b] In hujus ſepulcralis tituli fragmento illud AED. non AEDilem, ſed AEDificium denotare videtur, quod Miles iſte Legionis ſextæ cum ſepulcro *Fecit Uxori, & Quartæ Libertæ Cajæ*. Sic in Grutero p. 399. 1. & p. 809. num. 2. & alibi ſæpe ſepulcrorum *Ædificia* memorantur. Beneventani milites omnes aut in Legione VI. ut heic, aut in XXX., ut in aliis hujus Claſſis, ſtipendia fecerunt: quare id factum fuerit, diſces in Diſſert. De Re Milit. cap. II. pag. 235.

Digitized by Google

In Ædibus DD. Rescierum.

20. FVFIA C. L. LYCHNIS SIBI ET
M. CRASSICIO M. F. STEL. CASTELLO
VIRO LEG. XXX.
TESTAMENTO SVO FIERI IVSSIT

Ad Monialium S. Petri.

21. C. CLOELIO
RESTIT. LEG. XXX
ET VALERIAE SEX. L
D I O D O R A E
H. F
Ideſt: *Heres Fecit*

In Ædibus DD. Orſolupi.

23. . . . . INIO T. F. STE
LEG. XXX
TESTAMENTO
H. F. C

In Æd. olim Petri Pauli Roſcii
Habet Gruterus p. 542. n. 5. qui ſit citat: *Beneventi apud Marcum Ciffum juxta Arcem*: ſed mendosè habet Leg. xx.

22. T. FLAVIO T. F. STE
TITVLLO LEG. XXX
T. FLAVIVS T. L. FAVSTVS
SIBI ET PATRONO

E ſchedis Viglioni.

24. POMPEIVS T. F. STE
LEG. XXX
. . . . . .

Gudius pag. 147. num. 2. ſic citat.
Arpadii in Fureis Caudinis in lapide grandi, ſed ſciſſo. (a)

25.
SEX. AEQVANIVS SEX. F
STEL. LEG. XXX

CLASSIS

[a] Quid ſint notæ illæ, aut ſigna in lapide inſculpta, non adhùc capio: neque enim, an eâdem, quam Gudius exhibet, formâ, ſpectare licuit: Inſtrumenta certè militaria eſſe debent, quæ, ni fallor, ad galearum effigiem accedunt, niſi quod nullis ornentur criſtis, quales gregariorum militum, ut hic noſter; quæ vero ex iis pendent bina ſingulis vincula, ſeu lora ſatis aptè expreſſa videntur: Ab imis enim galearum bucculis lora erant, quibus ſtringerentur ad guttur, & firmarentur. De his Silius l. XIV.

Caſſidis a mento malefidæ vincula rupit.

Sidonius lib. 3. epiſt. 3. *Alii de concavo tibi Caſſidis exituro, flexilium laminarum vincula diffibulant.* Quæ & Suidas intelligit, & ὀχεῖς vocat. *Ocheus* [inquit] *Lorum Galeæ, quo adſtringitur circa collum ferentis.* Vid. Lipſ. de Mil. Rom. Lib. III. Dial. v.

Apud Malvaſiam in Marmor. Felſin. ſect. v. cap. 8. pag. 245. in ingenti Baſis fragmento, ubi militum nomina recenſentur, bini Beneventani milites occurrunt, ſed alterius nomen intercidit ſuperſtite tantum patria ſic: .. ENEV. . ., alter vero ſuo adhùc ſervato nomine gaudet lin. 22. ſic

26. L. SATRIVS PROCVLVS BENEVENT

Muratorius pag. 881. num. 6. ex Cl. Blanchinio exhibet alterum lapidis fragmentum (quod idem ſequentis paginæ videtur) Londini extantem, ubi etiam inter plurimorum militum nomina Beneventanus alter miles inſcriptus legitur lin. 13. ſic

27. . . . REIVS OPTATVS BENEVE[NT]

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

CLASSIS OCTAVA
Profeſſiones, & Artes.

Sub Arcu Pontis Leproſi. (*a*)

1.

C. CONCORDIVS SYRIA
CVS EQ. R. COMM. REIP
BENEVENT. MVNERARIVS
BIDVI POETA LATINVS CO
RONATVS IN MVNERE PA
TRIAE SVAE ET VIBVS
SIBI FECIT QVI VIXIT
ANN. LVIII. M. VII. D. XII
HOR. III

In Ædibus DD. Compare.

2.

D M
M. RVTILIO
AELIANO
DECVRIONI BE
NEVENTANO
GRAMMATIC
O V. A. LXXV
PVTILLA PRIMA
CONIVGI CVM QVO
VIX. AN. X... M...

Apud Gruter. pag. 633. num. 8.

3. A. CLODIO A. F. MEDICO
DEMETRIVS LIB. SIBEI ET
CLODIAI A. L. ALEXAND. ET
CLODIAI A L GLYCERAI
H. M. H. N. S.

Prope Æd. Roſciorum, & apud Gruteri pag. 633. num. 3. (*b*)

4. D. M
M. CASINEIO
PAETO
MEDICO CASI
NEIA ARTEMISIA
CONIVX CVM QVO
VIXIT ANN. XXV
ET MENSEM I

Apud Appianum. (*c*)

5. TITVS CLAVDIVS LENIVS
DIVI CLAVDII AVGVSTI LI
BERTVS A STVDIIS

In Turri

[*a*] De hoc lapide fusè a me actum fuit in *Diſſert. De Re Literar.* pag. 217. Notanda heic tantum erit dictio *Vibus* mutata V. in B., quam mutationem ſexcenta exempla etiam melioris ævi uſu receptam ſatis probant. Horas etiam vitæ, quam quis tranſegiſſet poſt annos, menſes, & dies apponi conſueſſe in titulis ſepulcralibus docent paſſim antiqui lapides, quos congeſſit Cl. Fabrettus a pag. 181. ad 185. ubi alios quoque, qui Matrimonii inſcriptas horas habent, titulos exhibere pergit: Sed in horis vitæ notandus profectò lapis apud Gruter. pag. 554. num. 9. ubi C. Julius Longinus vixiſſe dicitur ANOS XLI. MESS. III. DIES XIII. HOR. NVL., i. e. *Horam nullam*: itaut poſtremo, qui diei omnino finis erat, horæ ſcrupulo obierit: De diviſione partium horæ in triginta, (ut etiam nunc obtinet) ſcrupulos apud Romanos, quidque ea de re ab aliis gentibus ſervaretur, eruditè diſſerit id. Fabrett. cap. II. pag. 96. & ſeqq.

[*b*] Habet Gruterus, ut dixi, ſed mendoſum, nam lin. 6. pro *Conjux* legit *Cojux*, & poſtremâ pro *Menſem* I. quod omittit, habet B. M. F., quæ omnino deſunt. Hæc autem (quæ me fugerunt in Diſſert. De Re Liter. quum de Medicis agerem, inter quos hunc recenſui pag. 208.) pauca, ſed notatu digna de hoc Pæto obſervat: *Pæti Medici ſub M. Antonino Philoſopho meminit Lucianus in Pſeudomanti, ut ſibi noti.*

[*c*] Appiani fidem, ut inter noſtros hunc lapidem referam, ſatis trepidè ſequor; Eundem habet Gruterus pag. 584. num. 3. & quidem emendatiorem, nam linea 1. pro TITVS legit TI. ideſt *Tiberius*, quod rectè cum Auguſto Patrono concordat. lin. 2. *Lemnus* pro *Lenius*: ſed *Romæ in Templo Saturni, nunc D. Martinæ ſacro ad Forum Romanum* extare dicit: Confirmat Gudius, qui poſtea in eadem Urbe in Ædibus, quæ fuere Fulvii Urſini ſervatum notat; Affert etiam Muratorius in nov. Theſaur. pag. 895. num. 3. ibidemque extantem affirmat *in Muſeo Cardinalis Carpenſis ex Ligorio*, ut jam hiſce tantis Teſtibus Appianum objicere non auſim: niſi veriſimile illud opinari liceat, lapidem Benevento Romam aſportatum; vel utrobique poſitum, dedicatumque, ut in Aconiæ Paulinæ lapide iiſdem conceptis verbis tum Romæ, tum Beneventi extante alibi obſervavimus: Utut res ſe habeat, quantivis pretii æſtimandus lapis, cum inter officia Domus Auguſtæ unicus hic hactenus prodierit *Libertus a Studiis*, dignior quidem, quam qui *a Bibliotheca*; Hic enim Bibliothecam ordinare, publicare, à ſordibus cuſtodire, libros, quibus opus eſſet, Cæſari paratos exhibere, & alia ejuſmodi, quæ modicum ingenium poſtularent, curare ſolebat; qui vero *à Studiis*, horum comes, atque adjutor Cæſari aderat, ut proinde multa ingenii vi pollere deberet: Scimus autem ex Svetonio cap. 41. & 42. Claudium Imperatorem liberalibus diſciplinis enixius vacaſſe, novaſque tres literas Latio invexiſſe, de quibus videndus Lipſius in Tacit. Ann. XI. n. 52.

Digitized by Google

In Turri S. Sophiæ.

6.

Q. CAESELLIVS Q. L. SVRVS MERCATOR
DOMATIA O. L. FAVSTA
C. DOMATIVS O. L. PHYLAX MERCATOR

Q. CAESELLIVS D. L PAMPHILVS PATRONVS
DOMATIA O. L. TALIA PATRONA
ALBANVS DELICIA

Q. CAESELLIVS SVRVS ET DOMATIA TALIA VIVI SIBI ET SVEIS FECERVNT

In Æde ruſtica vulgo *Pace Vecchia*.

7.

L. HELVIO L. L. HILARO
NVMMVLARIO (*a*)
MERCVRIALI
MESSIAE Q. L. DIODORAE
L. HELVIO L. L. PAETO
NVMMVLARIO

Prope Forum Venale Via inferiori.

8.

D. M
ET MEMORI
AE EPIGONI
ACTORIS (*b*)
FIDELISSIMI

In di-

[*a*]. Extat apud Grut. pag. 638. num. 1. ubi ſic locus inſcribitur: *Beneventi extra Civitatem ad Ædem D. Angeli*, qui locus cum noſtro convenit; nam ruralis Ædes S. Angeli *a Saſſone* Ruri *della Pace Vecchia*, ubi modo lapis extat, contermina eſt. De Mercatoribus, & Mercurialibus, eorumque Collegio ſusè a me actum eſt in Diſſert. v. De Collegiis a pag. 165.: Sed Nummulariorum quoque Mercurialium fuiſſe Collegium ab ipſis Mercurialibus diſtinctum (quod ibi non mihi animadverſum) indicare videtur hic lapis planèque docet lex v. Cod. Theod. *De His qui ſuper religione contendunt*, ubi Imppp. Arcad. Honor. & Theod. *à Nummulariis, cæteriſque hujus almæ Urbis.* (Conſtantinopolis.) *Corporibus inlicitos Conventus celebrari* vetant. Nummularii autem, qui Græcis κολλυβισταὶ, τραπεζῖται, munus ſic J.C. Paulus deſcribit in l. 9. §. Nummularios D. De Edendo. *Nummularii, ſive Argentarii rationes conficiunt, quia & accipiunt pecuniam, & erogant, per partes, quarum probatio ſcripturæ, codicibuſque eorum maxime continetur, & frequentiſſime ad fidem eorum decurritur.*: Eorum enim, ſicut Argentariorum officium publicam habere cauſſam, hancque eorum principalem operam fuiſſe, ut Actus ſui rationes diligenter conficerent, teſtatur Cajus in l. 10. D. Eodem tit.: Hinc ſi fidem fallerent, gravioribus pœnis afficiebantnr: Galba Imperator, dum Provinciam regeret Nummulario non ex fide verſanti pecunias manus amputavit, menſæque ejus affixit, teſtè Sveton. c. IX.: Hos autem Nummularios in Baſilicis, aliiſque celebrioribus locis negotia ſua exercere ſolitos diſcimus ex lapide apud Grut. pag. 340. n. 1. ubi occurrit *T. Flavius Nummularius de Baſilica Julia*: Apud Murator. pag. 975. n. 8. habetur *Nummularius de Circo Flaminio*: In urnula, quam affert Fabrett. c. 9. pag. 649. n. 420. *L. Sveſtilius Clarus Argentarius ab Sex Areis monumentum poſuit ſibi, & L. Sveſtilio Læto Nummulario ab Sex Areis*: ubi illud *Ab Sex Areis* locum ita appellatum indicare videtur; ex quo etiam lapide inter Argentarios, Nummulariosque diſcrimen fuiſſe conſtat. Veterum denique Nummulariorum munus, præ ſe ferre videntur Campſores, vulgò, *Mercatores rationum* hodie appellati, qui Collybiſticum, Commercium exercent; de quibus videſis doctum Heineccium *de Elementis Juris Cambialis*, ac Georgii Henrici Ayreri Diatribam, *De Cambialis, Inſtituti veſtigiis apud Romanos*.

[*b*]. Actores Servi (haec enim ſervile nomen *Epigoni*) rationes Domini agebant, Actumque aliquem gerebant: qui igitur Servi frugi erant, à Dominis in fundos, & prædia mittebantur, ut iis præeſſent, familiæ imperarent, reique Ruſticæ rationes adminiſtrarent, ut colligitur ex Plinio lib. 3. epiſt. 19.: quo in munere ita probè, & ſolerter ſe geſſit *Epigonus*, ut à Domino (cujus nomen lapis ſilet) monumentum, ac præterea Fideliſſimi encomium promeruerit; Non uni autem Servi *Actores*, ſed etiam Ingenui, nec privatorum duntaxat, ſed Domus Auguſtæ, de quibus agit Reineſ. ep. 35. ad Rupertum. Erant etiam Municipiorum, Societatum, & Corporum Actores, ac præterea qui à Tutoribus, Curatoribuſve litium cauſſa decreto Prætoris conſtituebantur, quorum inter alios meminit Apoſtolus ad Galat. IV. Sed Actorum genera omnia, atque munera egregiè exequitur Briſſonius de V.S. lib. 1. Mihi ad Servos Actores redire lubet, quorum frequentiſſima in lapidibus mentio: Ex his unum heic afferam ex Murator. p. 952. n. 12. in hæc verba: *D. M. Felici Actori, qui ceſſit annis* XIIII. *Poſiumi, & Vapiæ C. F. Felicitas conſerva poſuit caro conjugi cum qua vixit anni* XVI. *qui V. A.* XL.: ubi Vir doctiſſimus rectè emendat illud Poſiumi in Poſtumi; ad illud vero *qui ceſſit an.* XIV. *obſcurum* [inquit] *niſi velis, qui ceſſit è vita an.* XIIII. Sed nihil obſcurum, ſed potius oſcitanter, ut in opere longo ocius currenti evenire ſolet, nam Felicem an. XL. vixiſſe lapis jam dicit, qui etiam an. XVI. Conjugii numerat, ut proindè promptum ſit annos etiam muneris notari placuiſſe: Hinc ſic legendum puto: *Felici Actori qui geſſit* (pro *ceſſit*) *an.* XIIII. (ſubintellige *Actorem* jam ſupra dictum) *Poſtumi, & Vapiæ*.

Digitized by Google

XXXVI INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In diruta Ædе S. Petri extra mœnia.

9. L. HERENNI FVSCI
VETERANI (a)
MESORIS AEDIFICIOR
IVNIA RVFINA CONIVGI INCOM
PARABILI ET
HERENNIVS FVSCVS PATRI
RARA EA DEFECTION....
. . . . . .

Ante Ædes Marchionis Pacca.

11. T. ASINIO T. L. ANT
OCHO VESTIAR (b)
SIBI ET SVIS
ERONI ET STEPHAN LIB
IN AGR. P. XII. IN F. P. XII

Tribus Litterarum nexibus Lapis hic insignis est: Posteriores facilè patent; Prior verò in fine lin. 1. ad sequentem dictionem lineæ 2. pertinet, ut integra dictio sit ANTIOCHO, litterâ I in ipsa T latente.

In clauſtro S. Sophiæ.

10. P. MARCIVS P. L
PHILODAMVS
TECTOR SIBI (c)
SVISQVE HIC
IVCVNDA SEPVLTA
EST DELICIA EIVS

Prope dirutam Eccleſiam S. Arthelaidis è ſchedis Veruſii, ſed aut eadem cum antecedenti, aut ex illa ſuppleri poteſt.

12. . . . MARCI . . .
. . . PHILOD. . .
. . . TECTOR. . .
. . . EXO. . . . .

Prope Ædes DD. Annubba.

13. T. SCANIANIVS ERO....
AERARIVS SIB..... (d)
T. SCANIANIO SAM.....
PATRONO

In atrio

[a] Nihil heic de Meſore, ſeu Menſore Ædificiorum, quem inter alios Menſores egregiè illuſtravit V. C. Paciaudius in Diſſert. De Beneventano Menſore Cereris Auguſtæ, quam habes in hoc volumine p.330.

[b] Veſtiarii erant, qui Veſtes conficiebant, aut mercabantur. Ab diverſo earum genere etiam adjectum accipiebant; uti Veſtiarii Centonarii apud Murator. pag.946. n.1. Veſtiarii Tenujarii apud Donium Cl. VIII. n.35. quos V. C. Gorius eruditè ibi explicat.

[c] Præter hunc noſtrum Tectorem, quem etiam exhibet Gruterus pag.642. num.10., non alium in ejuſdem Theſauro invenire erit, & mirum, adhùc Tectores deſiderari apud Gudium, Fabrettum, Donium &c.: Vix in novoTheſauro Muratorii pag.305. linea 30.Marmoreæ Tabulæ legitur *Agathopus* TEC: at in Veteribus Scriptoribus ejuſmodi opificium ſatis obvium, quia frequentiſſima Tectorum Ars, quam præſtabit inter alios ex Tertulliano addiſcere in lib. De Idolatr. cap. 8. edit. Venet.1744 *Scit* (inquit) *Albarius Tector & tecta farcire, & Tectoria inducere, & Ciſternam liare, & Cymatia diſtendere, & multa alia ornamenta præter ſimulacra parietibus incriſpare*: Ubi pro *liare* Pamelius legendum prorſus exiſtimat *ligare*; in *Cymatiis* vero, quæ Arcus Templorum interpretatur, rectè reprehenditur a Lacerda, qui ex Heſychio, & Vitruvio prominentias eſſe explicat, quæ in ædificiis in modum undæ ſinuantur; Græcum vocabulum ad ejuſmodi ornamenta ſignificanda etiamnum nos Itali retinemus, vernaculo ſermone *Cimaſe* appellantes. Sed neque *liandi* vocabulum in *ligandi* mutaverim cum Pamelio: probè enim *liandi* verbum ſe habet à *liaculo*, inſtrumenti genere, cujus meminit Vitruvius l.2. c. 4. & l. 7. c. 3. quo levigantur intectoria in parietibus à græco λεῖος i. e. planus, levigatus, optimeque convenit ciſternarum tectoriis, ut eorum duritie, planitieque diutiùs aqua ibi ſervetur. Tectores itaque iidem ac *Dealbatores*, *Albarii*, qui etiam *Albini* vocantur à Conſtantino in l. 1. Cod. De Excuſationibus Artificum, ubi græcis κονιάτας appellatos commemorat: Tectorio autem opere apud Veteres incruſtabantur parietes ita, ut ſplendorem tranſmitterent. Plin. l.36. c.23. *Tectorium niſi ter arenato, & bis marmorato inductum eſt, non ſatis ſplendoris habet*: At hæc in Divitum Ædibus; nam Tectoria *vulgaria* occurrunt in l.3. D.De Servit.Urban., quæ item *gregalia tectoria* appellat Seneca epiſt.86. edit. Pariſ. 1613., eaque ſolum è Calce, non marmore, aut cruſtis, ut optimè obſervat ibi Lipſius. Hactenus de noſtro Tectore, nunc de *Jucunda*, quæ *Delicia ejus* in lapide dicitur: Satis erit rem explicaſſe Svetonii verbis in Veſpaſiano c.3. qui *Flaviam Domitillam duxit Uxorem, Delicatam olim*: & quidem quæ, vocabulo frequentius uſurpato, Delicata Svetonio, in noſtro lapide *Delicia* dicitur; quæ vox æquè accommodatur fœminæ, ac Viro nam pag. ſuperiori num.6. occurrit *Albanus Delicia*; quanquam apud Donium Cl.1. num.132. *Apricius* raro quidem exemplo *Delicius* ſcribatur. At de Deliciatis Vid. Fabrett. Inſcr. Dom. cap.v. pag.362.

[d] Ærarium heic accipio Fabrum, qui ærea opera conficeret: Sic *Ærarii* accipiuntur in laudata lege Conſtantini Cod. De Excuſat. Artific. Plin. l.16. c.6. *Æra-riorum tantùm officinis compendio*. &c.

Digitized by Google

In atrio Ædium DD. Terragnoli.

14.

M. LVCILIO . M. L
DIOCLI . TIBICIN
ARTIFIC. ORGAN (a)
LIBERTIS . ET . LIBERTAB
EIVS. ARBIT*ratu* . . .
M. OFILLI . TERTI..

Muratorius pag. 953. num. 2. sic citat: *Beneventi apud Sanctimoniales S. Petri e schedis meis.*

15.

T. FELICIS OMNI
VM ARTIFICIORVM
STVDIOSISSIMI Q. V
ANN. XVII. M. XI. D. VIII
PARENTES PERQVAM INFELI
CISS. LVXVRI

[a] Artifex Organorum nunc primum ex noſtro lapide in lucem prodit, omnibus aliis, quod ſciam, veteſtis monumentis ignotus; ſed non ignota Veteribus organa, quorum originem ſuo ævo tribuere videtur Lucretius lib. v. dum in dies Artes perfici inquit, &

Modo organici melicos peperere ſonore.

ſed falſum Lucretium planè conſtat tum ex aliis exoticis Scriptoribus, tum præclarè ex Sacra Hiſtoria, ubi Organa ante Diluvium obtinuiſſe locuples teſtis eſt Moyſes Gen. IV. 21.; Poſtdiluvianis familiaria Muſices inſtrumenta ea fuiſſe ex eadem S. Scriptura paſſim probatur, ubi Hæbræum Huggab, quod Septuaginta modo Cytharam, modo Pſalmum, modo Organum interpretantur, in Vulgata perpetuò organum reddi ſolet: Fruſtra tamen in iis organis vetuſtioris ævi eandem, quæ poſteriore ævo, atque modo obtinet, formam quæſiſſe erit: Ea enim inſtrumenta erant pluribus fiſtulis ſimul glutino quodam cohærentibus conſtructa, quæ ori applicitæ emiſſo flatu ſonum edebant. De his Virgilius Ecl. 2. v. 32.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit ....

ſed Marſiæ Athenæus l. 4. Minervæ Pindarus Pyth. od. 12. hanc laudem præſtare videntur: at S. Hiſtoriæ ignoratio, atque hujus inſtrumenti vetuſtas hanc opinionum, ſeu fabularum varietatem peperit: In deſignando autem inſtrumento rectè ſe habet Virgilius, cujus locum confirmant vetuſtæ plures marmoreæ Tabulæ, ubi ejuſmodi organa in Satyrorum manibus geſtari ſpectamus, exhibetque V. C. Gorius in Tab. IV. num. 3. Operis Doniani, ubi Pan inſculptus eſt, cujus dextro lateri hoc inſtrumentum pendet, ut is dicere jam poſſit,

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula:

ex qua demum inſtrumenti forma rectè intelligimus illud Pſalmi 136. *In Salicibus ſuſpendimus organa noſtra*: Poſteriore ævo, quamvis excellentiora organa inventa eſſent, iſthæc tamen, quæ modo diximus, ſimul ſervata, atque in uſu fuiſſe conſtat ex Seneca Ep. 84. *Cavea* (inquit) *æneatoribus cincta eſt, & ex pulpito omne Tibiarum genus, Organorumque conſonuit*: Sed alia jam organa eſſe cœperunt, Hydraulica appellata. Svetonius in Neron. cap. 41. *Diei partem reliquam per organa hydraulica novi ignotique operis circumduxit*; at falsò novum, & ignotum Neroniano ævo: Vitruvius hoc inſtrumentum deſcribens l. x. c. 12. Cteſibio illuſtri Alexandriæ Mathematico, qui ſub Ptolemæo Phyſcone annis CXX. circiter ante æram Chriſt. floruit, inventi laudem tribuit, Archimedem vero auctorem Tertullianus affirmat lib. *De Anim. c.* 14., atque horum organorum fiſtulæ vento à lapſu, & pondere aquæ [unde hiſce organis nomen] inflatæ ſonum edebant, uti hodie Romæ, atque alibi in Principum Virorum Villis mirari eſt: Cum vero difficile admodum eſſet hæc organa hydraulica ubique comparare ob neceſſariæ aquæ defectum, alia inveniri cœperunt, quæ per folles inflata hydraulicis æquipararentur. Horum hodie in Eccleſiis frequentiſſimus eſt, atque honeſtiſſimus uſus, nec ipſa recens, uti aliqui putant, origo; nam eorum meminit ante Caſſiodorum in Pſal. 150. etiam S. Auguſtinus in Pſal. 56.: Omnia organorum genera heic breviter explicuiſſe opus fuit, ne quis Antiquitatis ignarus, aut Tyro, Lucilium noſtrum tertii Organorum generis, quod nunc obtinet, artificem putaret, quum neque illud omnino liqueat, an Hydraulicorum, vel potius vetuſtiorum, quæ ori admovebantur, Artifex fuerit.

[b] Ad hunc lapidem ita Muratorius: *LVXVRI, num participialis vox deducta à verbo LVGEO, pro LVCTVRI*: Dignus quidem Parentum lacrimis filius, qui adhuc adoleſcens eo pollebat ingenio, ut *omnium artificiorum ſtudioſiſſimus* eſſet; unde hi illius amiſſione non infeliciſſimi tantum, ſed maximæ infelicitati magis aliquid addentes, non improbo loquendi more *perquam infeliciſſimi* dici voluerunt.

Digitized by Google

XXXVIII INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

CLASSIS NONA
Elogia Defunctorum, & Affectus Superſtitum.

Ad S. Modeſti.

1.

C. CATIO . C. F. MEN. BALBO
Ↄ. PETREIIAE . C. F. PAVLAE
HOS , DECVRIONES . FVNERE
PVBLICO . DE . FORO . E . TRIBVNALI
EFFERENDOS . ET . HIC . HVMANDOS
CENS
FVFISIAE . A . L. VIOLAE
C. CATIVS . C. F. MEN. GALLVS
PARENTIBVS . ET . VXORI

In Ædi-

De hoc inſigni lapide obiter in Præloquio hujus Voluminis egi, ſphalmata, quæ apud Manutium, Panvinium, & Gruterum irrepſerant, indicaſſe contentus, quæ etiam apud Fleetwoodum eadem inveni pag. 269, n. 3. Sed quis credat in ipſo adhùc meo exemplari maculam quoque à me nunc detectam, quæ Typographi, aut ejus potius, qui, me abſente, correctiones curavit oſcitantiâ adhùc manet; nam lin. 7. Fufiſia Viola primo caſu ſcripta eſt, quæ tertium (ut heic) ad lapidis fidem habere debet: Sed jam ſatis de lapidis lectione. Dabimus modo aliqua iis, quæ lapis obſervanda monet: ac primum ejuſdem ſenſum explicuiſſe præſtabit. C. itaque Catius Gallus titulum dedicavit Parentibus ſimul, & Uxori. Parentes autem C. Catius Balbus, & C. Petreiia Paula. Fufiſia verò Viola Auli Liberta ipſius Galli uxor fuit, ut mirum ſit hominem præclaris Parentibus etiam publico funere dignis ortum Libertinam mulierem ſibi matrimonio copulaſſe, cui etiam publicè cum ipſis ſuis Parentibus commune monumentum dicare non abſtinuit; Unde poſt Auguſti ævum [quo auctore Romanis omnibus, exceptis Senatoribus, eorumque liberis, Libertinas ducere permiſſum] lapis dedicatus videtur. Sed miſsâ libertina uxore, Parentes potius attendamus, ac primùm in Petreiia Matre Cajæ prænomen, inverſo Ↄ demonſtratum obſervare licebit, ipſum inquam prænomen Matribus familias ſolenne, ac perhonorificum, quod Dignitatis, communiſque cum viro poteſtatis inſigne fuiſſe conſtat. Horum Conjugum egregiam virtutem Funus Publicum, quo eos dignos Decuriones cenſuerunt, ſatis probat; non enim niſi præclaris Viris dabatur, raro autem fœminis quantumvis illuſtribus, ut Attiæ Cæſaris matri teſte Dione lib. 47. ac præterea Liviæ, cui Tiberius [ut refert Xiphilinus] *nullos honores tribuit, præter funus publicum, & imagines, aliaque nonnulla non magni momenti*. Viris tamen eum honorem tributum in lapidibus paſſim legimus; perſæpe etiam id Scriptores teſtantur; itaut etiam Peregrini illuſtres publico funere aliquando honorarentur: Siphacem quondam Numidiæ opulentiſſimum Regem (ut refert Val. Max. l. 7. c. 1.) *Captivum Tiburi mortuum publico funere Senatus cenſuit efferendum, ut vitæ dono honorem ſepulturæ adjiceret*: De Funere Publico vide Kirchmannum De Fun. Rom. l. 1. c. 4. Sed plura hactenus inobſervata ex noſtro lapide diſcere erit: *De Foro e Tribunali* hos Conjuges efferendos Decuriones cenſuerunt. Funus publicum per Forum efferendi mos quidem fuit; Apulejus Metam. 2. *Ritu patrio unus de optimatibus pompa funeris publici ductabatur per Forum*: At heic non per Forum, ſed de Foro è Tribunali funebris pompa inſtituta fuit; ut jam non ex privatis Ædibus defunctorum Conjugum, ut mos erat, ſed quò magnificentius funus eſſet, eorum Corpora in Forum antea tranſlata, ac in Tribunali collocata, inde ad locum ſepulcri elata fuerunt. *Tribunal* autem heic propria ſignificatione uſurpatum reor [nam de alio funerario Tribunali in ſequenti lapide mox videbimus], ut is locus fuerit in celebriore Fori parte perpetuo opere conſtructus, nempe ſuggeſtus editior, in quo ſedens Magiſtratus ab omnibus conſpici, ab eoque Jus reddere ſolebat: Non ſolum autem locum unde efferentur [quod ſingulare videri debet], verum etiam quò inferrentur hi Conjuges, à Decurionibus datum eſſe conſtat, quod in lapide illis verbis exprimitur: HIC HVMANDOS CENSVERVNT. Locum ſepulturæ à Decurionibus dari honeſtiſſimum fuit, nec ſatis obvium, propterea quod publicarum arearum pars in eam ſepulturam ceſſura extra commercium eſſe decernebatur, quod tum in Agro, tum præſertim in Urbe vivencium Civium commoda minuebat: Gruter. p. 455. n. 1.: *C. Poblicio L. F. Bibulo Æd. Pl. Honoris Virtutiſque cauſſa Senatus Conſulto Populique Juſſu Locus monumenti, quò Ipſe Poſterique Ejus inferrentur, Publice Datus Eſt*. Quæ ex lapide Gudius rectè notat Dionyſii errorem, qui lib. v. ſoli Poblicolæ ad ſuum uſque ævum ſepulcrum in Urbe datum ſcribit: nam Publiciæ Genti ex hoc lapide, Fabriciæ vero ex Plutarcho eundem honorem datum probat. An vero noſtris quoque Catio, & Petreiiæ honor idem? Veriſimile id probat lapidis locus intra Urbem poſitus, ubi ex privilegio hi Conjuges humati fuiſſe videntur.

Digitized by Google

In Ædibus Seminarii.

2.

P. AELIVS. VENERIANVS
HOC . VAS . DISOMVM . SIBI . ET
FELICITATI . SVAE . POSVIT . ET
TRIBVNAL. EX. PERMISSV. PONTIFF
PERFECIT.

Affert hunc lapidem Gruterus pag. 751. num. 11., & locum indicat ſic: *Beneventi in D. Euſtachii æde ſacra*: ac inferius notat: *Ex lateribus ſculptæ ſunt Victoriæ alatæ, Tridentes piſcibus dentatis, quos Gallos marinos vocamus, impoſitos manu contingentes*: D. Euſtachii Ædes omnino periit, ac cum ea ſimul hoc inſigne monumentum, quod in Ædibus Seminarii extare noſtræ Veteres Schedæ ajunt, fruſtra etiam ibi conquiſitum, ut ejus formam [nam Vaſis nomine appellatur] conſpiceremus. Afferunt etiam Fleetwoodus pag. 272. num. 3. aliique, ſed in omnibus verba tantum, non item Vas, quod omnino deſideramus. Hybridam vocem Biſomum ex latino *Bis* & græco ΣΩΜΑ notavit Cl. Lupus in epit. Sever. pag. 122.: at omnino græcam eam vocem latinis licet literis exaratam in noſtro lapide legimus; ubi vas DISOMVM dicitur. Apud Chriſtianos æquè ac Ethnicos [ut heic] locus ſignificabatur, ubi duo corpora ſimul ſepeliri poſſent. P. itaque Ælius Venerianus ejuſmodi ſepulcrum ſibi paravit, quò ſimul cum *Felicitate ſua* (Conjuge an Concubina?) inferri deberet. In lapide apud Donium Claſ. x. num. 2. *Hoc in Sarcophago Genetrix duo corpora natos condidit*: ubi Sarcophagum ipſum *Biſomum* fuiſſe patet, non quod *Corpus Corpori fuerit ſuperpoſitum*, ut Cl. Gorius ibi cenſet: Cæterum non Biſomum, aut Diſomum duntaxat locum, verum etiam Triſomum, Quatriſomum tribus, quatuorve corporibus continendis aptum appellari, protrita res eſt: In lapide apud Aringhium, quem poſt Reineſium, Fabrettum, Donium, iterum vulgavit Cl. P. Mamachius Orig. Chriſt. lib. 3. pag. 39. legitur ſic

CALEVIVS BENDIDIT AVIN TRISOMV
VBI POSITI ERANT VINI ET CALVI
LIVS ET LVCIVS IN PA. COS. STIL

De quo V. Fabrettum p. 552. Reineſii audaciſſimas emendationes, explicationeſque cum riſu notantem: At de *Biſomo* omnia clara: De *Tribunali*, quod idem Venerianus *ex permiſſu Pontificum* perfecit non æquè conſtat: Haud enim vulgata ejus vocis ſignificatio, de qua in præcedenti lapide actum eſt, hùc pertinere videtur. Doctiſſimus Cangius haud quidem in Gloſſario, ſed in ejus prolixa, eruditaque *Diſſert. de Inferioris ævi numiſmatibus* [quæ habetur ſeparatim edita poſt tom. 3. Gloſſarii editionis Francofurti 1683.] binos lapides affert, in quorum altero *Apollini*, & *Verjugoduno* [Gallorum Numini] *Tribunalia Dua dedicata* dicuntur, in altero *Deo Volieno Tribunal cum Locis*: ubi *Tribunalia* (inquit) *videntur eſſe ſtylobatæ, in quibus Deorum Statuæ conſiſtebant*: quod mox noſtro lapide confirmat, ac ſic pergit: *Hic etiam fortè ſpectat alia*: *P. Ælius Venerianus &c.* [omittitque lin. 3. SVAE. & geminam FF. lin. 5.] *in qua quidem poſtrema inſcriptione Tribunal perfectum ex permiſſu Pontificis, ſive Pontificum dicitur, quod è re ſacra eſſet, Diis Tribunalia erigere*: At Vir ſummus ſepulcralem eſſe noſtram inſcriptionem non advertiſſe videtur, in qua tamen explicanda, quod Tribunalis in ea memorati vocabulum ſpectat, ab ejus ſententia non omnino diſcedo; Pro ſtylobata enim, ſive Baſi Tribunal heic accipiendum videtur, quæ tamen non ſubſtinendæ alicujus Numinis Statuæ, ſed, ut *Vaſis* illius *Diſomi* ſublimiùs à ſolo erigendi, ſuſtentaculum eſſet, locata fuit. Lucem dat Tacitus *Ann.* II. 83. ubi inter funebres defuncti Germanici honores *Arcus* [inquit] *additi Romæ*: *Sepulcrum Antiochiæ, ubi fuit crematus*: *Tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat*: At quid opus Pontificum permiſſu? Inerat [ut notum] ſepulcris Religio: præterea certus iis ædificandis modus fuiſſe videtur. Plato de Rep. l. 12. ex Ciceronis verſione in l. 2. De Leg. extrui vetat *ſepulcrum altius, quam quod quinque homines quinque diebus abſolverint, nec è lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui inciſam*: Antea vero ex Demetrio idem Cicero dixerat, *non licere ſuper terræ tumulum quid etiam ſtatui, niſi Columellam tribus cubitis non altiorem, aut Menſam, aut Labellum*: Scio apud Romanos niniam (ut loquitur Tertullianus de Teſt. Anim. c. 4.) *Sepulcrorum ambitionem* fuiſſe: Legatum CCCC. aureorum ad ſepulcrum extruendum memorat Scævola in *l.* 42. *D. De Leg.* 3.: Quid ni ob Operis Religionem atque exceſſum Pontificum permiſſu opus eſſet? Omnia enim ad eam rem pertinentia ad eorum juriſdictionem ſpectabant. Apud Gruter. pag. 518. num. 4. L. Ælius Sentinianus PETIT A PONTIFICES VT SIBI PERMITTERENT PERFICERE N. [fortaſſe Novum] MONVMENTVM IVRIS SVI. De Translatione Reliquiarum Plinius Bithyniæ Proconſul Trajanum ut Pontificem Maximum conſuluit lib. x. ep. 73. cui Trajanus reſcripſit: *Durum eſt injungere neceſſitatem Provincialibus Pontificum adeundorum, ſi reliquias ſuorum ob aliquas juſtas cauſſas transferre ex loco in alium locum velint*: quod tamen de Pontificibus Romæ degentibus intelligere Trajanus debuit, non item de Municipalibus, quorum adeundorum morem præter lapidem Gruterianum, oſtendit noſtra Inſcriptio, ut quod quiſque de ea re petiſſet, ipſi fieri permitterent.

Digitized by Google

XL. INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In Ædibus DD. Feuli.

3. D. M
M. COSINI
PRIMITIVI
M. COSINIVS
PRIMITIVVS ET
COSINIA FORTV
NATA PATRI
OPTIMO

Ad S. Angeli Portæ Summæ.

5. IVLIO VICTORI
HOMINI BONO QVI
VIXIT ANN. L. M. VI
IVLIVS LVCRILIVS
PATRI PIISSIMO

Ad S. Petri extra mœnia vulgi *de Fora*.

6. IO HOMINI BONO
Qui vix. an. . . I. MENSES VIII. D. V
Con IVX CVM QVEM
Vix. ann. . . . . DIES XXV. SINE
Ulla querela B. M. F

In Clauſtro Collegii PP. Jeſuitarum.

4.

Inſcripta tranſverſim Columnæ ad Ædem SS. Annunciatæ, viâ, qua itur ad Arcem, & apud Gudium p. 273. n. 6. qui lin. 12. *Tullonialea* mendosè conjungit.

7. FVFIO . IVSTINO . HOMINI . BONO
TVLLONIA . LEA . CONIVGI . INCOMPARABILI
QVI . SIMVL . VIXIMVS
sic ANNS . SEXAGINTA

Optimi cognomen, dum Virtuti, non Amori, aut Adulationi detur, præclariſſimum omnium elogium: Honeſtiſſimum etiam illud, ac magnæ Virtuti ſatis, dum Bonus quis dici mereat: Utraque ex noſtris hiſce lapidibus ſimul exhibeo: Quod *Boni* titulum ſpectat, *Præclaram laudem* [inquit Cl. Oliverius ad Marm. Piſaur. 87.] *quam adeo probavit Lipſius, obſcurare, & ad turpem ſenſum convertere, neſcio quam ob cauſſam Viri doctiſſimi conati ſunt, quos refellere haudquaquam videtur operæ pretium; Satis enim celebris eſt J. Conſultorum regula, qua docemur, neminem præſumi turpitudinem ſuam profiteri*: At quamvis ad J. Conſultorum regulas non confugiamus, ignoraſſe certe videntur Viri illi doctiſſimi (quos nondum ego novi) Græcorum morem, qui ſuos defunctos quoſcunque paſſim *Bonos* appellabant: Ex Theophraſto id docet Antiquitatis conſultiſſimus Marchio Scipio Maffejus ad Tab. III. num. 1. Muſei Veronenſis, ac nuper obſervavit Clariſs. Paciaudius in Græci Anaglyphi interpretatione, edita Romæ 1751. pag. 21. Græcus lapis in Bibliotheca Caſanatenſi ſervatus editus fuit a V. C. Mamachio Orig. Chriſt. lib. 3. pag. 454. not. 2., ubi de more occurrit ΗΘΕCΤΗΑΗ ΓΑΑΑΤΟΥCΙΑΚΚΩΙ ΑΓΑΘΩΙ CΥΜΒΙΩΙ: *Eſeſtete Galatuſiatcho Bono Conjugi*: E Græcis ad Romanos morem hunc manaſſe ſatis docent frequentes lapides, quos in Gruteri, Fabretti, Reineſii, Gudii, aliorumque indicibus obvios habemus: non itaque, niſi importunum, atque inſanæ mentis illud erit, eum titulum, qui pro ſolenni penè ſepulcrali formula olim adhiberi ſoleret, in turpem ſenſum detorquere: Quid, quod non ſolis Viris uxores, ſed Parentes quoque a Filiis *Bonorum* elogio celebrabantur, ut heic num. 5. Julius Lucrilius Julio Victori Patri ſuo *piiſſimo* adhùc *Hominis Boni* laudem adjecit: Ego certè cum Horatio ep. I 16.

Vir Bonus, & prudens dici delector,

ſi tamen nomini res reſponderet; etenim ſi eundem Horatium audimus

Vir Bonus eſt quis?
Qui conſulta Patrum, qui leges juraque ſervat,
Quo multæ magnæque ſecantur Judice cauſſæ,
Quo Reſponſore, & quo cauſſæ Teſte tenentur.
Oderunt peccare Boni virtutis amore.

Præterea Virum bonum ex Juris Conſultis agnoſcere adhùc libet: Vir itaque Bonus eſt quilibet integræ vitæ, & exiſtimationis, idoneuſque, & diligens Pater fam. *l. 9. §. Sed ſi lapicidinas l. 13. §. ult. l. 15. §. Etſi. D. De Uſufr. l. 20. §. 1. D. De Oper. libert. l. 13. D. De Ann. Leg.* Bonus Vir, & Innocens conjunguntur in *l. ult. Cod. De Alim. pupil. præſtand.* Ab ignoto, & tranſeunte emiſſe ſe dicere non convenit volenti evitare alienam *Bono Viro* ſuſpicionem: Sunt verba *l. 5. Cod. de Furt.* Ad hæc *Viris Bonis* metum ſtupri majorem eſſe, quam mortis ait *l. 8. D. Quod metus cauſa &c.*; ut jam ex his, aliiſque pluribus, quos prætereo, Juris locis, quantus titulo ſit honos, quanta ex titulo honoratis virtus, manifeſtum eſſe arbitror.

In Ædi-

Digitized by Google

In Ædibus DD. de Simone

8. VIBIA A. F. CYPRIS
SIBI ET
A. TITRIO A. F. RVFO
VIRO OPTIMO

Effossa in Viridario novi Collegii PP. Jesuitarum:

11. T. VATINIO SE
CVNDO
VIX. ANN. XXI
MENS. II. DIE *sic*
VIII
RVTILIA ARSI
NOE CONIVGI
PIENTISSIMO

Propè Ecclesiam PP. Jesuitarum.

12. D. M (*b*)
OCTAVIAE CRES
CENTINAE QVAE
ANTIQVA VITA VI
XIT FIDEI AC DILI
GENTIAE CLARISS
C. VALERIVS IANVARIVS
CONIVX C. F. B. M. F

In Viridario Alexii Macchia propè S. Sophiam.

9. D. M.
MARIVS
IVSTVS
HO MO
PLVSQVAM
BENIGNIS
SIMVS
HIC

In Ædibus olim de Bilocta & apud Grut. p. 744. n. 2.

13. D. M. S
Q. TITVLEIO
FIDO
PATRI PIISS
TITVLEIA
RVFINA
FILIA

Grut. p. 818. n. 11.

15. M. POSTVM. D. F
CHLORVS
VIVVS SIBI ET
TORANIAE SPEI
CONIVGI
SANCTISSIMAE

E schedis Verusii.

10. D. M. S
TVRRANIVS APER (*a*)
HOMO DVLCISSIMVS
QVI VIXIT ANN. XL
TADIA VRSA
CONIVGI CVM QVO
VIXIT ANN. XVII

Ad S. Petri extra mœnia & apud Grut. pag. 850. num. 8.

14. D. M
M. MVNIO VI
TALI QVI VIXIT
ANN. XXXVIII. M
III. DIEBVS XXII
M. MVNIVS PRO
CVLEIANVS FRA
TRI INNOCENTIS
SIMO B. M. F

In Ædibus DD. Nicastro.

16. MVNATIAE PRIS
CAE RARAE CASTI
TATIS FEMINAE *sic*
. . . . . .
. . . . . .

Infra

[*a*] Exhibet etiam hunc lapidem Muratorius p. 1411. n. 17. è Schedis Ambrosianis, sed lin. 1. omittit D. M. S. lin. 6. legit CON. DVLC., sed rectius Verusius descripserat CONIVGI sine alio adjecto, jam enim *Dulcissimi* epitheto lin. 3. donatus fuerat hic APER, quem etiam cum VRSA conveniisse miramur, an ridemus: sed de speciosis Virorum, Fœminarumque cognominibus inferius videbimus.

[*b*] Eximia laus hoc elogio continetur, qua nulla fortasse apud ipsos Veteres major excogitari poterat, quum quis *Antiqua Vita*, aut *Antiquis Moribus* vixisse diceretur: Hanc sibi a C. Valerio Januario Viro suo Octavia Crescentina promeruit, dum *Fide*, *ac Diligentia clarissimam* se probavit, idest Thori fide religiosè servata, Domus etiam [quæ duæ optimæ Matris Fam. præcipuæ sunt dotes] curam præclarè gessit: Fidei autem, & Diligentiæ laus ea omnia complectitur, quæ speciosissimus Sarcophagi titulus explicat, & enumerat apud Donium Cl. XV. n. 49.

HIC. SITA. EST. AMYMONE. MARCI. OPTIMA. ET. PVLCHERRIMA
LANIFICA. PIA. PVDICA. FRVGI. CASTA. DOMISEDA.

Ubi *Amymonem* Libertinam, & Conjugem, non Servam Marci intelligo, de qua re Vid. Disc. 1. c. 4. *Domisedam* verò explico, quæ domi sedere, idest in publicum nunquam prodire amabat: Sic in Epitaphio Claudiæ apud Grut. pag. 769. n. 9. DOMVM SERVAVIT LANAM FECIT, ubi illud *Domum servare* non aliud est, quàm *Domi se servare*, seu *Domi abditam manere*. Sed ad principalem laudem redeo, quâ in nostro lapide Octavia Crescentina *antiqua vita vixisse* dicitur: Simile elogium exhibet lapis apud Manutium Ortogr. p. 591. *Memoriæ Cla. Fem. L. Peducææ. Julianæ. Morib. Natal. Ac Pud.* [i. e. moribus, natalibus, ac pudicitia] *Priscis. Iulustribusque. Femi. Comparandæ &c.* Texuit etiam Uxori Macrini Plinius l. VIII. ep. 5. *Grave vulnus* [inquit] *Macrinus noster accepit: Amisit Uxorem singularis exempli, etiamsi olim fuisset: Vixit cum hac annis* XXXIX. *sine jurgio, sine offensa*: Antiquis autem moribus enitere, sive antiquâ vitâ vivere is propriè dicitur, qui animi candore simplicitateque ita excellit, ut nocere ipse nescius, sui instar alios omnes innocentes arbitratur. Cicero ad Attic. l. 9. 15. *Vide* (inquit) *quam sim antiquorum hominum*, ubi Victorius: *idest simplicis ingenii, & minime callidi, quales antiqui homines erant. Græci* ἁπλοῦς: Sed & ipse Cicero pro Sex. Roscio eòdem rem deduxerat, nam *cap. 9.* refert revocatos Legatos Amerinos, qui Sullam adibant contra spoliatores bonorum Roscii eo quod hi callidè promitterent, se bona restituturos, quorum promissis fidem præstitere Legati *Homines antiqui, qui ex sua natura cæteros confingerent*.

Digitized by Google

Infra Forum Venale Viâ rectâ.

17. C. MODIVS FELIX
ET C. MODIO FELICI
FIL. ET COCCEIO
SILVINO FIL. NA (a)
TVR. ET MODIO
RENATO LIB. ET
SATTIAE SILVIAE
VXORI VV. SS. F
CAESIAE VENERI

Propè Ædem Vectigalium vulgò *Doganam*.

18. D. M. S
L. TREBONIO
BENEVENTANO
QVI VIXIT. AN. XXXVI
ME. VII. DIEB. QVINQVE
LOLLIA EVFROSINE
MATER ET PATER (b)
B. M. F

In Porticu DD. Sellaroli.

19. FONTIA AVRVRA CONCVBINA

In S. Sophiæ, & ap. Grut. p. 725. n. 3.

20. A. CASTRICIO
ACHILLEO. PATRI
CALCIAE. ISIDORAE
MATRI
CASTRICIA. FELICISSIM
PARENTIBVS
DVLCISSIMIS ET INCOM
PARABILIBVS
VI. PARENTES
FIL. FEC

Grut.

Propè Domum Verusiorum.

21. D. M
M. FVFIO
RESTITVTO
QVI VIXIT AN
NOS X. DIES VIII
FVFIVS RESTI
TVTVS PATER
FECIT

Propè Ædes DD. Rotondi.

22. Q. QVINTIVS
SATVRNINVS
QVINTIO SVO
PATRI

Gruterus p. 693. n. 6.

23. D. M
C. LICONIO
FELICI VIXIT
ANNIS XII. DIES

[a] Habet etiam hunc lapidem Gruterus pag. 696. num. 9. postremâ tamen lineâ deminutum, quam in subjecta sibi nota ex Cod. Redii sic affert: CAES. IA.. EVENERIT. At jam in nostro exemplari ad Autographi fidem integrum emendatumque modo habes. Ex hoc lapide eruditus Heineccius in Comm. ad L. Jul. & Pap. l. 2. c. 4. illud maxime comprobare conatur, filios naturales (qualem Coccejus Silvinus lin. 4. se prodit) nunquam Patris nomine appellatos, sed duntaxat Matris, cujus omnes liberi tam naturales quam legitimi ejusdem sunt juris: Itaque C. Modius Felix *cum ex Silvia & legitimum, & naturalem filium habuisset, illum suo, hunc matris nomine Silvinum appellat*. Sed Vir doctus Gruterianum exemplum sequutus frustra ex nostro lapide [an etiam ex aliis?] rem suam tuetur: quî enim fieri potuit, ut ex eadem Silvia, quæ Uxor expresse dicitur, duos eque filios, alterum legitimum, i. e. *Modium Felicem*, alterum naturalem, i. e. *Coccejum Silvinum* susciperet? Nam etsi posterior hic ante justas nuptias editus fuerit, ex subsequenti deinde matrimonio jure Civili æque legitimus evasisset. Sed nodum jam solvit lapis; ex cujus postrema linea *Cæsiam Venerem* Heineccio ignoratam prodire nunc videmus: atque hæc quidem C. Modii concubina eidem Coccejum filium naturalem peperit, postremo loco ideo memorata, quod Sattiæ Uxori, Matrisfam. prærogativâ gaudenti, concedre deberet: Non autem sibi illa, quod Concubina declararetur, aut Coccejus, quod filius naturalis diceretur, ullam infamiæ notam accipiebant, quandoquidem jure Ethnicorum non turpe erat Concubinæ nomen ut heic n. 19. videsis eund. Heinecc. l. l. Sigla penultimæ lineæ VV. SS. F. (quæ male Gruterus sejunxit sic V. V. S. S. F.) ita explicanda censeo: *Vivi Sibi Fecerunt* geminatis de more primis literis singularibus ad multitudinis numerum indicandum.

[b] Extat etiam apud Gruter. p. 710. n. 2. qui lin. 4. habet XXVI. lin 7. pro *Pater* legit *Frater*. ac postrema sigla B. M. F. omittit: omnia contra lapidis fidem, qui (ut dixi) lin. 7. *Patris* non *Fratris* vocabulum inscriptum planè exhibet, in quo [quum solius Matris nullum vero Patris certum nomen expressum sit] notandum aliquid nobis omninò offert; quid enim? quum Matris nomen duntaxat inscriptum legatur, cui mox *Mater & Pater* adjectum est, an fortasse Lollia Eufrosina utrumque sibi attribuere voluit? Verisimile id videri poterit, si Trebonius ejus filius vulgò, aut ex damnato coitu susceptus *Patrem demonstrare non poterat, vel poterat quidem, sed eum habebat, quem habere non licebat, ut loquitur Modestinus* in l. 23. *D. De Statu Hominum*: Itaque Lollia, quæ Mater ei fuit, etiam educatione, adfectione, aliisque Paternis officiis Pater simul dici fortasse voluit.

Digitized by Google

Grut. p.705. n.11. FleetWood p.252. n. 4.

24. D. M (a)
L. SCERINI. ANNAEI. AFRICANI
FIL. DVLCISSIM
QVI. VIXIT. ANN. XII. M. VIII
DIES. X
PARENTES. INFELICISSIMI. AMISSIONE
EIVS. PERPETVIS. TENEBRIS. ET. QVOTI
DIANA. MISERABILI. VLVLATIONE. DAMNATI

Viâ Soricea, & apud Gudium p.248. n.2.

26. D. M. S
C. VMBRI
PRIMI QVI
VIXIT ANNIS
X X. MENS. VII
VMBRIA FELICITAS
MATER FILIO DVLC
B. M. F

Ad Æd. Sacram PP. Jesuitarum.

28. D. M. S
DVNLIO CRESINIO
OPPIA SECVNDI
NA CONIVGI INC
CVM QVO VIXIT
ANNIS XV. S. V. Q
B. M. F

i. e. Sine Ulla Querela Benemerenti Fecit.

Propè DD. Rotondi.

29. D. M
C. HELVIVS PRI
MILLVS . . . D. V
C. HELVIO PRI
MILLO
B. M. F

Ruri DD. de Pascale.

25 D. M (b)
M. CASCELLIO SECVN
DO PATRI
C. CASCELLIAE ERONE
MATRI
M. CASCELLIO CRESCENTI
FRATRI
M. CASCELLIO SECVNDO F. V. A. XIIII
M. CASCELLIO CRESCENTI F. VIX. AN
VI. M. VI. M. CASCELLIO SECVNDO F
VIX. AN. I. M. X
M. CASCELLIVS SECVNDVS
FECIT

Propè Ædes Verusiorum.

27 D M. A. VIBIO OPTATO
QVI VIX. AN. X. M. X. D. XXIX
PARENTES INFELICISSIMI
FECERVNT

Ad dirutam Ædem Parochialem S. Petri.

30. D. M
C. LVCCIO
RVFINO
LVCCIVS
DEDEMPTVS
AEPIDIA SE
CVNDINA F
RATRES FIEC
CERVNT Q. V
AN. VI. M. VIII. D. X

Notanda heic *Fratris* appellatio etiam Sorori communis; nec non barbara illa vox lin. 8. & 9. *Fieccerunt*

In Turri

[a] Habes heic loquentissimè, an etiam eloquentissimè expressum Parentum dolorem ob præcox filii fatum: Damnatos sese perpetuis tenebris queruntur tanquam *Orbi*; & sane ex orbitate oculorum desumpta est Orbitas illa, quam Parentes amissis filiis subire dicuntur. Festus; *Orba est, quæ Patrem, aut Filios quasi lumen amisit*; & Isidorus etym. x. *Orbus, quod liberos non habet, quasi oculis amissis*. Oculorum enim loco filii æstimantur, ac cariores haberi solent; Libeat ex S. Historia simillimum exemplum hùc deducere, ubi Tobiæ X. Annam audimus erga absentem filium hæc tristia verba fundentem; *Heu heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum*: atque ex his, cur perpetuis tenebris, L. Scerino mortuo, ejus Parentes damnatos se dicant, jam rectè intelligimus: ob eandem quoque caussam *quotidianam* se agere *ululationem* subdunt: Ea enim Parentum amori erga filios vis est, ut iis præsentibus summo gaudio, ac voluptate, amissis verò, perpetuoafficiantur mœrore, quem nulla dies delere, aut etiam levare potest, ut de eadem Anna Tobiæ Matre, ac præterea de Jacobo Josephi Patre eadem Sacra Historia commemorat. Ululationis autem vocabulum satis aptè, eleganterque adhibetur ad significandum inconditum illum clamorem, qui in summo animi dolore ob funeris acerbitatem edi solet: Hinc ad eam rem familiare Virgilio *ululandi* vocabulum fuit, ut Æn. 2. 488. 9. 477. 11. 190. & alibi sæpe.

[b] Cascellia Gens in Grutero satis nota: Hanc Beneventi etiam consedisse præsens monumentum testatur, in quo plures Cascellii nobis exhibentur, quorum arbor sic explicandus videtur: M. Cascellus Secundus, qui in fine lapidis memoratur, monumentum fecit tum suis parentibus M. Cascellio Secundo, & C. Cascelliæ Erone, tum M. Cascellio Crescenti fratri: Adhùc ipse tribus suis filiis idem monumentum posuit, nempe M. Cascellio Secundo, M. Cascellio Crescenti, M. Cascellio Secundo, quorum unus Patrui, reliqui Avito, Paternoque cognomine æque appellantur: At quomodo, inquies, in una familia, atque domo tot M. Cascellii Secundi inter se distingui poterant? De filiis jam mos obtinuit, ut omnes prænomen paternum, nomenque familiæ comune acciperent, cognomen etiam paternum eorum primus, ut Patrem undequaque referre videretur: Duo autem filii heic eodem Patris cognomine ideo appellati fuisse videntur, quod eorum alter præmortuus nascenti alteri paternum cognomen rursus assumendum reliquerit: Certè qui M. Cascelli Secundi filii in hoc lapide habentur, ambo præcoce fato sublati Patrem superstitem reliquerunt; alterius autem obitus alterius nativitatem præcessisse censendus est.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In Turri marmorea S. Sophiæ.

31. MARONI ALVMNO (*a*)
C. CALPHVRNIVS LAVSVS
DOMINO DILECTVS
QVOQVO IRET SEMPER COMES
POCVLI MINISTER
DOCTVS PALESTRAE PVER
sic AEQVES
SEPVLTVS HIC SVM
NATVS ANNOS OCTO ET DECEM

Fabrettus p. 349. è ſchedis Barberinis.

35. ZMARAGDO
IVLIA C. F
TREBONIA
ALVMNO
PIENTISSIMORVM
PIISSIMO
ET DVLCISSIMO

In Sarcophago Marmoreo
è ſchedis Veruſii.

32
VIXIT ANN. XIIII
M. VIIII. D. II. A. IGNIVS
FELIX DOMATIA QVIN
TILLA QVI AMARVNT
ALVMNVM SVVM

Gruter. p. 656. n. 11.

33. AELIAE
RHODINE
AELII . PAN
THIA . ET . PIS
MATIVS . ALVM
NAE . B. M. F

Ad S. Lupi. Muratpr. p. 861. n. 7.

34 VALERIO HELIODORO Q. V. A
XXX. M. VII. D. XI. IVVENI PROBISSIMO
AC FIDELISSIMO VALERIVS CLAVDIVS
EVOK. ALVMNO DIGNISSIMO B. M. F

Grut. pag. 658. num. 1.

36
M. COSINIO CRISPINO
COSINIA MAXIMINA
FILIO INCOMPARABILI FECIT
ET Q. MAELIO MODERATO COIVGI
ET M. COSINIO OECOGENI ALVMNO
ET SIBI

Id. Murator. p. 1538. n. 4.

37 FVRNIA PRIMA
AEMILIO ZANVARI
O ALVMNO ET LIBERTO
PIISSIMO BENEMEREN
VIXIT ANNIS XVIIII. M. II

In Ædib.

[*a*] V. C. Fabrettus cap. v. pag. 349. num. 21. duas hujus lapidis priores lineas tantùm habet, aitque extare Romæ Hortis Juſtinianeis, ut proinde Fabrettianus lapis alius à noſtro cenſendus ſit. Qui propriè apud Veteres dicerentur Alumni non dum conſtat: Alii enim ingenuam, alii ſervilem conditionem ſuis nominibus præ ſe ferunt, ut ex hiſce noſtris lapidibus ſatis probari poteſt: Utroſque in ſuas Claſſes, pluribus allatis inſcriptionibus diſtribuit Fabrettus: Mediæ conditionis Claſſis erit quoque conſtituenda, eorum nempe Alumnorum, de quorum ſtatu dubia erat juris diſpoſitio: Plinius, dum Pro-Conſ. Bithyniæ eſſet, hæc ad Trajanum ſcribit lib. x. ep. 71 *Magna Domine, & ad totam Provinciam pertinens quæſtio eſt, de conditione, & alimentis eorum, quos vocant* θρεπτους. & is reſpondet: *Quæſtio iſta, quæ pertinet ad eos, qui liberi nati expoſiti, deinde ſublati à quibuſdam in ſervitute educati ſunt, ſæpe tractata eſt*: & ambigens ipſe quid reſpondeat, *ideo* (ſubdit) *nec adſertionem denegandam iis, qui ex ejuſmodi cauſſa in libertatem vendicabuntur puto, neque ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum*: Hos propriè Alumnos appellatos decernit Lipſius, eruditeque probat epiſt. 85. cent. 1. ad Belg., eos nempe, qui recens nati a parentibus publico loco expoſiti, ab aliquo piè ſublati alebantur. Quarto loco Alumnos vocari filios ex Concubinis ſuſceptos multorum ſententiam eſſe affirmat Briſſonius De Verb. Signif. lib. 1., atque ita accipiendam notat ſententiam memoratam in l. 16. §. 1. D. *De his, quæ ut indignis &c.* Sed nulla apparet ratio, cur filii naturales Alumnorum vocabulo aliquando appellari poſſent, nam quod iis alimenta præſtantur, generalis ea cauſſa eſt, quæ aliis æquè convenit, qui in eadem domo ab eodem Patrefamilias aluntur: Cæterum ſervilem conditionem Alumnæ tribuit Juſtinianus, qui illam libertate donatam juſtas cum ſuo Altore nuptias contrahere poſſe declarat in l. 26. Cod. De Nuptiis: *Si quis* (inquit) *Alumnam ſuam libertate donaverit, & in matrimonio ſuo collocaverit .... nos vetuſtam ambiguitatem decidentes non eſſe vetitum matrimonium cenſemus ... nec enim homo ſic impius invenitur, ut quam ab initio loco filiæ habuit, eam poſtea in ſuo collocet matrimonio, ſed ei credendum eſt, qui eam & ab initio non uti filiam educavit, & libertate donavit*: Ex qua Iuſtiniani lege amplius mihi probatur, ac omnino verior videtur Lipſii ſententia, ut Alumni ii propriè ſint, qui a Parentibus expoſiti, ab aliis ſuſcepti educentur: Educatorum, autem, ſeu Altorum arbitrio (ut præclarè ex eadem lege colligitur) fiebat, ut Alumni modo tanquam ſervi, modo velut liberi educarentur; unde fuit, ut modo ſervitutis, modo libertatis nomina ferrent: hinc etiam tam frequentes quæſtiones inter hos Alumnos, ſuoſque Altores de eorum ſtatu, ut ex Plinio, ac ipſo Juſtiniano diſcimus: Cum autem Altoribus eos in libertate educare libuiſſet, loco filiorum ipſis fuiſſe per anonymam quandam adoptionem (nullo tamen quæſito legitimæ adoptionis jure) declarat Juſtinianus, probatque noſtrorum temporum mos, quandoquidem ejuſmodi expoſiti, Alumnique ab Altoribus veluti in filios ſuſcipi, filiorumque nomine paſſim vocari ſolent.

[*b*] Literam Z pro S uſurpatam centies probant antiqui lapides, præſertim in hoc met vocabulo *Smaragdus* incaſſum reclamante Priſciano, qui *vitium eos facere* docet, qui *Z. ante M. ſcribunt, nunquam enim duplex in Capite ſyllabæ poſita poteſt cum alia jungi conſonante*. Seb Z. pro I. adhibitam rariſſimi eſt exempli, nam præter noſtrum lapidem heic n. 37. ubi ZANVARIVS pro IANVARIVS, vix ZESV pro IESV invenire eſt in Indice Gruteriano eorum, quæ ad rem Grammaticam pertinent.

Digitized by Google

In Ædib. Medici Josephi Buonanni. (a)

38.



In Ædibus Seminarii, olim Parziale.

39. L. TVRSELLI . PRISCI . VIXIT
ANN. XIII. M. XI. C. L. MAXIMA
MATER FECIT

Sigla C. L. in lin. 3. explico Caj Liberta *quæ contra morem sibi Maxima præcedere voluit, nisi verius omisso nomine Maxima cognominis loco sit.*

Gruter. pag. 686. n. 5.

Domi Horatii Cardone.

40. HAVIO APRO
QVI VIXIT ANN
XII. M. VII. D. V
HAVIVS VMBRIVS
FORTVNATVS PATER
FEC

41. D. M
MANLIO APRI
CVLO MAEVIA SA
BINA CONIVGI
B. M. F

In Ædibus Seminarii.

Prope Æd. DD. de Aquila.

42. Q. CONCORDI
O PRIMO QVI
VIXIT ANNIS
V. MEN. VII. D. XX
MATER FILIO
CARISSIMO FEC

43. A. CVRTI PRIMI
ANI QVI VIXIT
AN. XXXIII M. VI
NAIVIA OPTATA
MATER

Naivia pro *Naevia* adhibito græco Dipht. AI.

Prope Collegium PP. Jesuitarum.

44. (b) M
M. TREBVLANI
GAGILI . TESES
FORIANI . F. DVL
QVI . V. A. XIIII. M
VI. D. XII. TREBV
LANVS . TELES
FOR. ET . MATRIA
GAGILIA . PAR. INF

Prope Æd. olim Sellaroli.

45.

L. TAVTONIVS L. L. ERCHASINVS
SIBI ET
L. TAVTONIO L. F. STEL. PROCVLO
VIXIT ANNOS XXVIIII
QVINTIA GRATA

In Arce Civitatis.

46. D. M
M. METILIO E
MINEO VALE
RIA PRIMA CO
IVCI CVM QVE *sic*
VIXIT AN. XV. M
III. DIE XX. B. MF

In Di-

(a) Mirum adeo rudibus, atque inconditis characteribus inscriptam esse hanc Parii marmoris columellam satis eleganter elaboratam: Verum non ejusdem fortasse ætatis (ut observavit quoque cl. Lupus in epit. S. Sev. p. 139. ad Urnulam octogonam) est epitaphium, & sculptura, aut sane, non idem est grammatice scribere, & affabre sculpere. Igitur in lin. 1. litera M. anteriori ductu caret, ut etiam litera N penultimæ lineæ eodem defectu in V. evadit, nam pro SECVNDVS scriptum est SECVVDVS: Item græcum λ pro omni pene latine A usurpatur, quod frequenter in aliis saxis factum occurrit, eumque scribendi morem illustrat Eq. Sertorius Ursatus in marm. erud. ep. 7. linea 4. habetur CONIVCI cum C. quæ sane dictio in nostris lapidibus mirum est, quam varia barbarie fere semper scribatur in titulis sepulcralibus, ut in hac classe vides. Negotium tamen nobis facessit Mariti nomen post Cai prænomen lin. penult. inscriptum. VIBIVS legi potest adhibita primo loco B. pro V. scribendi more veteribus passim recepto, ac gemino II. pro simplici I. usurpato: Sed verius fortasse BEBIVM legerim: Bebia Gens in Gruteri thesauro notissima est: præterea ut ex ejusd. Gruteri Indice Grammaticali constat, nihil usitatius in antiquis saxis, quam duplicem II loco E scribi: Exemplum heic habes class. 3. n. aliorum loco sufficiat lapis Aquilejensis apud doctum Bartolium p. 337. n. 488. PALATINO FL. ANTIO CONIVGI BIINII MIIRENTI. Vide alios apud Manut. de not. explan. lit. B. p. 19. Miror itaque eruditum Oliverium in Marm. Pisaur. p. 142. ad lapidem Tudertinum ubi legitur: C. SVRIINVS L. F. &c. clariss. Passerio, qui eum ex Archetypo descripserat, non omnino fidem suam accommodasse, quod is ob litterarum corruptionem veram lectionem agnoscere nequiverit, unde C. Severinum ibi legendum Oliverius censet: Sed quovis pignore contenderem Suriinum ibi sculptum, rectèque a Passerio descriptum: itaut duplex II loco E. adhibitum (quod promptum fuerat Oliverio animadvertisse ex altero lapide, quem *affert n. 90. ubi est* FIICIT *pro* FECIT) jam tandem C. SVRENVM nobis omnino exhibeat. Certe C. SVRIINVS in eodemmet lapide legitur apud Murat. p. 525. n. 2. qui tandem Inscriptionem ex Comite Francisco Campello emendatè descriptam habuit, nam quæ apud Oliverium sic legitur. C. SVRIINVS L. F. ANISIME CAARI MEM. ubi vir doctus Tribum Anienſem rectè suboluerat; jam demum apud Muratorium sic legitur. C. SVRIINVS. T. F. ANI. SENECA. ARIMINI &c. Sed pro *Surenus* nihil vetat, ut ibi *Surinus* legi queat: Vocales geminare veteres nonnunquam solitos satis constat: Surina autem Gens apud Gruterum, & Muratorium nota.

(b) Deorum appellatione multati sunt in hoc lapide *Manes*, quod haud temporis injuriæ, aut Quadratarii consilio, sed fortasse oscitantiæ tribuendum est: non enim solitarios Manes initio titulorum sepulcralium adhuc legisse contigit: Lapidem autem sic accipio: *Manibus M. Trebulani Gagilii Telesforiani Fili Dulcissimi qui vixit an.* XIIII. *Mens.* VI. *Dieb.* XII. *Trebulanus Telesforianus, & Matria Gagilia Parentes Infelicissimi*: Itaque M. Trebulanus Gagilius Telesforianus præter paterna nomina, etiam maternum Gagilii assumpsisse videtur.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

In Diverſorio è regione S. Franciſci, & apud Muratorium pag. 1139. num. 6.

47. D. M (*a*)
AVRELIO
HERCVLANO
QVI VIX. ANN
VII. M. V. D. XVII
M. AVRELIVS
ALEXANDER
FILIO DVLCIS
SIMO CVI MORS
ACERVA
CESSIT

Ad S. Petri extra mœnia.

49. D. M
CONCORDI
FORTVNATI
LOLLIVS FILIVS
PATRI B. M. F

In atrio Ædium mearum. Vid. in Præloquio pag. 9.

48



Ibidem.

50. C. PVLLIDI
VS ASCLEPI
ODOTVS
V. S. F
i. e. Vivus Sibi Fecit

In Via vulgo *Pontile*, qua itur ad Portam Auream.

51. AGATHOBO FILIO
MODESTVS
PATER

In Æd. Petri Pauli Roſcii. Vid. Cl. IV. n. 11.

52. L. STAIO HE
RODATO
QVI VIXIT ANNIS
V. MENSIB. VIIII
DIEB. XV
L. STAIVS L. F. RV
TILIVS MANILI
FRATRI DVL
CISSISSIMO

Ibidem in ingenti marmore tres tituli ſeparatim inſcripti.

53

D. M TREBELLIV S AVRELIV S P. . . . . QVI VIC X IT AN. X. M III. . . . VRA . . . MAT. . . .	Heic ſculpta ſunt ornamenta D. M	D. M . . . .

Apud Gruterum pag. 679. num. 9.

54. D. M (*b*)
M. CRASSO SATVRNINO
M. CRASSVS FORTVNATVS
FILIO CARISSIMO
QVI VIXIT ANN. XIII
M. X. DIEB. III
DVCI FECIT ITV AMBITV
DO

Sub

(*a*) Notanda ſunt poſtrema lapidis verba: *cui Mors acerva* [pro *acerba* more illo, quo veteres literas V. & B. promiſcue in dictionibus commutabant] *ceſſit* pro *contigit*; & vere ac recte acerba mors, quæ ſeptennem filium e vivis ſuſtulit.

(*b*) Præter noſtrum lapidem pluries occurrit apud Gruter. hæc formula ſepulcralis: ſic p. 593. n. 5. IN FR. P. XXXV. IN AG. P. XXXV. ITV. AMBITV. AGVAE. PRAESTANDV... Item p. 798. n. 6. FECERVNT. ITV. AMBITV. POSSIDERE LICEAT. Pomponius in l. v. d. De Sepulcr. viol. *Utimur* [inquit] *eo jure, ut Dominis fundorum, in quibus Sepulcra fuerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum Sepulcrorum ſit jus; legibus nanque prædiorum vendendorum cavetur, ut ad ſepulcra, quæ in fundis ſunt, iter ejus, aditus, ambitus funeris faciendi ſit. Videtur enim* [ita ad eandem rem Ulpian. l. 10. D. De Religioſ.] *hoc exceptum inter ementem, & vendentem, ut ei per fundum ſepulturæ cauſſa ire liceat*: Pulcre Cicero in Orat Pro Sex. Roſcio: *Mors* [ait] *florentiſſimi hominis Sex. Roſcii crudeliſſima, filii autem egeſtas indigniſſima, cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquit*. i. e. illud quoque abſtulit, quod alicui ſemel quæſitum nullo modo deinceps auferri poteſt, ſed ipſe quoque emptor præſtare tenetur: Hinc Gruteri lapidem emendo, ubi illud: ITV AMBITV ACVAE PRAESTANDV.... quod Scaliger in Indice Hiſtorico ITV AMBITV AQVAE PRAESTANDAE perperam explicat, ita legendum, & ſupplendum cenſeo: ITV AMBITV A QVO PRAESTANDVM ERIT, ſive idem ſit fundi ac ſepulcri dominus, ſive fundus in alienum dominium aliquando pervenerit. De Itu, ſeu itinere ad ſepulcrum clara res eſt, quam etiam illuſtrat Kirchmannus De Fun. lib. 3. c. 22. De Ambitu vero fruſtra apud eum quæras. Ambitus igitur docente Varr. de l. l. IV. *iter eſt* quod circumeundo teritur, quam vocem eod. ſenſu adhibet L. XII. Tab. *Ambitus Parietis ſex tertius pes eſto*: i. e. duo pedes, & ſemis cuique ædi quaqua verſus liberi ſint, ut circumire eas quis poſſit, quod avertendorum incendiorum cauſſa cautum fuit: Vid. Briſſon. Antiq. l. 1. c. 1. & 3. & Cujac. obſerv. l. 13. c. 36. Non Itus itaque ſolus, redituſque, verum etiam Ambitus ſepulcris debebatur, ut ea ſcilicet ſacrificii, vel alterius rei cauſſa circumire quis poſſet: Ita apud Donium, cl. VI. n. 188. H. M. N. ITV AMBITV SACRIFICIV FACIENDV i. e. *Huic monumento noſtro Itus Ambitu Sacrificium Faciendum*. & apud Muratorium p. 1345. n. 12. ITVM ADITVM AMBITVM VSTRINAE SACRIFICII CAVSSA.

Digitized by Google

Sub Arcu Pontis Caloris, & apud Reinesium.

55
C. IETVELLIVS Q. F. FAB (a)
LEVIVS MONVMENTVM FACEIV
CVRAVIT SEIBI ET VXORI SVAE
EPIDIAE P. F. NERIAE
EIDEQVE PROBAVIT

Reinesius gag. 754. num. 114.

56
D. M (b)
C. OFILI MODESTI
QVI IDEM ET ASYARAGIVS
CVM QVO VIXI AN. XVII
CAESIA MONTANA
CONIVGI B. M. F

Gruterus pag. 804. n. 2.

57. D. M
C. MANIO
PRIMIGENIO
MARIA IANVARIA
CVM QVO VIX
ANN. XXXVI. M. III
CONIVGI B. M. F

Idem pag. 986. num. 12.

58. C. NONIVS C. L. CHILO SIBI ET
M. POSTVMIO M. L. DASIO FRATRI SVO
ARBITRATV
C. LVCCEI C. F. MAXIMI

Ruri vulgo *Pantano* ad ædem Rusticam *de Gentile*.

59. D. M. S
SPEDIAE SIVE
CERRINIAE
CELERINIAE
C. LICONIVS
CELER CON
IVCI BENEME
RENTI CVM
sic QA VIXI ANOS *sic*
XXXXVII. M. VIII
SINE VLLA QVERELA

E schedis Viglioni.

60. M. MAMIDIO
MODESTIO AFI
NIA LIBERALIS
CVM QVO VIXI A
X. D. VII. COIVCI
INCOMPA. B. M. F

Prope Æd. DD. Rendina, nunc Recupito.

64. D. M
Q. TITVLEIO
MARCELLINO
CONIVG. QVI
VIXIT AETATI *sic*
ANN. XLV. ET
MECVM AN
NIS XVIIIS *i. e. an.* XVIII *& Semis*
MVNATIA FEL
ICITAS CONI *i. e. Conjugi*
BENEMEREN
FEC

Prope Æd. olim de Abate.

62. L. EGNATIO
P. F. VARANO
IN F. P. XII
IN A. P. XII

61.
D. M
IVSSIDI PRIMI
. . . . . .
. . . . . .
MANDA
COGI CVM QVO
V. A. XVII. M. III
ET IVSSIDIA
i. e. Filia.

In horto PP. Augustinianorum.

63. D. M
D. VETTIO PRIMO
VIBIA QVETA
SOROR FRATRI
B. M. F

In exteriori gradu Ædis de Gentile ad D. Petri.

65. M. SASSIVS. F. Q. SASSIVS. M....

(*a*) Importunior quam umquam Reinesius in corrigendo hoc lapide fuisse videtur: nam lin. 1. pro *Ietuellius* legit Lentuellius, ac mox ex postremo FAB ejusdem lineæ, & LEVIVS sequentis confingit FALENIVS, fugitque illum plane ipsa, & vera interpretatio utriusque distinctæ dictionis, ut in prima præclare exprimatur Tribus FABIA, in secunda LEVII cognomen. Fastidiosior adhuc in postrema dictione lin. 2. ubi pro FACEIV emendat FIERI, quasi illud FACEIV non sit optime scriptum in lapide, i. e. FACIVNDVM addita E ante I veterum more, qui huic lapidi familiaris est, ut in SEIBI pro SIBI lin. 3. & EIDEQ lin. 5. pro IDEMQ. In hac autem lapide multæ adsunt Archaismi notæ, nam præter ipsum EI pro I. ter adhibitum, & Tribus Fabia occurrit, & solennis illa formula *eidemque probavit* in posterioris ævi saxis nunquam usurpata, de qua videndus doctiss. Brisson. de Formul. lib. 8. c. 46.

(*b*) Divinat etiam in hoc nostro lapide Reinesius qui lin. 2. pro *Asyaragio Asiranium* substituit: sed misso Reinesio præstat potius superadditum ipsum Cognomen animadvertere, quo C. Ofilius Modestus appellatus fuit: etiam veteres (ut modo non raro fit) additiiis hisce cognominibus, quæ nos *Soprannomi* dicimus, notari solitos constat, nec viros tantum, verum etiam fœminas, quarum unam etiam hæc ipsa pagina exhibet n. 59. nempe SPEDIAM SIVE GERRINIAM. Sic etiam apud Donium cl. x. n. 16. Crepereja L. F. *Epicteſis quæ & Oloſcrica*, & apud P. Lupum in epit. Sev. p. 117. *Aurelia Secundina quæ & Luticurria*: Rem jam olim observavit cl. Fabrettus cap. 3. n. 21. p. 145. Num vero cognomina illæc sibimet quis imponeret, valde dubito: nonnunquam ex aliqua animi, aut corporis virtute, vitiove, vel quapiam alia de causa a suis popularibus cuique affixa potius crediderim: Sic *Luticurria* Lupi (ut doctus Auctor opinatur) *a velocitate currendi per lutum* sive verius, quod neque lutulentis viis in publicum prodire, vagarique prohiberetur, hoc sibi novum cognomen peperisse potuit. Sic etiam *Creperejam* Donii, quod *Holoſericis* vestibus vanitate muliebri plus æquo delectaretur, *Oloſericam* vocitatam crediderim: quæ quidem cognomina semel affixa, vulgique ore jam frequentata, ita illius, cui attributa erant, propria evadebant, ut ad illum certo certius indicandum, etiam publicis monumentis inscribi opus esset. Vid. Malvas. Marm. Felsin. p. 460. Hos vero, quibus duo nomina, seu cognomina æque propria erant, Binomines, aut Binomios recte dixeris.

Digitized by Google

Domi Joſephi de Marco.

66. VESVELLIA HILARA
SIBI ET
C. PVLLIO PAMPHILO
VIRO SVO ET
VESVELLIAE EVROPAE

Prope Æd. olim de Moſcarellis.

68. HISPANIAE
POMPONIAE
Q. V. A. XXVIII. M. X
D. XI
CONIVGI INCOM
PARABILI
PONTIVS PRISCVS
MARITVS B. M. F

Ibidem.

69. D M
ALEXANDRIAE
V. A. IIII. M. II. D. III
D. M
PRIMI
D. M
CELERINI

Videbatur in Sepulcro Archiepiſcopi Capoſerri.

70 AVRELIAE
HAMMONI
AE CONIVGI
KARISSIMAE
TYRSELIVS
MAXIMVS
BENEMEREN
TI FECIT

67. In atrio Ædis DD. De Compare. (a)

In plano Curiæ.

74. D. M
TITVLEIAE CAPRE
OLAE
TITVLEIVS VRSVLVS
FECIT

Murator. pag. 1191. num. 11.

Ad Portam Auream in Via ſiniſtra.

76. D. M
M. MVNATI
FELCISSIMI
QVI. V. A. XV. M. VI
D. X. MVNATIVS
AEMILIANVS. ET EPVRIA
CAPREOLA. PARENT

In limine Portæ Arcis, & apud Grut. pag. 829. num. 6.

71. D. M
SPEDIAE APVLAE QVAE
VIX ANN. XXXII. M. VI
D. VI
C. VMBRIVS. PRIMVS
CONIVGI. INCOPARA
BILI. FEMINAE. CVM
QVA VIX. ANN. VII. M
VII. D. VII. B. M. F

In Ædib. DD. De Cillis.

72. AFINIA
ATTICAE BE
NEMERENTI

Appianus pag. 124.

73. VESONIA D. L
ATTICE
LOCY SVO
ET L. VESONIO
INGENVO V. SVO *i.e. Viro Suo*
IN F. P. XII
IN A. P. XII

In Æd. DD. de Sabarianis, & apud Murator. p. 1351. n. 8. qui ſic habet: *Beneventi in tertia via e ſchedis meis.*

In averſa parte.

75

D. M
HERENNIAE
VRANIAE
M. CAECIVS
TINTINNABOLVS
CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT

D. M
TINTINNABOLVS
VRANIAE
BENEMEREN
TI FECIT

Idem p. 1147. n. 11. apud Sanctimoniales S. Petri.

77. BETTIDIAE
PLOTINAE *i. e. Caj Plotini*
C. P. FILIAE *filiæ*

In Turri

(a) Quid ſit nota illa in hujus lapidis fronte inſculpta, ignorare me fateor: non enim alibi exemplum occurrit: Nexus videtur duarum literarum C. & F., quæ ſigla *Caj Filium* ſonare ſolent; at quid opus M. Furio, ut eo loco, atque adeo latenter ſe Caj Filium proderet, quod poſt ſuum nomen commode ac de more præſtare poterat? An vero Cenotaphii, aut Cepotaphii vox ibi expreſſa? Certe Cepotaſium pro Cepotaphio aliquando ſcriptum docent lapides apud Vignol. p. 330. & apud Donium cl. II. n: 178. idque ſepulcrum erat in Horo conditum a κῆπος Hortus, & τάφος ſepulcrum, quale Domini Noſtri Jeſu Chriſti fuiſſe recte obſervat cl. Gorius: hinc M. Furius ejuſmodi generis ſepulcrum ab ſe conditum ea nota fortaſſe indicare voluit: ſed meliores conjecturas, aut divinationes expectabimus: notandum interim M. Furii cognomen IERAX, quo olim Antiochum Seleuci Callinici Regis Syriæ fratrem appellatum ſcimus ex Juſtino l. 27. c. 3. propterea quod oblata Regni parte non contentus, totum Fratri eripere cupiens non hominis, ſed *Accipitris* indolem in alienis eripiendis præſeferret. Sed cum de cognominibus jam ſermo ſit, eorum aliqua notatu digna in hac pagina conjeci, ut illud pateat, quantum in hac re humanum ingenium curioſe ſe habuerit; *Scrutabitur* [inquit Quintilianus 1. 4.] *Præceptor acer origines nominum, ut quæ ex habitu corporis Cicerones, Rufos, Longoſque fuerunt* [*niſi erit aliud Secretius Sylla, Burrhi, Galbæ, Planci, Panſæ, Scauri, taliaque*] *& ex caſu naſcentium, hinc Agrippa, Opiter, & Cordus, & Poſthumus erunt, & ex iis, quæ poſt natos eveniunt, unde Vopiſcus: Jam Cottæ, Scipiones, Lænati. Sereni ſunt, & ex variis cauſſis*; inter quas muliebris ingenii vanitatem nunc accenſebimus, quæ ex Provinciis, Nationibus, illuſtribuſque Vrbibus propria ſibi cognomina adſciſcebant: M. Furii Ieraris uxor *Provinciæ* cognomine decoratur; *Europæ, Hiſpaniæ, Atticæ, Apulæ, Alexandriæ* cognomine aliæ heic effulgent. Ad hæc *Ammonia*, & *Vrania* aliquid amplius majeſtatis ſibi vindicare ſtudebant. Vidimus p. XL. n. 10. *Aprum*, & *Vrſam* conjuges, nunc vero magis ridebimus heic n. 74. *Capriolam*, & *Vrſulum* matrimonio conjunctos.

Digitized by Google

In Turri Eccleſiæ Majoris.

78 L. VESONIVS ALEXAND
SIBI ET
CASSIAE M. F. PRIMAE
ſic BENEMERITIS EIVS

Prope Portam, quæ vocatur *Glorioſa* Eccleſiæ Majoris.

79 M. AVRELIO
FAVSTINO

Ad S. Petri extra mœnia.

80 D. M. [*a*]
VEIDIAE
FORTVNATAE
CONIVGI. MVNII
VITALIS. QVAE
VIXIT. ANN. CVM
EO XII. MENS. ....
QVAE SVPRAVI
XIT DIEB. ....
MVNIVS PROCV
LEIANVS COGNATAE
B. M. F.

In Collegio PP. Jeſuitarum.

81 TVRELIA Ↄ. L. FELIX DE SVO
FECIT SIBI ET SVIS
M. CAPRELIO M. L. CORCEO
VIRO SVO
M. TVLLIDIO M. AVCTO
FILIO SVO VIVA FECIT

E Schedis Viglioni.

82 L. FVLVI
A VIVIT *ſic*
IN FR. P. XII
IN AG. P. XV

Gruterus p. 828. n. 1.

83 D. M.
SESTIDIAE
FELICISSIMAE
SESTIDIVS. PRI
MVS. CON. BEN
EMER. FEC.

Prope Æd. olim de Lutii.

84 C. VMBRIO
VMENTI COIV
BENEMERENT
VIBBIA MARCELLA
FECIT.

Gudius p. 316. n. 11. ſub ſtemmate mulieris.

85 CAECILIA
SECVNDA

Idem p. 317. n. 21.

86 CLEPIANAE AVGVSTINE *ſic*
ſic
QVAE VISIT ANNIS LV
CLEPIANA SECVNDINA

In æde Cathedrali, & apud Gudium p. 302. n. 5.

87 DIDIAE PROCV
LAE C. TITI EVPORI
ANI VXORIS (*b*)
C. TITIVS VRBICVS
HERES BENEMAE *ſic*
RENTI

Ante novam Eccleſ. Carmelitarum.

88 AMARFIAE SECVNDI
NAE MVLIERIS IN HOC
. . . . . .
QVAE VIXIT ANNOS
XXV. MENSES VI. D. V.
G. NAEVIVS HAER
ES BENEMER. F

Muratorius p. 1723. n. 5. Beneventi extare ait è Scediis Farneſiis, Piſauri vero ex Schedis Jac. Valerii; non eſt inter marmora Piſaurenſia Cl. Oliverii, unde jure Benevento attribuetur.

89 Q. PASSERIVS ANTHIMVS
ET PASSERIA VICTORINA
SE. VIVI. FEC. SIBI. ET. SVIS
LIB. POST. EOR.
IN FR. P. X. IN AGR. P. X.

lin. 4. lege : Liberis Poſterisque Eorum

IN MOE-

(*a*) Non erit amplius dubitandum, *Cognati*, aut *Cognatæ* nomen ad *Levirum*, aut *Glorem* ſignificandos [ut modo apud nos Italos obtinet] Veteres etiam abuſive uſurpaſſe: Jam id olim animadverſum a Cl. Fabretto c. 3. p. 222. Comprobavit quoque doctiſſimus Mazochius in luculentis commentariis Kalend. Neap. ad XIIII. Aprilis ex actis Ss. Tiburtii, & Valeriani, in quibus S. Cæcilia Valeriani Sponſa hujus fratrem Tiburtium ſuum *Cognatum* vocat: Res tandem ex noſtro lapide non hactenus edito plane conficitur, ubi Munius Proculejanus Veidiam Fortunatam Conjugem Munii Vitalis (qui ſuus frater omnino fuiſſe videtur) cognatam appellat: Vocabuli [de cujus vera ſignificatione late, eruditeque de more agit Briſſon. de V. S. l. 1.] abuſum etiam melioris ſeu vetuſtioris latinatis ævo [ſecus ac putat Fabrettus] cæpiſſe oſtendit noſter lapis, ubi in Vediæ nomine diphtongus EI adhibitus fuit: Alios lapides, qui hanc Cognatæ ſignificationem tribuit, videſis apud Ill. Fabrettum, & Mazochium. Abellinatem dumtaxat Inſcriptionem huic recoquere libet, quæ ſic habet.

C. MAMERCIO SP. F
IANVARIO. Q. AED. PRAET
IIVIR. Q. ET
P. PACCIVS. IANVARIVS
FILIO NATVRALI. ET
MAMERCIA GRAPTE
MATER INFELICISS. FILIO
ET COGNATAE PIISSIMIS
FECERVNT

Ubi cum illud COGNATAE non ſit quò referatur, difficilem ejus lapidis explicationem fatetur Mazochius, quam ita procedere putat, ſi nomen ejuſdem *Cognatæ*, quod initio inſcriptum erat, intercidiſſe ſtatuatur. At jam olim eruditus Heineccius ad L. Jul. Pap. l. 2 c. 4. § 4. ad hunc lapidem obſervaverat Cognatæ nomen non ibi appellativum, ſed proprium fœminæ fuiſſe, uxoris forſan C. Mamercii, nam & alibi (inquit) *L. Cognata* & *Primigenius* Cognatus in lapidibus occurrunt: Sed Mazochii ſententiam magis probaverim, niſi quod ejuſdem Cognatæ proprium nomen non initio quidem, ut is putat, ſed poſt tertiam lineam inſcriptum omnino cenſeam, id profecto manifeſte indicante illo ET ejuſdem lineæ, cui ſequens linea non reſpondet, quodque ipſe Mazochius, ſive potius Gudius apud Gruter. p. 434. n. 4. importune ſatis in IT. correxit, ut eſſet *Quæſtor Iterum*, quum & præcedens Q. Duumvirum Quinquennalem exhibere recte queat. Sic profecto res ſe habet, quam plerique animadvertere negligunt, ut nempe deſcriptorum oſcitantia aut perperam legat, aut quæ legere deſperat, non indicet interjectis lacunis, quibus animadverſis eruditorum ingenia non adeo torquerentur.

(*b*) Ediderat hunc lapidem Fabrettus c. 1. n. 318. ſed tertia linea mutilum, quæ etſi non haberetur [eſt tamen in lapide] Eupori tantum pro Euporiani deminutum cognomen legeremus, ſed ejuſdem generandi caſu poſiti Didiam ſine alia adjectione Vxorem fuiſſe jam ſatis intelligeremus, ut alibi a me notatum: Cave tamen, ne Titi, quod lin. 2. legitur nomen a Tito deducas; eſt enim a Titio, cujus genitivus caſus uno I, ut cætera nomina in IVS, efferri ſolet: Hujus autem C. Titi Eupotiani C. Titius Vrbicus frater fortaſſe fuit, ac proinde Didiæ Cognatus, ſed utiliore Heredis titulo contentus eidem Didiæ Benaemerenti (quem diphtongum excluſit Fabrettus) monumentum poſuit.

Digitized by Google

L INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

IN MOENIBVS VRBIS AD PORTAM RECTORIS (a)

90

Gruterus pag. 999. num. 4.

91. T. VALERIVS T. L
PAMPHILVS
SIBI . ET . SVIS
IN FRON. P. XIII. IN AG. P. XIII
H. M. H. N. S

Sub Foro venali Via recta.

92. C. PETILIVS CHRISER
SIBI ET
CVRTIAE Ↄ. L. RESTITVTAE ET
L. CVRTIO Z. L. ZMARAGDO ET
CRVSTIDIAE REPERTAE

In muro Eccleſiæ è regione Collegii PP. Jeſuitarum.

93. L. NAEVIVS L. L
HERMA SIBI
ET COMINIAE
LALAVGE (b)

Effoſſa in novo Viridario ejuſdem Collegii.

94. OVANIVS Ↄ. L
AVCTVS SIBI
ET PATRONAE
IN F. P. XII

Prope Fornaces.

95. L. CORNELIO L. L
EVPOLI
ANNOS NATO VII

In Ædib. Medici Pacca.

96. L. MOLVI L. L
FLACT.....
CALENI PATRONI

Via Soricea.

Ibidem.

97
T. MARIO T. L. CHRESTO
SEXTILIAI G. L. CHRESTAI
LIBERTIS LIBERTABVS
VIVI FECERE

Prope Æd. DD. De Majo.

98. CAERIA Ↄ. L. ERA....
SIBI ET
CAESIO Ↄ. L. MODESTO
ET
.....AITIO FELICI ET
CAESIO Ↄ. L. AVCTO ET
.....COMMVNI

99
L. FREGANIVS
L. L. SATVRNINVS
SIBI ET FREGANIAE
L. L. HELENAE
FREGANIAE C. L
DIODORAE
SIBI ET SVEIS
IN F.P.XII.IN A.P.XII

In Turri Ducis Caſtripoli (c)

Gruter. p. 892. n. 17.

100. D. M
VIBBIAE PRIMA
E VIBBIA SAE *ſic*
CVNDA PA
TRONAE B. M. F

101. VALERIA . POLYNI
CE . ET . VETTIVS . PV
TEOLANVS . VIVI
SIBI . LIBERTIS . LI
BERTABVSQ. FEC

In mœnibus Urbis prope Nicaſtros.

102
SOCELLIAE Ↄ. L
OPTATAE

Extra

(a) Habet etiam Gruterus p. 987. n. 9. Sed hactenus deſiderabatur ſimulacri exemplum, quod modo heic vides. Epigraphes nihil ſepulcrale refert, ita ut potius honoris monumentum aliquod publice dedicatum non inepte opinari liceat; neque enim longiùs titulum progreſſum plane oſtendit ipſum opus, quod omnino ad hanc formam undequaque abſolutum conſpicitur: Sic igitur titulum ipſum lego. *Publius Oppius Auli Libertus* PAMphilus: ut jam mireris diverſo, quam Patroni Oppii prænomine Libertum Pamphilum contra morem vocari voluiſſe.

(b) Nomen, ſeu Cognomen hujus Libertæ Cominiæ ſcriptum quidem eſt LALAVGE adhibito nexu literæ V cum A ſecundæ ſyllabæ, uti diſerte habet Authographus; ſed [ſi quid aliquando audacter liceat] non dubito, quin ibi GLAVCE ſcribendum fuiſſet, quod inter Servilia muliebria nomina occurrit in *Leg.* 37. §. 1. *D. De Legatis* III. ubi etiam *Tichen* legitur, quam habes heic p. LVI. n. 169.

(c) Vibiæ duæ, nempe Patrona, & Liberta *Primæ* & *Secundæ* cognominibus diſtinguebantur; atque hæc quidem numeralia cognomina fœminis ſatis conſueta; cum enim omnes communi familiæ nomine æquè vocarentur [ut de Libertis quoque jam conſtat] neque eæ, niſi raro admodum prænomine uterentur, ex ordine naſcendi cognomina plerumque accipiebant: Heic vero non ad nativitatem, ſed dignitatem indicandam, *Primæ* cognomen Patronæ, *Secundæ* vero Libertæ, ad utriuſque Vibiæ diſcrimen uſurpatum videtur.

Digitized by Google

Extra Portam Auream, & apud Donium Cl. XI. n. 47.

103
MEMORIAE (a)
IVLIAE . PRIMAE . FIDELISSIMAE
ET . INCOMPARABILIS . FEMINAE
N. BLAESIVS . IVLIVS . DEXTER . ET . TIBERII
IVLII . CONCORDIVS . LVPVLVS . ET
MARCIANVS . FILI . MATRI . DVLCISSIMAE

In mœnibus Urbis prope Turrim S. Panari.

104
C. CALPENVS (b)
C. L. EVTICHVS
SIBI ET SVIS ET
SERVEIAE C. L
SPECVLAE
IN FR. P. XII
IN AG. P. XII

Ante Æd. de Cardone olim Biboctæ.

105
MEMORIAE
TOELI
SVCCESSI
AELII
MODESTINA ET
PARDVS
B. M. F

In Æd. olim de Lella.

106
HIS SEDIBVS
ADIVNCTVS
ET LOCVS
SEPVLTVRAE
IN FRONTE P. XII
IN AGRO P. XII

Gud. p. 337. scribit EDIBVS E schedis Verusii.

In atrio Æd. Marci Bologna.

107
C. BADIVS C. L
IVCVNDVS
ET ARRIAE C. L
RVFAE ET
P. CORNELIO P. L
DIOCLI ET (c)
. XII

Ante Æd. DD. Rotondi.

108
. . . . . ESIAMENTO . . . . . .
Heic sculptæ tres statuæ, quibus nomina respondent
C. LATINIO SYNERONI — C. LATINIO STEFANO — C. L VERGINIAE REC. . . . . .

109
CAELI L. F. C
IN F. P. XII
IN A. P. X
S. T. S
Sibi Testamento Statuit

Prope Roscios via recta fragmentum.

110
FIRMVS VIVI
SIBI ET SVIS
FECIT

Gruter. p. 890. n. 5.

111
SVCCESSVS
Q. VIX. ANN. L
sic COL. LEGIVS
B. M. F

In Æd. DD. Cardone prope Arcem.

112
PHILEMAE . . . . . .
C. CATIO ANC. . . .
Q. CATIO OB. . . . . .
OVANIA C. . . . . .
FRVCTILIA . . . . . .
SIBI SVISQ.
IN FR. P. XI
IN AG. P. XI

In mœnibus Urbis prope Portam Rectoris.

113
L. TANNONIVS
BASSVS . . . . .
HEIC SITus est

Idem p. 906. n. 9.

114
L. CAVPONIVS C. F

Idem p. 995. n. 13.

115
STRABO L. HERES FECIT

Prope

(a) Morem illum non satis notum, quo duorum, aut plurium fratrum eadem prænomina ac nomina unica plurali dictione conjungerentur, ex hoc nostro lapide præclare discimus, ubi *Tiberii Julii* tres nempe Concordius, Lupulus, & Marcianus Matri monumentum posuerunt: Cum enim singuli idem prænomen, nomenque præferrent, ac simul omnes memorari in eodem lapide deberent, semel plurali numero ipsum idem prænomen, nomenque ante propria cujusque Cognomina inscripsisse sat fuit. Sic heic Class. X. n. 2. *Flaviis Symmacho & Boetio Conf.* ubi illud *Flavii* commune utrique prænomen demonstrat, de quo dixi pag. 305. Hoc perspecto more difficilem sane lapidem interpretabimur apud Malvasiam in marm. Felsin. sect. 7. c. 9. p. 435. qui sic habet

D. M.
D. OCTACILI. PAVLINI
DVO. QVI. VIX. MEN
V. D. VIII. ALIVS. M
V. D. VIII
D. OCTACILIVS PRONIMVS
ET MEZAEA IVLIA FECER

ubi illud: *D. Octacili Paulini*, quod secunda linea legitur minime pro singulari generandi casu accipi debet, sed pro plurali nominativo, ut sit: *Decimi Octacilii Paulini Duo, qui* [i. e. quorum alter] *Vixit Mens.* V. *Dieb.* VIIII. *Alius Mens.* V. *Dieb.* VIII.: Itaque Decimus Octacilius Pronimus Pater suscepto priore filio, eoque defuncto, suscepto deinde altero, cui in prioris memoriam idem prænomen, nomen, ac cognomen imposuit, postquam ambobus post eandem fere ætatem orbatus fuit hunc lapidem utrique simul communem ipse, & Mezaea Iulia, [nempe Mater] fecerunt.

(b) In tres lineas contrahit hunc lapidem Gudius p. 354. n. 1. & præter omissam Haspirationem in *Eutici* nomine, injectam vero in Spechulæ contra ortographiam, fidemque lapidis, ultimam etiam lineam omittit. Calpena Gens primum in lucem prodiit ex hoc nostro lapide, ut jamdiu observavit cl. Oliverius qui eandem iterum prodidit in marmore Pisaurensi LXII.

(c) Plures in nostris lapidibus Liberti occurrunt, quibus DIOCLIS cognomen, seu nomen fuit; quod enim in Servitute proprium eorum nomen, quæsita libertate post assumptum Patroni prænomen, ac nomen, postremo illud loco sibi adjiciebant. Eos autem, qui sic appellarentur [si ex nomine nationem arguere licet] Diocletiani, qui Dalmata domo fuit, conterraneos fuisse verisimile est. Scimus enim hunc teterrimum Imperii monstrum ante eam dignitatem *Dioclem* appellatum, exinde cum Romani Imperii jure Romanum etiam nomen sibi accommodasse, ut testatur Lactantius, seu alius Auctor lib. de Mort. Persecutor. cap. 9.

Digitized by Google

Prope dirutam Ædem S. Lupi.

116



Prope Æd. DD. Mauroni.

117. CARILLIO ONESIMO COIVGI INC. *cum* QVO VIXIT ANNIS XXX. AVILLIA QV*arta*

Prope Æd. olim Joſ. de Pompejo.

118 M. CALVENTIO M. L. AVCTO EX TESTAMENTO CALVENTIVS M. L. PHI... FECIT

Murator. p.1290. n.5.

Juxta S. Jacobi de Maſcambrunis Murator. p. 1453. n. 9. è ſchedis Ptolomeis.

119 C. CLODIO N. F. PVP *(a)* N. CLODIVS N. F. PVP CAPITO VEIVOS

Murator. pag.1537. num.1. *(b)*

Ad Portam Auream eadem cum n.102.

120 SOCELLIAE ○. L OPTATAE

Murat. p.1677. mendoſe legit *Focelliæ*

121 M. AELIO CRESIMO OPPIA SECVNDI NA CONIVGI INC CVM QVO VIXIT ANNIS XV. S. V. Q. B. M

ideſt: *Sine Ulla Querela Bene Merenti*

Idem p.1746. n.4.

122 L. CORNELIVS SATORINVS VIXIT A. LX. CORNELIA SYMIPRVSIA PATRONO SVO IDEM CONIVGI BENEMERENTI

123 SEXTIO CORNELI ANN. VI H. S

ideſt: Hic Situs

Idem pag.1767. num.7.

124 M. VLPI LVCILIANI VIXIT ANN. XXXVIII MENS. VI

Murat. pag.1769. n.9.

125 DIS MANIB NVNNIAE BRYSAE C. NVNNIVS FESTVS F ET Q. IANVARIVS NVNNI CAELI CONIVG. OPTIM

Idem p.1553. n.9.

126 D. M C. PETRONI AMPLIATI C. PETRONIVS FELICIANVS PATRONO ET AQVILIAE CERIALI

Extra Portam Rufinam, & ap. Murat. p.1590. n.16.

127 ST. NVMIS NICEPOR. SIBI ET SERGIAE L. L ARBVSCVLAE ET L. SERGIO L. L NICEPORO ET L. SERGIO L. L. EROTI

Muratorius prima linea legit ST. NVM. S. atque ita notat: *Fortaſſe Stygiis Numinibus Sacrum*: Sed mendum jam ſuſtulimus, itaut ibi non aliud ſit, quam ST*atius* NVMI*Sius Niceporus*. De Statii prænomine Vid. Fabrett. p.27.

(*a*) Manifeſtas plures Archaiſmi notas præfert hic lapis: Illud PVP., quod utriuſque Clodii nomen ſubſequitur Pupiniam Tribum exhibet, in qua ambo cenſebantur, quæ etiam POPinia ſcribi ſolet; At eam Tribum nullum eorundem Clodiorum cognomen conſequitur, cujus defectus [ut jam diu eruditi obſervarunt] ſummam vetuſtatem arguit, quam amplius oſtendit dictio VEIVOS, ubi duplicem Archaiſmum agnoſcere licet; non ſolum enim EI pro ſimplici prima Syllaba adhibetur, verum etiam geminam VV in ſecunda refugiſſe voluit epitaphiographus: Priſcianus l. 1. ex Papiniano tradit Romanorum vetuſtiſſimos literam O loco V uſurpaſſe; additque: *maxime digamma antecedente hoc faciebant*, ut Servos pro Servus, volgus pro vulgus: aut etiamſi diverſæ forent Syllabæ, ſi V priorem terminabat, ac altera V ſequentem inchoabat, loco alterutrius ponebant O, ut *Flovium*, *Confluont* pro *Fluvium Confluunt* &c. in lapide apud Grut. p. 204. At de his vide eruditiſs. Noriſ. in Cenot. Piſ. diſs. 4. c. 4.

(*b*) Ad hunc lapidem *Sympheruſam* pro *Symipruſia* legendum monet cl. Muratorius, ut etiam *Item* pro *Idem*, quod tamen importunum eſt, ut mox dicam. Hæc igitur Symipruſia, ſeu Sympheruſa Liberta eadem, ac Conjux Cornelii Satorini. Priſci Romani probro ſibi maxime ducebant, ſi libertinam uxorem acciperent. Hinc an. v. 566. Hiſpalæ Fecenniæ Libertinæ id peculiari S. C conceſſum refert Liv. l. 39. c. 19. *uti ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxiſſet, ob id fraudi, aut ignominiæ eſſet*: quin licet ex Libertinis orti ingenui eſſent, ab iis tamen abhorrere quoque videbantur Romani, quod ex paterna conditione aliquid maculæ referre putarentur: quare idipſum, Antonio inter alia exprobat Cicero Ph. 2. c. 11. *quod omnes eum recordarentur Libertini Generum*: At ex Auguſti ævo aliter res ſe habere cæpit: Primus enim is ingenuorum numero permotus, qui [ut refert Dio. l. 54.] ingenuas longe ſuperabant, ut augendo Civium numero conſuleret, Plebeiis Romanis Libertinas ducere permiſit, non autem Senatoribus, eorumque liberis, ne ampliſſimus ordo libertini ſanguinis commixtione fœderetur. Ita poſt Dionem Celſus in l. 33. D. De Rit. Nupt. *Lege Papia* [inquit] *cavetur omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, Libertinam uxorem habere licere*: Quod non de aliena tantum liberta receptum fuit, ſed etiam de ea quam quis manumiſit, ut Patronus ipſe eam ducere poſſet; Quod ex noſtro lapide, aliiſque pluribus conſtat, in quibus laudantur *Libertæ*, & *conjuges optimæ* apud Reineſ. p. 759. *Fideliſſimæ* apud Gruter. p. 567. n.8. *Dulciſſimæ* p.943. n.12. *Amantiſſimæ* p.915. n. 4. *Incomparabilis* p. 940. n. 3. Plures alias præclaris aut amoris, aut virtutis epithetis decoratas Libertas ſimul conjugeſque tibi dabit cl. Fabrettus Inſcr. Ant. cap. IV. p. 291. & ſeq. in quibus ſaxis [ne cum Muratorio erratum fabrile, aut deſcriptoris ſuſpiceris] pro *Patrono* EIDEM *Conjugi* pluries legitur, *Patrono* IDEM *Conjugi*, ut jam commune fere illud idiotiſmum fuiſſe intelligas, quod & Fabrettus ipſe obſervavit.

Nuper

Digitized by Google

Nuper repetta in Opp. Molinariæ Ben. Diœc. (a)

D. J. J. M.

128
PLATIAE RVFINAE QVAE VIX. ANN. XX M. VIII. PLATIVS SECVNDVS ET IVLIA RVFI FILIAE DVLCISSIM ET PIISSIMAE FECERVNT

Prope Ædes DD. De Majo.

129
BASSVS BENEBE*ntanus* (b)
VIXIT ANNOS .....
HOSPES RESISTE ET TVMVL*um*
LEGE ET MORARIS IAM SO.....
VIXI QVA POTVI KARVS RA....
HIC SVM SEPVLTVS HIC OS*sa sunt*
VALETE ET BENEFACITE VO*bis*

Prope Æd. SS. Annunciatæ.

130
C. VINVCIVS C.....
ZMYRN.....
PVLISIVS C.....
PHILOM.....
ENNIA C. L. ELENA

Prope DD. Vaſtalegna.

131
L. CALEIVS
SIBI ET VARIAE

In Turri S. Sophiæ, & apud Grut. pag. 747. num. 3.

132
M. SEPPIVS M. F. MACEDO
VIBBIAE L. F. MATRI

Gruterus omittit lin. 1. M. F. & pro *Maçedo* mendoſe ſcribit MACERO.

Ad S. Petri extra mœnia.

133
IVLIAE
FELICVLAE
TREBELLIVS...
VRNIVS CONIVG
INCOMPARABIL
CVM QVA VIX
AN. XX. M. II. D. V
B. M. F

E ſchedis Viglioni.

134
NAEVIA M. L. VITICVLA
SIBI ET
C. PONTIO C. L
MARCO

Grut. p. 986. n. 5. pro *Nævia* mendoſe ſcribit NAENIA

Prope Æd. olim D. *del Re*.

137
SATTIAE IANVARIAE CAST. FEMI QVAE VI. AN. XXXVII M. VII. D. VIII. SEX MARIVS HILARVS COI INCOMP ARA. CVM QVA V AN. XXIII. M. V. II. D XI. B. M. F

Prope Æd. DD. Schinoſi.

135
D. M
NERIAE AETIAE
C. MVTIVS SABI
NIANVS COIVGI
B. M. F

Gud. p. 281. num. 5. legit AMIAE.

Ad dirutam Æd. S. Jacobi.

138
D. M
L. SERVIDIVS FEL...
SIBI SVEISQVE FEC
ET COCL.....
FAVSTO.....
ET FAVSTE .....
TRITAE VIB.....
VIBIAE IANVARIAE
TROPHIMAE SVBLI
AE FELICITATI
POSTERISQVE SVIS
FECIT

Prope Valetudinarium S. Deodati.

136
SATRIAE VERT....
BETITTVS CAL
LISTVS ISENA
NORICVLAE (c)
B. M. F

(a) Sigla illa D. J. J. M. quæ hujus lapidis fronti inſculpta ſunt [donec meliora afferantur] ſic explicaverim *Dis Inferis Iniquis, ſive Invidis Manibus*: Deos Inferos Manes per hæc ſigla D. I. M. expreſſas habet Gruter. p. 938. 8. & Fabrett. p. 86. n. 160. Dubium de poſterioris I interpretatione eſſe poteſt, quam tamen tueri recte poſſet exemplum lapidis apud eund. Fabrett. p. 88. n. 165. ubi ita legitur: *Si eum iniqua Fata rebus humanis non invidiſſent*: His autem epithetis Deos tum Superos, tum Inferos vocare ſolebant Ethnici, ex quorum Theologiæ præſcripto licebat Numina ſua diris precationibus defigere, ſi mors acerba, & præmatura homines illis propinquitate conjuctos communi lege privaret, ut nuper obſervavit cl. Paciaudius in Græci Anaglyphi interpretat. Romæ 1751. Jure autem queri poterant in noſtro lapide Parentes hi, qui Fillam Iuventæ flore, ac Pietatis præſtantia inſignem amiſerunt.

(b) Apoſtophres in literatis ſaxis quam frequenter occurrunt. Qui ſepulcrales titulos ponebant paſſim ad ipſos Defunctos ſermonem convertere leguntur: non raro etiam, ut heic, Defuncti ipſi viatores alloquuntur, quod non ſine aliquo monito fieri ſolet, ut ſtatim occurrit percurrenti Indicem Gruteri cap. XVI. p. 72. ubi *Dicta, Sententiæ, Ioci*, aliaque notatu digna tumulis inciſa congeruntur: Inter ejuſmodi tumulos hic noſter merito accenſeri poteſt, quem aliqua parte detritum ſupplevi. Notanda in BENEBENTANVS mutatio V. in B. quæ alibi in eadem dictione occurrit. *Valere* ſolenne verbum, quo mortuis ſuprema officia perſolvuntur: In Græcis epitaphiis æqui pollet XAIPE, EPωCO, quæ habes apud cl. Lupum in epitaph. Sev. p. 172.: ſic in pag. ſeq. n. 140. Maritus Uxori defunctæ: VADE VALE DVLCIS. Heic tamen ipſe mortuus vivos ſuperſtites *Valere* jubet, uti in altera noſtra Claſs. III. n. 12. AMICI VALETE, idque eo ſenſu accipiendum eſt, quo Servius in funere hoc verbum explicat Æn. XI. 97., ut non etymologia conſideranda ſit, ſed conſuetudo, quod nullis *vale* dicimus, niſi a quibus recedamus. *Benefacere* autem ſibipſis Viatores vult Baſſus, nihil ſeipſum curans, aut cogitans, ut propterea ex eorum grege fuiſſe videatur, qui nihil ſibi extinctis reliquum eſſe putabant.

(c) Quid ſit in hoc lapide illud NORICVLAE, prompte, ni fallor, expliçaverim. *Nurus* hæc Sattia fuit Betitti Calliſti, ex eoque appellativo nomine NORICVLAM fecit more illo, quo veteres mulierum nomina, ac cognomina, quo melius ſonarent, amoriſque argumentum oſtenderent, diminutive efferre ſolebant, uti LIVILLA pro LIVIA, *Quintilla*, *Iucundilla*, quæ mox prodiet, *Maximilla* &c. *Noricula* autem ſcribitur pro Nuricula: Nuribus inſcriptos lapides dat Gruter. p. 417. 1. 767. 3. 493. 5. ut etiam *optimo Genero* inſcribitur lapis apud Donium cl. VI. n. 104.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Ad Ædem SS. Annunciatæ Via, qua itur ad Arcem; lapis ingens, qui modo medius humi latet. *(a)*

139

H M

M. ENNIVS M. F. MACEDO SIBI
. . . ET POLLIAE SYNTICHENI
ENNIAE IVCVNDILLAE
QVICVMQVE ALBANA TENDIS PROPE *Parte Viator*
PAVLISPER CELERES TE ROGO SISTE PEDES
NEV GRAVE SIT TENERAE COGNOSCERE FATA PVELLAE
NEV GRAVE SIT NOSTRA MORTE DOLERE SINI
BIS MIHI IAM SENOS AETAS COMPLEVERAT ANNOS
SPEMQVE DABAT TALAMI CONIVGIVMQVE VIRI
CVM MORS FESTINANS CRESCENTIS *Sustulit annos*
FLEVIT ET ASSIDVO MAESTVS VTERQVE PARENS
NVNC ITA IN AETERNA REQVIESCO *Sede Sepulta*
ET FINEM FATI CONQVEROR IPSA MEI
. . . . ET MAXSIM . . . . . .

H N S

In Ædibus DD. De Aquila. *(b)*

140

TARQVINIAE MO
DESTAE Q. V. A. XV. M. VI
D. VI. MODESTVS ET LA
CIVA PARENTES LVCENI
VS MAR. C. Q. V. M. VI. D. VII
NAM FVIT EXIMIA SPECIE
MIROQVE DECORE MENS
INERAT VERE CORPO
RE DIGNA SVO
BADE. VALE. DVLCIS

Gruter. p. 697. n. 13.

141

D. M
NVMIAE L. F
QVADRATILLAE
NEPTI DVLCISSIMAE

Prope Æd. SS. Annunc.

142

SICONIVS
SECVNDINVS CO
IVGI INCOMPARA
BILI BENEMER. PIAE

Sub Portico PP. Carmel. Excalc., & apud Fleetwood p. 214. n. 4. *(c)*

143

VIBIA . L. L. CHRESTA, MON
FECIT . SIBI . ET . SVIS . ET . CRVSTIO
C. L. TALASSO . FILIO . ET . VIBIAE
Q. L. CALYBENI . LIBERTAE . LENAE
ABS . ASSE . QVAESITVM . LVCRO . SVO . SINE
FRAVDE . ALIORVM . H. M. H. N. S

Ad S. Mar-

(a) Egregium hoc monumentum inter ea locum sibi vindicat, quæ versibus sane elegantibus exhibent Gruterus, Fabrettus, aliique. Enniam Iucundillam filiam duodennem amisit M. Ennius, qui una sibi, & Polliæ Syntycheni, nempe uxori, ex qua ipsam Enniam suscepit, monumentum posuit. Tribus exametris, nempe 1. 7. & 9. extrema, quæ interciderant verba, restituenda curavi. Quarto versu illud SINI videtur infinite positum a verbo *Sino* passive usurpato. *Æternam Sedem* aut *Domum* suum sepulcrum passim vocabant Ethnici, quibus nulla Resurrectionis Fides, quamquam & in pluribus titulis Christianorum, nullo Christianæ Fidei detrimento, *Æternæ Domus* appellationem sepulcro datam tueatur contra Mabillonium Fabrettus Inscr. p. 113. Ab utroque latere hujus monumenti hinc inde divisa sunt sigla H. M. H. N. S. i. e. *Hoc Monumentum Heredem Non Sequitur*: quæ iterum in hac pagina n. 143. & sæpe in hac Classe occurrunt. Illud ET. MAXSIM . . quod lin. ult. legitur, lapis eo loco jam olim detritus, ac modo in fundamentis latens scire, aut iterum perspicere non sinit; fortasse ætatis Anni, Menses, & Dies ibi inscripti erant: sed literæ superstites, tum oscitanter exceptæ, tum postea coeuntes illud ET MAXSIM ineptè effecerunt, quod etiam ab ætate lapidis abhorrere videtur.

(b) Affert etiam hunc lapidem Gudius p. 245. n. 5. sed pluribus mendis scatentem. lin. 1. legit *Tertiniæ*. lin. 3. habet: *Jattue*. lin. 4. *Lucenius*. lin. 5. post Dies VII. addit AN . . lin. penult. omittit SVO; itaut pulcherrimus lapis deformis hactenus haberetur: nam missis nominum erroribus, illud AN . . lin. 5. post Dies appositum satis importunum, ac contra fidem lapidis, non enim post dies anni numerari poterant, neque ullo annorum spatio verisimile est matrimonium Tarquiniæ cum Lucenio constitisse, quæ solos XV. vitæ annos numerat: Illud tandem SVO, quod Gudius omisit, carmini tum finem, tum elegantiam adimebat. Itaque huic Tarquiniæ tum Modestus, & Laciva Parentes, tum Lucenius *Maritus, cum quo vix. Menses* VI. *Dies* VII. [ut sigla lin. 5. explicanda sunt] hoc monumentum posuere. Illud BADE postremæ lineæ, aut VADE legendum erit, consueta mutatione literæ V. in B., quo verbo *Discessio* Defunctæ significabatur, aut potius VALE, quod mox repetitum solennem etiam illum morem probat, cujus præter alios lapides meminit Virgilius Æn. XI. 97. ubi Ænæas Pallantem mortuum ita affatur

. . . . . Salve æternum mihi maxime Palla
Æternumque vale . . . . .

Imo ter proferri solitum docet Servius Æn. II. 644.

(c) Extat etiam apud Grut. p. 652. n. 1. ubi sphalmata, quæ in Redii Codicem irrepserant recte emendat: Lapis iterum a me recognitus lin. 5. habet ABS ASSE: quid vero sit *abs Asse quærere*, non ita facile intellectu est: Dicam, quod sentio. Nihil heic, quod certam pecuniæ quantitatem designet, expressum crediderim, sed potius *Assem* genericè usurpatum pro integro eo pretio [quicquid tandem illud fuerit] quo Vibia sibi monumentum quæsivit, seu comparavit, lata illa significatione, qua quicquid solidum est, nulla parte dempta, *Assis* nomine dici solet; Itaque quicquid in eo monumento quærendo Vibia erogavit, *lucro suo* i. e. stipe suis operis comparata partum asserit *sine fraude aliorum*: quæ quidem verba formulæ illi respondere videntur in sepulcralibus titulis inscribi solitæ H. M. D. M. A. i. e. *Huic Monumento Dolus Malus Abest*.

Digitized by Google

Ad S. Marciani extra mœnia. (a)

144
D M
M. SEPTICIO FE
LICISSIMO
LICERIA SEMME
HOSPITI B. M. F

In prædio vulgò Françavilla in Sarcophago Marmoreo.

148
C. PETRONIO PRI
MO Q. V. A. XXXIX
CERRINIA IVLIA

Domi Jo. Jacobi Vitelli.

150 C. VMBRIVS C. F.....
TACITIA L. L. PHI.....
C. VMBRIVS T. F.....

Domi Petri Gaſparro olim de Lutiis. (b)

145
D. M
MEMORIAE C. HERENNI MODESTI
A. VIBBIVS EQVATIANVS
CONTVBERNALI DVLCISSIMO.

In Collegio PP. Jeſuitarum.

146 MVMMEIE MVMMIA
NENI Q.V.A.XXIIII.M.VII
D. XXV. TITIVS IANVAR
.....
.....

In Porticu prope Veruſios.

149 L. RVFRIVS.....
CVRAVIT SIBI.....
FRATRI RVFRIO....

Ad S. Mariæ Angelorum,

151 VOLVMN.....
EX TESTAMEN.....

Prope Æd. S. Jo. Hieroſolymitani.

147
IVNIAE RVTILI
AE IVNIANENI
QVAE VIXIT AN
NIS XXXXII. M. I
RVFINVS CONTVBER
NALI KARISSIMAE
INFELICISSIMVS
FECIT

In Æd. olim de Tiſcione ſub ſtatua.

152 ....IAE PATRONAE SVAE
.....BI ET SVEIS FECIT

(a) Nihil antiquius apud veteres Romanos Græcosque, nihil ſanctius Hoſpitii jure, quod nedum publice, quum nempe Populus Populo, aut ſingulari Homini Populus S. C. Hoſpitium decerneret, cujus exempla habes apud *Liv. l.* v. 28. & XXXVII: 54., & Cicer. *pro Balb. c.* 14. & *Verr.* IV., ſed etiam inter Privatos conſtituebatur: Poſterius hoc ſpectat noſter lapis, quem defuncto Septicio *Hoſpiti Benemerenti* Liceria poſuit. Cl. Oliverius in Marm. Piſ. LIV. ubi ſic legitur: *Severinæ Hoſpitæ Sanctiſſimæ P. Ælius Tertius 7. Leg* III. *Cyr.* poſtquam Hoſpitæ vocabulum, vel ad cognomen, vel ad privati, vel ad militaris hoſpitii jus referri poſſe notaverit, in eo tandem ſiſtit, ut in illo Conjugis nomen latere, aut etiam contineri contendat: Viri docti conjecturam, vel potius ſuſpicionem, quam ex eo ſolo lapide, nullo alio adminiculo ſibi efficit, non facile admiſerim, nam quòd militibus vetitæ Uxores eſſent, non recte deducitur *Hoſpitarum* nomine earum Conjugium milites prætexiſſe, quas proprio, ac jamdiu recepto vocabulo *Contubernales* appellaſſe ſatis conſtat, ut in ſequenti nota mox dicam: eoque magis, quo, ſi de militibus agatur, habet *Hoſpitæ* nomen, quo veriſimiliori ſignificatione referri poſſit; dum milites in hiberna deductos Privati hoſpitari tenerentur, ut ipſe quoque animadvertit ex *l. un. Cod. de Salg. mil. non præſt.*; clarius autem habetur *ex l.* 3. *§. eos milites. D. De muner. & honor.* ubi (niſi muneris hujus immunitas indulta eſſet) Provinciales omnes hoſpitio milites ſuſcipere jubebantur; ſed neque ejuſmodi militare hoſpitium hùc pertinere puto: Itaque a communi Hoſpitis, ſive Hoſpitæ ſignificatione nullimode tum in noſtro lapide, tum in aliis quibuſque recedere fas erit; dum frequentiſſime ejuſmodi Hoſpitia apud antiquos obtinuiſſe invenio; Hi enim teſte Gellio v. 13. poſt Parentes, Pupillos, Clienteſque locum in officiis dabant Hoſpitibus, quos Cognatis, Affinibuſque anteferebant; imo ex Maſſerio Sabino Jur. Civ. l. 3. apud eund. Gellium ſtatim poſt pupillos Hoſpites veniebant: Ejuſmodi privati Hoſpitii meminit ſæpe Cicero, ut in ep. fam. III. 19. & 36., meminit etiam lapis apud Gruter. p. 564. 5. Eſt Græca Inſcriptio Teſſeræ eburneæ Hoſpitali dexteras commiſſas referenti graphio cælata, quam ex Panormitano Cimeliarcho Monacorum Caſſinenſium exhibet cl. Paciaudius in Anagl. Græc. Interp. p. 9 ſic latine verſam: *Imilchon Imilchonis* [filius] *Inibalis* [nepos] *Chlorus Hoſpitium fecit cum Lyſone Diogneti, & poſteris*; ut inde jam conſtet, vel Tabulis initum, confirmatumque Hoſpitium, vel etiam Teſſeris hiſce, quas ſimillimæ formæ uterque Hoſpes apud ſe ſervaret: Utrumque dixi Hoſpitem,

Donius tum qui Hoſpitium exhiberet, tum qui præſtitum ſibi haberet, nam in alterutram ſignificationem id vocabulum etiam apud probos Scriptores uſurpatum invenio: ſicque accipiendum cenſeo lapidem apud Donium cl. VI. n. 19. ubi M. Mænius dicitur HOSPES DIVI HADRIANI PATRIS SENATORIS [non *Trajani*, ut mendoſe legitur in Indicum cap. V], quem Hadriani Auguſti Patrem fuiſſe recte notat cl. Gorius, eumque a M. Mænio Hoſpitio receptum dicimus; id quod M. ipſe Mænius ſummo honori ſibi ducens, eo publico monumento conſignandum voluit.

(b) Contubernii vox, etſi una ex cauſa derivetur, pluribus tamen diverſo jure convenit: nam primo Milites *Contubernales* dicebantur, ii duntaxat, qui in eodem contubernio degebant. Hygin. de Caſtram. p. 1.: *Centuria* [inquit] *habet Milites octoginta, Papiliones tendit decem, Papilio tegit homines octo*: ſed Veget. l. 2. c. 13. Decem Homines, in ſingulis Papilionibus, ſeu, ut rectius vocat, Tabernaculis locat, ut Centuriæ numerum implerent: *ſingula Contubernia* [inquit] *ideſt undecim homines deputantur*: Undecimus, autem erat is, qui aliis præerat: *Decani* [ſubdit] *decem militibus præſunt qui nunc Caput Contubernii vocantur*: Hinc inter hos unius Contubernii milites familiaritas quædam, ac neceſſitudo contrahebatur, quam viventes mutuo fovebant, colebantque, quum vero quis contubernalis obiiſſet, poſito titulo publice teſtabantur: An hùc ſpectet noſter lapis, non ſatis video: nulla enim ibi militiæ mentio, quam præteriſſe ſuperſtitem, haud veriſimile erit: hinc veriſimilius illud, ut ad aliud contubernium res deducatur, quod quiſque privatus haberet: Mitto hèic Contubernales Magiſtratuum, in Provinciis degentium, de quibus Cicero pro Cælio c. 30. & pro Planc. c. 11. Sveton. in Iul. c. 42. & alii paſſim: Tiberius certe Thraſyllum Mathematicum, & Seleucum Grammaticum domi ſuæ Contubernales habuit referente eod. Sveton. c. 14. & 56. Potuit igitur A. Vibbius C. Herennium aliqua ex cauſſa ſibi devinctum domi ſuæ Contubernalem habuiſſe. Sed cum ſemel Contubernales attigerimus, præſtat alterum noſtrum lapidem heic n. 147. eodem vocabulo inſignem illuſtrare, ut Contubernalium omnium ſingula gerera abſolvamus. Contubernium igitur etiam Servilem conjunctionem ſignificat, nam inter ſerviles perſonas non matrimonium, ſed contubernium conſtitui dicebatur. Vid. Briſſonium De V.S. qui rem fuſe, eruditeque exequitur: An igitur ſervilis conditionis tum Iunia Rutilia Iuniane, tum Ruſinus, qui illam Contubernalem Cariſſimam appellat? Nomina certe, mulieris ſaltem, ab ſervili conditione abhor-

Donius Cl. xv. n. 47. *Beneventi in S. Feßo.*

153
CALHEMERAE VIX. ANN. XXVI
HVIC DOMINVS OB MERITA
EIVS ET PROBITATEM QVOD
EVM PLENO ADFECTV
DILEXERIT FECIT

E schedis Viglioni.

154 ANTONIA C. L. EVECHE (a)
FECIT SIBI ET
MORIO ↄ. L. COMMVNI
C. ADINIO ↄ. L. SVAVI
C. ANTONIO ↄ. L. RESTITVTO
MORIO M. L. AVENTINO

Gruterus pl. 995. n. 16.

155
SVELLIAE. ⊃. L
SABINAE
D. M. S (b)

Ad S. Modesti Grut. p. 959. n. 10.

156 ALFIA ↄ. L. FAVSTA
SIBI ET
C. RVBELLIO
IVCVNDO

Idem p. 997. n. 10.

157
TIGIAE
GN. L
FIDELI

In Fornace DD. Rendina. ad Arbores Morræ.

158 FVFIA PIGRATILLA
SIBI ET RVFRIO ONESIM
P. FVFIO FVSCO
ENNIAE RECILLAE
FVFIAE SECVNDAE
FVFIAE ATIATYCHERI
P. FVFIO FRVCTO
IN FR. P. XII. IN A. P. XII

In Vinea DD. Rendina.

159 L. PVPIVS PRIMIGENIVS
RESTIO SIBI ET TREBV
LANAE MODESTAE
. . . . . CARPO
L. PVPIO . . . . HERMETI
. . . . . EXPECTATO

Apud Appianum.

160 D. M
TEGEDIAE FORTVNATAE ET L
CORNELI FIRMI VIVI SIBI FECE
RVNT QVEM EMERVNT ↀC. XX
ideſt *Denariis centum viginti*.

Prope Arinas.

161 D. VALERIVS
MENECRATES
OPPIAI C. L. FLO
AEBVTIAE HELI

Prope DD. Pacca.

162 TVRPILIA C. L. QVARTA
VOLVMNIA Q. L. . . . . .
IVCVNDA . . . . . .
L. F. C
ideſt *Locum Fieri Curarunt*.

E schedis Viglioni.

163 TVRSELLI ↄ. L
MIRIME
SIBI ET SVIS
IN FR. P. XII
IN AG. P. XII

Prope Alferios.

164 C. SENTIVS
C. L. HECTOR
HERENNIA C. L
QVARTA IN
FRONTE P. XII

Prope Colleg. Scholarum Piarum.

165 PACCIA C. L. VITALIS
SIBI ET
M. VALERIO IVTORI ET
PIETATI

Prope Portam Rectoris.

166 L. LOLLIVS L. L
HILARVS
LOLLIA L. L. ELEVT

Gudius pag. 357. num. 3.

167 FVFICIA ↄ. L. CLEOPATR
VIVA SIBI FECIT

Prope

abhorrent: Sed & Contubernii nomine ea conjunctio appellari ſolebat, quæ inter liberas, & ſerviles perſonas, aut etiam ambas liberas intercedebat, ut ex Juris locis probat id. Briſſonius, planeque præter noſtrum lapidem alii plures confirmant apud Fabrett. c. 4. p. 315. ſed jam ſatis de Contubernalibus: Hanc autem Iuliam Rutiliam Iunianenem recto caſu *Iuniane* appellavi, ut etiam *Mummiane* eodem caſu dici debet, quæ *Mummianeni* dicitur heic n. 146., ſic *Thisbeni a Thisbe*, *Tychevi a Tyche* inferius habebis n. 168. & 169. de quorum nominum declinatione, aut ſæculi vitio, aut muliebri vanitate in Latium invecta plura erudite feſtiveque obſervavit P. Lupus in epitaph. Sever. p. 160.

(a) Cum de Centurionum nota in *De Re Militari* egiſſem p. 231., illud 7., quo ii paſſim in vetuſtis ſaxis notari ſolent, non ad *Vitem* ſuæ dignitatis inſigne, ſed potius ad ipſum Centurionis nomen referendum putavi, cujus princeps litera C in ↄ pro certiori ejus muneris nota inverſa, paulatim aut marmorariorum, aut deſcriptorum arbitrio in 7. efformari cœpiſſet: Id mihi ſatis veriſimile tum fiebat ex inverſa eadem ↄ. quæ ad Cajæ prænomen ſignificandum adhiberi ſolebat; ſed en tibi noſtrum lapidem, qui ejuſdem Cajæ prænomen eadem profecto Centurionis nota expreſſum habet: nam [ut in Grutero videre quoque eſt] non 7. ſed omnino proſtratum ⊃. repræſentat: quo ſicuti Cajæ prænominis princeps litera C., ita Centurionis vocabulum ſignificari recte potuit. Notanda denique in hoc lapide ſigla illa in fine ſculpta D. M. S. nam *Dis Manibus Sacrum* nuſquam in fine, ſed initio ſepulcralium lapidum ſcribi ſolitum milleni tituli docent: Hinc ſi quis ſingulare noſtri lapidis exemplum ægre excipiet, vel *Dedicavit Monumentum Sibi*, *vel Dolo Malo Sine*, interpretari poterit.

(b) Extat etiam hic lapis apud Gudium p. 352. n. 8. ſed lin. 3. pro *Morio* legit *M. Ovio*. & pro ↄ. habet M. ideſt Marci prænomen. lin. 4. Cadinio pro C. Adinio, poſt quem amittit ↄ. Non dubito, quin in noſtro *Morio* Marci cognomen agnoſcendum ſit, cujus ſingularis litera M. cum nomine coaluit, ſive marmorarii, ſive deſcriptoris arbitrio, ſive demum ætatis more, itaut quod Gudio diſtinxiſſe placuit in Morio [pro quo M. Ovium maluit] tamen contra fidem lapidis admiſſum in C. Adinio videmus, pro quo Cadinium nobis exhibet. Itaque morem vetuſtæ ætatis fuiſſe conſtat, ex prænomine nomineque unicum efformare vocabulum, junctis ſcilicet [ſi commode id fieri poſſet] una, aut pluribus, quibus ipſum notaretur literis cum ſequenti nomine: Sic in hac Claſſe n. 117. Carillium pro C. Aril. lio ſcriptum ſuſpicabimur, ut Taurelium pro T. Aurelio notat Reinef. cl. 1. n. 6. ubi alia ex Grutero ex empla congerens fabrile putavit erratum: ſed mori potius, ut dixi, tribuenda res erit, quem eruditi noſtrorum temporum ſatis probaſſe videntur, dum pro A. Gellio Agellium ſatis commode, eleganterque uſurpare voluerunt.

Digitized by Google

Prope Æd. DD. Coſcia, & ap. Grut. pag. 978. num. 3.

168
C. HERENNIVS
C. L. PYRAMVS FE (a)
CIT SIBI ET
HERENNIAE THISBE
NI CONIVGI SVAE ET
HERENNIAE FAVENTINAE
LAVRO
ET QVINTAE SVIS

In atrio Balneorum ſub ſimulacris Maris, & fœminæ.

169 LATINIAE . . . . .
THYCHEN . . . . .

Sub Porte Caloris.

171 OPPIO . . . . . .
CAPITON. . . . . .
Q. PRINC. . . . . .
CENS. . . . . .

Sub Columna prope Ædes Palancini.

170 C. OPPIO . . . . . .
. . . . . .

In Ædibus DD. Pacca.

172 . . . . . RIVS
. . . . . TVS SIBI
. . . . . HELPEDI
POSTERISQVE
. . . VS FECIT

Via Soricea.

173 . . . . APINEIA
. . . . TALI EX
. . . . . VOT
. . . . . T. VIAE
. . . . . RAM
. . . . . CR

Prope Æd. de Limatola.

174 Q. FLVRI . . . . .
Q. FLVRI . . . . .
L. LVCCIO . . . .
MARIAE . . . . .

Ad SS. Annunciatæ.

175 AVFILLIA . . . .
SIBI
AVFIL. . . . . .

Ad S. Lupi.

176 . . . . . LIVS SVAVIS L
. . . . . MIGENIVS SIBI
. . . OLLIAE PRIMILLAE
. . . . . OLLIO CAEMIN. .

In Porticu S. Januarii.

177 A. IGN. . . . . .
PA. . . : . . . . .
A. IGN. . . . . .
II. V. . . . . .

Prope Æd. De Lutiis.

178 D. M
Q. LOLLIVS . . . . .
CHRYSEB. . . . . .

Gruter. pag. 665. num. 3.

179
. . . AE . L. F. POLLAE . FILIAE
. . . IO . QVINTIONI
. . . PHILVMINAE . MALLIAE . L.L
. . . INVENTA

Prope Rotundos.

180 OCTAVIO
IVCVNDO
Q. V. . . . .

In gradu majoris Aræ S. Franciſci.

181 Q. VEIDIVS Q. L. . . . . .
CLODIA . . . . . .

In Porticu S. Catherinæ.

182 C. PAPIR. . . . . .
. . . . . NEVEN. . . . . .

In Æd. Cardone nunc Simone.

183 . . . LAROMERCVRIO
. . . OSIMAE VXORI

In Æd. DD. Morræ.

184 C. PONTIVS P. . . . .
ET P. PONTIVS

E ſchedis Veruſii.

185 . . . . . .
. . . . . EX III
. . . . . DIO MED
IN F.P.XII.IN A.P.XII

Prope Veruſios.

186 . . . . . A.F. PVP. IGN. . . .
. . . . . .

Prope S. Andræam.

187 C. LORIO Q. F
STE. . . . . .

In Cathedrali Æde.

188 . . . SVELLI . . . . . .
. . . . . NTI . . . . . .
. . . . . AT HVIVS . . . .
. . . . N. QVI VIXIT
. . . . . DIEBVS VIIII
. . . . . EVENTVS ET
. . . NDE PAREN.INF.

Prope DD. de Lutiis.

189 . . . . ARCONIA
. . . . L. HILARA
. . . HIC SITA EST
. . FR. P. XII
. AG. P. XII

In Porticu S. Catherinæ.

190 . . . BASSAEI.ASTVR . . . E.

In S. Lupi.

191 . . . . . CARIVS MA. . . . .
. . . . . RIMVS . A. DEC. .
. . . . . IONE . NEP. . . . . .

In Porticu Cathedralis.

192 . . . . . CONCORDIVS
. . . . . VAVIS SIBI
. . . . . VRIAE OPTATAE
. . . . . QVINTO

Prope Portam Rectoris.

193 L. VIBBIVS L.F.STE
VIBBIA L. L. HILAR

In Porta majori Cathedralis.

194
. . . . . IVS AMARANTHVS
. . ST. REFECTVS . PECTEN. SIBI ET
. . . LYSIMA*cho* PATRI ET . . . . . .
. . . Q. L. HEV . . . . . MI CONC. . . . . .
. . . IO M. L. AGILI . . . . . .
. . . STO CONSTATI SECVNDO
ſic

Prope Portam Auream.

195 . . . . . OBIDEIO Q.F.STE.R. . .
. . . . . OBIDEIO Q.F.STE.R. . .
. . . . . AESSIA RVFA . . . . . E. . . .
. . . . . IDEIAI Q. F. POLL. . . . .

ideſt: *Didiæ Q. F. Polliæ.*

In Caupona DD. Terragnoli.

196 . . . . AVIO C. GALLO
. . TO M.F. MARCIONI
. . . . O VIRO FECIT

[a] Notanda ſunt horum Conjugum cognomina *Pyramus*, & *Thisbe*: An igitur propria olim nomina, quæ poſt receptam a communi Domino libertatem cognominis loco [ut moris erat] retinuere; vel potius quum conjugium inirent, ſibi conſulto impoſuerunt? Certe a male ominoſis nominibus Veteres abhorrebant, triſtiſſimumque Pyrami, & Thiſbes fatum jamdiu celebratum ab Ovidio Metam. IV. Sed miſſis Libertinorum cognominibus, eorum conditionem paucis obſervare præſtat, atque heic egregium lapidem afferre, quem ante quatuor annos in Agro Capuano refoſſum nuperrime edidit V. C. Franciſcus Granata Capuanæ Eccleſiæ Archidiaconus in T. I. Hiſt. Capuan. p. 188. in hæc verba.

Q. CANIO Q. L. ZETHO
Q. CANIVS Q. L. PROTVS
FRATER ZETHO PATRONO
Q. CANIO Q. L. AMPHION
FRATRI

Haud novum eſſe Vir ornatiſſimus ait, ex antiquis ſaxis,

In atrio atque ex Sacra Hebræorum Hiſtoria, ut Frater Fratris ſervus extiterit: quæ ſi non excidiſſent, probanda undequaque, ac laudanda foret ejus interpretatio, qua Q. Canius Protus ſui Fratris Zethi [non Zethonis] Libertus rectiſſime ſtatuitur: Cæterum non illam Hebræi inter ſe, atque in propriis familiis ſervitutem agnoſcebant, quæ a jure Gentium inter alios Populos, ac præſertim Romanos invecta deinceps fuit, in qua præterea Iuris Gentium ſervitute illud potius novum, atque prorſus rarum, Fratrem Fratris Servum, ac dein Libertum extitiſſe, uti jamdiu animadvertit doctiſſimus Fabrettus, qui unum ea de re ſaxum exhibere potuit p. 7. n. XLIV., cui modo ex univerſa Antiquitate Capuanum nuperrime editum addere duntaxat poterimus: Cauſſam autem, cur Frater Fratris Servus, Libertuſve aliquando fieret, ex eodem Fabretto didiciſſe ſatis erit, qui tunc factum arbitratur, *quum in Liberti gratiam, Domino manumittenti Fratrem olim Conſervum eidem dono dare, tanquam auctarium libertatis placuit, quo ipſe a Fratre Domino deinde manumiſſus arctiori beneficii nexu devinciri poſſet.*

Digitized by Google

In atrio Seminarii.

196
DOMITIAE CY
PARIDI CASTISSIM
FEMINAE OPTATVS
C. L. ADIVTOR ET APVL
CEFICII ARMOALANAE
CVM QVA VIX. AN. XVIII
M. V. D. XXII

Sub Ponte Caloris.

197 DIDIAI D. F. MATRI
C. HERENNIVS C. F
STE. RVFVS SIBI
ET SVIS FECIT

Lin. 1. Didiai pro Didiæ, sed Reinesf. pag. 705. mendosè legit: DIDIALI.

Trans Pontem Leprosum.

198
D. M
BASSEAE
STVDIOSAE
KARISSIMAE FILI
AE MEAE QVAE VI
XIT ANN. XII. M. III
D. IIII. TITLIVS STVDI
OSVS PATER

Pacichellus tom. 1. Famil. pag. 59.

199 AEMILIAE INGENVAE ADOLESCENTVLAE
DVLCISSIMAE SILANVS FRVITVRA
PATER PIISSIMVS ET INFELICISSIMVS
DEDIT

In pariete exteriori Ædis majoris.

200
AFINIAE N. F
CALLISTAE C. F
N. AFINIVS FOR
TVNATVS PATER

Effossa in fundamentis novæ Ecclesiæ Scholarum Piarum.

201 TANNOENIAE PATERNAE
FILIAE DVLCISSIMAE
VIXIT ANN. XII
MENS IIII. FLAVIVS
SVCCESSVS ET TERENTIA
HERMIONE PARENTES
MISERRIMI FEC

In S. Sophiæ.

202 ERVILIA
PRIMVLA
MATER
INFEL

In Æd. DD. Pisani prope ruinas Amphitheatri.

203
D. M
LICINIAE
HARMONAE
LVCI. FI. MATRI

Gruter. p. 754. n. 5.

204
AMARFIO CL
EMENTI. IVNIA
SABINA. CON
IVGI. INCVM *sic*
PARABILI
B. M. F

Prope DD. Simone.

205
D. M
VERECVNDAE
FILIAE
DVLCISSIMAE
QVAE VIX. AN
VIIII. M. II
VERECVNDVS
ET CHRYSIS
PARENTES FECER

Prope Seminarium. (*a*)

206
LICINIAE
COVIAE DAPHEN
LICINIVS ERO
TION PATER FI
LIAE DVLCISSIM
Q. V. A. XXX. M. XI
D. XIIII. B. M. F
HVNC MONVMEN
TVM MACERIA
CLV. . . . . .
. . . . . .

In Viri-

[*a*] Tertium nomen hujus Mulieris puto DAPHNEN, seu DAPHNENI fuisse, pro quo DAPHEN sculptum fuit, quod vel indeclinabile, vel ut in *Daphneni* inflexum more illo, quem superius notavi. Monumentum masculini generis in vetustis saxis non semel occurrit, nam præter nostrum lapidem, legitur etiam apud Grut. *Hunc monumentum* p. 608. 4. & p. 1133. 3. at tunc rectus casus *Monumentus* erit. sic apud eund. p. 776. 6. *Hic monimentus bæredem non sequitur*: & apud Murator. p. 1527. n. 4. Sed noster lapis dicit hunc monumentum Maceria CLVsum [uti supplenda postrema dictio videtur] quod etiam legitur apud Grut. in Indice eorum, quæ ad Monumentorum jura, & leges pertineat [omissa pagina] cap. 17.: *Hujus monumenti jus, qua maceria clusum est cum Taberna, & Cœnaculo bæred. non sequetur, neque intra Maceriam humari quemquam licet*: CLVSVM autem scriptum est pro *Clausum*, ut in celebri lapide Emeritensi Augusto dedicato p. 149. n. 2. *Orbe mari, & terra pacato, Templo Iani* CLVSO. Sed quod *Maceriam* pertinet Papinianus in L. 73. D. De Contrahen. empt. *Intra maceriam sepulcrorum* [ait] *hortis, vel ceteris culturis loca pura servata, si nihil vendotur nominatim excepit, ad emptorem pertinent*; quod quidem Papiniani responsum haud iis adversatur, quæ de sepulcri *itu ambitu* paullo ante ex Iuris libris observavimus; diversa enim heic ratio patet ex eo, quod *Loca pura* juxta sepulcrum relicta non sunt ad sepulcri usum necessaria, ut *Itus*, & *Ambitus*: imo nec *Religiosa*, nisi Testator designaret monumentum, quantum terræ spatium Religioni cederet: id quod siglis illis pro solenni sepulcrali formula cavebatur; IN FR. P. X. IN AG. P. X ideſt, *In Fronte Pedes Decem, In Agro Pedes* X. vel minus, ampliusve spatii, quo monumenti locus patere debebat: quare etiamsi monumentum macerià clusum sit, intraque eandem Loca pura hortis, vel culturis servata, si Testator nominatim non expressit, ad sepulcri Religionem non pertinent, propterea que emptori quæruntur. Maceria autem paries est, sicuti murus, quem tamen ab illa distinguit J. C. in l. 157. D. De V. S. Isidorus Orig. 15. 9. *Macerіæ sunt parietes longi, quibus vineæ clauduntur*: Apud Terent. Adelph. v. 8. Donati locus in hujus vocis interpretatione mutilus, & corruptus est: sed plane docet Varro de R. R. 1. 14. ubi maceriarum quatuor species statuit: quasdam enim fieri ait *ex lapide*, quasdam *e lateribus coctilibus*, alias *e lateribus rudis*, postremas vero *e terra & lapidibus compositis*: Cassiodorus in Psal. 61. *Maceria* [inquit] est saxorum sicca constructio, quæ *sine aliquo ligamine* [i. e. calce, aut arenato] *impense in altum ducta componitur*.

Digitized by Google

In Viridario DD. Capasso.

207 FONTEIAE
CELERINAE
C. F. VXORI
SANCTISSI
MAE

Ad Pontem Leprosum.

210 D. M.
ARGENTILLAE
CONIVGI QVAE VIX
IT ANN. XXX. MENS
VIII. DXX. INCOMP
AR. FEM. SIBIQ. AMA
NTISS. ALEXANDER
B. M. F

Domi olim Caroli Musti.

215 STATIA P. F. POSILL
EX TESTAMENT
SIBI ET C. FVFIO
. . . . . .

Prope atrium Cerviorum.

208 D. M
T. CAELIO CRES
CENTI CON
IVGI INCOMPA
RABILI VALERIA SE
CVNDINA CVM QVO
VIX. AN. IIII. M. VII
Gruterus p. 667. n. 3.

211 ALLIAE . FE
LICITATI . Q. V
AN. VI. M. III. D. XX
ALLIA . IVSTINA
MATER . INFELICISS
FEC
Idem p. 747. n. 4.

213 D. M
VICIRIAE M. F
TROCILLAE
FILII . MATRI . PIEN
TISSIMAE . FECERVNT

In Turri Cathedralis.

216 D. M
AVDEIAE SA
BINAE VIX. AN
XXXXI. M. VIII
DIEB. VI. . . ISTIA
NVS AVG. LIB
MARITVS

Ad dirutam Æd. S. Mariæ Martyrum & apud Gruter. p. 987. n. 3.

209 OCTAVIA . L. L. AMPELIO
SIBI . ET
L. OCTAVIO . L. L. ALBANO
FILIO . ET
OCTAVIAE. ALBANAE. FILIAE

In muro Urbis ad Portam SS. Annunciat.

212 AELIAE T. F. PROCVLAE
VIXIT ANN. XVI
ABLIVS INCLVTVS ET
AVOLEIA SP. F. RESTITVTA
MISERRIMI PARENTES
FILIAE (a)

Juxta Æd. olim Jos. Abbati.

214 MARIA C. L
ALETIA

In Æde Cathedrali, & apud Gud. p. 282. n. 11.

217 D. M. S
A. PLAVTIVS Gudius
RESTITVTVS *Restutus*
EVREILLIAE
CLEMENTI
CONIVGI SVAE
B. M. F

[a] Notanda est in hoc lapide dictio INCLVTVS mutata Y. in V., de quo speciatim agit Cicero Orat. I. 48. Earum autem literarum mutationem familiarem fuisse antiquis satis constat: hinc *Sulla* pro *Sylla*, *Illuricum* pro *Illyrico*, *Suria* pro *Syria*, & alia plura, quæ notantur in Gruteriani Indicis cap. XIX.; quod autem ad nos pertinet, *inclutissimam claritudinem* dixit Cato apud Gellium 3. 7. Linea 4. Avoleja dicitur *Spurii Filia*: An illud *Spurii* prænomen Patris designat, vel eundem potius *Nothum* h. e. *Sine Patre* Filium demonstret, si eruditorum sententias animadvertamus, non satis liquebit. Reprehendit Scaligerum Heineccius ad L. Iul. Pap. l. 2. c. 4. §. 4. quod figla SP. F. SPurii *Filium* interpretetur, *Spuriumque* pro prænomine accipiat, dum in illis habeatur [ait] *antiqua formula Sine Patre Filius, quam liberorum extra matrimonium quæsitorum nominibus subjici consuesse docet Plutarchus*. Haud secus V. C. Mazochius in Kal. Neap. t. 1. p. 208. SP. F. *non Spurii filium, sed sine Patre filium interpretare: at vulgus, eam notam pro prænomine accipiens tandem in causa fuit, ut filii naturales, iidem ac Spurii jam olim dicerentur*: At Fabrettus cap. 1. p. 46. Spurii prænomen omnibus, qui extra legitimum connubium nascebantur, communem fuisse contendit, quod ex lapidibus probare conatur, ac simul Plutarchi loco *in quæst. Rom.* 103. *sive* 101. Sed [si quid video] nemo sibi constat: Primum enim illud statuendum fuerit, an unquam fuerit *Spurii* prænomen quod nunquam ad *Nothos Spuriosque*, aut, si mavis *Sine Patre Filios* pertineret; Sed audiamus Plutarchum cujus hæc sunt: *Spurius prænomen Romanum duabus literis indicatur S. P.; iisdem literis etiam Nothos significant, S. P. nimirum sine Patre; quæ res errori ansam dedit, cum Spurius* [id est prænomen], *& incerto patre* [id est qui vulgo, aut damnato coitu natus] *iisdem elementis notaretur, ut hi quoque Spurii usurparentur*. Vides jam ex Plutarchi verbis falso illud consequi, ut ex sola vulgi sententia Spurii vox Prænominis significationem adepta sit, quam ad solos *nothos* i. e. *Sine Patre Filios* demonstrandos adhibitam Viri docti contendunt. Nam si peculiare *Spurii* prænomen aliquando fuisse constat, quod ex Plutarcho satis clare colligitur, docentque Isidorus etym. l. 4. & Lipsius de Nom. Rom. c. 1., a Sabina voce *Spurium* illud rectissime derivantes, jam non est, cur ex eadem sive vocabuli, sive notarum similitudine, omnes Spurios, quotquot passim in vetustis saxis occurrant, ad nothos, naturalesque indiscriminatim referamus, itaut figla illa S. P. seu SP. cum eruditorum choro *Sine Patre* omnino reddi debeant; malim ego hac in re cum vulgo scire, seù potius Scaligerum, ipsamque rationem sequi; neque enim unam habeo ex certo *Spurii* prænominis usu petitam, sed altera quoque præsto est, optimæ illi præsumptioni innixa, qua propriam turpitudinem [quam in hisce *Nothis*, secus, ac in naturalibus, veteres agnoscebant] præsentibus, posterisque, suis ipsemet manibus, publice posito monumento, prodere voluisse putandus sit nemo.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

Sub Porticu S. Catharinæ.

218 C. PAPIRIO.....(a)
STATIA M.....
VIRO SVO.....
QVOD FORE MORTE MEA.....
ID CINERI INFELIX

In Æd. DD. Capasso.

219
L. LATINIO L. F
STABILIONI
L. LATINIO L. F. FRATRI
MARIAE C. F. MATRI
C. LATINIO L. F. SECVND

Domi olim Jos. Abbati.

220 D. M
Q. IVLIAE
BASSEAE
IRENINI(b)
MATER VA
LERIA INFELI
CISSIMA
MATER
B. M. F

In Turri Cathedralis.

221 VESVEDIA Q. L. TRYPHANE
FECIT SIBI ET
Q. VESVEDIO Q. F. GAL. PATRONO
H. M. H. N. S

Prope Portam Auream, & ap. Gr p. 997. n. 11.

222 TITAGIA Q. L. IVCVNDA
SIBI ET C. FALTONIO C. F. STE
RVFO VIRO SVO FECIT ET
SATVRNINO

Ex Appiano, & nostris antiquis schedis.

223
PONTIA. T. PONTII. FILIA. HIC. SVM. QVAE. DVOBVS
NATIS. A. ME. AVARITIAE. OPVS. VENENO. CONSVMPTIS
MISERAE. MIHI. MORTEM. CONSCIVI
TV. QVI. HAC. TRANSIS. SI. PIVS. ES QVAESO (c)
A. ME. OCVLOS. AVERTE

Reines. pag. 714. num. 55.

224 L. VELLEIVS L. F. VERINVS
ET LEVICIOR L. VELLEIO VERO
PATRI ET MATRI
SEXTIAE MAIORI

In 2. lin. Reinesius putat legendum *Felicior*.

Gudius pag. 336. num. 7. ex MS. Redii.

225 ZOTICVS. HIC. NOMEN. NVDVM
VANVMQ. RELIQVIT
IN. CINERES. CORPVS. ET. IN. AETERA
VITA SOLVTA EST

Lite-

[a] Mutilum hunc lapidem ad nos perveniſſe piget, nam carmina, quibus concludebatur, ſatis elegantia fuiſſe videntur, quæ tamen ita ſuppleri poſſent:

QVOD FORE MORTE MEA NON IMPIA FATA DEDISSENT:
ID CINERI INFELIX CONJVGIS IPSA DEDI.

ſueta quidem adfectus, & doloris formula: ſic apud Gudium p. 290. 3. *Quæ prior hoc titulo debuit Ipſa legi*, & alibi paſſim.

[b] Illud IRENINI lin. 3. dandi caſu eſt a diminutivo *Irenine* primi caſus pro *Irene* more illo apud veteres, hodieque ſatis familiari muliebria nomina mollius efferendi pronunciandique: MATER ſemel, atque iterum ſcribitur in hoc lapide ſic: *Mater Valeria Infeliciſſima Mater*: quod conſulto, eleganterque admiſſum putaverim, ut repetito vocabulo ejus, quæ naturâ majorem præ cæteris doloris vim in amiſſione filiæ ſentiebat, adhuc ejuſdem dolor vividiùs exprimeretur.

[c] Extitiſſe hunc lapidem in Ponte S. Mariæ Angelorum ad Portam Rufinam antiquæ Schedæ Veruſii & Viglioni teſtantur: edidit quoque Appianus: quod ipſe etiam proferam, nolim exinde illius fidem me probaſſe videri. *Crudelis Impia Mater* occurrit apud Fabrett. p. 236. uti etiam *Scelerata* pag. ſeq.: ſed [ut is recte explicat] eæ voces infortunium ſignificant, quod nullo ſuo crimine, ſed *crudeli Fatorum lege*, in filiorum amiſſione parentes tuliſſent: Extant poſt præclarum opus Diſſertationum ad Sæc. Benedict. Cl. Mabillonii recuſum Venetiis 1740. excerpta quædam ex primo volumine Inſcriptionum antiquarum Sebaſtiani Maccii, in quibus Camertem lapidem noſtro pene ſimilem ita lego: AIDAM. QVAE ME HOC CONDO MONIMENTO. NE OBRITIS. DOMOS. LAPSV. FILIIS.... IN. DESOLATA ORBITATE. SVPERS'M &c. i. e. *Vivam, quæ me hoc condo monumento, ne obrutis Domus lapſu filiis &c.* Similem noſtro hunc lapidem appellavi, eadem quoque falſitate notandum; Sed harum potius nugarum, quàm laboris ad longi operis finem jam properantis pertæſus, ſatis habui nugas appellaſſe, quas lapis nobis oſtendit: exhibuiſſe tamen operæ pretium exiſtimavi, ne Beneventanos aliquot lapides aut præteriſſe, aut neglexiſſe expoſtularer; qua re factum eſt, ut eidem lapidi alterum ſtatim ſubjicerem heic n. 225. non ineleganti quidem carmine lucubratum, ſed quo Lucretiano ſtylo ſublimius quid, Lucretianam vero Religionem eandem agnoſcas; probavit poſt Redium Gudius, ſed recentiorem manum ſubolere ſentio, qua lapidem ſuſpectæ fidei non invitus judicaverim: Recudendi etiam heic fuiſſent alii lapides, quorum alter ad Sullam pertinet, alter ad ſingulares Deos quoſdam: Sed ſatis erit alterum in hujus voluminis p. 7. alterum p. 32., cui fortaſſe lubeat, perlegiſſe. Fuere quondam, eruntque, nec fortaſſe deſunt, qui obeſis naribus omnino ex titulo probant, parique ex ingenio ejuſmodi res æſtimare ſolent: Sint igitur [ut Craſſus ridens apud Lucilium ajebat] talibus labris ſuæ lactucæ; nos merito ejuſmodi Epigraphes aut damnamus falſi, aut certe ſuppoſititias, ſpuriaſque ſuſpicamur.

Digitized by Google



CLAS-

Litteratis lapidibus ad Ethnicos Beneventanos pertinentibus finem dabit hæc marmorea Tabula, quæ præire fortaſſe debuiſſet : Ante duos annos reſoſſa in Oppido *Macchiæ* Beneventanæ Diœceſis, ac ſumma fide diligentiaque deſcripta [ut heic exhibetur] ad me delata fuit . Archetypum mihi facile impetraſſem, niſi Neapolim ſtatim advectus fuiſſet , haud quidem ad Antiquitatis , ſed Iuris , Forique ſtudioſos , dum pro Religione Equitum Hieroſolymitanorum , in cujus prædio inventa fuit , aliquid , quod ejuſdem prædii controverſiam dirimeret , continere putaretur . Initurum me apud Eruditos gratiam exiſtimavi , ſi publici juris feciſſem : quandoquidem inter Antiquitatis Reliquias , quæ noſtro ævo erutæ ſunt , atque vulgatæ , novi aliquid in ea fortaſſe obſervare continget . Itaque non quid ea loquatur , ſignificetque , explicare ullum mihi conſilium , quod ſupervacui laboris eſſe, immo conatum omnem fruſtrari poſſe animadverterem: id quod de celeberrimis Eugubinis Tabulis jam conſtat , in quas quicquid divinare contenderit Bernardinus Baldus pro variis ariolationibus Viri docti habent ; quod de aliis monumentis Etruſcis hactenus explicatis non temere judicari poſſit , ut ſaltem temere id fuerit a Viro alioqui doctiſſimo deprædicatum , ſibi ejuſmodi monumentorum ſubſidio lucubrandæ Hiſtoriæ Etruſcæ & conſilium eſſe & vires ſuppetere: non inquam quid noſtra Tabula, ſed qui potius ibi loquantur , ex litterarum forma conjectare ſatius mihi fuerit . Primum igitur earundem litterarum formam cum aliis monumentis comparandam cenſui , quæ hactenus ex antiquitatis latebris eruta diverſos a communibus græcis latiniſque caracteres præferunt . Primam Eugubinam Tabulam apud Grut. p. 142. [nam reliquæ Latii quidem literas non vero ſermonem habent] ad Etruſcos pertinere Eruditi pene omnes conveniunt ; atque huic omnino Genti monumenta omnia vetuſta , intra tranſtyberinæ Italiæ fines detecta , inſuetamque vetuſtis latinis literis formam exhibentia attribui ſolent . Sic altera , quæ Cluſii ab eod . Grut. exhibentur p. 145. n. 2. & 3. , quibus addenda ſunt monumenta alia cum Etruſcorum ſepulcris editis a Petro Sanctio Bartolio Fig. XCI. ad XCVI. in Theſ. Gronoviano vol XII. p. 74. Ad hæc, Vrna tum Etruſcis , tum Latinis ſeorſim litteris inſculpta habetur apud Donium cl.xv. n.44. Utroque etiam ſermone propriiſque cujuſque literis inſcriptus lapis extat inter Marm. Piſaur. n. XXVII. , quibus addendus quoque erit inſcriptus Vrnæ labiis titulus ſolis Etruſcis apud cl. Maffejum *Ragionamento degli Itali primitivi poſt Hiſt. Diplom.* p.240. Conſulenda etiam mihi fuerunt vetuſtiſſima Græcorum monumenta , præcipue vero Alphabetum illud a doctiſſimo Chishull ex vetuſtiſſima Inſcriptione Sigea efformatum , quod extat tom. IV. Theſauri Muratoriani p. MMCIV. , in quo quidem præter græcum ipſum , etiam Etruſcum inverſis literis , ac vetus latinum Alphabetum exhibetur . Duo præterea mihi hactenus occurrerunt vetuſtiſſima monumenta , quorum alterum Punicis literis apud eundem Muratorium p. 1982. n. 3. alterum Phœniciis apud P. Lupum in Epit. S. Sev. p. 86. conſcripta putantur . His autem omnibus ſi noſtræ Tabulæ Alphabetum comparaveris , aliquas , in ea Græciæ , Latiique literas ſatis paucas inveniſſe erit , reliquæ omnes longe ab illis diſcedere cernuntur: vix una , vel altera ad Etruſcorum formam accedit , quin , ſi ex latinis græciſque literis noſtræ Tabulæ admiſtis judicare liceat , læva ad dexteram dictiones videntur excurrere, quod de Etruſca lingua adhuc ſe dubitare ajebant viri doctiſſimi Scaliger , Bochartus , & Salmaſius , ut Maffejus animadvertit l. l. Cui itaque hoc monumentum attribuendum erit ? Cito dicam , quod non inepte fortaſſe conjecerim : Aliquid certe hæc Tabula Samnitici ſpirat, redivivaſque majorum noſtrorum literas oſtentat . Favet certe locus ubi ea reperta fuit intra veteres Samnii fines conſtitutus, confirmatque ab cæteris omnibus Latinis , Græcis , Etruſciſque diverſa literarum forma : De Samnitibus Nummis Diſſertationem a ſe lucubratam memorat ad dictum marmor Piſaur. XXVII. doctiſſimus Oliverius , mox tom. II. Acad. Cortonen. edendam : An , ſi qui ſunt in hiſce nummis caracteres , noſtræ Tabulæ reſpondeant , adhuc mihi ignoratur , neque enim eam Diſſertationem ad manus habere ficuit . Cæterum Samniticæ Gentis nobilitas dubitare non finit , quin propriæ , quam teneret linguæ ab aliis quoque diverſam ſcribendi formam colere debuerit , quæ frequentes literarum nexus habuiſſe videtur ex ſecunda noſtræ Tabulæ linea , quæ gemino nexu incipit , clauditurque . Oſcam autem linguam [ſi fides Livio lib. x.] vernaculam Samnitibus fuiſſe conſtat ; dum Conſul Volumnius ex ſuo Exercitu delegit oſcæ linguæ gnaros , ut clam Samnitum caſtra adeuntes eorum res , ſermoneſque explorarent : Sabinorum vero linguam Samnitibus attribuit Varro *lib.* XIX. *Rer. Human.* docens , *Multa vocabulum non latinum , ſed Sabinum eſſe , idque ad ſuam memoriam manſiſſe in lingua Samnitium , qui ſunt a Sabinis orti* . Vid. Voſſium in *Etymol.* Sabinas , Oſcaſque plures dictiones meminere veteres Scriptores , earumque ſignificationes , ſed quæ latinis literis , ab illis redditæ , ſuis modo heic occurrentes nullo negotio explicari queunt : Non autem turbare debet , quod aut græcarum , aut latinarum literarum aliquæ in noſtra Tabula adhibeantur : quanquam enim non is ego ſim , qui cum doctiſſimo Marchione Maffejo decernere audeam literarum latinarum formam Græcis fuiſſe antiquiorem , quam veteres Pelaſgi poſteriorum Tabularum Eugubinarum auctores uſurparent, ſic tamen ſentio , incerta videri omnia , quæ de latinarum , græcarumque literarum inventoribus tradidit Tacitus *Annal.* XI. atque ad ejuſdem locum obſervavit Lipſius : tum pariter , nihil tam ſimilius veri , quam ut quarundam literarum formam altera gens ab altera mutuaretur , aut etiam quæ apud unam jamdiu obtineret , fortuitò (quod in vario exiguæ literæ ductu evenire facillimum) ab altera ſimilis omnino, vel prope ſimilis forma inſtitueretur.

Digitized by Google

INSCRIPTION. BENEVENTANÆ.

CLASSIS DECIMA

Monumenta Veterum Christianorum.

Prope DD. Alferios.



[a] Dignissimum lapidum Christianorum initium ab ipso Christianæ salutis initio CRVCE, quam lapis hic inter figla C. R. mediam repræsentat. De Cruce plura post Lipsium, quàm ex Lipsio, dixi in Dissert. XI. cap. 1. At præter Crucem, hujus nostri lapidis ad Christianos pertinentis argumentum LVPVS ostendit, cui nullum prænomen, aut cognomen; Nomen etiam confirmat ipsum; quo posterioris ævi homines vocitari delectabantur. Veterum lapidum, qui solis plerumque notis, aut figlis constant, non rara nobis exempla etiamnum suppeditat Antiquitas: Vid. Fabrett. cap. 1. p. 22.. In ejusmodi vero explicandis inscriptionibus interprete, aut etiam divinatore opus fuerit, qualem me agere noster lapis compellit. Itaque priora figla, inter quæ Crux media assurgit, si Crucis ipsius effigies pro vocabulo adhibita fuerit, sic interpretor. CVM CRVCE REQVIESCO. & sane non insuetum, ut vocabuli loco Crucis imago fungatur. Sic apud Gruter. p. 1054. n. 3.

EX BENEFICIO S ✠ PER
IOANNEM EPISCOPVM ET
PER ALBERTVM S. ✠
CASATVM. FACTVS EST
LIBER LEMBERTVS
TESTE HAC SANCTA
ECCLESIA

Idem quoque de Christi vocabulo usurecptum, qui solo monogrammate exprimitur apud Gudium pag. 367. n. 12. & Murator. p. 1854. n. 1. VIXIT IN · ☧ vel CANDIDATO IN ☧ QVI VIXIT XC. Si igitur *Cum Cruce Requiescit Lupus*, jam posterioribus figlis dicere potuit: RESVRGERE SPERO. quod etiam Nolani lapidis exemplo probatur apud eundem Gruter. d. pag. n. 6. ubi sic legitur.

LEO III. CREDO
RESVRGERE

Sic etiam p. 1050. n. 3. Abrelius Balbus dicitur

IN SPE RESVRRECTIONIS QVIESCERE.

Et sane Resurrectionis certam Spem, aut Fidem, quæ Christiano cuique propria erat, in eorum monumentis, tum Symbolis, ut puta Lazari, Ionæ, aliisque id genus, quæ apud Aringhium, Boldettum, alioſque Sacræ Antiquitatis explicatores occurrunt, nosque ex patriis Antiquitatibus illud Ionæ, & Piscis ex ejus Archetypo protulimus in Dissertat. XI. pag. 208., tum etiam verbis testatam ipsi volebant, unde *Depositionis* vocabulo, qua corporum tumulatio iis vocari solebat, peculiarem significationem tribuendam observavi eadem Dissert. XI. pag. 296. & seqq. Atque hanc quidem lapidis explicationem primum excogitasse licuit; si cui vero non omnino probatur, alteram jam præstabo: Ac nummis potius, quam lapidibus præeuntibus, priora illa figla Crucis lateribus insculpta CHRISTI RELIGIO satis apte reddi possunt: Enim vero Nummi sequioris Ævi, quos Muratorius passim exhibet in De Iure condendi nummos Tom. II. *Ant. med. Ævi Dissert.* 17. cum Crucis effigie hisce figlis utrinque insculptis plerumque conspiciuntur, quibus eadem, quæ dixi, vocabula significantur, ad Crucem revera pertinentia: Atque eidem profecto Cruci aptissime quoque posteriora figla R. S. respondebant, quibus REIP. SALVS expresse videntur: quod nulli verius, atque opportunius, quam salutari ipsi signo convenire jam patet. At quid LVPVS ante ea figla? Illius certe nomen agnosco, qui lapidem in eam formam inscribendum, faciundumque curavit: quum vero posteriora figla antecedat, verisimile illud quoque erit, eadem figla non ad superiorem Crucem, sed ad eundem *Lupum* pertinere, virum aliquem fortasse præstantem, qui de Re Beneventanorum publica optime meritus eo præclarissimo titulo decorari fuerit dignus.

Digitized by Google

Tabula e lapide pario tripalmaris ante ſex annos reſoſſa in novis Ædibus D. Principis Morræ, a me deſcripta. Vide d. Diſſert. XI. cap. I.

2
⁜ HIC REQVIESCIT MA
MERCIVS MARCELLINVS
VIˢ CVRATOR QVIˢ VIXIT ANNˢ
P̄M XXX DEPOSITVS S Dˢ JIII
NONAS NOVEMBRˢ FLAVIIS
SYMMACHO ET BOETIO V̄V̄
CON̄SS

Prope Portam Rufinam. [a]

3 HIC REQVIESCIT
IN PACE AMPELIVS
QVI VIXIT ANNVS *ſic*
X. INDICTIONE SEXTA
P. C. BASILI V. C. ⁜

Gruterus pag. 1050. num. 5.
In Domo Joh. Pantaſiæ.

4 AVRELIVS
MVNNVS
QVI VIXIT AN. II
DEP. IIII. K. IVL
DIE MERC

In Janua

[a] Ad temporis notas, nempe Indictionem Sextam, & Poſt Conſulatum Baſili, quæ in hoc lapide habentur, plura dixi in d. Diſſert. XI. cap. I. Formulam IN PACE in Chriſtianorum ſepulcralibus titulis paſſim inſcriptam, eorum duntaxat propriam, ac peculiarem rectè agnoſcit Cl. Mabillonius *De Cult. SS. Ignot. §. VI.* & Cl. Lupus *Ep. S. Sev. pag.* 104. Hac autem Formula (in qua explicanda ſuæ quoque inter Mazochium, & Sabatinum concertationes non defuere in Epigrammatis Hilari Commentationibus) Mazochii ſententiam partim admiſerim, uti ea nempe *in Communione Eccleſiæ* defunctum demonſtraret: Id quod multis confirmari poteſt: Pacem enim, quam Chriſtus Terras ingreſſus hominibus bonæ voluntatis, ideſt futuris fidelibus ſuis annunciatam voluit, è Terris demum diſcedens Eccleſiæ ſuæ veluti teſtamento reliquit, Apoſtolis inquiens, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, in ſuorum duntaxat fidelium communione præcipuè poſitam ſemper cuſtodivit, & ſervat Eccleſia: Hinc ad Eccleſiaſticam Pacem non modo Infideles non pertinebant, ſed neque ii, qui Chriſti Fidem profeſſi gravioribus inquinati delictis, velut membra putrida a Fidelium corpore abſcinderentur; quibus demum legitimis pœnitentiæ ſpatiis expiatis denuo *Pacem dari*, ideſt ad Communionem admitti mos erat, ut præter alios ex S. Cypriani ep. 2. lib. I. & ep. 15. lib. 3. ſatis conſtat: Adeò autem ejuſmodi Pax veræ Eccleſiæ propria, ut certam ejus notam agnoverit Tertullianus, qui in *De Præſcript. cap.* 41. Hæreticos vel ex eo tales deprehendat, damnetque, quod *Pacem cum omnibus paſſim miſcerent*: Atque hæc quidem ſatis liquent, dum *Defunctus in Pace*, vel tantum *in Pace* ſcriptum ſit. Quid vero, ſi IN PACEM dicatur? En ſatis celebrem lapidem Fabrettianum pag. 574. num. LXI. LEOPARDUM IN PACEM CUM SPIRITA SANCTA ACCEPTVM &c. Simillimmam reperio Tertulliani loquutionem, qua is Librum *de Exhort. Caſtit.* ſic orditur: *Non dubito, Frater, te poſt Uxorem* IN PACEM *præmiſſam* &c. ideſt *poſt Uxorem præmortuam, cui ſuperſtes fuiſti*: Habes igitur alteram *Pacem* Chriſtianorum monumentis etiam uſurpari conſuetam, non aliam certè, niſi ſolius Animæ Pacem, quâ in Patria fruatur, Pacem, inquam, æternam perfectam, non *Militantis*, ſed *Triumphantis* Eccleſiæ propriam, ad quam profecto pertinent conſimiles formulæ illæ in Ind. Grut. cap. 24. *Requieſcit in Pace Domini*, vel *In Refrigerio*, & *in Pace*, & alia ejuſmodi paſſim, quæ ad ſolam Animam Corpore jam ſolutam pertinere videntur. Sed & tertio loco ſuam Corpori Pacem agnoſcere licebit, in ſepulcralibus titulis itidem expreſſam: Huic enim, licet ob Animæ diſceſſionem omnis ſenſus experti, requietem tamen, ac imperturbatam manſionem non modo Chriſtiani ſolicitè curabant, ſed etiam inſcriptis monumento, quibus Violatores deterrerentur, diris, ſibi cavere ſatagebant; Exempla plurima dabunt Chriſtiani lapides apud Fabrettum pag. 110. apud Muratorium pag. 1842. alioſque: quas quidem diras licet *pietati*, & *manſuetudini Chriſtianæ diſformes* Reineſio permittemus ad 440. Claſ. XX., nullo tamen pacto hancmet *Corporis Pacem* apud Chriſtianos, qui uſurparunt, aut apud nos, qui uſurpatam affirmamus, *è gentilium ſchola* [ut Vir ſummus ajebat] *petitam profano ſenſu* damnabimus: Certè non Animæ, ſed Corporis Pacem memoratam legimus in libro Eccleſiaſtici cap. 44. 14. *Corpora eorum* IN PACE *ſepulta ſunt*. Atque ex hoc loco non modo Chriſtianis, qui tantopere hanc Pacem curabant, Divinus Scriptor præiſſe videtur, ſed ſuam etiam mortuo Corpori Pacem quærendam docuiſſe, quæſitamque commendaſſe probatur: Cur vero Pax votis, reque ipſa non dabitur Corpori, cui licet tunc inanimo, adhùc ſumma dignitas ineſt, quippe quod inſtrumentum olim fuerit, [ut ait S. Auguſtinus in lib. De Cur. pro mort. agen.] *quo ad bona omnia Sanctus uſus eſt ſpiritus*: Cui demum reſurgenti, ac denuò cum ipſa Anima copulando, ejuſdem gloriæ conſortium debetur. Vide a me dicta Diſſert. XI. cap. II.

Digitized by Google

In Janua Conventus PP. Carmelitarum. (a)

5 ISPIRITO SANCTO SEX
TILIO LEONI LVCRE
TIA PRIMA CVM QVO
VICXIT ANNIS XXXIII
M. VIIII. D. XII. CON
IVCI INCOMPARABILI
B. M. F

In ingreſſu Monaſterii P. Lupi videbatur.

6 AVRELIAE SEVERINAE
NEOFATAE QVAE VIXIT MECVM...
EGO AVRELIVS SABINIANVS ME
RENTI FECI

Prope dirutam Eccleſiam S. Arthelaidis.

7 C. L. LEPID. QVI VIXIT MECVM SINE ALIQVA VITE *ſic*
ANN. X. M. VIIII. D. XIII. C. DISCOLIVS
ART. B. M. F. D. PRID. NON. AVG

E ſchedis Veruſii.

8 .....MEMORIAE VENERANDAE QVIESCIT
.....DEP. IN PACE NONAS OCTOBR
.....ELLA V. C. CONS

Mendum in detruncato licet Conſulis nomine admiſſum puto: aut enim MeſsALLA is fuit, cujus nominis Conſul ſignatur tum an. 280. tum etiam an. 506., itaut ſuperſtitum literarum prima non E, ſed A exiterit; vel potius *Hellus* hic fuerit, qui ſolus Conſul proceſſit an. 478. ſicque poſtremum A mendosè pro O aut inciſum, aut deſcriptum ſit. *Venerandæ Memoriæ* encomion, ſeu titulum non alibi legiſſe memini: Ætatem ſatis poſteriorem redolet, Viroque cuipiam Eccleſiaſtica Dignitate præſtanti, (cujus nomen deſideratur) tributus videtur, nam & *Bonæ Memoriæ* titulum tantummodo promeruiſſe legitur *Sanctulus Subdiaconus* apud Gudium pag. 372. num. 1.

INDEX

[a] De hoc vocabulo ISPIRITO SANCTO non recoquam, quæ V. C. P. Lupus in Epit. S. Sev. §. 17. plena eruditaque manu obſervavit: Illud certum cum Viro docto ſtatuimus, ejuſmodi nomen a quarta declinatione, atque à maſculino genere, quibus antiquo, optimoque Latii jure potiebatur, barbarie Romanum vulgus invadente, ad ſecundam declinationem, arbitrariumque genus deſciviſſe: Mirum deinde, ac penè horrendum, quot modis in vocabuli Orthographiam Barbaries eadem debacchari perrexerit; hinc monſtroſa illa ISPIRITO. ISPIRITO. HISPIRTO. & ISSPIRITO paſſim occurrunt. Dubium tamen mihi jam fuerit, quid vocabulo ipſo Chriſtiani ſignificarint; an, inquam, de ipſius defuncti anima, vel de SPIRITU τῷ ΠΑΡΑΚΛΗΤΩ dicere conſueverint. Poſteriori P. Lupus omnino adjudicandum cenſet; atque VV. CC. Mabillonii, & Fabretti diſcidium in Leopardi Epitaphii verbis [quæ pag. anteced. recitavi] explicandis, quæ alter ad *Confirmationem*, alter ad *Baptiſmum* pertinere ajebat, ſic dirimit, ut neutrum ibi Sacramentum habeatur expreſſum, ſed *acceptionem*, ſeu admiſſionem Leopardi *cum Spiritis Sanctis* (quarto caſu pro ſexto præpoſitioni *Cum*, ut illius ævi fuit, attributo, ac *Spirita Spiritorum* inflexione uſurpata) ideſt *in Eccleſia*, *ſeù cœtu Sanctorum* memoratam definit: De Lupi explicatione mox dicam: interim graviter Reineſium peccaſſe ſcimus, qui ejuſmodi vocabulum *Spiritus Sanctus* non adjectum, ſed proprii nominis loco poſitum putavit, jure proinde, ac merito à Fabretto reprehenſus: Sed Fabrettus ipſe, dum idem vocabulum ad ΠΑΡΑΚΛΗΤΩΝ quandoque pertinere cenſet, ut in laudato Epigrammate Leopardi, æquè tamen cujuſque *Animam Sanctam*, *Animam Innocentem* ſignificatam ſtatuit. At ſi mihi dicere fas ſit, aut nunquam, aut rarò Veteres Chriſtianos communi eodem uſos vocabulo crediderim, quo & *Tertium Divinitatis Nomen*, & humanam Animam indicarent: Fateor quidem Divinorum Codicum auctoritate, & Eccleſiaſtico more Animam *Spiritus* nomine appellari ſolitam, quod etiam Ciceroni, Vellejo, aliiſque ethnicis, ſed optimæ latinitatis ſcriptoribus uſu invenio receptum: At ſi *Sancti* epitheton adjeceris, remque ipſam ad Chriſtianos deduxeris, nunquam mihi ipſe perſuaſerim, ut, quod *notionale* Dei nomen evaſerat, vetuſtiſſimo, ab ipſis primordiis, Eccleſiæ uſu conſecratum (Dei inquam, ipſius, cujus fides ab Chriſtianiſmi natalibus, viſibili ejus illapſu, in recentes Fideles, teſtatiſſima omnibus, ac pervulgatiſſima habebatur) promiſcue adeò ſuis animis Chriſtiani mutuarentur, ut jam nomine ipſo nihil inter Deum hominesque intereſſe amplius videretur. Accedit, quod præter ipſam reverentiam ei nomini debitam, nulla ejuſdem uſurpandi apud Chriſtianos neceſſitas fuerit, qui vel *Animam Sanctam* dicere poterant, ut paſſim dixere, vel *Spiritum* dicentes non *Sancti* epitheton, ſed *Innocentis*, *Digni*, *Merentis*, *Incomparabilis* adjicere in promptu habebant, ac revera adjeciſſe plurimi ſunt, qui doceant lapides Fabretto, & Lupo haud ignorati. Quam dixi ſententiam noſtro ipſo lapide mirè confirmatam habeo; non enim ibi legitur *Iſpirito Sancto Sextilii Leonis*, quod idem eſſe videretur, ac *Animæ Sanctæ Sextilii Leonis*, bene verò *Iſpirito Sancto Sextilio Leoni*, itaut poſteriora nomina à prioribus non gignantur, ſed utraque diverſo caſu poſita, diverſam ſignificationem præferre videantur. Itaque illud ISPIRITO SANCTO non aliud eſſe conſtat, quàm *In Spiritu Sancto*, ac deinde ſequatur. *Sextilio* Leoni, cui nempe Lucretia Uxor monumentum poſuit: Quod autem in noſtro lapide jam obſervatum, in aliis etiam facile animadvertere eſt, perpetuum ferè ac conſtans, ut ejuſmodi vocabulum aut ipſo ſtatim exordio, aut etiam in fine apponatur, eodem quidem modo, ſimilique formula, quâ IN CHRISTO. IN DEO. IN DOMINO JESU. IN PACE. & alia id genus plurima Veteres Chriſtiani in ſuis monumentis inſcribere ſolebant: quod ſi vocabulum, de quo tandiù agimus, ita adhibeatur, ut nonniſi cum aliis verbis cohæreat, illorumque ſenſum compleat, nunquam tamen propriâ, quam ei vindicavimus, ſignificatione defeciſſe videri debet, quin ſignificationem eandem ſatis aptè congruenterque ſervaſſe omnino videatur. Sic ad Lapidem Boldetti p. 87. *Conjuca innocentiſſima refrigera cum Spirita Sancta* [quod idem eſſe, ac *refrigereris cum Spiritibus Sanctis*, ingenioſe explicat Lupus] ſi *cum Spiritu Sancto* legerimus, ut etiam in Leopardi epitaphio eundem *cum Spiritu Sancto acceptum* dixerimus, planior quidem, nec non Divini Nominis reverentiæ, ac Veterum Chriſtianorum Religioni magis conſentanea erit interpretatio.

Digitized by Google

INDEX

IN ANTIQVAS INSCRIPTIONES BENEVENTANAS.

PRIOR NUMERUS PAGINAM, POSTERIOR EJUSDEM PAGINÆ INSCRIPTIONEM INDICAT.

§. I.

DEORVM NOMINA, EPITHETA, ÆDES, SACRA, SACERDOTES.

Æsculapius Pergamenus. VI. 30.
Attini. II. 9. 10. 11.
Baccho. VIII. 1.
Cæreri. IV. 22.
Cereri, & Coræ. VIII. 1.
Deo Æterno. VII. 32.
Dianæ Celesti. IV. 20.
Genio Coloniæ Beneventanæ. V. 25.
—— Loci. IV. 22.
Hecatæ. VIII. 1.
Herculi. III. 14. 16.
HPAKΛH. III. 13.
—— Servatori. III. 15.
—— Conservatori. XX. 15.
Jovi Tonanti. I. 1. 4.
—— Tutatori. I. 3.
—— Victori Pacifero. I. 2.
Junoni Quiritei. I. 8.
—— Reginæ. I. 5.
—— Stygiæ. I. 6.
—— Veridicæ. I. 7.
Libero. VIII. 1.
Matri Deum. II. 9. 10.
Mesiæ. V. 28.
—— & Setiæ. V. 28.
Minervæ Berecintiæ. II. 9.
—— Paracentiæ. II. 10. II. 12.
Mithræ Soli. V. 26.
Nymphis. V. 27.
Pietati. IV. 23.
Silvano. IV. 19.
—— Casanico. IV. 18.
—— Stajano. IV. 17.
Veneri. IV. 21.
Victoriæ Augustæ. VI. 31.
Ædes Saturni. XX. 13.
Ara Taurobolica. II. 9.
Cæsareum. VI 29.
Signum cum Base. IV. 19.
Templum. III. 16.
Tribunal ex permissu Pontiff. XXXIX. 2.
Augustalis. IX. 6. & seqq.
—— Claudialis. X. 14. 18. XII. 8.
Aug. II. Quinq. i. e. *Augustalis iterum Quinquennalis*. XXVIII. 10.
Augur. II. 9. VIII. 3. XXI. 17.
Isiaca. VIII. 1.
Haruspex Publicus Primarius. II. 10.
—— Ex Ordine LX. VIII. 4.
Hierophantria. VIII. 1.
Pontifex. VIII. 2. XI. 6.
Sacerdos XV. VIR. II. 9.
—— Prima. II. 11.
Sacerdos Secundo loco. II. 11.
Sodalis Hadrianalis. XX. 15. & 16.
VII. Vir Epulonum. XX. 13.
Consacerdos. II. 10.
Sacerdotes Capulati, VII. 32.
Vestalis. VIII. 5.
Tauroboliata. VIII. 1.
Criobolium. II. 9.
Taurobolium. II. 10. 11. 12.

§. II.

AUGUSTI, AUGUSTÆQUE CUM SUIS EPITHETIS.

Imp. Cæsar Divi Filius Augustus. XIX. 12.
Cæsar Divi Augusti. XXV. 1.
Divus Claudius Augustus. XXXIV. 5.
Commodus Pius AUG. III. 15.
—— Pius Felix. XXV. 2.
Trajanus Fortissimus Princeps. XVII. I. XXV. 3.
Hadrianus. XXI. 17 XXV. 4. XXXI. 10.
Septimius Severus. XVII. 2. 3. XXV. 5. XXVI. 6.
M. Aur. Antoninus, iæ. Caracallus Severi Filius ibidem cum Severo Patre.
Gallienus Magnus, & Invictus. XVII. 4.
Constantinus Max. Victor, & Triumphator. XVIII. 5.
Julianus Nob. ac Beatissimus Cæsar. XVIII. 6.
Julianus Aug. Pius Felix Invictus Bono Reip. Natus. XVIII. 7. XIX. 12.
Julia Aug. Mater Aug. & Castrorum. XVII. 2.
Helena Aug. Mater D. N. Constantini. XVIII. 5.
Valerianus Divus Parens Reip. XIX. 9.
Valens, & Gratianus. XIX. 8.
Theodosius Invictissimus. XIX. 10.
DDD. NNN. Theodosius, Arcadius, & Honorius. XIX. 11. & 12.

§. III.

MAGISTRATUS MAJORES MINORESQUE.

Advocatus Fisci. XXVII. 1.
Ædilis I. D. i. e. *Juri Dicundo*. XI. 5. 6. XII. per tot. XXIX. 1.
Ædilis IIII. VIR. XI. 7.
Adlectus in Ordinem Decurionum. XIII. 16.
Adlectus inter Consulares. XXII. 21.
—— inter Prætorios. XXIII. 26. XXX. 5.
Comes Fabricarum. XXVII. 4.
CER. I. D. QQ. i. e. *Cerealis Juri Dicundo Quinquennalis*. XIII. 14.
PR. CER. IURID. i. e. Prætor, seu Præfectus Cerealis Juridicundo. XIII. 15.
PR. CER. I. D. QQ. *ut supra*. XIII. 16.
Corrector Regionum Duarum. XXII. 22.
—— Apuliæ, & Calabriæ. XXII. 24.
Curator. XIV. 22.
Curator Fisci: XXXI. 10.
Curator Rei P. Benev. XVIII. 6.
CUR. R. P. BN. XXVI. 9.
Curator Muneris Diei Unius: X. 14.
Cons. Campaniæ, XIX. 9. XXI. 19. XXII. 20. XXIII. 25.

Digitized by Google

Curator Reip. Ærcanorum . XXI. 17.
—— Amerinorum . XXI. 18.
II. Vir Juri Dicundo . XI. 1. 2. 6. XXI. 17. XXIX. 1.
Decurio . XIV. *per tot.* XXXI. 10.
Honoribus functus in Colonia . XXXII. 11.
Juridicus per Apuliam . XX. 15. 16.
Juridicus Apuliæ, & Calabriæ . XXII. 21.
Honoratus ad Curam Reip. Canuſinor. XXI. 17.
Munerarius Bidui . XXXIV. 1.
Præſes Prov. Mœſiæ Superioris . XXII. 21.
Patronus Municipii . VI. 31.
Patronei Turreis . XX. 14.
Patronus Coloniæ Beneventanorum largiſſimus, atque honorificentiſſimus . XXVII. 3.
Patronus ab Origine . XXII. 27.
—— Ab Atavis . XXII. 20.
—— Ab Avo & Majoribus . XXVIII. 7.
—— Digniſſimus . XXIII. 25.
Pro Coſ. Campaniæ . XXIII. 27. 28.
—— Provinciæ Sardiniæ . XX. 15. 16.
—— Provinciæ Siciliæ . XXI. 18.
Præfectus Fabrum . XXI. 17. XXXVIII. 1.
Præf. Jur. Dic. Boviani, & Beneventi . XXII. 23.
Præſes Prov. Mœſiæ Sup. XXII. 21.
Quæſtor . XXI. 17. XXIX. 1.
—— Provinciæ Macedoniæ . XXI. 18.
IIII. VIR. Quinquennalis . VI. 31.
IIIIVir Stlitibus Judicandis . XXI. 18.
VI. Curator . LXI. 1.
Summæ Rei Judicio Sacro Promotus . XXVII. 1.
Scriba Ædilicius . XII. 11.
Tribunus Plebis . XXI. 18. XXII. 21.
XVIR Stlitibus Judicandis . XXIII. 26.
Vice Sacra Judicans . XXIII. 27.

§. IV.

PROFESSIONES, ARTES, COLLEGIA, OFFICIA.

Actor . XXXV. 8.
Ærarius . XXXVI. 13.
Archiater Beneventi . XIII. 14.
Artifex Organorum . XXXVII. 14.
Artificiorum omnium ſtudioſiſſimus . XXXVII. 15.
A Studiis . XXXIV. 5.
Grammaticus . XXXIV. 2.
Medicus . XXXIV. 3. 4.
Mercator . XXVII. 6. XXXV. 6.
Mercurialis . XXVII. 5. 6.
Meſor Ædificiorum . XXXVI. 9.
Nummularius Mercurialis . XXXV. 7.
Orator, & Poeta inluſtris . XXII. 21.
Poeta Latinus Coronatus . XXXIV. 1.
Tector . XXXVI. 10. 12.
Veſtiarius . XXXVI. 11.
Studia IIII.
—— Martenſium Verzobianum .)
—— Martenſium Palladienum .) XXVII. 1.
Studium Palladianum . XXVII. 2.
Collegium Martenſium Infraforanum . XXVII. 3.
Collegium Martenſium Verzobianum . XXVIII. 7. 9.
Collegium Medicorum . XXVIII. 10.

§. V.

MILITARIA.

Ab Actis . XXXI. 10.
A Quæſtionibus . XXXI. 10.
Adjutor Mil. Coh. III. Prætor. XXXII. 12.
Adjutor Quæſtoris . XX. 6.
Adjutor Tribuni . XXXI. 10.
Adlectus inter Prætorios . XXIII. 26. XXX. 5.
Centurio . XIV. 20. XXIX. 4.
7. Leg. IIII. F. F. III. Haſt. XXIX. 4.
Cornicularius . XXXI. 10.
Donatus Haſta Pura, Corona Vallari . XXIX. 1.
Donis Militaribus Donatus . XX. 15.
Eques Romanus . V. 28. XI. 2. XIII. 14. 16. XXIX. 4.
Exornatus Equo publico . XXXII. 11.
Legatus Leg. XIII. Gem. XX. 15. 16.
Legatus Candidatus . XXIII. 26.
Miles Leg. VI. Ferratæ . XXXII. 15.
Leg. VI. XXXII. 14 16. 17. 18. 19.
Leg. XXX. XXXIII. 20. 21. 22. *ſeqq.*
Optio in Coh. SS. XXX. 6.
Optio ab Actis .)
Signiferi .)
Arcarii .) XXXI. 10.
Valetudinari .)
Præf. Claſſium Prætoriarum . XXIX. 2.
Coh. VI. Vigilum . XXIX. 3.
Coh. I. Dalmatarum . XXVIII. 10.
Equitum in Prov. Pannonia . XXII. 23.
Ityreorum . XXI. 17.
Coh. II. Pannoniorum . XXI. 17.
Primopilaris . III. 16.
Prim. Pil. Leg. X. Gem. XXX. 9.
Secutor . XXXI. 10.
Sevir Turmar. Eq. Rom. XXI. 18.
Signifer Leg. XXX. XXX. 8.
Signifer Coh. I. Vigil. XXX. 7.
Teſſerarius . XXXI. 10.
Tribunus Militum . VIII. 3.
Tribunus Coh. VI. Vigilum . XXIX. 3.
Tribunus Mil. Leg. XII. XXIX. 1.
Tribunus Cohortium Primæ Prætoriæ, & VI. Vigilum . XXIX. 2.
Tribunus Beneficiarius . XXXI. 10.
Trib. Leg. IIII. Scithic. XXI. 17.
Trib. Laticlav. Leg. V. Maced. XXIII. 26.
Legionum III. Cyrenaicæ III. Gallicæ . XXIX. 2.
—— Leg. I. Adi. P. F. XXI. 18.
Veteranus Cohortis VII. XXXII. 13.

§. VI.

OPERA PUBLICA.

Apparatorium . XXVIII. 10.
Balneum Virile, & Muliebre . XXVI. 11.
Baſilica Longini . XXVI. 7.
Baſilica, in qua Tabulæ Muneris poſitæ ſunt . XXVI. 8.
Canopus propriis ſumptibus perfectus . XXVII. 3.
Compitum . XXVIII. 10.
Porticus Dianæ . XXVI. 7.
Porticus cum Apparatorio . XXVIII. 10.
Porticus omni ornatu elegantiæ . XXVI. 8.
Porticus omni cultu exornatus . XXV. 2.
Pons Vetuſtate dilapſus . XXV. 5.
Prætorium . XXV. 2.
Taberna . XXVI. 11.
Thermæ . XXVI. 9.
Thermæ Commodianæ . XXVI. 7.
Via Benevento Brundiſium . XXV. 3.
Opus Quadrigæ cum effigiæ Imp. Hadriani Aug. ex Argenti Libris MDVII. XXI. 17.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

ELOGIA DEFUNCTORUM CUM AFFECTIBUS SUPERSTITUM, ET AD IUS SEPULCRI PERTINENTIA.

Filiæ Optimæ. XL. 4.
Baſſææ Studioſæ Kariſſimæ Filiæ Meæ. LVIII. 198.
Filio Dulciſſimo, cui Mors acerva ceſſit, XLVI. 47.
Patri Optimo. XL. 3.
—— Piiſſimo. XL. 5.
Parentibus Dulciſſimis, atque Incomparabilibus. XLII. 20.
Viro Optimo. XLI. 8.
Conjugi Pientiſſimo. XLI. 11.
Conjugi Incomparabili, Benem. Piæ. LIV. 142.
—— Sanctiſſimæ. XLI. 15.
Uxori Sanctiſſimæ. LIX. 207.
Antiquâ Vitâ vixit, Fidei, ac Diligentiæ Clariſſimæ. XLI. 12.
Raræ Caſtitatis Fœminæ. XLI. 16.
Caſtiſſimæ Fœminæ. LII. 137. LVII. 196.
Fœminæ Incomparabili ſibiq. amantiſs. LIX. 210.
Nam fuit exima ſpecie miroque decore
Membra inerant vere corpore digna ſuo.
Bade Vale Dulcis. LIV. 140.
Mater Valeria Infeliciſſima Mater. LIX. 220.
Parentes miſerrimi. LVIII. 201. LIX. 212.
Parentes per quam infeliciſſimi Luxuri. XXXVII. 15.
Parentes infeliciſſimi amiſſione ejus perpetuis tenebris, & quotidiana miſerabili ululatione damnati. XLIII. 24.
Nepti dulciſſimæ, LIII. 141.
Cognatæ i. e. *Glori, ſeu Fratis Uxori*. XLIX. 80.
Noriculæ i. e. parvæ Nurui. LIII. 136.
Animæ Innocentiſſimæ, cum qua vixit ſine ulla Querela. LII. 116.
Fœminæ Fideliſſimæ, & incomparabili. LI. 103.
Alumnus Pientiſſimorum Piiſſimus. XLIV. 35.
Alumnus, & Libertus Piiſſimus. XLIV. 37.
Alumnus Domino Dilectus, quoquo iret Semper Comes, Poculi Miniſter, doctus Paleſtræ Puer. XLIV. 31.
Frater Innocentiſſimus. XLI. 14.
Soror Fratri Benemerenti. XLVII. 63.
Filia Dulciſſima, & Piiſſima. LIII. 128.
Qui amarunt Alumnum ſuum, XLIV. 32.
Infelix Fatum prior debuit mori Mater. XLVI. 48.
Deceſſit Superſtitibus Parentibus. XXXII. 11.
Ingenua Adoleſcentula. LVIII. 199.
Adoleſcentula Dulciſſima. LVIII. 199.
Hic Jucunda ſepulta eſt Delicia ejus. XXXVI. 10.
Homini Bono, XL. 6. 7.
—— Dulciſſimo. XLI. 10.
—— Pluſquam Benigniſſimo, XLI. 9.
Juvenis probiſſimus, ac fideliſſimus. XLIV. 34.
Huic Dominus ob merita ejus, & probitatem, quod eum pleno affectu dilexerit, fecit. LVI. 153.
Quod fore morte . . . . .) LX. 218.
Id Cineri Infelix . . . .)
Contubernali Dulciſſimo. LV. 145.
Contubernali Kariſſimæ. LV. 147.
Hoſpiti Bene Merenti. LV. 144.
Patrono ſuo idem Conjugi Benemerenti. LII. 122.
Hoc nunc eſt pondere clauſus, æternaſque lacrimas reliquit Carpo Parenti. XIV. 23.
Conjugi qui vixit ætati An. XLV. & mecum An. XVIIIS. XLVII. 64.
Memoriæ Actoris Fideliſſimi. XXXV. 8.
Benemeritis ejus. XL. 78.
Hos Decuriones Funere publico de Foro è Tribunali efferendos, & hic humandos cenſuerunt, XXXVIII. 1.
In perpetuum VI. Idus Junii Natali Sabini epulantibus hic Paganis annuos ⊰ CCXXV. dari juſſerunt, ea conditione, ut Non. Jun. Pagum luſtrent, & ex conſuetudine ſua cœnent, XXVIII. 10.
Vas Diſomum, & Tribunal ex permiſſu Pontiff. perfecit, XXXIX. 2.
Duci fecit Itu Ambitu, XLVI. 54.
Abs Aſſe quæſitum Lucro ſuo ſive Fraude aliorum H. M. H. N. S. LIV. 143.
Vivi ſibi fecerunt, quem emerunt ⊰ CXX. LV. 160.
Hunc Monumentum Maceria cluſum. LVIII. 206.
Monumentum FACEIV curavit, Eideque probavit, XLVII. 55.
Arbitratu C. Luccei. XLVII. 58.
Hic ſum ſepultus, Hic Oſſa ſita, Valete, & Benefacite Vobis. LIII. 129.
Amici Valete. XII. 12.
His Sedibus adjunctus eſt Locus Sepulturæ. LI. 106.
Memoriæ Venerandæ. LXIV. 8.
Neofata. LXIV. 6.

§. VIII.

NOMINA, ET COGNOMINA,

A

Abutius Tertius. LII. 116.
M. Accius Ennius Sergianus. XX. 15. 16.
L. Acilius. XXXII. 17.
Acon Catullinus, VIII. 1.
Aconia Paullina. VIII. 1.
Aeontius Aper. X. 17.
C. Adjectius Macedo.) XIII. 15.
—— Narciſſus.)
Adelfi Clodius Celſinus, XXII. 22.
C. Adinius Suavis. LVI. 154.
Ælbutia Heli. LV. 161.
Ælia Rhodine. XLIV. 33.
—— Procula. LIX. 213.
Ælius Indutus. LIX. 213.
P. Ælius Venerianus. XXXIX. 2.
M. Ælius Creſimus. LI. 111.
Æmilius Zanuarius, XLIV. 37.
Æmilia, LVIII. 199.
Sex. Æquanius. XXXIII. 25.
Æpidia Secundina, XLIII. 30.
Afinia Acte. XIV. 17.
—— Liberalis. XLVI. 60.
—— Calliſta. LVIII. 200.
N. Afinius Hierax. XIV. 17.
—— Apulus. XIV. 17.
—— Fortunatus. LVIII. 200.
—— Tacitus. IX. 12.
—— Anteros. X. 15.
Agathobus Fauſtinus, XLVI. 51.
Albanus. XXXV. 6.
Albia Hilara, XXX. 8.

Digitized by Google

M. Albius . XXX. 8.
Alexander . LIX. 210.
Alexandria . XLVII. 69.
Alfia Fauſta . LVI. 156.
Allia Felicitas . LIX. 211.
—— Juſtina . LIX. 211.
Amarſia Secundina . XLVIII. 88.
Amarſius Clemens . LVIII. 204.
Ampelius . LXIII. 3.
Amaranthus . LVII. 194.
Annia Tarentina Primigenia . IX. 11.
—— Sabina Tranquilla . XXII. 23.
L. Annæus Tranquillus . XXII. 23.
Anicius Auchenius Baſſus . XXIII. 27.28.
T. Anonius Marcellinus . XXIII. 25.
Antonia Euche . LVI. 154.
C. Antonius Reſtitutus . LVI. 154.
L. Antonius . . . . . rus . VI. 30.
T. Antonius Felicianus . VII. 32.
Apineja . LVII. 173.
Aquilia Cerialis . LII. 126.
Argentaria . XL. 4.
Argentilla . LIX. 210.
Arconia Hilara . LVII. 189.
Arria Ruſa . LI. 107.
Artemiſia . XXXIV. 4.
T. Aſinius Antiochus . XXXVI. 11.
Atteja Priſca . XXIX. 1.
Attica . XLVIII. 72.
Aufillia . LVII. 175.
Audeja Sabina . LIX. 216.
Avoleja Reſtituta . LIX. 212.
Avidienus . XIV. 20.
L. Avidius . XI. 7.
Aurelia Hammonia . XLVIII. 70.
Aurelius Munnus . LXIII. 4.
—— Sabinianus . LXIV. 6.
Aurelia Severina . LXIV. 6.
L. Aurelius Rufus . III. 16.
M. Aurelius Herculanus . XLVI. 47.

B

C. Badius Jucundus . LI. 107.
P. Baſſæa Tannaria . XIII. 16.
Baſſæa Studioſa . LVIII. 198.
Betittus Calliſtus Iſena . LIII. 136.
Bettidia Plotina . XLVIII. 77.
C. Bergonius . XI. 5.
Baſſus Benebentanus . LIII. 129.
C. Bibius Secundus . XLIV. 38.
N. Blæſus . LI. 103.

C

Cæcilia Secunda . XLIX. 85.
L. Cæcius Hilarus . X. 16.
—— Hermeros . X. 16.
—— Felix . X. 16.
M. Cæcius Tintinnabolus . XLVIII. 75.
M. Cæcilius Novatillianus . XXII. 21.
C. Cælius Baſſæus . XIII. 16.
T. Cælius Creſcens . LIX. 208.
Cæſia Priſca . X. 17.
—— Venus . XLII. 17.
Cæſius Modeſtus . L. 98.
Q. Cæſellius Surus . XXXV. 6.
Calcia Iſidora . XLII. 20.
L. Calejus . LIII. 131.
Calenus . L. 96.
C. Calpenus Eutichus . LI. 104.
Calphurnia Fauſta .)
—— Nomas .) IX. 9.
Calhemera . LVI. 153.
C. Calphurnius Lauſus . XLIV. 31.
—— Pancarpus . IX. 9.
M. Calventius Auctus . LII. 118.
M. Caprelius Corceus . XLIX. 81.
Carillius Oneſimus . LII. 117.
Carpus . XIV. 23.
M. Caſinejus Pætus . XXXIV. 4.
Caſtricia Feliciſſima . XLII. 20.
A. Caſtricius Achilleus . XLII. 20.
M. Caſcellius Secundus . XLIII. 25.
Catia . XI. 7.
C. Catius Balbus . XXXVIII. 1.
—— Gallus . XXXVIII. I. LI. 112.
L. Cauponius . LI. 114.
Cerrinia Julia . LV. 148.
Ceja Lucilla . XIII. 15.
Chryſis . LVIII. 205.
L. Cæſennius Soſpitianus . VIII. 4.
P. Cincius . XI. 4.
C. Claſſetius . XXX. 5.
Claudius Julius Pacatus . XXI. 19.
T. Claudius Lenius . XXXIV. 5.
Clepiana Auguſtina . XLIX. 86.
Clodius Celſinus . XXII. 22.
—— Octavianus . XXVI. 10.
A. Clodius Demetrius . XXXIV. 3.
C. Clodius Capito . LII. 119.
Clodia Alexandra .)
—— Clycera .) XXXIV. 3.
C. Cloelius Reſtitutus . XXXIII. 21.
Coccejus Silvinus . XLII. 17.
Cominia Lelauge . L. 93.
M. Compitius Valens . V. 28.
Concordia . II. 9.
Concordius Suavis . LVII. 192.
—— Fortunatus . XLVI. 49.
C. Concordius Syriacus . XXXIV. 1.
Q. Concordius Primus . XLV. 42.
Q. Cornelia Symipruſia . LII. 122.
Cornelius Priſcus . IV. 24.
Fl. Cornelius Marcellinus . XXII. 24.
L. Cornelius Saturinus . LII. 122.
Firmus . LVI. 160.
P. Cornelius Diocles . LI. 107.
—— Eupoles . L. 95.
M. Coſinius Primitivus . IV. 19. XL. 3.
—— Criſpinus . XLIV. 36.
Coſinia Celſina . II. 10.
—— Fortunata . XL. 3.
Creſcentina .)
Creſcentinus .) IV. 17. 20.
Creſcentina Matrilia . I. 6.
M. Craſſicius Caſtellus . XXXIII. 20.
M. Craſſus Saturninus . XLVI. 54.
Cruſtidia Reperta . L. 92.
Cruſtius Talaſſus . LIV. 153.
A. Curtius Primianus . XLV. 43.
Curtia Ecloge . L. 92.

Deme-

Digitized by Google

D

Demetrius. XXXIV. 3.
Didia. LVIII. 197.
Didia Procula. XLIX. 87.
—— Pollia. LVII. 195.
C. Diſcolius. LXIV. 7.
Domatia Quintilla. XLIV. 32.
—— Cyparis. LVIII. 196.
Domatia Fauſta.) XXXV. 6.
—— Talia.)
C. Domatius Phylax. XXXV. 6.
Dunlius Creſinius. XLIII. 28.

E

Edonion. XXXII. 16.
L. Egnatius Varanus. XLVII. 62.
Elitea Veſtalis. VIII. 5.
Elpiſticus. XVIII. 5.
C. Enetrus. IV. 21.
Ennia Recilla. LVI. 158.
—— Elena. LIII. 130.
—— Jucundilla. LIV. 139.
M. Ennius Macedo. LIV. 139.
C. Ennius. XI. 5.
Epidia Neria. XLVII. 55.
Epaphroditus. XXX. 8.
Epigonus. XXXV. 8.
Eron. XXXVI. 11.
Erullia Primula. LVIII. 202.
Etrilia Clemens. IX. 8.
Euploea. XXVI. 8.
Eureillia Clemens. LIX. 217.

F

Fabia Aconia Paullina. VIII. 1.
C. Faltonius C. F. Stel. Rufus. LX. 222.
C. Falcidius. I. 8.
Fauſtus. LIII. 138.
Felicitas. XXXIX. 2.
T. Felix. XXXVII. 15.
Fides. XXI. 18.
C. Firmilius Rufus. VIII. 3.
C. Figilius. XXXII. 19.
M. Flavius Marcellus Rutilius. XI. 1.
Flavius Liberalis. II. 10.
—— Succeſſus. LVIII. 201.
T. Flavius Titullus.) XXXIII. 22.
—— Fauſtus.)
Q. Flurius. LVII. 174.
Fonteja Celerina. LIX. 207.
Fregania Helena.) L. 99.
—— Diodora.)
L. Freganius Saturninus. L. 99.
Fructilia. LI. 112.
Fufia Pigratilla.) LVI. 158.
—— Secunda.)
—— Lychnis. XXXIII. 20.
Fuficia Cleopatra. LVI. 167.
Fufiſia Viola. XXXVIII. 1.
M. Fufius Reſtitutus. XLII. 21.
Fufius Juſtinus. XL. 7.
P. Fufius Fuſcus.) LVI. 158.
—— Fructus.)
L. Fulvia. XLIX. 82.
L. Fulionus Severus. XXX. 9.
M. Furius Jerax. XLVIII. 67.
Furnia Prima. XLIV. 37.

G

M. Gavius Baſſus. XII. 9.
—— Sabinus. XII. 11.

H

Hamintas Saturninus. IX. 11.
Havius Aper.) XLV. 40.
—— Umbrius.)
Hellas. XXI. 18.
Helenus. IX. 6.
L. Helvius Hilarus.) XXXV. 7.
—— Pætus.)
C. Helvius Primillus. XLIII. 29.
Herennia Baſſa. XII. 9.
—— Quarta. LVI. 164.
—— Thisbe.) LVII. 168.
—— Faventina.)
—— Urania. XLVIII. 75.
C. Herennius Modeſtus. LV. 145.
—— Pyramus. LVII. 168.
—— Rufus. LVIII. 197.
L. Herennius Fuſcus. XXXVI. 9.
Hermas. XIV. 23.
Hirria Tertullia. XII. 8.
Hiſpania Pomponia. XLVIII. 68.

I

Januarius, & Januaria. X. 14. XLI. 12. XLIV. 37. XLVII. 57. LIII. 137. 138. LV. 146.
Q. Januarius. LII. 125.
C. Jetuellius Levius. XLVI. 55.
A. Ignius Felix. XLIV. 32. LVII. 177.
Jucunda. XXXVI. 10.
Julia Trebonia. XLIV. 35.
—— Felicula. LIII. 135.
—— Prima. LI. 103.
—— Rufina. LIII. 128.
Q. Julia Baſſea Irenine. LX. 220.
Julius Victor.) XL. 5.
—— Luerilius.)
Tib. Julii Concordius, Lupulus, & Marcianus. LI. 103.
Junia Rufina. XXXVI. 9.
—— Capreola. X. 18.
—— Rutilia Juniane. LV. 147.
—— Sabina. LVIII. 204.
Juſſidius Primus. XLVII. 61.

L

L. Labicius Celer. XXXII. 15.
Lactva. LIV. 140.
L. Læticius Rufus. XXIX. 1.
C. Latinius Synero.) LI. 108.
—— Stephanus.)
L. Latinius Stabilio. LX. 219.
Latinia Tychen. LVII. 169.
Laurus. LVII. 168.
C. Lepidius Rufio. IX. 7.
Liceria Semme. LV. 144.
Licinia Liciniane. I. 5.
—— Armone. LVIII. 203.
—— Covia Daphen. LVIII. 206.
Licinianus. I. 5.
Licinius Erotion. LVIII. 206.
C. Liconius Felix. XLII. 23.
—— Celer. XLVII. 59.
Liſidia Prima. IX. 7.
Lollia Euphroſine. XLII. 18.

— Eleu-

—— Eleuteria. LVI. 166.
Lollius. XLVI. 49.
L. Lollius Primigenius. X. 17.
—— Hilarus. LVI. 166.
—— Orio. XII. 8.
—— Suavis. XII. 8. XIV. 21.
Q. Lollius Chryſeb. .... LVII. 178.
C. Lorius. LVII. 187.
C. Luccius Sabinus. XXXI. 10.
—— Rufinus, & Redemptus. XLIII. 30.
C. Luccejus Maximus. XLVII. 58.
Lucenius. LV. 140.
M. Lucilius Diocles. XXXVII. 14.
Lucretia Prima. LXIV. 5.
Lupus. LXII. 1.
Lyſimachus. LVII. 194.

M

Q. Maelius Moderatus. XLIV. 36.
Magia. XI. 2.
Mamercius Marcellinus. LXIII. 2.
M. Mamidius Modeſtus. XLVII. 60.
Mamius Secundus. II. 9.
Manlia. XXXII. 19.
C. Manius Primigenitus. XLVII. 57.
Manlius Apriculus. XLV. 41.
Marcia Tertia. XXXII. 17.
Cn. Marcius Ruſtius Rufinus. XXIX. 2. 3.
P. Marcius Albanus.) IX. 8.
—— Philaris.)
—— Philodamus. XXXVI. 10.
Maria Aletia. LIX. 214.
—— Januaria. XLVII. 57.
Sex. Marius Hilarus. LIII. 137.
Marius Juſtus. XLI. 9.
M. Marius Titius Rufinus. XXI. 18.
T. Marius Chreſtus. L. 97.
Maro. XLIV. 31.
Matria Gacilia. XLV. 44.
Maxima. XLV. 39.
Maximilla. XL. 4.
Meſſia Diodora. XXXV. 7.
Metiane. I. 5.
M. Metilius Emineus. XLV. 46.
C. Modius Felix.) XLII. 17.
Renatus.)
Modeſtus. XLVI. 51. LIV. 140.
Modeſtina. LI. 105.
L. Moluius. L. 96.
Morius Aventinus. LVI. 154.
Mummeja Mummiane LV. 156.
Munatia Priſca. IX. 11. XLI. 16.
—— Felicitas. XLVII. 64.
C. Munatius Mogilis. XII. 9.
L. Munatius Plancus. XX. 13.
M. Munatius Feliciſſimus. XLVIII. 76.
M. Munius Vitalis.) XLI. 14. XLIX. 80.
—— Proculejanus.)
C. Mutius Sabinianus. LIII. 135.

N

Nævia Sabina. XLV. 41.
—— Vitigula. LIII. 134.
L. Nævius Herma. L. 93.
G. Nævius. XLIX. 89.
Naivia Optata. XLV. 43.
M. Naſellius Sabinus.) XXVIII. 10.
—— Vitalis.)
Naſennia Juſta. XII. 11.
Neria Ætia. LIII. 135.
Neratia Iucunda. XLV. 38.
Neratius Scopi. XIX. 9.
C. Nonius Chilo. XLVII. 58.
M. Numerius Fabianus. VI. 31.
Numia Quadratilla. LIV. 141.
Numiſius. XIV. 22.
St. Numiſius Niceporus. LII. 127.
Nunnius Feſtus. LII. 125.
Nunnia Bryſa. LII. 125.

O

Obidejus. LVII. 195.
D. Octacilius Paulinus. LI.
Octavia Creſcentina. XLI. 12.
—— Ampelio. LIX. 209.
A. Octavius Eros. XXIV. 31.
C. Octavius Modeſtus. XXI. 17.
Octavius Iucundus. LVII. 180.
L. Octavius Albanus. LIX. 209.
M. Ofilius Tertius. XXXVII. 14.
C. Ofilius Modeſtus. XLVII. 56.
Ofillia Parata. XXXI. 10.
Q. Opimius Celadus.) IX. 10.
—— Rufus.)
Oppia Flora. LVI. 161.
—— Secundina. XLIII. 28. LI. 121.
C. Oppius. LVII. 170.
P. Oppius Pamphilus. L. 90.
Optatus Adjutor. LVIII. 196.
Ovanius Auctus. L. 94.

P

Paccia Vitalis. LVI. 161.
Pamphilus Patronus. XXXV. 6.
Papinia Anthis. IX. 10.
C. Papirius. LVII. 182. LIX. 218.
Pardus. LI. 105.
Q. Paucius. XIV. 19.
Q. Paſſerius Anthimus. XLIX. 89.
C. Petilius Chriſer. L. 92.
Q. Petreiia Paulla. XXXVIII. 1.
C. Petronius Ampliatus. LII. 126.
—— Primus. LV. 148.
Philema. LI. 112.
Philumina Mallia. LVII. 179.
Philippus. X. 15.
Philomuſus. XXXII. 16.
Pietas. LVI. 161.
Sex. Pilonius Modeſtus. XXIX. 4.
Piſmatia Rufina. XII. 9.
Piſmatius. XLIV. 33.
Platia Rufina. LIII. 128.
Platius Secundus. LIII. 128.
Plautia Felicitas. IV. 17.
A. Plautius Reſtitutus. LIX. 217.
Q. Plotius Romanus. XXXII. 11.
Polla. LVII. 179.
Pollia Synthichene. LIV. 139.
Pompejus. XXXIII. 24.
Pontia. LII. 223.
—— Aurura. XLII. 19.
C. Pontius. LVII. 184.
—— Marcus. LIII. 134.

Digitized by Google

—— Priſcus . XLVIII. 68.
M.Poſthumius Daſius . XLVII. 58.
Publicia Firmilla . XXIV. 30.
M.Publicius Quarinius . XXIV. 30.
C.Pullidius Aſclepiodotus . XLVI. 50.
C.Pullius Pamphilus . XLVIII. 66.
L.Pupius Primigenius . LVI. 159.
—— Hermes . LVI. 159.
Putilla Prima . XXXIV. 2.

Q

Quarta Q. L. XXXII. 18.
Quintia Grata . XLV. 45.
Q.Quintius Saturninus . XLII. 22.

R

L.Ragonius Lartius Quintianus . XX. 15. 16.
C. Rubellius Iucundus . LVI. 156.
Rufinus . XIX. 10. LV. 147.
Rufria Lais . IX. 10.
L.Rufrius , LV. 149.
—— Pamphilus . IX. 10.
Ruſtia Sabina . XXIX. 3.
Cn.Ruſtius Feſtivos . XXVII. 6.
Rutilla Arſinoe . XLI. 11.
M.Rutilius Ælianus . XXXIV. 2.

S

Sabina . XI. 6.
Salinatoria Auguſtina . XXIX. 2. 3.
M.Saffius . XLVII. 65.
Satrius Creſcens . XXVI. 9.
L.Satrius Proculus . XXXIII. 26.
Satria . LIII. 136.
Sattia Silvia . XLII. 17.
—— Ianuaria . LIII. 137.
Saturnina . XXXII. 16.
T. Scapianius Ero , XXXVI. 13.
L.Scerinus Annæus L.Scribonius Libo. XX. 14. XLIII. 24.
M.Semmius . XXXII. 16.
C.Sentius Hector . LVI. 164.
Sepea Fidelis . V. 25.
Seppia . XI. 4.
M.Seppius Macedo . LIII. 132.
Septimius Primitivus . II. 9.
M.Septicius Feliciſſimus . LV. 144.
Sergia Arbuſcula . LII. 127.
Serveja Specula . LI. 104.
M.Servenus Alexander , X. 18.
L.Servidius . LIII. 138.
Servilia Varia . II. 9. II. 12. XIV. 18.
Seſtidia Provincia . XLVIII. 67.
—— Feliciſſima . XLIX. 83.
Seſtidius Primus . XLIX. 83.
Sextilia Chreſta . L. 97.
Sextia Major . LX. 224.
Sextilius Leo . LXIV. 5.
Sextius Cornelius . LII. 123.
P.Sextius . XXXII. 16.
Siconius Secundinus . LIV. 142.
A.Silanus , XXX. 7.
Silanus Fruitura . LVIII. 199.
Socellia Optata . L. 102.
L.Sontius Pantius Iuſtinus . III. 10.
Sophomene . IX. 7.
Spedia ſive Cerrinia . XLVII. 59.
Spedia Apula . XLVIII. 71.
Statia Poſilla . LIX. 215.
L.Stajus Scratejus . XIII. 14.
—— Rutilius Manilius , XIII. 14. XLVI. 52.
—— Herodatus . XLVI. 52.
Stephanus . XXXVI. 11.
Strabo , LI. 115.
Succeſſus , LII. III. LVII. 201.
Suellia Sabina . LVI. 155.
M.Sutorius Verus .)
—— Honoratus .) I. 2.
Symipruſia , LII. 122.

T

Tacitia L. L. Phi. . . . LV. 150.
Tadia Urſa , XLI. 10.
Tannoenia Paterna . LVIII. 201.
M.Tannonius Firmianus , XII. 10.
—— Baſſus , LI. 113.
Tarquinia Modeſta . LIV. 140.
L.Tautonius Erchaſinus.)
—— Proculus .) XLV. 45.
Tegedia Fortunata . LVI. 160.
Terentia Valentina . LI. 116.
—— Hermione . LVIII. 201.
L.Terentius Rufus Firmilianus , VIII. 3.
Terentia , LVIII. 201.
—— Flaviana . II. 9.
—— Valentina , LII. 116.
Q. Tetafrenus . XXXII. 14.
Tigidia Fidelis . LVI. 157.
A.Titrius Rufus . XLI. 8.
Titagia Iucunda . LX. 222.
Q.Titlius Studioſus . LVIII. 198.
Q.Titulejus Marcellinus . XLVII. 64.
—— Urſulus . XLVIII. 74.
—— Fidus . XLI. 13.
Tituleja Capreola . XLVIII. 74.
—— Rufina . XLI. 13.
C.Titius Euperianus . XLIX. 87.
—— Urbicus . XLIX. 87.
—— Ianuarius . LV. 146.
Tocius Maximus . XVIII. 6.
Toelus Succeſſus . LI. 105.
Torania Spes . XLI. 15.
Trebulana Iuſtina . II. 12.
—— Modeſta . LVI. 159.
Trebellius , LIII. 135.
—— Aurelius . XLVI. 53.
L.Trebonius Beneventanus . XLII. 18.
Trebulana Modeſta . LVI. 159.
M.Trebulanus Gacilius Toleſphorianus , XLV. 44.
Trophima Sublia Felicitas . LIII. 138.
Tullidius Argolicus , XXVII. 4.
M.Tullidius Auctus . XLIX. 81.
Tullonia Lea . XL. 7.
Turellia Felix . XLIX. 81.
Turpidia Quarta . LVI. 162.
Turranius Aper . XLI. 10.
L.Turſollia Maximilla . IV. 18.
Turſellia Mirime . LVI. 163.
L.Turſellius Priſcus . XLV. 39.
Maximus , XLVIII. 70.

V

Valeria Prima . XLV. 46.
—— Iuſta . XXXII. 13.
—— Secundina . XIX. 208.
—— Diodora . XXXIII. 21.

--Poly-

Digitized by Google

—— Polynice. L. 101.
C.Valerius. X. 17.
—— Publicola. XXII. 20.
—— Ianuarius. XLIV. 12.
—— Heliodorus. XLIV. 34.
—— Claudius. L. 91.
T.Valerius Pamphilus. LVI. 161.
D.Valerius Menecrates. LVI. 161.
M.Valerius Iutor. LVI. 165.
Valerianus. XXXII. 13.
Varia. LIII. 131.
Varia Prima. X. 13.
T.Vatinius Secundus. XLI. 11.
Veidia. X. 13.
—— Fortunata. XLIX. 80.
P.Veidius Pollio. VI. 29.
—— Philocles.)
—— Philodamus.) X. 13.
—— Philotimus.)
Q.Veidius. LVII. 181.
T.Vedianus Fructus. IX. 11.
Q.Veidius. LV. 181.
L.Vellejus Verinus. LX. 224.
Verecunda. LVIII. 205.
Verginia. LI. 108.
C.Vefedius Rufinus. XXVII. 1. 2.
Vefuedia Tryphane. LX. 221.
Q.Vefuedius. LIX. 221.
Vefonia Attice. XLVIII. 73.
L.Vefonius Alexander. XLIX. 78.
—— Ingenuus. XLVIII. 73.
Vefuellia Hilara.) XLVIII. 66.
—— Europa.)
T.Vettius Ædilis. XVI.
Vettius Prætextatus. VIII. 1.
—— Primus. XLVII. 63.
—— Puteolanus. L. 101.
A.Vibbius Ianuarius. X. 14.
—— Æquatianus. LV. 145.
—— Iuftinus. X. 14.
—— Optatus. XLIII. 27.
—— Proculus. XI. 6.
C.Vibbius Stephanus. XII. 12.
—— Crefpinus. XXVIII. 7.
L.Vibbius. LVII. 193.
Vibbia Chreſta. LIV. 143.
—— Calybene. LIV. 143.
—— Cypris. XLI. 8.
—— Ianuaria. LIII. 138.
—— Marcella. XLIX. 84.
—— Prima. L. 100.
—— Queta. XLVII. 63.
Viciria Trocilla. LIX. 213.
C.Vinucius. LIII. 130.
Q.Virginius Eros.) IX. 6.
—— Albanus.)
L.Viſellius Lygdamus. IX. 9.
M.Ulpius Lucilianus. LII. 124.
Umbria Felicitas. XLIII. 26.
—— Lucaria. XXXII. 12.
Umbrius Pratorius. XXIII. 26.
C.Umbrius Eudraſtus. XXVII. 3.
C.Umbrius Servilius Iuſtus. XIV. 18.
—— Primus. XLIII. 26. XLVIII. 71.
—— Umens. XLIX. 84.
C.Umbrius Vibius Numiſius Druſus. XXVIII. 9
—— Adjutor. XXXII. 11.
Volumnia Iucunda. LVI. 162.

Z

Zanuarius. XLIV. 37.
Zmaragdus. XLIV. 35. L. 92.
Zoticus. LX. 225.

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCLARIORUM

Quæ tùm in Dissertationum Volumine, tùm in Antiquis Inscriptionibus, earumque Notis continentur.

Numerus Barbarus ad Dissertationum Volumen pertinet; Romanus verò ad Antiquas Inscriptiones, earumque Notas.

A

AB Actis quid muneris. *p.*247.
A Quæstionibus. *p.*249.
Abdita Loca quid significent in Inscriptionibus sequioris Ævi. *p.*280.
Actores Servi qui. *p.*XXXV. *not. b.*
Actuarii qui. *p.*247.
Accensus qui. *p.*176. *not. d*
Adoptio adimebat Tribum, & alia jura Familiæ in qua Adoptivus natus esset. *p.*50.
Adelphis an Nomen proprium. *p.*XXII. *not. b.*
Adjutor Munus Militiæ. *p.*242.
Advocatus Fisci. *p.*212.
Ædiles Colonici Jurisdictionem, & Coercitionem habebant. *p.* 129. Eorum munera ex Cicerone. *p.* 131. Primus gradus ad alios Magistratus. *p.* 132. Quot Ædiles olim Beneventi. *p.* 135. Scribam habebant. *ibid.* Eorum Symbolum Modius. *p.* XV.
S. Æmilius Episcopus Beneventanus à S. Paulino vocatur Pater, & Frater Memorii Episcopi Eclanensis quare. *p.*155.
Æra Christiana cur serò in publicis Monumentis inscribi cœpit. *p.*303.
Æra Hispaniensis in Antiquis Inscriptionibus falsò pro Christiana accipitur. *ibid. not. c. &* 304.
Ærarii qui. *p.*XXXVI. *not. d*
Æsculapius Pergamenus. *p.*VI. *not. a*
Ætas ad Magistratus Municipales. *p.*XIV. *not. a.*
Ætas quorundam hominum longæva. *p.*X. *not. b.*
Alumni qui. *p.*XLIV. *not. a*
Ambitus in Sepulcris quid. *p.*XLVI. *not. b.*
Amphitheatra lignea ante Augusti Ævum, sed deinceps Lapidea Romæ, & alibi. *p.*283.
Amphitheatri Beneventani reliquiæ describuntur, & exhibentur. *p.*284. Ejus Tituli fragmentum. *p.*285. Quando ædificatum, restitutumve. *ibid.*
Annaria Lex pro Magistratuum delectu in Coloniis, & Municipiis. *p.*132.
Anni Imperii ex annis Tribunitiæ Potestatis colligebantur. *p.* 256. In publicis Actis, & Monumentis ex Imp. Justiniani Lege inscribi cœperunt. *p.*301.
Anni per Consules in Actis Ecclesiasticis usque ad VI. Sæculum. *p.*301.
Annus Emortualis sub Consulum nominibus in Tumulis Christianorum passim signatus. *p.*300.
Annona Mensorum Frumentariorum Numen. *p.*345.
Annonæ cura perhonorifica. *p.*138. Summis Viris mandabatur. *ibid.*
Antiquâ Vitâ vivere quid. *p.*XLI. *not. b.*
Apollinis Tripus, Laurus, Lituus. *p.*V. *not. a*
Apollodorus Imp. Trajani Architectus. *p.*254.
Apparatorium quid. *p.*276.
Appia Via Capuam usque. *p.*177. Cur deinceps eodem nomine Brundusium usque *ibid. &* p. 178. Qua Beneventani Agri parte in Urbem ducebat. *p.*180. *& seq.*
Apri Calydonii effigies Beneventanæ Urbis Stemma *p.* 16. Dentes Beneventi servati ex Procopio. *p.* 15. Cujus magnitudinis. *ibid. &* p. 324. Ejusdem effigies marmore expressa. *Vid. in Titulo cujus Operis*: Venatio a Meleagro gesta in Sarcophago marmoreo. *p.*323.
Ara Taurobolica quæ. *p.*94.
Arbor *Nucea* nunquam Beneventi Sagarum coitionibus famosa. *p.*109.
Arbores antiquorum Germanorum, & Longobardorum Numina. *p.*122.
Archiatri qui. *p.*210. *& seq.*
Arcus Viis publicis stratis imponebatur. *p.*175.
Arcus Triumphalis Imp. Trajani Beneventi. *pag.* 253. Cur, & quando *Porta Aurea* dictus. *p.* 263. Ejus Materia, & Structura. *p.* 354. Ejus Architectus. *ibid.* Annus, quo fuit extructus. *p.* 258. Extruendi causa. *ibid.* Dioni memoratus. *p.* 259. Cur Beneventi extructus. *p.*260.
Arcus Romanus Trajani in Nummo expressus. *p.* 255.
Arcus Anconitanus Trajani. *p.* 254. Romanus Constantini. *ibid.* Segusinus Augusti. *ibid. not. a*
Arca unde dicta, multiplex. *p.*244. *not. f*
Arcarius Civitatis. *p.*245. Præfecti Urbis. *ibid.*
Arechis II. Beneventani Principis Capitulare de Sepulcris. *p.*320.
S. Arthelais Narsetis Neptis Beneventi consedit, ibique obiit. *p.*286. *& not. b.*
As generatim pro quocumque pretio. *p.*LV. *not. c*
Astynomi qui. *p.*139. *not. a*
Actis, seu Acty. *p.*88.
Augusta Colonia Beneventum. *p.*36.
Augusta Loca quæ, *p.*267.
Augustales qui, & quando instituti. *p.*IX. *not. a*
Augustales Claudiani. *p.*X. *not. a.*
Augusti tres quando primum. *p.*285.
Augustus ita vocatus ex Munatii sententia, & quare: *p.*35.83. Præter Legem Triumviralem nunquam Coloniam Beneventum deduxit. *p.*36. Beneventi Præturam gessit. *p.* 123. *& seq.* Pluries Beneventum advenit, & paullo ante obitum, *p.*189.

Digitized by Google

S. Augustinus non dixit, cujusque hominis animum esse Genium . *p.*101.
Ausones qui, & ubi constiterunt . *p.*18.
Ausonia ab Ausone Ulyssis Filio Beneventum continebat . *p.*16.
Auxiliares copiæ in Militia Romana unde . *p.*232.

B

B. littera pro V. *p.*XXXIV. *not. a.*
Bacchus Cereri tum Sacris, tum Templis conjunctus . *p.*97. 98.
Balnea Antiquis familiarissima . *p.*279. Eorum magnificentia, & luxus . *ibid.* Ecclesiastica . *ibid. not.a*
Balnea pro alterutro sexu Beneventi distincta . *p.* 281. Alibi nonnunquam promiscua, & legibus Civilibus, & Ecclesiasticis vetita . *p.*282.
Balneum Scipionis . *p.*279. *not. b.*
S. Barbatus Beneventi Civis, & Episcopus Langobardicæ superstitionis reliquias sustulit . *p.*121.
Basilicæ quæ . *p.*273. Ubi plures, cognomine distinguebantur . *ibid.*
Bassianus, seu Caracallus Iuliæ Augustæ Privignus. 56.
Beneficiarius in Militia qui *p.*250.
Beneventum a Diomede Rege Ætoliæ conditum . *p.*14. Semper intra fines Samnii . *p.* 19. Falsò a Plinio Hirpinis accensetur . *p.*19. & *seq.* An Samnii Urbs Princeps . *p.*21. Opibus, Agri bonitate, & Ædificiorum pulcritudine præcellens . *p.*253. Cur ita appellatum: & quando . *p.* 25. 39. Nunquam intra fines Campaniæ . *p.* 151. Consularibus Campaniæ nunquam paruit . *p.* 150. & *seq.* Cur ejusmodi Consularium monumenta Beneventi. *ibid.* Metropolis Ecclesiastica totius Samnii a primis sæculis . *p.* 156. Duplex Beneventum erroneè è Stephano statuitur . *p.*3. 153.
Beneventani ante Coloniæ deductionem jus Connubii cum Romanis habuere . *p.*18.
Beneventani Syllæ amicissimi . *p.*32.
Beneventani Milites in VI. & XXX. Romanas Legiones censebantur . *p.*235.
Beneventani Apostolorum ævo Christi Fidem acceperunt . *p.*111.
Beneventana Colonia cur *Felix* cognominata . 32. *seq.*
Biga Privatis Honoris caussa posita . *p.*234. *not. b.*
Binomines, seu Binomii . *p.*XLVII. *not. b.*
Bisomum, Trisomum, Quatrisomum . *p.*XXXIX.
Bonus Eventus Ethnicorum Deus . *p.*25. Ejus effigies. *ibid. not. a.* Templum, & Porticus Romæ . *p.*25.
Bonevent. in Nummo argenteo Putealis Scribonii cur inscriptum . *p.*28. *in not.*
Boneventum in antiqua Inscriptione Beneventana. *p.*27.
Bonus Homo, aut Vir, qui . *p.*XL.
Bono Reip. natus: Formula Honoris Principibus data . *p.*XVIII. *n.b.* A quo tempore invaluit. *ibid.* Contraria formula erat: *Malo publico natus* . *ibid.*
Bovianum Samnitium *Pentrorum* caput, *p.*22.

C

Cæsaris adventus Beneventum . *p.*188.
Cæsareum pro Curia . *p.* 264. Beneventanum . *ibid.* Hispaniense . *p.* 266. Cur ita dictum . *p.*267.
Caliga pro Militia Gregaria . *p.*224.
Campaniæ pars antiquis Samnitibus paruit. *p.*157.
Campaniæ fines nunquam Caudium egressi . *p.* 151. *seqq.*
Cancellarius Provinciæ Samnii . *p.*156.
Canes in Basilicis, aliisque locis cur . *p.*273. *not. a*
Canes in Venationibus . *p.*325.
Canopus Beneventi ædificatus quid fuerit . *p.*171.
Capitolium Beneventi . *p.*285.
Capua in Samnitium potestatem redacta . *p.*157.
Capulati Sacerdotes qui . *p.*VII.
Carmen evocationis Deorum in expugnatione Urbium . *p.*105. *not. d*
Caracalla, seu Bassianus Iuliæ Aug. Privignus . *p.* 56. Antoninus cur appellatus . *p.* 193. Antonini nomine in publicis monumentis . *ibid.* Christiano lacte dicitur enutritus cur . *p.*195. *in not.*
Caudium Beneventanæ Coloniæ ab Augusto adjudicatum . *p.* 36. Terminus, & limen perpetuum inter Campaniam, & Samnium . *p.*152. & *seq.*
Censores in Coloniis . *p.*52. *not. c* & 130.
Census in singulis Civium Ordinibus, & Magistratibus spectatus . *p.* 127. Qui auctor . *ibid.* An Bono Reip. institutus . *ibid. not.b.*
Centuriones . *p.* 231. Cur id vocabulum per notam 7. scriberetur . *ibid.*
Cenotaphium quid . *p.*81. *not.b.*
Cepotaphium quid . *p.*307. *not.b.*
Cereales Iuridicundo Quinquennales Beneventi qui fuerint . *p.*137.
CER. in vetusta Inscriptione Fabretti non CERomatistes, sed CERealis . *p.*136.
Cerealiatus Cerealium munus . *p.*137.
Ceres Græco ritu à Romanis culta . *p.* 97. Mensorum Frumentariorum Numen . *p.*345.
Certamina Artium Liberalium . *p.*218.
Christiana Religio Judaica Superstitio ab Ethnicis vocabatur . *p.*194. *not. c*
Christianorum Sacra in Cœmeteriis etiam post Ecclesiæ pacem . *p.*309.
Christianorum Codices in Diocletiani persequutione præcipuè absunti . *p.*112.
Ciceronis erga Augustum fœda adulatio . *p.* 83. Locus post aliorum judicium explicatus . *p.* 187. Ejus adventus Beneventum . *ibid.* Iter Brundisium, Civili Bello, institutum, cum priore itinere Proconsulari confusum . *p.*184.
Cives Romani in Colonias Latinas deducti amittebant Jus Civitatis, cur . *p.*43. *not. a*
Cives Romani qui essent, in Tribus censebantur . *p.* 47.
Civitas Romana omnibus, qui in Orbe Romano essent, generatim data . *p.* 45. Ejus Legis auctor Antoninus Caracallus, quam ad Libertinos Justinianus extendit . *ibid.*
Civitatum duarum nemo Civis esse poterat, quare . *p.*51.
Cybeles . *p.*88.
Cymbala Veterum quæ . *p.* 94. Cybeli attributa . *ibid.*
Claudii Imp. mors à Seneca festivè celebrata . *p.* X. *not.a*
Cognatus, & Cognata pro Leviro, & Glore etiam prioribus Latinis . *p* XLIX. *not. a*
Cognomina speciosa . *p.*XLVIII. *not. a*
Colonia Romanorum Beneventum quando primum deducta . *p.* 29. nunquam deducta à Sylla . *p.* 31. 32. deducta à Iulio Cæsare . *p.* 34. quando . *p.* 35. ideo Iulia ab eo appellata . *ibid.* deducta Lege Triumvirali ab Octaviano Triumviro, unde Augustæ cognomen. *p.* 36.

Digitized by Google

p. 36. deducta poſtremò à Nerone . *p.* 38. Beneventana fuit Civium Romanorum, non Latina contra Sigonium . *p.*45.
Colonia Beneventana una ex XVIII. quæ Bello Carthaginenſe Romanis auxilio fuere . *p.*30.
Coloniæ Beneventanæ Templum dedicatum . *p.*266.
Coloniæ an jus cudendi nummos haberent . *p.*124.
Coloniæ à Romanis idoneis in locis collocatæ, ut eſſent Reip. propugnacula . *p.* 29. Earum duo genera duntaxat, aut Latina, aut Civium Rom. *p.* 41.
Colonos inter, & Municipes diſcrimen quale . *p.* 43.
Collegia Artium, & Profeſſionum à quo inſtituta . *p.* 160. Eorum peculiaria Sacra, & Leges . *p.* 161. Arca . *ibid.* Magiſtri . *p.* 162. Epochæ . *ibid.* Sine publica auctoritate inſtitui nequibant . *ibid.* Plura ejuſdem Artis . *p.* 163. Convivia . *ibid.* Principes nunquam nova permittebant, & quare . *p.* 164. Patronos habebant . *p.* 165.
Cœmeteria unde cœpta, cur ſic dicta, & quis eorum uſus . *p.* 308. excipiebant Chriſtianos tum mortuos tum vivos . *p.* 309.
Comes Fabricarum Beneventi . *p.* 172. Comites, & Comitivæ . *ibid.*
Commanuculi qui, an rectè dicti . *p.* 226. *not. b.*
Compita quæ . *p.* 276.
Concordia nomen Beneventanæ Coloniæ cur . *p.* 39. *& ſeqq.*
Confarreationis Ritus nuptialis, ejuſque effectus . *p.*55.
Conjuratio in Neronem Beneventi conflata . *p.* 190.
Conſtantinus Imp. ex juſtis nuptiis natus . *p.* 197. Ejus conſtitutio in L. 1. *Cod.* De Natural. Liberis . explicatur . *p.* 199.
Conſulares Quatuor Italiæ regendæ ab Hadriano inſtituti . *p.* 146.
Conſules in Chriſtianorum tumulis paſſim inſcripti, & cur . *p.*300.
Conſulum alter Orientalis, alter Occidentalis poſt diviſum Imperium . *p.*301. *not. c.*
Conſulum plura paria in eodem lapide cur inſcriberentur . *p.* 251. & *p.* XXXI. Varia exempla . *ibid.*
Conſules abolere Iuſtinianus callidè curavit . *p.*301.
Conſules Municipales . *p.* 126. & *p.* 1. *not. b.*
Conſulum aliquot nomina, paria, & Conſulatuum numeri in antiquis Inſcriptionibus ſuppleti, emendati, illuſtrati . *p.* 90. 251. VI. *not. a*, *& paſſim* .
Contubernium, & Contubernalium diverſa genera . *p.* LV. *not. b.*
Coronæ præmia certantium Profeſſorum a Domitiano inſtitutæ . *p.*218
Corona Vallaris præmium Militiæ quid . *p.*223. Eadem cum Caſtrenſi, ejuſque forma. *ibid.* Quare data. *ibid.* An ex auro . *p.*224. *not. a.*
Coronæ Poetarum poſt Domitiani ævum adhiberi cœperunt . *p.*218.
Correctores . *p.*149. Provinciæ Samnii . *p.*156.
Cora eadem ac Proſerpina cur ſic dicta . *p.*97.
COZ. in Antiqua Inſcriptione quid . *p.*104 *not.b.*
Criobolium Ethnicorum ſacrum, quod *p.* 91.
Crux infamis apud Ethnicos . *p.* 291. *not. a.* Ethnicorum Calumniæ in Chriſtianos de Crucis cultu . *ibid. not. b.* Chriſtiani effigiem Crucis ubique ponebant . *ibid.* Portabant in fronte, & quomodo . *ibid.* Ejus vis . *ibid.* Supplicium ſuſtulit Conſtantinus . *p.* 292. Cur in Ethnicorum legibus civilibus nuſquam memoretur . *ibid. & not. c* . Leges Chriſtianæ Civiles, & Eccleſiaſticæ, ne humi extet Crux, aut in locis obſcenis . *p.* 292. Frequens in Chriſtianorum ſepulcris . *p.*293. Ethnici aliquando idem ſignum adhibebant, & quomodo . *ibid. not. f. g. h.*
Curiæ nonniſi Ædes Sacræ . *p.*265.
Curitis Iuno quæ . *p.*69.
Cuſtodes Corporis Auguſtorum . *p.*225.
Curatorum viaria genera . *p.*139.
Curatores Reip. Municipalis qui . *p.*139. *& ſeq.* Curatores Seviri Beneventi poſtremâ ætate . *p.*143.
Cymatia in ædificiis quæ . *p.*XXXVI. *not. c* .

D

Dæmonis vocabulo quæ vis, & ſignificatio aut Ethnicis, aut Chriſtianis . *p.*100. *not. f* .
Δαιμονιάρχης qui . *p.*100.
Dea Auguſta, ſeu Dia Vocontiorum . *p.*266.
Decurionu m Ordo, Cenſus, Poteſtas . *p* 127.
Decem Viri Stlitibus judicandis qui . *p.*130.
Decempedator . *p* 331.
Defenſores Civitatum . *p.*142.
Delicia, Delicius, Delicatus, qui . *p.*XXXVI. *not. c* .
Dendrophori haud Sacrorum Miniſtri . *p.*162. *not. d* .
Depoſitio in tumulis Chriſtianorum non diem Mortis, ſed Sepulturæ indicat . *p.* 296. Peculiaris ejus vocabuli ſignificatio illati in ſepulcrum Corporis Reſurrectionem demonſtrat . *p.* 299 Inter Depoſitionem Natalem, & Paſſionem quid interſit . *p.* 297. *not. a* .
Depoſitus apud Ethnicos Scriptores qui propriè dicebatur . *p.* 295.
Deus Tutelaris Urbis Romæ ignoratus, cur . *p.*106.
—— Nemauſus . *p.* 265.
—— Æternus Ethnicorum quis . *p.*VII.
Deorum varia nomina, figuras, geſta, fabulas Philoſophi ad naturales cauſſas detorquebant . *p.*64. Cognomina a privatis eorum cultoribus indita . *p.* 66. *& p.* IV.
Diana Triplex . *p.*IV. *not. b.*
—— Cæleſtis . *p.*70.
Dies emortualis in Titulis Sepulcralibus inſcribebatur . *p.* 300.
Dii Manes in Chriſtianorum Sepulcris cur . *p.*300.
Diocles olim Imp. Diocletiani nomen . *p.* LI. *not. c* .
Diœceſes apud profanos Scriptores quæ . *p.*131.
Diphthongus AI Auguſti ævo arbitrarius . *p.* 264. *not. a* .
Diſcomum Vas quid . *p.* XXXIX.
Divi titulus an vivis Auguſtis datus . *p.*148.
Dominorum poteſtas in Servos correcta . *p.*268.
Domiſeda quæ . *p.*XLI. *not.b.*
Domus Æterna in Chriſtianorum monumentis quare . *p.*299. *not. d* .
Domna an nomen proprium . *p.*60.
Draconibus cultus divinus exhibitus paſſim apud varias gentes . *p.*107.
Duumviri Summus Coloniarum Magiſtratus Conſules Romanos pluribus æmulabatur . *p.* 128. Ejus poteſtas . *p.*129.

Digitized by Google

E

Eccleſiæ ædificari vetabantur, ubi Corpus humatum eſſet, cur. *p.* 313. Super tumulos Martyrum ædificabantur. *ibid.* & *not. d.*
Elyſii qui, & an iidem cum Heſperidum hortis. *p.* 74.
Epiſcopi ad ſæc. v. ex propriæ Civitatis Clero electi. *p.* 117. Eccleſiæ Leges, & Diſciplina. *ibid.* Quando, & quo pacto ab ex lege receſſum. *p.* 118.
Epitalamium S. Paulini in nuptiis Filiæ Æmilii Epiſcopi Beneventani. *p.* 155.
Equeſtris Cenſus. *p.* 127.
Equi in Venationibus. *p.* 323.
Equites equo publico. *p.* 230. *not. c.*
Equites Singulares. *p.* 248: Qui fuerint, variæ eruditorum ſententiæ à Fabretto reprobatæ. *ibid.*
Equum Tuticum, Oppidum Apuliæ initium. *p.* 152. & 182.
Excubitores iidem ac Singulares. *p.* 249.
Era *Vid.* Æra.

F

Fati Vis ſupra Jovem. *p.* 234. *not. a.*
Fata iniqua Ethnicis vocata. *p.* LIII. *not. a.*
Fabricæ Militares publicæ Beneventi. *p.* 172.
Fabricenſes. *p.* 173. Stigmate inurebantur: Eorum Conſortium, ſeù Corpus. *ibid.*
Facere Verbum Sacrorum. *p.* 95.
Faſces metaphoricè pro Honoribus. *p.* 129. *not. a.* Dumviri Colonici propriè geſtabant. *ibid.* & *p.* X.
Fauſtus commentium S. Januarii M. Nomen. *p.* 115.
Felix Beneventana Colonia cur Cognominata. *p.* 32. & 33.
Feſtus Diac. & Deſiderius Lector Beneventani, Martyrii Conſortes cum S. Ianuario. *p.* 119.
Fictores qui. *p.* 164. Eorum Collegium. *p.* 164. *not. c.*
Filii Naturales nomen Matris, non Patris ſumebant. *p.* XLII. *not. a.*
Finitor. *p.* 331.
Flavii prænomen commune Symmacho, & Boethio Coſ. *p.* 305. quando, & à quibus uſurpatum. *ibid. not. a.*
Forum Civile, & Venale. *p.* 272. Ejus magnificentia. *ibid.* Otioſorum ſtatio. *p.* 273.
Forum agere. *p.* 271. *not. a.*
Frater libertus Fratris quomodo. *p.* LVII. *not. a.*
Frumentarii. *p.* 335. *not. a.*
Frumentariæ largitiones. *p.* 343. Solis Civibus Romanis. *p.* 344.
Frumentum Numeratum, Numerorum, Numeratorum. *p.* 342.
Funus publicum. *p.* XXXVIII. Varius ejus ritus. *ibid.* Quibus datum. *ibid.*

G

Galeæ cum Loris, ſeu vinculis. *p.* XXXIII. *not. a.*
Gallieni Imp. Tituli adulatorii. *p.* 196. Ironici. *p.* XVII. *a.* Ejus joci, quum Provincias Imperii amitteret. *p.* 196.
Genii alii aliis præſtantiores pro dignitate perſonæ, cui adhærebant. *p.* 101.
—— Singulis Locis attributi. *p.* 104.
—— Tutelares Urbium. *p.* 105. Ab Hoſtibus in oppugnatione evocati. *ibid.* Expugnatis Urbibus aliò diſcedebant. *ibid.*
Genii vocabulum quâ ſignificatione à S. Gregorio M uſurpatum. *p.* 102. *not. k.* & *p.* 104. *not. e.*
Geniorum effigies ſpecie Humana, vel Serpentis, cur. *p.* 106.
—— Natura ab aliquot Chriſtianis Patribus non rectè explicata. *p.* 108.
Genitales Dii qui. *p.* 99.
Genius Infernus. *p.* 74.
—— Principis, an ejuſdem Animus; vel Numen aſſiſtens. *p.* 101.
—— Nullus ipſis Diis aſſiſtens. *p.* 103.
Neque Rebus ſolo intellectu notis. *p.* 104. Non idem ac Numen. *ibid.*
Genius Coloniæ Beneventanæ. *p.* 99.
—— Pueri alati, ac lugentis formâ in Urnis Sepulcralibus. *p.* 328.
Gentiles Chriſtianorum myſteria aliquot ſuis ſimilia eſſe contendebant. *p.* 77.
Germaniæ Populi Arbores Deorum loco colebant. *p.* 122.
Gladiatorii Ludi Beneventi à Vatinio Neroni editi. *p.* 189.
Grammatici, & Grammatiſtæ. *p.* 205.
Gradus publici pro Frumentariis largitionibus. *p.* 343.
Gratidia Venefica Neapolitana Horatio celebrata. *p.* 108.

H

Haruſpices frequentiſſimi. *p.* VIII. Eorum Ordo ad LX. numerabatur. *ibid. not. a.*
Haſta pura militiæ præmium. *p.* 223. qua de cauſſa dabatur. *ibid.*
Hebræorum Sepulcra Regia improbis Regibus non patebant. *p.* 307. *not. b.*
Hecate. *p.* VIII.
Hæteriæ. *p.* 165.
Helena Conſtantini Imp. legitima Mater. *p.* 197.
Hercules CΩTHR *Servator p.* 72. quæ ejus cognominis vis, atque ratio. *p.* 73.
Herculis Templum Beneventi. *p.* 78. Ejus reliquiæ adhuc ſpectantur. *p.* 85.
Herculis fabula de pomis Heſperidum, & Dracone ex Adami, & Evæ hiſtoria orta. *p.* 75.
Herculi Ovis ſacra quare. *p.* 72.
Heſperides quæ; earumque mala, ſeù poma. *p.* 74. Earum horti an diverſi ab Elyſiis. *ibid.*
Hic Situs Eſt. H.S.E. formula Sepulcralis. *p.* 81. *not. b.* & *p.* XXIX. *not. c.*
Hieroſolymorum Numen in Titi expugnatione Templo excedere auditum. *p.* 105.
Hiſpania demum ab Auguſto devicta. *p.* 81. Tres Legiones ibi locatæ, quæ ſequuto ævo defecerunt. *ibid.*
Hirpini proles Samnitium propriâ regione conſtiterunt. *p.* 19. Beneventum ad eos nunquam pertinuit. *ibid.* Plinius de ea re notatus. *p.* 20.
Homerum Cives cur plures Urbes contendebant. *p.* 51. *not. b.*
Homo Bonus. *p.* XL. Antiquus. *p.* XLI. *not. b.*
Horatii Poetæ iter Benevento Brundufium ab ipſo deſcriptum illuſtratur. *p.* 182.
Horæ Vitæ, & Matrimonii poſt dies numeratæ in Titulis Sepulcralibus. *p.* XXXIV. *not. a.*

Hora

Digitized by Google

Hora *nulla* in titulo Sepulcrali cur adjecta. *p.* XXXIV. *not. a.*
Hoſpites qui, & Hoſpitii jura. *p.* LV. *not. a.*

I

II. duplex pro E. *p.* XXIII. *not. c.* & *p.* XLV. *n. a.*
Ianuaria Gens Beneventi maximè floruit. *p.* 114. Ejus monumenta habes in Indice Inſcriptionum §. VIII. *lit.* I.
S. Ianuarius I. Martyr, Beneventi Epiſcopus, & Civis. *p.* 114. Non habuit cognomen Fauſti. *p.* 116. *in not.* Cur à Campaniæ Præſide martyrio affectus. *p.* 154.
S. Ianuarius II. Beneventi Epiſcopus eodem ſæc. IV. ex eadem Gente Ianuaria. *p.* 116. Ejus præſentia, Canon, & Subſcriptio in Concilio Sardicenſi. *p.* 155.
Imperium Merum, & Mixtum. *p.* 129.
Incolæ qui. *p.* XXIV. *n. a.*
Inferis Diis cur ſacrificabatur. *p.* 71.
Infraforanum Collegium Beneventi cur ita dictum. *p.* 170.
Inquilini qui. *p.* XXIV. *n. b.*
Inſcriptiones emendatæ in Grutero. *p.* 593. *n.* 5. [heic *p.* XLVI. *not. b.*] *p.* 309. *n.* 2. & 3. [heic *p.* 98.] *p.* 346. *n.* 1. [heic *p.* 115.] In Donio ex Claſ. II. *n.* 97. [heic *p.* 256. *not. b.*] ex Claſ. IV. *n.* 41. [heic *p.* VIII. *not. a*] ex Claſ. V. *n.* 31. [heic *p.* 1. *not. b.*] ex Cl. VI. *n.* 15. [heic *p.* 239.] Ex Muratorio *p.* 952. *n.* 12. [heic *p.* XXXV. *not. b.*]
Inſcriptiones Beneventanæ ab aliis hactenus editæ paſſim emendantur.
Inſiſtere quid. *p.* XIX. *not. b.*
Ionas Reſurrectionis Symbolum in Monumentis Chriſtianorum. *p.* 298.
Iſis frugum Dea. *p.* 346.
Iſiaci qui. *p.* 96.
Ityrei qui. *p.* 232. Inter Romanæ militiæ auxilia. *ibid.*
Ityrea, ſeu Iturea Tetrarchia Syriæ. *p.* 233. *not. b.*
Itus, aut Iter in Sepulcris quid. *p.* XLVI. *not. b.*
Italia inter Romanas Provincias. nunquam numerabatur. *p.* 144. In XI. Regiones ab Auguſto diviſa. *ibid.* Ejus nova diviſio ab Hadriano, dein a Conſtantino. *p.* 150.
Itinerarium Antonini Beneventum extra limites Campaniæ locat. *p.* 152.
Iudæi, & Iudaica Superſtitio pro Chriſtiana, ab Ethnicis accepta. 194.
Iugerum, & ejus menſura. *p.* VII.
Iulia Auguſta Getæ Mater, Caracallæ Noverca. *p.* 56.
Iuliæ nomen Auguſtis Fœminis plerunque Honoris, non originis. *p.* 59.
Iuliæ Coloniæ a Cæſare earum deductore appellatæ. *p.* 34. An etiam ab Auguſto ſic dictæ. *ibid.*
Iulianus Cæſar à Conſtantio declaratus eidem in Imperio ſucceſſit. *p.* 201. à Beneventanis pluries publicis monumentis celebratus. *ibid.* Ejus Mors divinitus à S. Mercurio Martyre illata. *p.* 202.
Iulius Cæſar ter Colonias deduxit. *p.* 34. Ejus conſilium in ejuſmodi re. *ibid. not. e.* An Beneventum Coloniam deduxit, & quando. *p.* 34. & 35. Ejus adventus Beneventum. *p.* 188.
Iuno Veridica cur ſic dicta. *p.* 68.
—— Curitis, quæ. *p.* 68. & *ſeq.*
—— Quiritis cur ſic dicta. *p.* 69.
—— Stygia. *ibid.* & *p.* 70.
—— Genius Tutelaris Mulierum. *p.* 101.
Iupiter Tonans, unde, & quando cœpit ejus cultus. *p.* 64. Ejus Templum Beneventi. *p.* 65.
—— Pacifer, cur dictus. *p.* 63.
—— Cœleſtinus, qui. *p.* 70.
—— Carvilianus, qui. *p.* 66.
Iuramentum per Genium Principis Chriſtiani vitabant. *p.* 102.
—— Per ſalutem Principis licitum. *p.* 103. Sed à Carolo Magno vetitum. *ibid.*
—— De re improba ab Alexandro Imp. irritum declaratur. *p.* 103.
Iuridici in locum Conſularium ab Antonino per Italiam inſtituti. *p.* 146.
Jus Italicum poſt Legem Iuliam viguit in Provinciis. *p.* 42.
Jus Quiritium univerſum jus Romanorum etiam publicum continebat. *p.* 42.
Juſtinianus Conſules abolere curavit, quomodo. *p.* 301. Annos Imperii in publicis Actis, & Monumentis inſcribendos mandavit. *ibid.*

L

Lacus ab Ædilibus facti quinam ſint. *p.* 133.
Lapides antiqui emendati. *Vid.* Inſcriptiones.
Laticlavii Tribuni qui. *p.* 227.
Latinæ Coloniæ quid juris habebant. *p.* 43.
Latini Coloni *Socii* dicebantur, neque in Legionibus, ſed in Auxiliis militabant. *p.* 43.
Laurus Apollini Sacer. *p.* V. *not. a.*
Legati Militares qui. *p.* 228.
Legio *Linteata* Samnitium quando, & cur ita dicta? *p.* 235. & *not. a.*
Legio VI. Ferrata cur ita dicta. *p.* 237.
Legio XXX. Germanica pluribus cognominibus decorata. *p.* 238.
Legiones aliæ aliis præſtantiores. *p.* 235.
Legiones Romanorum quot. *p.* 236. *not. a.* & *p.* 238. Ultra Legiones XXX. non aliæ, niſi ex mendoſis lapidibus. *p.* 239.
Leontiani Beneventi qui. *p.* 172.
Lex Iulia poſt Bellum Italicum de æquando jure Civitatis Romanæ à quo lata. *p.* 44.
Lex ult. D. *De Jure Immunit.* doctos Viros in errorem egit, nunc demum emendata. *p.* 243.
Lex 6. Cod. Iuſt. *De Sacroſ. Eccl.* à Triboniano interpolata. *p.* 318. Ejus genuina lectio in Cod. Theodoſiano ſervata. *ibid.*
Liare verbum, & Liaculum. *p.* XXXVI. *not. c.*
Libertæ ſuorum Patronorum conjuges. *p.* LII. *not. b.* Earum nuptiæ cum Ingenuis ante Auguſtum ignominioſæ. *ibid.*
Libertus à Studiis qui: *p.* XXXIV. *not. c.*
Libertus aliquando Frater alterius Fratris. *p.* LVII. *not. a.*
Lictorum Collegium nunquam fuit. *p.* 164.
Limina Templorum Sacra. *p.* 65.
Littera I cur longiuſcula in ditionibus. *p.* 262.
Litera λ paſſim pro Latina A. etiam Auguſti ævo. *p.* 264. *not. a.*
Litera B. pro V. *p.* XXXIV. *not. a.*
Litteræ Æneæ auratæque in Titulo Arcus Trajani Beneventi. *p.* 263.

Digitized by Google

Litterarii Philoſophi qui . *p.* 170. *not. d.*
Litterati, & Litteratores . *p.* 205.
Livii locus de Beneventana Colonia explicatus . *p.* 45.
Lituus qui . *p.* v. *not. a* .
Loca *abdita* in Inſcritionibus Sequioris ævi quæ fuêrint . *p.* 280. *not. a & p.* 281.
Longobardi Superſtitionis Reliquias aliquot diu retinuerunt . *p.* 108. & 121. Bis in Italiam venerunt: primum Auxiliares Narſetis contra Gothos, dein proprio Conſilio ad occupandam Italiam regreſſi . *p.* 289.
S. Lucas falſo ſervilis conditionis creditus, quia Medicus . *p.* 208. *not. c* .
Lugdunum Colonia à L. Munatio deducta cum ejus Urbis origine à Petavio confunditur . *p.* 35.
Luitprandi Lex contra Arborum cultores . *p.* 122.
Ludi Capitolini ſingulis luſtris à Domitiano inſtituti . *p.* 218. Ab iis tempora diu ſupputata inſtar Olimpiadum . *p.* 218. *not. f* .
Ludi Palmares qui . *p.* 273. *not. b.*
Luſtrationes piaculares ethnicorum . *p.* 91.

M

Maceria quæ . *p.* LVIII. Eâ ſepulcra claudebantur . *ibid.*
Magiſtratus pro Sacerdotio . *p.* 97.
Magiſtratus Coloniarum à Principibus geſti . *p.* 125.
Magni Cognomen quibus datum . *p.* 196.
Maletia commentitium olim Beneventi nomen . *p.* 23.
Maleventum vetuſtis Scriptoribus memoratum . *p.* 17. Unde dictum . *p.* 24. De Maleventi etymologia Procopii fabula, Salmaſii conjectura rejicitur . *ibid.* Quando, & quare Beneventum dici cœpit . *p.* 19.
Maleventani ante Coloniam deductam jus connubii cum Romanis habuere . *p.* 18.
S. Marciani Ædes Suburbana, olim Herculis Templum. *p.* 85. Ejuſdem Templi Reliquiæ exibentur . *ibid.*
Mariti Domini ab uxoribus vocabantur . *p.* 55. & 56.
Maritorum Legitimum dominium in uxores ex Iure Gentium . *p.* 55.
Martyres plurimi Beneventani in Diocletiani Perſequutione . *p.* 119.
Martenſes qui . *p.* 168. Plura eorum Collegia Beneventi variis cognominibus . *ibid. & p.* 169.
Mater Deum . *p.* 88. Unde, & quando ejus Religio Romam venit . *ibid.* In Inſcriptionibus Taurobolicis per hæc Sigla expreſſa M. D. M. I. i. c. *Mater Deum Magna Idea* : Sigla eadem perperam aliis explicantur: Magna Deum Mater Iſis . *p.* 92
Mater Caſtrorum, Titulus Auguſtis Fœminis datus, quibus, & qua de cauſa . *p.* 59.
Medicina an inter ſerviles artes . *p.* 208. De ea re Eruditorum concertationes . *ibid.* Sed ex varia ejus artis natura, & temporum ratione compoſitæ . *p.* 209. *& ſeq.*
Medicorum Collegium Beneventi . *p.* 167.
Meleagri Venatio, & fatum in Sarcophago expreſſum . *p.* 324.
Memorius Epiſcopus Eclanenſis . 155.
Menſores Operum publicorum . *p.* 330. Agrarii privati, & publici . *p.* 331. Riparienſes . *p.* 332. Domus Auguſtæ . *ibid.* Caſtrenſes . *p.* 333. Machinaril . *ibid.* Cereris Auguſtæ . *p.* 334. Olearii, & Vinarii. *p.* 339.
Menſorum conditio quæ . *p.* 341. Excuſatio legitima à Tutelis . *p.* 347. Numina peculiaria . *p.* 345.
Menſuræ a quo inventæ . *p.* 334. *not. a* . Publicæ, ad quarum exemplum privati uterentur . *p.* 336. An ex Urbe principe ad Urbes ſubditas ſervandæ mitterentur . *p.* XII. *not. b.* Publicæ ex ære . *p.* 134. Iniquæ non *tollebantur*, ſed omnino frangebantur ab Ædilibus . *ibid.*
Mercatorum an honeſta profeſſio . *p.* 166. & *not. a* .
Mercuriales qui . *p.* 160. Eorum Collegium Beneventi . *p.* 166. *& ſeq.*
S. Mercurius Martyr Julianum Auguſtum divinitus interfecit . *p.* 201. *& ſeq.* Ejus lypſana Beneventi aſſervantur . *ibid.*
Metia Dea quæ . *p.* 66.
Militares Coloniæ abuſivè dictæ . *p.* 42.
Milites Beneventani . Vid. Diſſert. IX. & §. V. anteced. Indicis .
Militiæ Romanæ numerus . *p.* 239. *& ſeq.*
Milliariæ Columnæ Viæ Trajanæ . *p.* 185. *not. a* .
—— Nervæ mendoſa . *p.* 179.
—— Viæ ab Hadriano refectæ juxta Beneventum . *p.* 185.
Minerva Berecynthia . *p.* 88.
—— Cur Pallas dicta . *p.* 170.
Minervæ Quinquatria a Domitiano inſtituta . *p.* 218.
Miſſio in Militia triplex . *p.* 250. Publico monumento mandabatur cum die, & Conſule . *ibid.*
Mithra idem ac Apollo . *p.* V. *not. a* .
Modiatio, Modiaticum . *p.* 341.
Modius Symbolum Menſoris frumentarii . *p.* 335. Item Piſtoris . *p.* XV. Item Ædilis . *p.* XVI. In Chriſtianorum monumentis inſculptum cujus rei ſymbolum . *p.* 349.
Modius Deus . *p.* XVI.
Modius Romanus in Beneventana Colonia receptus . *p.* 336. Æneus, aut lapideus publicè conſtitutus . *ibid.* Ejus capacitas, & pondus . *p.* 337. Menſura tum aridorum, tum liquidorum . *p.* 339.
Mons Taburnus Samnitium Olivifer . *p.* 153.
Mulctra, & Mulctralia . *p.* 340.
L. Munatius Plancus ſub Julio Cæſare Agros Beneventi diviſit . *p.* 35. Pro Coſ. Galliæ A.V. 711. Coloniam Lugdunum deduxit . *ibid.* Ejus lapis Triumphalis vindicatus, & explicatus . *p.* XX. *not. a* .
Munera pro Gladiatorum Ludis, cur ita dicta . *p.* 216. *not. a* .
Munerarius qui . *p.* 216. *not. a* . Munerarius Diei unius qui . *p.* X. *not. a.* Munerarius Bidui qui . *p.* XXXIV. *n.* 1.
Municipes abuſivè dicti Coloni . *p.* 48. Quid diſcriminis inter Municipes, & Colonos . *p.* 43.
Municipii jure an aliquando donatum Beneventum . *p.* 48.

N

Narſes Beneventanam Urbem a Totila vaſtatam inſtauravit . *p.* 286. Ejus mora Beneventi . *ibid.* Ejus eximiæ virtutes . *p.* 287. Ab Avaritiæ, & Proditionis infamia vindicatur . *ibid. not. b.* & *p.* 288. Unde ortus rumor de accitis ab eo in Italiam Longobardis. *p.* 289.
Natalis Coloniæ Beneventanæ ſolenniter celebratus . *p.* 31.
Natalis dies defuncti ſolenniter celebrari legato annuo mandabatur, & cur . *p.* 167. *not. a* .

Digitized by Google

Natalis annus ſimul cum anno emortuali memoratus. *p.229.*
Natalis Dies, & Hora omnium Civium in publicis Tabulariis conſignata. *p.306.* Qui mos ea de re Romæ. *ibid.* in aliis Urbibus. *ibid.*
Neapolis Urbs *Religioſa* a Symmacho appellata cur. *p.118.*
Nero Imp. Coloniam Beneventum deduxit. *p.* 38. Ejus frequens adventus Beneventum. *p.* 189. Cædes ibi factæ. *ibid.* Conjuratio in eum ibi conflata, & detecta. *p.190.*
Nerva Imp. nihil, aut parum in munienda Appia præſtitit. *p.* 179. Ejus Tribunitia poteſtas X. mendosè numerata. *ibid.*
Nomen duplex æquè proprium vulgò *Sopranome*, etiam veteribus conſuetum. *p.*XLVII. *not.b.*
Nothi qui. *p.*XLII. *not.b. p.* LIX. *not. a.*
Nucea Arbor Beneventi nocturnis Sagarum conventibus extare falsò credita. *p.* 108. Unde ejus rei fama. *p.*109. & 122.
Numen diverſum a Genio. *p.*104.
Numeri vocabulum Militiæ. *p.*343.
Numerii Maleventani Filia Superſtiti Fabiorum nupta ingentes divitias, & prænomen Numerii in Fabiam Romanorum familiam advexit. *p.* 17.
Nummi Principum Loagobardum exhibentur. *p.*11.
Nummularii qui. *p.*XXXV. *not. a.*
Nummorum cudendorum jus Coloniis ſæpe ab Auguſtis permiſſum. *p.*124.
Nummus Argenteus Putealis Scribonii exhibetur, & explicatur. *p.26.* & 27.
Nummus æreus Auguſti ob ejus Præturam Beneventi geſtam exhibetur, & vindicatur. *p.*123.
Nummus aureus Grimoaldi Principis Benevenrani ex ejus Ectypo emendatur. *p.*10.
Nummus æreus Arcus Trajani Romæ olim extantis exhibetur, & vindicatur. *p.*255.
Nuptiæ nullæ erant Magiſtratibus Romanis cum fœminis Provinciæ. *p.*197. Leges de ea re paulatim obſoletæ. *ibid.*
Nuptiæ Ingenuorum cum Libertinis ante Auguſtum ignominioſæ. *p.*LII. *not. b.* Altoris cum Alumna a quo permiſſæ. *p.* XLIV. *not.b.*
Nurus diminutivè *Noricula*. *p.*LIII. *not. c.*

O

Ophitæ Hæretici Serpentem vivum colebant. *p.*106.
Optio quid. *p.*243. *not.b.*
Optio Valetudinari quod munus. *p* 243. & *ſeq.*
Optio Signiferi. *p.*246.
Optio ab Actis quis. *p.*247.
Optimi cognomen an prior Trajanus obtinuit. *p.* 260. Plinii fides de ea re vindicata. *ibid.* Quo anno delatum. *p.*261. In publicis monumentis non ſemper inſcriptum. *p.* 262. Ante Trajanum qui obtinuerint. *p.*260. Poſt Trajanum a ſequutis Auguſtis paſſim uſurpatum. *ibid.*
Orbi qui, & cur ita dicti. *p.* XLIII. *not. a.*
Ordo pro Senatu, aut Decurionibus. *p.*127.
Ordinatio quid ſignificet in Leg. 7. §. 2. D. De Decurion. *p.*127.
Orbilii Beneventani Grammatici ſtatua in Beneventano Capitolio. *p.*205, Ejus forma, & ornatus. *ibid.* Ipſius Orbelii ingenium, res geſtæ &c. *p.*207.
Organa Muſices Inſtrumenta; eorum inventores, & varia genera explicantur. *p.* XXXVII. *not. a.*
Oſrhoene, ſeu Oſdroene Romanorum Provincia in Syria, mendosè in Gruteriano lapide in Coſdroem Regem Perſarum mutata alios egit in errorem. *p.* 115. *in not.*

P

Pagus quid, ejuſque Luſtratio. *p.276.*
Pagani qui. *p.* 275. Idololatræ eo vocabulo appellati cur. *ibid. not. a.*
Palatium Principum quod. *p.* 278.
Pallium qui geſtarent. *p.* 206. Ejus veſtis color varius pro diverſitate profeſſorum. *ibid.* Inter Romanos antiquiſſimè uſurpatum. *ibid.*
Palladianum Collegium Beneventi. *p.*170.
Palmares Ludi qui. *p.*273. *not. b.*
Papinianus IC. an Beneventanus. *p.* 214. & *ſeq.* Ejus Titulus Sepulcralis commentitius probatur. *p.* 216.
Parochi. *p.*184.
Pater Coloniæ. *p.*141.
Patres Civitatum qui. *p.*141. Urbium. *p.* XXIV. *not.u.* An Coloniarum. *p.*141. & XIV. *not.b.*
Patres vocabantur Metropolitani Epiſcopi ſuorum Suffraganeorum, qui viciſſim filii. *p.*155. Ejuſmodi appellatio vetuſtiſſima a ſæc. V. contra Mabillonium. *ibid. not. c.*
Patria duplex cuique eſſe poteſt, altera Naturæ, altera Civitatis. *p.*51.
Patronus perpetuò in Familia aliquando erat. *p.*XXVIII. *not. a.*
Patronorum Matrimonia cum ſuis Libertis. *p.*LII. *not.b.*
Patroni *ab Avo*, & *Majoribus*, ſeu *Originales*, qui. *p.* XXVIII. *not. a.*
Pax in Chriſtianorum veterum tumulis inſcripta triplici ſignificatione. *p.* LXIII. *not. a.*
Pergamenus cur dictus Æſculapius. *p.*VI. *not. a.*
Perjurii per *Genium Principis* certa pœna in Jure. *p.*103.
Permilitare quid. *p.* 242. *not. f.*
Perfectiſſimi titulus quorum. *p.*214.
S. Photinus Diſcipulus S. Petri primus Beneventi Epiſcopus. *p.*110.
S. Piatus Martyr Beneventanus Civis, S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias ſocius. *p.*113.
Piſcis tum Chriſti, tum Chriſtianorum ſymbolum. *p.*299. Cum Jona Reſurrectionis ſymbolum. *p.* 298. *not. a.*
Piſtorum Corpus. *p.* 163. Eorum ſymbolum Modius. *p.* XV.
Plancellæ Agri Beneventani nomen falsò pro oppidis *Chianche* & *Chianchetelle* creditus. *p.* 180.
Plato quid de Geniis ſenſerit, quid poſtea Platonici. *p.*100. Ejus Leges de Sepulcris. *p.* 308. & *p.* XXXIX.
Plautus explicatus. *p.*170. & *p.*234. *not. a.*
PLVS MINVS formula Sepulcralis Annis Defunctorum quando apponi cœpit. *p.*305. Cur frequens poſt IV. ſæc. *p.*306.
Poetæ ſua carmina paſſim recitare ſoliti. *p.*217. Eorum certamina. *p.*218. Coronati a Domitiani ævo. *p.*219.
Pondera, & Menſuræ publicæ ex ære. *p.* 134.
Pons Leproſus Beneventi. *p.* 181. Ab Imp. Septimio Severo refectus. *ibid. not. a.* Cur ita dictus. *ibid.*

Ponti-

Digitized by Google

Pontifices Summi Romani quo jure annos Pontificatus in ſuis Diplomatibus inſcribunt . *p.*304.
Porta Aurea dictus Arcus Trajani Beneventi cur, & quando . *p.*263.
Porticus Dianæ Beneventi . *p.* 274. Imp. Commodi . *p.* 277.
Præfectus Vigilum, ejuſque Juriſdictio . *p.*226.
—— Urbi ab Auguſto inſtitutus . *p.*145. Ejus Juriſdictio intra C. lapidem . *ibid.*
Præfectus Beneventi ab Auguſto ejus Urbis Prætore conſtitutus . *p.*126.
Præire in Sacris quid . *p.*92.
Prænomina an, & quæ fœminarum . *p.*XIII. *not. c.*
Prænomina aliquando cum Nominibus uno vocabulo coalefcebant . *p.*243. *not. c.* & *p.* LVI. *not.b.*
Prænomen, aut Nomen plurali numero quo modo. *p.*LI. *not. a.*
Præſides Provinciæ Samnii poſt Hadrianum, & Conſtantinum manſuerunt . *p.*150.
Prætoriani Milites non ſoli Corporis Auguſtorum cuſtodes . *p.*225.
Prætorium Caſtrenſe, & Urbanum . *p.*277. Ædes ſummi Magiſtratus tum Militaris, tum Civilis . *p.* 278.
Primipilus qui . *p.* 230. Novitia vox veteris muneris . *ibid. not.b.*
Principes in Coloniis Magiſtratus ordinarios honoris cauſſa gerere ſolebant . *p.*125.
Privatum Patrimonium Principis . *p.* XVIII. *not. a.*
ProConſules cur raro dicerenentur Imperatores . *p.*XXV. *not. a.*
Procurator Viceſimæ Hereditatum . *p.*115.
Profeſſionum altera *Natalis*, altera *Cenſualis* . *p.*306.
Prudentis, aut Prudentiſſimi titulus in ſaxis nuſquam obvius . *p.*214.
Pura Loca quæ . *p.*223. *not.b.* & *p.*272. & *p.*LVIII. *not.a.*
Puteal Scribonii quid. *p.*27. Ejuſdem nummus argenteus explicatus in *not. p.*26. & 27.

Q

Q. litera Sabini, & Etruſci carebant . *p.*69.
Quadrigæ Diis dedicatæ . *p.*233. Ex qua materia . *ibid.* Argenteæ Hadriano Imp. a Beneventanis dicatæ . *p.* 234. Triumphantium propriæ . *ibid.*
Quadrigæ Jovis albæ, cur . *p.*234. *not a.* Vero Deo tributæ a Propheta Habacuc quo ſenſu . *ibid.*
Quadrigati Nummi . *p.*234. *not. b.*
Quercus Marii in Agro Arpinate . *p.*109.
Quæſtionarii qui . *p.*249.
Quiritis Junoni Cognomen cur . *p.*68.

R

Recitationes Poetarum . *p.*217.
Regiones Urbis Romæ, ejuſque Curatores . *p.*140.
Regiones antiquæ Urbis Beneventanæ . *p.*283.
Requieſcendi verbum peculiare Chriſtianis defunctis. *p.*294. Ethnicis etiam uſurpatum . *ibid. not. i.*
Res privatæ Principis, eorumque Procurator . *p.*XVIII. *not. a.*
Reſurrectionis Fides pluribus verbis, & ſymbolis in veterum Chriſtianorum ſepulcris teſtata . *p.*298.
Riparienſes Milites qui . *p.*332. *not. a.*
Roma Dea . *p.* 265. Æterna . *ibid. not. d.* Utrum horum pro *Blaſphemiæ nomine* in Apocalypſi notatum. *ibid.* Ejus Urbis amplitudo . *p.*145. *not.b.*
Romani ſua ſacra cæteris Gentibus nonniſi cum ipſa Civitate communicabant, Peregrinas verò Religiones facilè ipſi recipiebant . *p.*89. Non militum numerum, ſed virtutem curabant . *p.*240.
Romanorum pugna cum Pœnis ad Beneventum . *p.* 29. Romanis Victoribus Beneventani convivium in propatulo ſuarum ædium appararunt . *p.*30.
Rubigus Deus qui . *p.*346.

S

Sacerdotes Capulati qui . *p.*VII.
Sagæ quæ . *p.*108.
Samniæ nomen Benevento olim commentitium . *p.* 22.
Samnii fines aliquando prolati, nunquam deminuti . *p.* 157.
Samnites unde orti, ac ita dicti . *p.*18. Eorum Lex, Laudes . *p.* 19. & 29. Alii *Pentri*, alii *Caudini*, quorum caput Beneventum . *p.* 22. Eorum bellica virtus . *p.* 221. Legio dicta *Linteata* . *p.* 235. *not. a.* Scutum quâ formâ . *p.* 237. A Romanis uſurpatum . *ibid.* Oſcorum, aut Sabinorum linguâ loquebantur . *p.*LXI. Samniticarum literarum forma, ex vetere monumento exhibetur . *ibid.*
Scholæ quæ . *p.*219. *not. a.* Scholæ militares Beneventi . *p.*169. Scholæ Singularium quæ . *p.*249.
Scriba Ædilicius . *p.*135.
Scrinia quæ . *p.* 206. Grammaticis attributa . *p.*208.
Secutor munus militare, a Gladiatoribus ejuſdem nominis diſtinctum . *p.*242.
Severi Imp. profectio, & reditus Orientalis quo anno. *p.* 192. & *ſeq.* A Beneventanis publico monumento celebratus . *p.*193. Is Libros Sacrorum Ægyptiis abſtulit . *p.*194. Ejus perſecutio in Chriſtianos quo anno . *ibid.* Pontem Beneventi reſtituit . *p.*195.
Seviri Curatores Beneventi infimo ævo . *p.*143.
Sepulcra Ethnicorum extra Urbem, cur . *p.*308. *not.b.* & *p.*315. *not. a.* Chriſtianorum Principum Leges in eam rem . *p.*318.
Sepulcra Chriſtianorum ab Ethnicis ſeparata . *p.* 308. Intra Ædes Sacras ex veteri, ac perpetua Eccleſiæ diſciplina . *p.* 311. & *ſeqq.* Conſtitutiones contrariæ expenduntur . *p.*315. SS. Patrum ſententiæ, & Canones Eccleſiaſtici eadem ſepulcra probantes illuſtrantur . *p.*312.
Sepulcra Principum in Atriis Eccleſiarum, cur . *p.*310. & *p.*318. *not. c.*
Sepulcrorum ambitio, & luxus . *p.*XXXIX. Effoſſores, & deſtructores capitali pœna tenebantur . *p.*320.
Sepulcrum commune cum Ethnicis Chriſtiani pro crimine ducebant . *p.*308. & 317.
Serpens a Gentilibus, ab Hebræis, a Chriſtianis Hæreticis adoratus . *p.*106.
Setia Dea quæ . *p.*66.
Signifer, munus militiæ quod . *p.* 246. Ejus inſignia, & amictus ex Ferarum exuviis . *ibid.*
Sylla Beneventanorum amiciſſimus . *p.* 32. Militarium Coloniarum Auctor . *p.*221. Nunquam Beneventum Coloniam deduxit . *p.*32.
Silvanus *Caſanicus* . *p.*IV. *Stajanus* . *ibid.* Cur iis cognominibus dictus . *ibid. not. a.*
Symmachi Senatoris laudes erga Beneventanos . *p.*120.

An de

Digitized by Google

An de vero Deo intellexerit, quam Beneventani venerarentur. *p.*121.
Singulares, munus militiæ quod. *p.* 249. Eruditorum sententiæ a Fabretto intemperanter refutatæ. *p.*248.
Socratis Deus qui. *p* 100.
Somniis Deorum juſſa, & oracula Ethnici captare credebant. *p.*68.
Sparteoli qui. *p.*226. *not. a.*
Spiritus Sanctus in Chriſtianorum tumulis inſcriptus, qua inflexione, quo genere, & qua ſignificatione. *p.* LXIV. *not. a.*
Spurius qui. LIX. *not. a.* Fuit verum prænomen ſeclusa alia ſignificatione. *ibid.*
Statuæ Fœminis ſera ætate dicatæ. *p.* XXIV. *not. a.*
Stellatina Tribus, an propria, & unica Beneventanorum. *p.*49. *& ſeq.*
Stigmata Fabricenſibus inurebantur. *p.*173.
Stoicorum doctrina de Geniis. *p.* 101.
Studia pro Gymnaſiis, ſeu Ludis Literarum. *p.*219.
Summæ Rei promotus qui. *p.*213. *not. a.*
Superindicere quid in L. 3. *ſ.* ult. D. De Jurejuran. *p.*103. *not. i.*
Superſtitio Judaica ſic ab Ethnicis appellabatur Chriſtiana Religio. *p.*194. *not. c.*

T

Tabularia publica quæ. *p.*306. Populi quæ. *ibid. not. f.*
Tarruntenus pro T. Arruntenus. *p.* 243. *not. c.* Qui fuerit. *ibid.*
Taurobolium quid. *p.* 87. *& ſeqq.* In eo Gentium Sacro plura Chriſtianæ Fidei myſteria Diabolus æmulabatur, & cur. *p.* 91. A ſummis Viris plerunque celebrabatur. *p.*91. *not. a.* Ad ſæc. IV. exitum perſeveravit. *ibid.* & *p.*92.
Tectores qui. *p.* XXXVI. *not. e.* Tectoria *vulgaria*, *gregalia*. *ibid.*
Templa eadem Romæ, & Auguſto. *p.*266.
Territorium Beneventanæ Coloniæ Caudium muro tenus cingebat. *p.*40. Ejus fines. *ibid.*
Territorium Urbis Romæ ad centeſimum lapidem protendebatur. *p.*146.
Terminus Deus. *p.*331. & *not. l.*
Terram Levem Defunctis precabantur. *p.* XXIX. *not. c.*
Tertulliani locus explicatus. *p.*165. item *p.*206. *not. b.* Vindicatus, & explicatus. *p.*268. *not f.* item *p.* XXXVI. *not. c.*
Teſſeræ Largitionales quid continerent, & earum forma, ac materia. *p.*138. *not. b. & c.*
Teſſeræ Hoſpitales. *p.* LV. *not. a.*
Theodoricus Rex Gothorum legem tulit de ſepulcris extra Romam. *p.*320. Capitalem ſanxit Sepulcrorum effoſſionem, quam poſtea pro inveniendo auro ibidem condito ſibi ſervavit. *ibid. not. a.*
S. Theophilus Beneventi Epiſcopus S. Januarii Martyris ſucceſſor. *p.*114.
Thermæ Commodianæ Beneventi. *p.* 278.
Thermarum magnificentia, & luxus. *p.*279.
Toga Romanorum propria veſtis. *p.*41.
Togatæ Coloniæ perperam dictæ. *p.*41.
Tonans Juppiter a Beneventanis cultus, & quando ea ſuperſtitio orta. *p.*64.
Totila Rex in Samnium irrumpens Beneventum cœpit, ejuſque muros diruit. *p.*157. *&* 286.
Traditores Chriſtiani qui. *p.*112.
Trajanus Imp. Beneventum Coloniam nunquam deduxit. *p.*38. Zermenſem Coloniam in Daciam deduxit: Ulpiani de ea re teſtimonium: ſed antiqui lapidis dubia fides. *ibid.*
Trajanus quot Vias fecerit. *p.* 176. Nonniſi mortuo Nerva Imperium adminiſtrare cœpit. *p.* 256. Ejus Tribunitia Poteſtas uno anno Imperium antevertit. *p.*257. Fortiſſimi Principis Titulo appellatus in Beneventano Arcu, quare. *p.* 258. Parthici cognomen non ante Trib. Pot. XIX. obtinuit. *p.*259.
Tribunal Forenſe, quid. *p.* XXXVIII.
Tribunal Sepulcrale. quid. *p.* XXXIX.
Tribuni Militiæ qui. *p.* 222.
—— Laticlavi qui. *p.* 224.
—— Anguſticlavi, qui. *p.*227.
Tribunatus Militiæ Semeſtris. *p.* 227.
Tribunitia Poteſtas pares Imperii annos demonſtrabat. *p.*256. Ea numerandi ratio non ſemper certa nonnullos in arrorem egit. *ibid. not. c.*
Tribus Romanæ quot initio, & a quo inſtitutæ. Earum nomina, & conſtans deinceps numerus. *p.* 47. Novum nomen ab Auguſtis ſibi aliquando aſſumebant. *p.* 50. Tribus Ulpia. *p.* XXX. *not. a.* Tribubus duabus nemo ritè adſcriptus: Id unius Auguſti privilegium: Alia exempla ſuſpectæ fidei. *p.* 50. Tribubus diverſis unius loci cives plerumque adſcripti, atque ejus rei cauſſæ plures. *p.*52. *& ſeq.*
Tribus in qua Beneventani cenſebantur, quæ fuerit, & an una, vel plures. *p.*49.
Tripus Apollinis. *p.* V. *not. a.*
Triumphans Quadrigis vehebatur. *p.*234.
Turbato *ordine naturæ*: an formula ſepulcralis in monumentis Filiorum a Parentibus factis. *p.*216.
Tutelæ excuſatio ſummo ex privilegio conceſſa. *p.* 347.

V

V. conſonans mutabatur in O. *p.*XXVII. *not. b.*
Vacatio munerum quibus data. *p.*243.
Valere verbum in Titulis Sepulcralibus commune tum mortuorum, tum ſuperſtitum. *p.* LIII. *not. b.* Ter repetebatur. *p.* LIV. *not. b.*
Valetudinarii qui. *p.* 243.
Valetudinarium in Urbe pro militibus. *p.* 244. In domo divitum pro ſervorum familia. *ibid.*
Vatinius Beneventanus Neronis familiariſſimus. *p.* 189. Ejus profeſſio, & mores. *ibid.* & *not. d.*
Vatinii Calices qui. *p.* 189. *not. d.*
P. Veidius Pollio Cæſareum Beneventi ædificavit. *p.*264: Ejus crudelitas in ſervos quæ. *p.* 267. Quomodo ab Auguſto correpta. *p.* 268. Dure exagitata apud veteres Scriptores. *ibid.* An domo Beneventanus. *p.* 269.
Veſpaſianus Imp. Beneventum advenit. *p.* 192. Domitianum filium ibidem obvium increpat. *ibid.*
Veſtales Virgines an alibi præter Urbem. *p.*VIII. *not. b.*
Veſtiarii Centonarii, Tenuiarii &c. *p.*XXXVI. *not. b.*
Via Trajana Benevento Brundiſium. *p.* 175. *& ſeqq.* Quo anno Trajani facta. *p.*180.
Via per Pontinas Paludes a Trajano magnificè conſtructa. *p.*179.
Via Numici Horatio memorata quæ. *p.*182.
Viæ a Trajano factæ, quot. *p.*176.

Viæ

Digitized by Google

Viæ binæ Brundusio Beneventum ducebant, *p.* 182. Utram earum Trajanus strauit. *p.* 183.
Victoria Augusta. *p.* VI. *not. b.* Ejus Aram restituendam Symmachus contendebat. *ibid.*
Viniciana Conjuratio in Neronem Beneventi conflata. *p.* 190. Quis ejus Auctor. *ibid.* Quomodo detecta. *p.* 191. Quo Neronis anno contigit. *ibid.*
Vigiles, milites Urbani. *p.* 225. Etiam custodes Augustorum. *ibid.* Quid muneris haberent. *p.* 226. A quo instituti, quæ eorum dignitas, & cur *Sparteoli* dicti. *ibid. not. a.*
Vipera Langobardorum Beneventi Principum peculiare numen. *p.* 108. Unde orta ea superstitio. *ibid.*
Vitulatio, quid. *p.* 95.
Vitis Centurionum Insigne. *p.* 231. *not. a.* Eâdem milites pro modo culpæ a Centurionibus verberati. *ibid.* Eorum, qui tenerent, aut frangerent, pœna. *ibid.*
Vlulare, & Vlulatio. *p.* XLIII. *not. a.*
Vocales literæ sponte geminatæ. *p.* 133. & *p.* XI. *not. b.*
Vota publica pro Reditu Augustorum. *p.* 28. etiam privatorum. *p.* IV. *num.* 18.
Votum vovere. *p.* I. *not. a.*
Urbana Militia. *p.* 243.
Urbaniciani Milites. *p.* 243.
Urbes divinis honoribus colebantur. *p.* 265.
Urnæ Cinerariæ, earumque forma. *p.* 227.
Uxores Maritorum nomen sibi adjungebant, & quæ ejus moris causa. *p.* 55. Servire Maritis dicebantur, quos Dominos vocabant. *ibid.* & *p. seq.* Vxores Ducum Romanorum persæpe Comites in Castris. *p.* 59.

Z

Z. litera sæpe pro S., raro pro I. *p.* XLIV. *not. b.*
Zosimi in Imp. Constantinum calumniæ confutatæ: *p.* 91. & *p.* 198.

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LUGU

FINIS.

Digitized by Google

Pag. 114. *poſt lin.* 10., *ubi §. deſinit*, *hæc ſunt addenda*. Fuiſſe autem Duodecim inter S. Photinum, & S. Januarium, ſacros Antiſtites, qui prioribus illis tribus Eccleſiæ Sæculis Beneventanam Eccleſiam adminiſtrarint, conſtans eſt Scriptorum omnium noſtratum opinio, non ſpernenda illa quidem, quippe quæ non ſolum ex S. Januarii Actis, ubi is haud primus, ut diximus, Beneventi Epiſcopus ſtatuitur, veriſimilitudinem obtinet, verum etiam, ut eum S. Januarii deceſſorum certum numerum definiat, optimam conjecturam ſibi arceſſit ex loco præclariſſimi noſtri Chronographi Falconis, qui ad an. 1119. hæc habet: *Prædictus Antiſtes* (i.e. Landulphus Beneventanus Archiepiſcopus) *die videlicet decimo ſtante Menſis Maji cum Epiſcopo Frequentino, & de Monte Marano, & Arianenſi Corpora Sanctorum collocavit; inter quæ Corpus aſſociavit B. Joannis* XXI. *Beneventani Archiepiſcopi* (ita Falco appellat ſui temporis ſpectata ratione, nondum enim hujus Joannis ævo Beneventana Eccleſia Archiepiſcopatus nomen obtinuerat), *qui triginta, & tres annos, ſicut titulus teſtabatur, in Epiſcopatu aduixit*. Conſtat autem ex certis Beneventanæ Eccleſiæ monumentis, hunc Joannem, qui medio Sæculo V. floruit, non niſi nonum a S. Januario fuiſſe Epiſcopum, uti apud Ughellum comperta res eſt; qua re certò fit, ut, ſi is, monente fortaſſe eodem ſepulcrali titulo, XXI fuerit in perpetua ab initio Epiſcoporum ſerie numeratus, jam XII aliis S. Januarii deceſſoribus ſuus omnino locus eſſe debeat.

Sed ad eandem rem uberius &c.

Pag. 104. in fine not. (c) hæc adde

Haud vitio nobis Chriſtianis verti debet, quod dierum nomina ab ethnicis mutuati videamur; non enim hoc facto eorum ſuperſtitionem probamus, dum nudum vocabulorum uſum retinere debuimus, quem non religionis conſenſio, ſed politica hominum ſocietas retinendum monebat: Hùc facit Tertulliani locus Apolog. XVI.: *Æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgamus, alia longè ratione, quàm de Religione Solis ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni otio, & victui decernunt*: ubi ſic Havercampus: Non vero gravati ſunt Chriſtiani hoc nomen mutuatum licet ab ethnicis, in iſtius diei appellatione retinere, quoniam, ut Ambroſius ſcribit Serm. 61. *in ea die Salvator velut Sol. oriens., diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit*.

Pag. 245. Petrus Burmannus in de Vectigal. P. R. cap. 7. p. 99. edit. Leidæ 1734. eodem jure, quo Municipia, poſtea illam Urbem æternam, Gentium, & Orbis dominam, Romam ab Impp. habitam fuiſſe cenſet, *nam* (ſubdit) *imminuta Senatus auctoritate, ſublato Ærarii, & Fiſci diſcrimine omnia Vectigalia in Principis uſus, & rationes ſunt relata: Romæ ut Oppido alicui minori quædam minuta Vectigalia ad Opera publica, & cæteras neceſſitates relicta, & deputata, quin & Ærarium deinde ipſum ablatum Romæ, & ut cæteris oppidis Arca aliqua aſſignata, quam omnibus Municipiis, imo, & privatis Societatibus habere permittitur: Heinc idem Aurelianus apud Vopiſc. c. XX. ſcribit Senatui: Eſt præterea veſtræ auctoritatis Arca publica, quam magis refertam eſſe reperio, quam cupio: ubi fortè* (*minus*) *legendum*: Hactenus Burmannus: qui quum ſemel cœperit Populi Rom. Ærarium ad nihilum, vel minimum redigere, ſatis importunam manum Vopiſci loco adhibuit; ex quo potius, ſi verba, mentemque Aureliani advertiſſet, rectè eam Lectionem ſe habere noviſſet: & mirum quidem adeo ſuæ ſententiæ indulſiſſe Burmannum, qui eodem loco, ab iiſdem Vopiſco, & Aureliano edoctus fatetur, eum Auguſtum *Vectigal ex Egypto Vitri, chartæ, lini, ſtupæ, atque anabolicas ſpecies Urbi Romæ conſtituiſſe*.

REGISTRO.

Fronteſpizj, e Dedica. *. *2. *3. *fogli trè.* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Sſ. Tt. Vv. *Duerni.* Xx. *un foglio e mezzo.* a b. c. d. e. f. g. *Duerni* h. h 2. h 3. *fogli trè.* i. *Duerno.* k. k 2. k 3. *fogli trè.*

Arcus Triumphalis Trajani. *Figura I. alla pag.* 253.
Reliquiæ Amphitheatri Beneventani. *Figura II. alla pag.* 284.

Digitized by Google

	ERRATA	CORRIGENDA.
Pag. 2.	in not. in cit. Basilicographiæ pro lib. III.	lege cap. XLI.
3.	v. 17. postquam	postque
14.	v. 7. Petavii	Patavii
15.	v. 6. Agrippam	Argyrippam
15.	v. 31. regionum	regiorum
16.	v. 6. effigendum	effingendum
16.	v. 17. Victime	Victimæ
16.	v. 20. rectæ	rectè
16.	v. 25. oculis	oculis
16.	v. ult. abtinuissem	abstinuissem
18.	v. 2. *post* divitiarum *adde* vi.	
20.	v. 24. necessarum	necessariarum
21.	v. 9. præclarissum	præclarissimum
24.	v. 3. ad eo	adeò
24.	v. 15. *partum*	*partem*
24.	v. 19. protius	potius
27.	v. 13. *post* Principes *adde* mos	
29.	v. 14. ab Roma	ab Urbe Roma
32.	v. 8. *post* testantur *adde* probare	
39.	v. 15. ita	ita ut
41.	v. 16. Casilininum	Casilinum
44.	v. 41. deducta	deductæ
46.	v. 42. nondum	nedum
49.	v. 13. cujusquæ	cujusque
57.	v. 42. Antonino	Antonini
58.	v. 7. abractum	abrasum
70.	*not.* (*e*) v. 3. *completa*	*complexa*
ibid.	*not.* (*i*) *ramos*	*ramus*
72.	v. 4. pag. 4.	pag. 48.
74.	v. 1. Fabula	Tabula
79.	v. 1. postquam	post quam
84.	v. 17. inserit	inseri
86.	v. 27. igitur ea	igitur ad ea
90.	*not.* (*b*) v. 14. erigendi	eripiendi
92.	*not.* (*f*) v. 1. Ædibis	Ædilis
95.	v. 4. lætitiam	lætitia
	v. 6. lætitiam	lætitia
101.	v. 1. illud	illum
106.	*not.* (*c*) v. 2. confringes	confringens
107.	*not.* (*c*) v. 8. Hyseæ	Hygiæ
113.	v. 7. shedis	schedis
	v. 8. longo	longè
	v. 19. Religonem	Religionem
125.	v. 15. interpretatione	interpretationem
132.	v. 28. lota	loca
135.	v. 3. FATRI	FRATRI
144.	v. 36. Tyrrannidis	Tyrannidis
	v. 48. Ar	At
153.	v. 1. *Claudium*	*Caudium*
156.	v. 1. diverrsa	diversa
164.	v. 10. fuerunt	fuerint
173.	v. 6. *infimul esset*	*infimulasset*
178.	v. 1. stibi	sibi
180.	v. 22. titulum	titulus
194.	v. 28. Ulpini	Ulpiani
197.	v. 29. meminit	meminerit
199.	v. 22. pindignus	indignus
202.	v. 19. in temperantioris	intemperantioris
204.	v. 28. & 29. is . . . numerus	eum . . , numerum
222.	v. 27. *paruerit*	*pareret*
224.	v. 32. Restius	Rustius
238.	v. 5. XXV.	XXX.
255.	v. 24. Thiumphali	Thriumphali
279.	secunda nota corrigenda sic;	(*b*)
307.	tuàm	tàm.
315.	nonnullas	non ullas.
ibid.	v. 32. uti	ubi
320.	v. 29. heiç	hùc
xvi. *col.* 2.	inferiori v. 19. extendit	ostendit.

xxiii. Toedia *pro* Tædia : quas diphthongos mendosè scriptas, sicubi in hoc Volumine occurrant, uti etiam leviores, aut fortasse graviores alias maculas, quas vel incuria fudit, vel humana parum cavit natura, quæque ex unica absentis Auctoris castigatione deleri omninò nequivere, æquus Lector ignoscet.

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LUGD

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

28 to 10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google